BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
14 E
8

68-14-E-8

+

i: Alexandri Pollini.

95

95

SEBASTIANI CORRADI COMMENTARIUS, IN QVO M. T. CICERONIS DE CLARIS ORATORIBVS

Liber, qui dicitur Brutus, & loci penè innumerabiles quum aliorum ſcriptorum, tum Ciceronis ipſius explicantur.



FLORENTIAE

Ex officina Laurentii Torrentini DVCALIS Typographi.

M D L I I.

Cum ſummi Pontificis, Caroli V. Imp. Henrici II. Gallorum Regis, Coſmi Medicis Ducis Florent. II. Priuilegio.

SEBASTIANVS CORRADVS SEBASTIANO PIGHINO SIPONTINO PONT.

S. P. D.

NEMO plures vnquàm cauſas habuit, cur alterum diligeret, quàm ego, cur te non amem ſolum, ſed etiam planè colam: quas, non faciã, vt omnes enumerem, ne videar ambitioſus: illam quæ publica ſit, etiam, ſi velim, tacere non poſsim: quòd videam te ſic ab omnibus, quaſi ceſtum Veneris habeas, amari, vt ego ne homo quidem poſsim, aut debeam vocari, niſi, quem diligant omnes, quamuis ei nihil debeant, ego, qui tantum debeo, quàm maxime poſsim, ſemper obſeruem. Id ego vero ſic facio, vt in eo nemini concedam: quippe qui ſciam, te tibi non Veneris cingulo, ſed Palladis auxilio non omnium modo beneuolentiam, ſed honores etiam maximos, in quibus ſumma cum laude verſaris, comparaſſe. Id ego iam tum, quum tu te Romam cõtuliſti, quòd qualis eſſes, optime noſſem, poëtæ ſummi verſibus ita prædixi: Mirabar, quid mœſta Deos Amarylli vocares: cui pendere ſua patereris in arbore poma. Tityrus hinc aberat: ipſæ te, Tityre pinus, Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta vocabant. Tu vero ſic ea, quæ tibi quaſi reſeruata fuerant, guſtaſti, vt verè, quemadmodum Themiſtocles, & Cicero, gloriari poſsis, te magnorum laborum tuorum, multarumque vigiliarum fructum maximum cepiſſe. Nam Romæ ius ita dixiſti, vt omnes te Romani ciues vt hominem diuinum de cœlo delapſum eſſe Romam putarent: ac, quod nunquam antea factum fuerat, vt is ma-

giſtratus iterum tibi non annuus modo, ſed perpetuus etiam daretur, optarent, & à ſummo Pontifice, qui nihil vnquam miratus eſt magis, etiam poſtularent. Verum ille vir prudentiſsimus arbitratus Peruſinos, qui tunc inter ſe diſsidebant, opera viri talis indigere, eò te miſit: vbi quid egeris, non eſt neceſſe dicere; quum ſatis conſtet, à Peruſinis Pontificem, miſsis legatis, rogatum fuiſſe, vt eam tibi prouinciam prorogaret. Ille vero, qui de tua virtute iam grauiſsima iudicia, & teſtimonia haberet, æquum non putauit eſſe vt homines pauci, vt Peruſini, potius, quàm ipſe, & omnes Chriſtiani tali virtute fruerentur. Itaque te Romam quum reuocaſſet, non ita multo poſt primum cameræ, vt appellant, audito ri Ioanni Baptiſtæ Cicadæ viro prudentiſsimo vicarium dedit: deinde, quum tu in eo munere opiniones omniũ ſuperaſſes, in collegium iudicum vt vocant, rotæ, ipſis omnibus expetentibus, cooptandum curauit. Tum vero in eo quaſi orbis terrarum theatro plane, qualis eſſes, oſtendiſti. Sic enim te geſsiſti, vt, quamuis locus ille ſemper honeſtiſsimus fuerit, tum tamen illud vere dici poſſet, quod Epaminondas vſurpauit: vir oſtendit magiſtratum: & illud item, quòd Zeuxis pictor olim ſcripſit: Inuiſurum aliquem facilius, quàm imitaturum. Ne longum faciam, tacebo, quàm iuſtè, ſapienterque res omnes & diſceptaris, & iudicaris: & illud, quo properat animus, dicam, te vnum ex omnibus collegis à Paulo III. Pont. Max. viro prudentiſsimo de conſilii ſententia dignum eſſe iudicatum, quem Tridentum mitteret, vt cum Ioanne Mario Montio, Marcello Ceruino, & Reginaldo Polo Cardinalibus ampliſsimis, & legatis ſapientiſsimis concilii curam ſuſtineres. Quod quidem negotium quàm prudenter geſſeris, nihil attinet dicere, quum & publica monimenta teſtentur, & tu prudentiæ tuæ & laboris illum fructum tuleris, vt quò vix initiatus ſacris eras profectus, inde vel Epiſcopus reuertereris. Quo tempore meis id oculis vidi: quòd ſi quis retuliſſet, fortaſſe non credidiſſem: te ſic à

Ioanne

Ioanne Morono Cardinali, & Bononiæ legato, & à Camillo Mentuato viris, quos ego nec nimis valde vnquàm, nec nimis ſæpe laudauero, excipi, ſic à Bononienſibus omnibus deduci, & laudari, vt ego non ſolum mirarer, ſed tacitus etiam & mihi, quaſi Philippus Alexandro, gauderem, quòd his temporibus natus, & tantum patronum nactus eſſem: & patriæ noſtræ, quæ virum talem genuiſſet, & huic ætati, quæ videret, & frueretur maiorem in modum gratularer. Quum vero diſputaretur, iurene concilium Bononiam tranſlatum videretur, tu vel in primis de communi patrum ſententia Romam es miſſus, vt ea de re Pontificem doceres: qui rem quum intellexiſſet, vt idem tu velut omnium peritiſsimus Imperatorem doceres, ad eum te cum omnium hominum moderatiſsimo Alouiſio Lippomano Veronenſi Epiſcopo legauit: quòd vos tales eſſe cognoſceret quales Imperator ipſe cupiebat: qui quum Germaniæ nationes eas, quæ à religione declinare videbantur, ad officium, ſanitatemque reducere vehementer optaret, magni intereſſe Reip. Chriſtianæ iudicarat, eò duos viros etiam Cardinales doctrina, moribus, & auctoritate præditos mitti, qui, quæ religionis eſſent, rite curarent. Quumque Pontifex de te primo quoque tempore ornando cogitaret, deceſsit: cui quum Iulius I I I. ſucceſsiſſet vir ſapientiſsimus, & te nō minus, quàm Paulus ipſe, vel plus etiam diligeret, in Vrbem te reuocatum Sipontinum Pontificem, vel, vt hodie vocant, Archiepiſcopum in ſuum locum creauit: nec ita multo poſt ipſe quoque, quaſi Paulum ſuperiorem Pontificem imitatus, te laudibus, autoritate, decretis, & præmiis maioribus ornatum, & ſolum ad eundem Auguſtum Auguſtam miſit: vbi, quod audimus, &, vt qui maxime, gaudemus, ex ſententia omnia tibi ſucceſſerunt. Nuper vero Pontifex idem te, & eundem Alouiſium Lippomanum maximis inter vos vinculis doctrinæ, morum, beneuolentiæ, & pietatis Chriſtianæ coniunctos cum Marcello Creſcentio Cardinale, & legato Concilio Tridenti-

no præfecit:qui gradus,quoniam ad rem omnium maximam pertinet,ampliſsimus merito,ac iure debet iudicari. Deus igitur Opt. Max. cætera,quæ ſperamus,fortunet. Nos interea,qui & ea,quæ diximus,& multo plura, quæ nòrunt omnes,admiramur: & ea, quæ nos vt penè domeſtici cognoſcimus, & pauci præterea (mauis enim bonus eſſe, quàm videri) ſciunt, obſtupeſcimus, nullum finem facimus de te cogitandi. Atque vtinam quidem,quemadmodum de te ſemper fere cogitamus, ita ſcriptis efficere poſſemus, vt id ipſum etiam ſemper extaret. Sed quoniam fieri nullo modo poteſt,vt,quantum de te mente concepimus,quantumque te colimus, tantum ſcriptis exprimatur,tibi,qui nos intus, & in cute,quod aiunt, iampridem noſti, vt Timanthes Agamemnonis dolorem,ſic nos amorem,& obſeruantiam erga te noſtram æſtimandam relinquemus, hoc tantum commentario, quem tibi dono mittimus,vt nunc eſt,teſtati: quem tu,vt ſpero, libenter accipies: quòd & Ciceronis Bruto,quem ſumus interpretati,tu valde delectaris,& is ab eo proficiſcitur,qui tuus gentilis, condiſcipulus, ciuis & ſit & appelletur: quem tu ſemper tanti feciſti,vt ab eo potius,quàm vel à fratre,vel à propinquis,ſororem fœminam lectiſsimam,Ioanni Paulo Corradino viro modeſtiſsimo volueris collocari. Accipe igitur,quod tibi nunc dare poſſumus, & puta,te,& ea, quæ tua cauſa cupimus, magna cum ſpe iam nunc ab omnibus quidem tuis amicis, ſed in primis tamen à Iulio Boiardo illuſtri viro & principe,ab Hieronymo Craſſo equite nobiliſsimo,cæteriſque Craſsis omnibus tui,vt qui maximè, ſtudioſis, à Iulio Scarlatino & Galeoto Boſio Iuriſconſultis clariſsimis, à Franciſco Bolognetto viro optimo,& homine doctiſsimo,ab Innocentiò Ringherio viro eruditiſsimo,& à nobis, qui te vel abſentem tamen in oculis ſemper ferimus, expectari. Vale. Calend. Iun. M D L I. Bononia.

CORRADVS LECTORI S.

QVVM Iouita Rapicius uir optimus, et homo doctiſſimus Quæſturam noſtram ne adhuc quidem deſcriptam legiſſet, nos, vt de perſonis Ciceronianis librum ſcriberemus, hortatus eſt, id onus noſtrum prorſus eſſe teſtatus. Nos uero, quamuis onus illud multo grauius eſſe duceremus, quàm quod ipſi ferre poſſemus, quia tamen talium virorum cohortationes oracula ſemper eſſe putauimus, in nobis aliquid illum videre, quod ipſi non uideremus, arbitrati, iam tum viro prudentiſſimo parere conſtituimus, præſertim quum certo ſciremus, eum, qui diligenter id feciſſet, multo plus vtilitatis, quàm qui perſonas Horatianas olim collegerunt, ſtudioſis hominibus allaturum. Nam ſi maiores noſtri eos, qui perſonas poëtæ nec ſummi, nec multas, nec admodum illuſtres, quæ tamen adhuc multis eſſent notæ deſcripſerunt, multum profuiſſe putauerunt, quantum nos eum, qui perſonas hiſtorici, philoſophi, & certe ſummi oratoris innumerabiles, & olim quidem illuſtres admodum, ſed nunc maiorem partem propter rerum ignorationem obſcuras, rurſus illuſtret ſcriptis, profuturum putare debemus? Nos certe, ſi quis vnquam fuerit, qui poſſit id ipſum præſtare, contendere non dubitabimus, eum plus noſtris ſtudys, quàm reliquos omnes interpretes, profuiſſe. Interpretes enim, ſi quid occurrat hiſtoriæ, ſolent, quod lippis, & tonſoribus eſt notum, & à re ſæpius alienum, referre: is nihil, niſi quod reconditum ſit, & ad rem maxime pertineat, edendum curabit. Illi, ſi M. Cato, M. Piſo, L. Torquatus, L. Lucullus aliquid apud Ciceronem de Philoſophia diſputabunt, multa quidem congerent, ſed ita confundent, vt ea nec caput, nec pedes habere videantur: is vero, cur Cato, Piſo, Torquatus, Lucullus potius, quàm Varro, Cotta, Balbus, Triarius, & cur eo modo potius, quàm alio loquantur, quàm planiſſime fieri poterit, explicabit. Illi, ſi Ciceronis orationem pro T. Annio Milone, vt eam, quæ ſit omnium nobiliſſima, potiſſimum ponamus, interpretari volent, res quidem, quæ in oratore debeant eſſe, partes orationis, & artis quædam præcepta, ſed quæ trita ſint, & è libris nullo negotio peti poſſint, confuſe deſcribent: is autem, qui ſciet, quibuſdam placuiſſe, ita defendi crimen, interfici Clodium pro repub. fuiſſe, cur aliam rationem Cicero ſit ſecutus, & rem multo aliter, ac cæteri ſolerent oratores, diſpoſuerit, accurate de

monſtrabit, & ſimul in exordio verène Cicero timuerit, an timere finxerit, item verumne, an falſum narrarit, oſtendet, vnde multa diſcentur artis præcepta, quæ nuſquam in libris Rhetoricis reperiri poſſe videantur. Illi ſolent quidem, quod ad elocutionem maxime pertineat, interpretationem verborum profiteri, ſed nihil eſt, quod minus exequantur: is, etiamſi ne hoc quidem profiteatur, dum tamen res ipſas uolet indagare, vel aliud agens, quæ ſit verborum vis, & natura, declarabit. Quid multa? is in Ciceronis operibus, quicquid ad hiſtoriam, quicquid ad Philoſophiam, quicquid ad artem dicendi pertinet, ita nobis, ſi modo ſtudij tantum, quantum requiritur, in eam rem conferre volet, explanabit, nihil vt amplius deſiderare poſſimus. Atque vtinam quidem vir aliquando tandem talis exiſtat, qualem vel ante deſcripſimus, vel certe iampridem cogitatione ſumus, & mente complexi. Sed, quoniam, quod ne ſperamus quidem, videmur optare, nos, quod in nobis fuit, id, operam dedimus, vt præſtaremus, pro virili parte conati, quod vellemus, adumbrare. Nec dubitamus tamen, quin multum profeciſſe iudicemur: qui, præterquam quod in Ciceronis epiſtolis omnibus ferè, & Valerij Maximi libris illuſtrandis id nuper interpretandi genus, quod maxime laudatur, attulimus, ea nunc afferamus, quæ doctis omnibus nos probaturos eſſe ſperemus. Nam, quum de perſonis Ciceronianis, vt diximus, aliquid iampridem ſcribere conſtituiſſemus, & inſpiceremus rei tantæ difficilius exitum, quàm principium inueniri poſſe, veriti, ne tantũ labyrinthum ſemel ingreſſi, nunquàm poſtea poſſemus exire, Ciceronis Brutum, tanquàm Theſei filum, nobis ad ſequendum propoſuimus, quòd videremus in eum librum, tanquàm in equum Troianum, quum Græcos, tum Latinos oratores à Cicerone ita fuiſſe congeſtos, vt, qui bene norit illos, omnes penè Ciceronianas perſonas cognoſſe videri poſſit. Ut vero bene cognoſci poſſint, nos quoq. in hunc noſtrum commentarium, in quo Brutum ipſum ſumus interpretati, congeſſimus, quicquid ad eam rem putauimus pertinere. Scriptores enim tam Græcos, quàm Latinos, qui de rebus hiſce ſcripſerunt, omnes peruolutauimus, vt, ſi quid eſſet, quod ad eam rem attineret, colligeremus, idque dum faceremus, ſæpe multa male vel à librarijs deſcripta, vel ab autoribus ipſis certe ſcripta, correximus, vel interpretati ſumus: ipſius vero Ciceronis libros omnes ita diligenter legimus, & in his ita curioſè locum cum loco, rem cum re, tempus cum tempore, perſonam cum perſona contulimus, ita pugnantia, vel dubia, vel cõtraria ſuſtulimus, ita deniq. res omnes ſumus perſecuti, vt penè dicere audeamus, nihil, quod ad haſce Bruti potiſſimum perſonas attineat, eſſe relictum, de quo magnopere dubitare poſſimus. Quin veremur interdum, ne quis dicat, nos manum de tabula, quod aiunt, tollere neſciuiſſe, cui tamen ita nos reſpondemus, nos adhuc huius diligentiæ non pœnitere: quam neque nobis obeſſe, & alijs prodeſſe cognoſcamus: præſertim quum tales nos eſſe profiteamur, ut, etiamſi nobis obſit, & alijs proſit, nihilominus ea ſimus vſuri. Labo-

res igitur, quos ſanè magnos ſuſtinuimus, & iacturam temporis, quam magnam fecimus, hac communi vtilitate, quam nos putamus non paruam fore, compenſamus. Et ſanè quidem nos ita ſemper vtilitati communi ſtuduimus, vt, ea contenti, quum res alias, tum vero vel in primis quorundam calumnias neglexerimus: qui ſoleant eos, qui res huiuſcemodi paulo diligentius perſcrutentur, accuſare: quaſi vero conuicerint, eas aut hodie nihil prodeſſe, aut à magnis viris olim ſpretas fuiſſe: quum ſatis appareat contrà, nihil eſſe, quod ſtudioſis hominibus magis proſit: nihil, in quod magni viri plus ſtudij videantur contuliſſe. Id ipſi profectò pluribus oſtendamus, niſi res ipſa per ſe loquatur, & conſtet, Varronem, Ciceronem, Aſconium, Suetonium, Plinium, Tacitum, Plutarchum, Gellium, Macrobium, & alios, quos mittimus, in hoc genere ſtudij diligenter eſſe verſatos. Iam vero nos, qui literas haſce profitemur, quid aliud hodie ſcribamus? aliquod, opinor, poëma: ſanè vero, vt quũ ſemel ne totum quidem lectum fuerit, vnctum mittatur Ilerdam. Epiſtolas, dicet aliquis, aut orationes ſcriberes: remp. ſcilicet Platonis, quæ nunquàm fuit, aut patres conſcriptos, & Quirites Romanos, qui nulli ſunt hodie, fingemus, vt quas epiſtolas, aut orationes ſcripſerimus, eas de grauiſſimis rebus ſcripſiſſe videamur. Nos vero non ita ſumus ſtulti, vt vel ea, quæ nuſquàm ſunt, fingere velimus, vel id ſequi, quod aſſequi non ſperemus, vel eos, qui de nugis epiſtolas, & orationes conſcribunt, imitari, ne forte nos quoque cum cæteris à Lazaro noſtro vere Bono amico viro ſummo rideamur, quum facile probat, poſt Ciceronem, nihil, quod ferri poſſit, in hoc genere ſcriptum fuiſſe. At hiſtoriæ nos dare poteramus: nos uero dare poteramus, & id multo libentius etiam feciſſemus, quòd & hac ætate res magnæ geſtæ ſunt, & nos in primis eo ſtudio delectamur: ſed veriti ſumus, ne quum lex hiſtoriæ prima ſit, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, nos, qui veritatis, vt qui maxime, ſumus ſtudioſi, quòd neq. rebus gerendis interfuimus, neque volumus offendere quenquam, interdum mentiri cogeremur. Itaque genus hoc ſcribendi, & interpretandi, in quo cum laude verſari poſſe videremur, penè ſolum nobis relinquebatur: quod, quum ex hiſtoria etiam magna ex parte proficiſci videremus, ita nos arripuimus, vt ne minima quidem nos interdum referre puduerit, vt vel veras lectiones, vel errores aliorum, vel tale quid indicaremus. Omnia tamen nec potuimus, nec voluimus conſectari, quòd hoc ſit arrogantis polliceri; illud iam nõ hominis, ſed Dei præſtare. Illud certe quidem nos præſtitimus, vt, quum res tam veteres, tamque longe à memoria noſtra remotas repetamus, nihil penè tamen dicamus, cuius autorem tibi ſtatim non laudemus ita, vt frequenter eius verba tibi conſideranda proponamus, ea ſic noſtris adiungentes, vt ne ſtylus quidem ipſe, quod in huiuſcemodi tamen cõmentarijs neque fieri poteſt, neque quæri ſolet, vllo modo poſſit extare. Neque tamen omnia nos ſuo ſemper ordine retulimus, quòd ſciebamus, nec hiſtoriam perpetuam nos ſcribere, &, quum tam multa ex tam

multis ſcriptoribus colligeremus, illud infiniti laboris futurum fuiſſe, nec valde profuturum. Sit igitur ſatis, omnia penè, quæ in hac re requirantur, in hoc commentario, ſiue ordinè, ſiue præpoſtere dicantur, inueniri. Quòd ſi quid forte deſideretur, te frequenter ad ipſos ſcriptores, vnde petere poſsis, reijcimus: quorum libros, & capita numeris ſcriptis ſæpius, quàm notis appellamus, ne & tu multum labores, & numeri ſimiliter atque in alijs libris factum videmus, à librarijs confundantur. Sin cui contrà videbimur multo plura ſæpe, quàm res poſtulet, congeſsiſſe, aut interdum bis eandem rem retuliſſe, meminerit ille, vt his ſcriptis potiſsimum Brutus explicetur, aliorum tamen etiam librorum rationem haberi: & eandem rem ſæpe duabus perſonis, vel pluribus etiam conuenire. Nos certe, quod in poëmate, hiſtoria, oratione, cæteriſque ſcriptionibus etiam commendatur, id in cōmentario non magis arbitrati ſumus aliquando poſſe reprehendi, quàm ſi quid paulo planius, & apertius explicetur, quamuis hoc etiam reprehendi ſentiamus: quòd non deſint homines, ſi modo ſunt homines, qui moleſte ferant, res iſtas, quaſi veterum faſtos, efferri, quibus enunciatis, uiri docti contemnantur: quum quæ prius ipſi vix intelligebant, ea nunc homines indoctiſsimi, velut epiſtolas ad Atticum ſcriptas, etiam publice non dubitent interpretari. Nos vero contrà gaudemus, quod ſemper nobis propoſitum fuit, nos, ſi modo id conſecuti ſumus, videri aliquibus, ſiue docti, ſiue indocti ſint illi, profuiſſe. Nec contemni doctos exiſtimamus, quòd nos ex tam multis quædam declaremus, quæ ſoli ſcire viderentur: quaſi vero non et hæc illi multo melius intelligant, & multo plura ſciant, quæ nunquàm vulgus imperitum neque noſtris, neque aliorum ſcriptis aſſequetur. Verum, quoniam difficile, ne dicam ἀδύνατον eſſet, omnibus, qui dicere volent aliquid, reſpondere, illud tibi lector affirmamus, ſancteque iuramus, nos, quod officium ſit boni uiri, nemini nocere, & omnibus, quibus, poſſemus, prodeſſe voluiſſe: quorum nos alterum certe præſtitimus, nemini vt noceremus: alterum vero an ſimus aſſecuti, ipſe iudicabis. Volumus enim te nunc omnium, quæ in hoc comentario ſcripſimus, eſſe iudicem: quamuis ipſe ſcire poſsis, vt Herodotum hiſtorias, & Aetionem pictas nuptias Olympiæ, ſic nos ea treis annos totidem penè verbis, quot edita ſunt, in hoc nobiliſsimo Gymnaſio Bononienſi expoſuiſſe, deinde duos annos, Apellis exemplo, quid de his homines iudicarent, expectaſſe, donec ita iudicarunt omnes, quicunque nos audiebant, aut literas ſciebant, vt ipſi nec poſsimus, nec velimus ad alios iudices appellare: præſertim quum & ſecundum nos ſit iudicatum, & nos putemus in hac repub. quam quadraginta uiri genere, honore, exiſtimatione principes ciuitatis adminiſtrent: quam Ioannes Moronus, & Ioannes Marius Montius; qui nunc eſt ſummus Pontifex Cardinales ampliſsimi, & legati ſapientiſsimi, ac Camillus Mentuatus, & Ioannes Angelus Medices, qui nunc eſt Cardinalis, Prolegati prudentiſsimi ſuperioribus annis, quibus ea nos iudicāda propoſuimus, rexerunt: quam

nunc

nunc Marcellus Creſcentius Cardinalis nobiliſſimus, et legatus ornatiſſimus, ac Hieronymus Saulius prolegatus vir optimus, & , vt paucis dicam, alter Ariſtides, gubernant, nihil omnino male nec potuiſſe, nec poſſe iudicari. Tu tamen quum alia, tum vel in primis illa iudicabis, an ſit danda nobis venia: qui uerbis interdum ſingulis interpretandis res ipſas referamus: interdum res ipſas omnes in vnum locum congeramus: qui ſæpius vſum, quàm veterum monimenta, & lapides in ſcribendis verbis ſequamur, nec magnopere curemus, ſiue Celius, Sextius, Cepio, ſiue Cælius, Seſtius, Cæpio, vt alia mittamus, ſcribatur: qui ſic interpretemur, vt ferè ſemper verba noſtra perſonis loquentibus accõmodemus, qui tempora ſic digeramus, vt non magni referre putemus, ſi menſes aliquot, vel annus etiam ſæpe vel addatur, vel relinquatur, præſertim quum de numero annorum Paulus Oroſius, alijque ſcriptores ita diſſentiant, vt interdum vix certus numerus colligi poſſe videatur. Hæc omnia ſi tu probabis, & nos amabis, honores propemodum diuinos exiſtimabimus nos eſſe conſecutos. Uale. III. Non. Iun.

M D L I. Bononiæ.

SEBASTIANI CORRADI COMMENTARIVS, IN QVO M. T. CICERONIS DE CLARIS ORATORIBVS LIBER, QVI DICITVR BRVTVS, EXPLICATVR.

CAIVS Curio, vt ſcriptum eſt apud Ciceronem, quum Tranſpadanorũ cauſam æquam eſſe diceret, ſemper tamen addebat; vincat vtilitas: quòd eam ſemper ſpectandam putaret: quam nos item doctori publico propoſitam eſſe debere, & non ita multo ante in hoc ipſo loco diximus, & nunc, vt quum maxime, diximus, atque adeo contendimus, & ſi quis aliter ſentiat, eum nihil ſentire prorſus affirmamus. Nos certe iam tum, quum primum cœpimus publice docere, ſic eam nobis propoſuimus, vt ne tranſuerſum quidem vnguem, quod aiunt, ab ea, quoad eius fieri poteſt, diſcedamus. Quare nos, quum ſciremus ei, qui literas haſce, vt vocant, humaniores profiteatur, in oratoribus, & poëtis ferè ſemper eſſe verſandum: anno ſuperiore M. T. Ciceronis pro T. Annio Milone orationem, in qua Rhetorica velut in tabula picta ſpectari poſſet: & Q. Horatii Poëticam, in qua ipſius artis præcepta multa tradantur, interpretandas ſuſcepimus: hoc anno vero multo aliter faciendum putauimus: quippe qui, quum videremus rerum omnium eſſe viciſsitudinem, eadem nos in noſtro munere vti voluimus, & oratoris librum, in quo diſcendi pręcepta, ſi non prorſus omnia, at plurima certe traderentur: & rurſus poëtæ carmen, in quo multa poëticæ præcepta ſpectarentur, afferre: præſertim quum iampridem nobis conſtaret, nullum neque huius poëtę, qui poëtarum ingenioſiſsimus, neque illius oratoris, qui princeps oratorum vocetur, afferri librum poſſe, qui non maximè vobis eſſet placiturus: vt ii certè placebunt, in quibus non ea modo, quæ diximus, ſed fabulæ etiam poëticæ penè omnes, & hiſtoriæ Romanæ penè omnes explicentur. Hiſtoriæ porrò finis vtilitas à Luciano vocatur, vt iam vix fieri poſsit, quum vtilitas, vt nobis eſt propoſitum, ex hiſce libris conſequatur: præſertim ſi nobis, vt ſoletis, operam dare voletis, dum libros hoſce, quorum alter Brutus, alter Faſtorum appellatur, quàm diligentiſsime fieri poteſt, explicamus. Atque in Bruto quidem Ciceroni, vt nunc Faſtos mittamus, & ad noſtrum munus ordine,

quo decet, accedamus, propoſitum fuit, non ſolùm Bruto ipſi, & Attico,
quod de oratoribus quærebant, exponere, ſed Romanis etiam omnibus, &
præſertim antiquitatis, & dicendi ſtudioſis prodeſſe. Nam quum præceptis
oratorem in tribus de Oratore libris informaſſet, eum vt quaſi populo exhi
beret, hoc libro exemplis prorſus exprimendum putauit. Itaque oratorum
penè omnium, qui vel Athenis, vel Romæ floruiſſent, vitia & virtutes colle-
git, vt Romani adoleſcentes illa vitare, & has imitari poſſent. Neque tamen
hæc ipſa quum facit, dicendi præcepta, quæ ſint neceſſaria, prætermittit, ſed
& illa breuiter complectitur, & oratorum præſertim Romanorum vitas ita
deſcribit, vt qui paulo accuratius hunc librum legat, is omnem penè Roma-
nam hiſtoriam cognoſcat. Quòd ſi per ſe hiſtoria tantum habet vtilitatis,
quantum omnes teſtantur, & nos in epiſtola quadam ſcripſimus, quid vtili-
tatis in eo libro putes fore, qui non quamlibet hiſtoriam, ſed Romanam, nec
cuiuſlibet artis, ſed eloquentiæ præcepta complectatur: qui ſit non à quouis
homine, ſed ab eo, qui & eloquentiæ princeps, & hiſtoriæ peritiſsimus fuiſſe
dicatur, conſcriptus? Neque tamen ille vtrunque, ſed per dialogum eſt ſcri-
ptus: quæ res non vtilitatem modò, ſed delectationem etiam, & quidem maxi
mam legentibus afferre ſolet, præſertim ſi decorum, grauitatem, vrbanita-
tem, leporem, & venuſtatem contineat: quæ quidem omnia vel Cicero, vel
præterea nullus apud Latinos eſt conſecutus. Nam Platonem quaſi quendam
Deum Philoſophorum, vt vocat ipſe, ſic eſt imitatus, vt illum prorſus expreſ-
ſerit, & quidem ſemper, ſed potiſsimum tamen, quum iam natu grandis eſ-
ſet, vt tunc erat, quum librum hunc ipſum compoſuit, quum belli Africi, &
Hiſpanienſis tempore, certe Cæſare Dictatore in otium ſe contuliſſet. Hunc
igitur librū, quum poſt libros de Rep. nihil edidiſſet, ab Attico & Bruto ro-
gatus ſcripſit, & pòſt treis de Oratore libros quaſi quartū, vt ipſe teſtatus eſt,
collocauit. Atq. Platonē, qui ſuos dialogos duobus nominibus ornauit, imi-
tatus, LIBRVM DE CLARIS ORATORIBVS, QVI BRVTVS DICITVR,
inſcripſit, quòd oratores penè omnes præſertim Latinos, vt Bruto morē gere
ret, connumerauit. Huius argumentum breuiter ita colligitur. T. Pompo-
nius Atticus, & M. Iunius Brutus ad M. T. Ciceronē, quum is inambularet in
xyſto, & eſſet otioſus domi, veniunt, eumque rogant, vt ſibi ſermonem de
oratoribus in Tuſculano inchoatum exponat. Ille vero rem paulo altius re-
petit, & Græcos oratores primum numerat, quibuſcum deinde Latinos ita
per ſua tempora coniungit, vt continuatam ſeriem vſque ad ſuam ætatem
perducat: vt tum videre poterimus, quum eò venerimus, vbi nobis hæc o-
mnia pluribus erunt explicanda: quod nos ita facturos ſperamus, atque adeo
pollicemur, vt ſi minus doctrinam, ſtudium certe diligentiamque noſtram
probaturi ſitis: quæ non modo vobis in hoc ipſo libro, ſed in omnibus etiam
Ciceronis: & multis aliorum operibus ſit profutura. Quippe quum librum
hunc ipſum nemo bene poſsit interpretari, quin eodem tempore innumera-
biles Ciceronis, & aliorum ſcriptorum locos, in quibus de rebus hiſce, &
hominibus mentio fiat, interpretetur. Quæ quidem res erit laboris, & diffi-
cultatis plena: ſed nos omnes neruos contendemus, vt præſtemus, quod aliàs
ſæpe polliciti ſumus: nullum fore laborem neque tam magnum, neque tam
grauem, qui nos ab vtilitate veſtra poſsit auocare. Itaque quicquid erit labo-
ris in præceptis explicandis, in hiſtoriis perquirendis, in temporibus confe-
rendis, & in reliquis rebus perſequendis, libenter, & vltro perferemus: nec
quod noſtri quidem muneris, ſed graue tamen omnibus, & moleſtum videri
ſolet, librum, vbi fuerit opus, emendare recuſabimus, quamuis illum multis
in locis ſciamus eſſe mendoſum: quòd quum multos annos inter murorum
ruinas

ruinas apud Laudem Pompeiam latuiſſet, à Gerardo Landriano maiorum noſtrorum memoria vix tandem repertus, à Blondo Forliuienſi non ita bene propter literarum vetuſtatem deſcribi potuit, vt non multa menda reſederint: quæ nos vt tollamus, pedibus ac manibus, vt dicitur, conabimur: nec in ea re nos imitari pigebit quum Ptolemæum Aegypti regem, qui ab Athenienſibus tantopere contendit, vt Sophoclis, & Euripidis opera ſibi quàm emendatiſsima mitterent: tum Aratum, Ariſtarchum, Ariſtophanem, Appionem, Nicanorem, Varronem, Probum, Seruium, & reliquos, qui omne penè ſuum ſtudium in eam rem videntur contuliſſe. Neque vero parum laudis in ea re patres noſtri ſunt aſſecuti; ſed plus tamen hodie Bembus, Vbaldinus, Egnatius, Pierius, Alciatus, Victorius, Lilius, & Manutius meus aſſequuntur: quorum doctrinam, & mores vt ſemper admirati ſumus, ita nunc veſtigia libenter, & vltro perſequemur. ſed ad rem iam nunc accedamus.

M. T. CICERONIS DE CLARIS ORATORIBVS LIBER, QVI DICITVR BRVTVS.

QVVM è Cilicia decedens Rhodum veniſſem, & eò mihi de Q. Hortenſii morte eſſet allatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem. Nam & amico amiſſo, cum conſuetudine iucunda, tum multorum officiorum coniunctione me priuatum videbam, & interitu talis auguris dignitatem noſtri collegii diminutam dolebam: qua in cogitatione & cooptatum me ab eo in collegiū recordabar, in quo iuratus iudicium dignitatis meæ fecerat: & inauguratum ab eodem, ex quo augurum inſtitutis in parentis eum loco colere debebam. Augebat etiam moleſtiam quòd magna ſapientium ciuium bonorumque penuria, vir egregius, coniunctiſsimuſque mecum conſiliorum omnium ſocietate, alieniſsimo Reip. tempore extinctus, & auctoritatis & prudentiæ ſuæ triſte nobis deſiderium reliquerat. Dolebamque quòd non, vt plerique putabant, aduerſarium, aut obtrectatorem laudum mearum, ſed ſocium potius & conſortem glorioſi laboris amiſeram.

M. T. CICERONIS, de quo melius eſt ſilere, quàm pauca loqui, vt de Carthagine dixit Salluſtius, præſertim quū liber hic eius vitā penè totā complectatur. CLARIS ORATORIBVS, illuſtribus. Nam videas claros, & illuſtres eos potiſsimū vocari, qui liberaleis artes colant, vt à Cicerone clari oratores, et à Suetonio illuſtres Grāmatici vocantur: qui tamen obſcuri maiorem partē fuiſſent, niſi ſcriptis illorū fuiſſent illuſtrati. Vnde facile apparet, nos, vt multum ſcriptoribus omnibus debeamus, illis tamen multo plus debere, qui libros de vitis hominum conſcripſerunt: quibus & illis ad immortali-

tatem, & nobis ad vitæ inſtitutionem profuerunt. LIBER, hinc cognoſcimus eos deceptos fuiſſe, qui treis libros eſſe dixerunt, quos Diuus etiam Hieronymus confutauit. liber etiam dicitur oratio, vt oſtendit Cicero, qui Verrinas actiones, & orationes in Catilinam libros vocat: quem Cornelius Tacitus, Diomedes, Iulius Rufinianus, & alii ſunt imitati. QVI DICITVR BRVTVS, Platonem vt diximus, imitatur, ὅτι διπλαῖς τι χρῆται ταῖς ἐπιγραφαῖς ἑκάστου τῶν βιβλίων, τῇ μὲν, ἀπὸ τοῦ ὀνόματος, τῇ δὲ, ἀπὸ τοῦ πράγματος. vt ait Laertius in Platone: & Plato quidē nomē rei præponit, vt Φαίδων ἢ περὶ ψυχῆς. ſed hic Cicero rem nomini præpoſuit, vt orator, qui vellet orationē creſcere, & ita terminari, vt librū volebat appellari, vt appellatus eſt, lib. ſecund. de Diuinat. vt philoſophus vero ipſe quoque nomen rei præpoſuit, vt Cato, vel de ſenectute: Lælius, vel de amicitia. Brutus autem dicitur, vel quòd hic liber Bruto ſit inſcriptus, & nomē eius ita præferat: vt quamuis ad eundem Orator, τὰ παράδοξα, libri de Finibus bonorum, & malorum, Tuſculanæ quæſtiones, libri de natura Deorum, & epiſtolæ multæ ſint à Cicerone miſſæ, ſolus tamē ἐν τοῖς παραδόξοις, in eius nomine apparuiſſe, rectè dici poſſe videatur. Vel Brutus dicitur, quòd Brutus primas poſt Ciceronem ipſum quaſi partes agat in hoc libro, qui rogatu ipſius ſit confectus. Et ſanè libri, & id genus monimenta frequenter à perſonis, quæ ſæpius loquantur, vel primas agant partes, inſcribi ſolent, vt Lælius, & Amphitruo: vel à re, quæ ſcribitur, aut ſæpe nominatur, vt de amicitia, Rudens: vel à loco, in quo res facta dicatur, aut de quo frequens mentio fiat, vt Tuſculanæ quæſtiones, Andria. Hic eſt poſtrò M. Iunius Brutus, cuius vitam Plutarchus ſatis diligenter eſt perſecutus. Illud hoc loco libuit addere, conſuetudinem libros duobus nominibus inſcribendi fortaſſe ab Homero profectam, apud quem pars libri ſecūdi Iliados inſcribitur, κατάλογος νεῶν, ἤτοι Βοιωτία. QVVM, procemium eſt quaſi θρηνητικόν, certe παθητικόν, in quo dum de Q. Hortenſii interitu narrat, ita dolet, vt ſe virum bonum eſſe oſtendat, & ita beneuolentiam à ſe captet primo, deinde à maleuolis, qui multo aliter exiſtimarant. Dum vero laudat Hortenſium vt ſummum oratorem, tacite rem ſuam agit. CILICIA, & ſi non ita multis ante annis eam P. Clodius Tribunus pl. ad Prætorē extra ordinem tranſtulerat Oratione pro domo ſ qui quidem Prætor, vt puto, T. Ampius, vel T. Appius dicebatur; cui P. Lentulus Procos. ſucceſsit, Epiſtola ſecunda lib. primi Fam. P. Lentulo Ap. Claudius, Epiſt. octaua lib. primi Fam. Ap. vero Claudio Cicero, Epi. ſecunda libri tertii Fam. & quidem, quum prouincias, vt ſuo loco dicetur, ſemper antea neglexiſſet, poſt iniuriam acceptam, quum Augur etiam fieri voluiſſet, M. Marcello, & Ser. Sulpicio Coſs. ſucceſsit, & ea geſsit, quibus apud Iſſum Imperator appellatus, decretis iam ſupplicationibus, triumphaturus erat niſi bellum ciuile impediſſet, Inter turbas enim ſenatus ei tamen frequens triumphum flagitauit, vt ad Tironem ipſemet ſcripſit, & nos infra pluribus referemus. Cilices, & Iſauros, qui ſe piratis, & prædonibus maritimis iunxerant, Seruilius Procons. ad prædonum bellum miſſus, ſubegit, & viam per Taurum montem primus inſtituit: iſque de Cilicibus, & Iſauris triumphauit, atque Iſauricus eſt appellatus, vt Rufus, & Oroſius teſtantur: etſi Paterculus à Numidico Ciliciam prouinciam factam neſcio quo pacto videtur affirmare, Cilicia dicta fuit à Cilice Phœnicis filio, Solinus cap. quinquageſimoprimo: vel à Cilice Phœnice Agenoris filio, Herodotus lib. ſeptimo: ea nunc ab his, qui res Turcarum ſcribunt, Caramania vocatur: cuius incolæ ſemper apud veteres male audierunt, quòd & mendaces eſſent ita, vt prouerbio notarentur: & ſic item fraudulenti, vt in prouerbio inter

tria

tria peſſima cappa numerarentur. Quin Theopompus cædem per vinolentiam editam κιλικισμὸν vocauit. Ab his Cilicibus inuentæ veſtes dicuntur, quæ Cilicia vel ob id appellari ſolent, quibus veteres in caſtris, & nanibus ad pellendum frigus, ſed maiores noſtri ad affligendum corpus vtebantur. DECEDENS, ad III. Cal. Sext. Epiſt. tertia lib. ſexti ad Attic. quum iam C.Cælium Queſtorem prouinciæ præfeciſſem, Epiſt. ſexta lib. ſexti Ad Att. atque ita nec dies triginta, qui ad decedendum lege Cornelia conſtituti erant, Ep. ſexta lib. tertii Fam. nec in prima prouincia, vt conſuetudo erat Epiſt. vigeſimaſecunda lib. duodecimi. ad Attic. ſucceſſorem, qui nullus eſt datus, expectaſſem. Atq. hoc verbo Cicero ferè ſemper vtitur, quum de diſceſſu ex aliqua prouincia loquitur, vt omnino Epiſt. ſexta lib. tertii Fam. legendum ſit: decedendum, non autem ſuccedendum, vt in multis libris male legitur. RHODVM, vrbem, & inſulam, de cuius laudibus Pindarus, Strabo, Plinius, Liuius, & alii ſcriptores tam multa dixerunt, vt, ſi quid hoc loco nos dicere velimus, actum, quod aiunt, agere videri poſſimus: ne tamē nihil dicamus, illud contendimus, ab Horatio claram dici, vel quòd in ea nunquam, vt ait Plinius, tanta nubila obducātur, vt non aliqua hora Sol cernatur: vel quòd clara, nobilis, & illuſtris fuit libertate, re maritima, Romanorum amicitia, rebus geſtis, pictura, & artibus etiam liberalibus, quas ibi magni viri ſunt profeſſi, & in his Poſſidonins, & Molo, cui Cicero, & Cæſar operam dederunt, vt infra dicemus. Rhodum porrò dictam à Rhodo nympha, quam Apollo amauit, quidam volunt alii à roſa, quam Græci ῥόδον vocant, vel quòd locus ille pulchras ferat roſas· vel quòd, dum vrbs ædificaretur, ibi inuenta ſit roſa. Ibi fuit etiam coloſſus Iouis, vt ſcribit Strabo, vel Apollinis, vt vult Plinius, Charetis Lyndii opus, à quo multi credūt Coloſſenſes dictos, ad quos Diuus Paulus Epiſtolā ſcripſit, quum in ipſa Epiſtola ſic ipſe dicat: τοῖς ἐν κολασσαῖς ἁγίοις & nemo neſciat Colaſſas inter Phrygiæ vrbes à Plinio numerari: vt mittam Diuum Paulum Rhodios potius, quàm Coloſſenſes dicturum fuiſſe, & alias coniecturas, quæ in ipſa Epiſtola facile colliguntur. VENISSEM, Ciceronum puerorum cauſa. Epiſt. decimaſeptima lib. ſecundi Fam. illi vt Rhodum viderent. ſic enim credimus: quū cauſa nulla nobis alia poſſit excogitari, cur Ciceronum puerorū cauſa Rhodum cogitaret: quamuis illa ſimilis veri videri poſſit, eos vt ſecum tolleret, eò iampridem deductos, vt deducti videri poſſunt ex illis verbis Epiſt. decimaoctaua lib. quinti ad Attic. Cicerones noſtri ſunt apud Deiotarum, ſed, ſi opus fuerit, deducentur Rhodum: ſed non videtur opus fuiſſe, quum ſcribat Epiſt. prima lib. ſexti ad Attic. ipſos inter ſe amare, diſcere, & exerceri: & Epiſt. tertia eiuſdem lib. Q. Ciceronem filium literas Attici patri inſcriptas de ſuo conſilio aperuiſſe, idque quum iam Cicero ipſe de prouincia decederet, puerumque hortaretur, vt animum patris matri reconciliaret, tantum aberat, vt Rhodi tum puer eſſet: & ſi ibi tum fuiſſet, Epiſt. decimaſeptima lib. ſecundi Fam. affirmaſſet, ſe Rhodum acceſſurum, non autem addidiſſet, neque id tamen certum eſt. Q. Quinti. Quinti vero vocati ſunt illi, qui loco quinto, vt Sexti, qui ſexto, Septimii qui ſeptimo, Octacilii, qui octauo, Nonii, qui nono, Decimi, qui decimo eſſent nati. HORTENSII, de quo tam multa dicentur infra, vt ſuperuacaneum ſit hoc loco quicquam referre. Quare illud tantum dicamus, Hortēſios à colendis hortis eſſe dictos, vt Fabii à fabis, Piſones à piſis, Cicerones, à ciceribus, & Lentuli à lentibus ſerendis ſunt appellati, & iccirco Hortenſios rectè ſcribi: quum, quæ ab horto deriuantur, vt Grammatici dicunt, omnia ſic ſcribantur, vt apud Plinium, & reliquos quiuis legere poterit: quamuis aliqui malint Horteſios

Otacilij dicebantur, nō Octacilij

ſcribere, vel quòd in veterum monimentis ita ſemel atque iterum ſcriptum viderint· vel quòd ὀρτησίους apud Græcos ſcribi cognoſcant: quaſi vero non monimentis illis quoque ineſſe poſsit error, & in iiſdem nõ multo frequentius Hortenſios legamus: atque neſciamus à Græcis ita ſcribi, quòd illi ante σ ſoleant raro ponere. ſi quis tamen exiſtimat à Græcis rectius, quàm nunc à nobis ſcribi, dicamus, neceſſe eſt, id inde profectum eſſe, quòd veteres ſyllabam longam ſignificare volẽtes, ſupor ea τὴν προσῳδίαν μακρὰν apponebant: quam librarii putantes eſſe notam ſcribendi compendioſam, & ob id eam in n literam conuertentes, in mediis verbis ſcripſerunt: vnde factum, vt ſæpe formonſum, & ſimilia legamus, contrà quàm Terentius Scaurus, Caper, Donatus, & Seruius ſcribunt: qui teſtantur, n, literam neque in theſauro, neque in formoſo, neque in aliis huiuſcemodi nominibus eſſe ponendam: quamuis multi ſcriberent thenſaurum, & formonſum. Quin Atlans, & gigans à quibuſdam ſcribebatur, quod tamen Seruius faciendum negat, quamuis in obliquis caſibus habeant eam literam. vt Atlantis, gigantis. Ne illud quidem præteribo, Hortenſios plebeios fuiſſe, quum ex his ſæpe Tribunos pl. factos legamus: & Ortalum cognomen etiam habuiſſe, vt oſtendit Suetonius, qui in Tiberio neſcio quem Ortalum Hortenſii oratoris nepotem agnoſcit. In veterum monimentis etiam legimus, quendam M. Caſſium Hortenſium vocari: vbi cognomen Hortenſius videtur. ALLATVM, per nuncios, & literas præſertim M. Cęlii, qui ſcripſerat Epiſt. decimatertia lib. octaui. Fam. Hortenſium animam agere: ſed id ante, quàm Cicero Rhodum veniret, Epiſt. ſexta lib. ſexti ad Attic. niſi forte epiſtolæ ſint mutandæ. OMNIVM, aliter hominum: omnium vero, ſiue hominum, qui putabant Hortenſium fuiſſe aduerſarium, aut obtrectatorem laudum mearum: & ob id me minus doloris ex eius morte capturum. & ſanè vere putaſſent, niſi T. Pomponius Atticus, vt ſcribit Cornelius Nepos, effeciſſet, vt inter quos tantæ laudis eſſet æmulatio, nulla intercederet obtrectatio: verum nos facile poſſemus probare, non obtrectationem modo, ſed odium etiam, inuidiam, & ſimultatem, ſed tamen occultam inter eos interceſsiſſe, quum Cicero ſcribat Epiſt. tertia lib. primi ad Q. fratrem, ab Hortenſio ipſo ſe ſumma ſimulatione amoris, ſummáque aſsiduitate quotidiana ſceleratiſsimè, inſidioſiſsiméque tractatum: vt fortè pluribus referemus, quum ad eum locum venerimus, in quo de Q. Hortenſii vita plura dicuntur. Nunc Cicero prudenter agit, qui mortuum laudet, ne cum laruis, vt aiunt, luctari videatur: præſertim quum liuor in viuis regnet, & poſt fata quieſcat. CEPI DOLOREM, ita magnum, vt excruciarer, Epiſt. ſexta lib. ſexti ad Attic. NAM, αἰτιολογία, quare tantum dolorem ceperit. AMICO, ἔμφασις AMISSO, L. Aemilio Paulo, & C. Claudio Marcello Coſs. vt infra dicetur. CONSVETVDINE, qua per Atticum potiſsimum coniuncti fuimus: ſed ego decreueram cum eo poſthac valde familiariter viuere, Epiſt. ſexta lib. ſexti ad Attic. OFFICIORVM, eorum quæ facere poſſet, ſi viueret: vel eorum, quæ ille in me contulit, quum ita plena manu, ita ingenuè, ita ornatè noſtras laudes in aſtra ſuſtulit, vt ſcire omnes poſſent, nec amantius, nec honorificẽtius, nec copioſius potuiſſe dici, Epiſt. vigeſimaquinta lib. ſecundi ad Attic. vel quum illum vidi penè interfici ſeruorum manu, quum mihi adeſſet, Orat. pro Mil. Sed quæri poteſt, cur Hortenſium Cicero modo laudet, modo vituperet: reſpondebunt maleuoli, & inuidi, quales fuerunt Didymus, Gallus Aſinius, & Licinius, id fuiſſe Ciceronis ingenium, vt nunquam ſibi conſtaret: nos vero dicimus, eum more hominum feciſſe: qui, quum videret Hortenſium virum nobilem, & multum in Rep. potẽtem, ſibi

quidem

quidem inuidere,ſed amicum eſſe ſimulare,par pari referebat , quum ſuam ἁπλότητα ita ſeruabat,vt ipſum publicè ſæpe laudaret, & de ſe bene meritum vocaret,ſed Attico,& Q. fratri aliter ſcriberet. AVGVRIS, cuius locum quum petere vellet Curtius , dictus eſt à Cicerone δίβαφα cogitare, Epiſt. decimaſexta lib. ſecundi Fam. nam δίβαφον veſtis erat auguralis,vt diximus Epiſt. nona lib. ſecundi ad Attic. DIGNITATEM, quæ tanta fuit, vt nihil domi , nil foris per magiſtratus geſtum ſine eorum autoritate poſſet cuiquam probari, lib. ſecundo de Legibus. COLLEGII, Auguratus,quo de,præter ea,quæ ſunt in libello cuiuſdam Feneſtellæ,nos multa collegimus, quæ longum eſſet referre . Quare ſit ſatis illa breuiter dicere: Augures,Ioue fulgente cum populo agi nefas eſſe, decernere ſolitos fuiſſe: calatores habuiſſe : in vitioſo augurio pronunciare conſueuiſſe, alio die: conſuli , quum exercitus imperabatur , affuiſſe;duos ex eodem ſanguine,& gente eſſe non potuiſſe:rerum bene gerendarum autoritates ipſorum augurio contentas fuiſſe : eos in villa publica, dum comitia haberentur , ſediſſe: olim nouem fuiſſe:non modo violari amicitiam inter eos fas non fuiſſe, ſed ne cooptari quidem ſacerdotem licuiſſe , qui cuiquam ex collegio eſſet inimicus:qui non eſſent ſoluendo,eligi non potuiſſe : à duobus tantum nominari potuiſſe. DOLEBAM, vtranque [illegible] dolore, & bacchio pede terminauit. COOPTATVM, quo loco nunc multi dicunt, electum, lectum,admiſſum,aſcitum,receptum,& aſſumptum,in eo Cicero ferè ſemper dicere ſolet,cooptatum,præſertim quum de ſenatu,vel de ſacerdotio loquitur. AB EO, Hortenſio. atqui Philip. decimatertia ſe à Pompeio cooptatum fuiſſe teſtatur, vt ſibi contrarius videri poſſit, niſi Philip. ſecunda ita ſcribat:Me Augurem à toto collegio expetitum C. N. Pompeius,& Q. Hortenſius nominarunt. neque licebat à pluribus nominari. COLLEGIVM, Augurum , & quidem in P. Craſſi, qui in bello Parthico perierat, locum,vt Plutarchus in Cicerone ſcribit. IVRATVS, tanquam teſtis. Nam teſtes iurati dicebant, & iudices iurati iudicabant , vt ſcribit Aſconius. DIGNITATIS MEAE, dignitatis, qua dignus ego ſacerdotio iudicabar : vt vera ſit illa Ciceronis definitio lib. ſecundo de Inuentione:Dignitas eſt alicuius honeſta, & cultu , & honore, & verecundia digna autoritas. INAVGVRATVM, eo modo , quo ſcribit Liuius Numam Pompilium inauguratum fuiſſe. Nam eodem penè modo, mutatis tantum quibuſdam verbis , omnes inaugurabantur. LOCO COLERE, mala eſt compoſitio , inquit Seruius,ab ea ſyllaba incipere , qua ſuperior finitus eſt ſermo. Nam plerunque κακέμφατον facit vt Dorica caſtra, & cæca caligine hinc maiores noſtri ſemper eſſe κακέμφατον putarunt, quum ſyllabæ ita concurrunt, nec viderunt , κακεμφάτους eſſe hoc modo , quum aliquid ex ſyllabis concurrentibus naſcitur,quod vel obſcœnum ſit,vel offendat, vt Dorica caſtra,naſcitur caca.cætera hæc compoſitio probatur. Nam Pontanus vir eruditiſſimus putauit eſſe genus quoddam comploſionis : in quo non inſuauiter,vt ipſe loquitur , concurſus earundem ſyllabarum mulcet aures : vt ruit Oceano nox,fama malum , date tela. Quòd ſi verbum vnius ſyllabæ præcedat,etiam plus delectat, vt quæ quęſita Philip. prima:ſed frequentius in voce quum , vt infra , quum conſul eſſet : Epiſt. ſecunda lib. quarti ad Attic. quum conſules ex S. C. porticum Catuli reſtituẽdam locaſſent:lib.ſecundo de Inuent.rem cum conſilio perficere poterit : & Lucan. lib. primo:Et cum conſulibus turbantes iura Tribuni. DEBEBAM, pes moloſſus, in quo Cicero quaſi reſpirat. AVGEBAT ETIAM MOLESTIAM, augebatur etiam moleſtia,in aliis libris legitur. SAPIENTIVM CIVIVM, BONO-

RVMQVE, quaſi vero, qui ſapientes ſunt, non ſint item boni, quum ſapientes à Stoïcis non ſolum boni, ſed diuites etiam ſoli vocētur: & quod rectum & honeſtum, & cum virtute eſt, vt eſt ſapientia, id ſolum bonum dicatur: quùm ſapientia item à Cicerone modo princeps omnium virtutum, modo bonarum omnium artium mater appelletur: ſed tum fortaſſe Cicero ſic loquitur, quum philoſophum agit: nunc vero ſe oratorem eſſe meminit, & idcirco vt orator de ſapientia loquitur: quòd orator multitudinis opinionem ſequi ſolet: quæ ſapientes eos vocat, qui multarum rerum vſum habeant: multa in ſenatu, & in foro, vel prouideant prudenter, vel agant conſtanter, vel acute reſpondeant. ſic Acilium, & Catonem ſapientes appellatos legimus. ſic Cicero ſapientiſsimũ vocat eum, cui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem. & quoniam, qui ſint hoc modo ſapientes, verſuti, callidi, aſtuti, & ſæpe etiam improbi vel ſunt, vel eſſe poſſunt, hoc loco Cicero videtur vt orator ſapientes à bonis ſeiungere: quanquam nõ creſcat oratio, niſi forte cui plus bonitas, quàm ſapientia ſignificet. ſed ſpero fore, vt docti probent, reponendum, vt in veteribus libris legitur: bonorum ciuium, ſapientiúmque. PENVRIA, tranſlatio à rebus venalibus ſumpta, quæ cariores eſſe, & pluris æſtimari ſolent, quum magna eſt earum penuria: ſic viri boni pluris ſiunt, quum pauci ſunt. & hîc eſt amplificatio per incrementum, vt vocat Quintil. hoc penè modo: graue eſt amittere virum bonum in magna penuria bonorum: grauius amittere etiam virum egregium: grauiſsimum amittere coniunctiſsimum conſiliorum omnium ſocietate: multo grauius amittere alieniſſimo Reip. tempore. ALIENISSIMO REIP. TEMPORE, impendente bello ciuili: quo tempore Reſp. talium virorum conſilio egebat. PLERIQVE, maleuoli, & maledici, quibus credendum non fuit. & eſt locus contra rumores. PVTABANT, quaſi verò ſemper eſſet verum, quod Heſiodus ſcripſit: κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει GLORIOSI LABORIS, eloquentiæ præſertim, & gloriæ forenſis, pro qua magnos excepimus labores, vt infra pluribus dicetur.

Etenim ſi in leuiorum artium ſtudio memoriæ proditum eſt, poëtas nobiles poëtarum æqualium morte doluiſſe; quo tandem animo eius interitum ferre debui cum quo certare erat glorioſius, quàm omnino aduerſarium non habere? cum præſertim non modo numquam ſit aut illius à me curſus impeditus, aut ab illo meus, ſed contrà ſemper alter ab altero adiutus, & communicando, & monendo, & fauendo. Sed quoniam perpetua quadam felicitate vſus ille ceſsit è vita ſuo magis quàm ſuorum ciuium tempore, & tum occidit, cum lugere facilius Rempub. poſſet, ſi viueret, quàm iuuare: vixitque tam diu vt licuit in ciuitate bene beateque viuere, noſtro incommodo detrimentoque, ſi eſt ita neceſſe, doleamus: illius vero mortis opportunitatem beneuolentia potius quàm miſericordia proſequamur, vt quotieſcunque de clariſsimo & beatiſsimo viro cogitemus, illum potius quàm noſmetipſos diligere videamur.

LEVIORVM ARTIVM, in leuiorum artium numero poëticam Cicero reponit, quòd, vt multi volunt, ad faciendos verſus eſſet ineptus ipſe: ſed magis inepti ſunt illi, qui credunt Ciceronem ad poëticam ineptum fuiſſe,

qui

qui ad artes omneis fuit aptiſsimus, quique verſibus ita ſcripſerit, vt poëtas omneis, qui ante fuerant, doctiſsimi cuiuſque iudicio ſuperarit. Quare contendimus, hoc loco poëticam leuem dici vt ab homine, qui philoſophus & orator eſſet, & educatus Romæ, vbi poëtæ ſero vel cogniti, vel recepti, nec poſtea in magno honore habiti. Vnde quo minus honoris erat poëtis, eo minora illorũ ſtudia fuerũt, & leuiora, vt in Catone, & lib. primo de Orat. vocat. PRODITVM EST, à ſcriptoribus antiquis. POETAS NOBILES, vt Ionem, cuius hodie quoque carmina de Euripidis morte leguntur: vt Sophoclem, quem ferunt Euripidis morte ſic doluiſſe, vt & atratus ipſe eſſe, & ſuas tragœdias ab hiſtrionibus ſine corona agi voluerit. Philemon quoq. & Alexander Aetolus Euripidis mortem carminibus defleuerunt: & Sophoclis Simonides, Erycius, & Dioſcorides, ſed ii non videntur æquales fuiſſe. POETARVM AEQVALIVM, vt Euripidis, qui videtur Ionis æqualis fuiſſe, Sophoclis certe fuit, vt præter alios ſcribit Gellius lib. decimiſeptimi cap. vigeſimoprimo. MORTE DOLVISSE, aliàs doluiſſe morte. QVO TANDEM ANIMO, iniquiore. argumentatio ex comparatione maiorum. CVM QVO, Hortenſio viro tanto. GLORIOSIVS, eſt enim glorioſum cum magnis viris certare, etiamſi eos vincere non poſsis. Nam, vt ait ingenioſus poëta. quicquid ſperauit Vlyſſes, Ipſe tulit pretium iam nunc certaminis huius: Qui quum victus erit, mecum certaſſe feretur. fit tamen ſæpe, vt, qui magnos viros prouocant, in Melampygum, quod dici ſolet, incidant. NON HABERES, tunc enim dici poſſet: currens ſolus vicit. CVRSVS, honorum, & gloriæ. IMPEDITVS, quippe quum ego mihi illum, ſibi me ille anteferret, infra. Amamus vero, vt ſcribit Ariſtoteles lib. ſecundo Rhetor. τοὺς ὁμοίους, καὶ ταυτὰ ἐπιτηδεύοντας, ἂν μὴ παρενοχλῶσι. AB ILLO, Hortenſio: qui tamen poſt conſulatum ſuum dicendi ſtudium remiſerat, quòd negligeret eos qui conſules non fuiſſent: ſed quum ſexto poſt illum conſulem anno, conſul ego factus eſſem, reuocare ſe ad induſtriam cœpit, ne, quum pares honore eſſemus, aliqua re ſuperiores videremur, infra. ADIVTVS, quum in Rep. & in maximis cauſis coniunctiſsime verſaremur. COMMVNICANDO, vt decet amicos. Vnde nihil dulcius, quàm habere, qui cum poſsis, vt tecum, omnia loqui. MONENDO, nam & monendi ſæpe ſunt amici, & obiurgandi, & hæc accipienda amice, quum beneuole fiunt, in Lælio. Cicero tamen ad Q. fratrem ſcribens, queritur, ſe ab Hortenſio inuidioſiſsime, & inſidioſiſsime tractatum fuiſſe, vt diximus. FAVENDO, vt mihi fauebat ille, quum laudes meas in aſtra tollebat, Epiſt. vigeſimaquinta lib. ſecundi ad Attic. quumque ego vidi illum penè interfici ſeruorum Clodianorum manu, quum mihi adeſſet, Orat. pro Mil. FELICITATE VSVS, quippe qui ſummis ornamentis fortunæ præditus eſſet, Orat. pro lege Manil. & in omnium rerum abundantia ſemper beatiſsime vixiſſet: quemque videretur felicitas ipſius, qua ſemper eſſet vſus, ab eis miſeriis, quæ conſecutæ ſunt, vindicaſſe, infra. CESSIT E VITA, ita quidem, vt non minus illi fuerit gratulandum, quàm Q. Catulo, duobus Lucullis, & Q. Metello, qui, quum ſine inuidia in Rep. floruiſſent, eminuiſſéntque, ſine periculo quieta, aut certe non præcipitata fatali ante initium bellorum ciuilium morte functi ſunt, vt ait Paterculus. SVO, ſibi apto, & perpetuæ felicitati conueniente, vt dies vltima, quæ ſemper eſt expectanda, primis reſponderit: quum aliter ſæpe ſoleant euenire, vt de Priamo, Pompeio, & aliis legimus. Idem propemodum de Lentulo ſcribit Epiſt. ſexta lib. ſecundi ad Attic. vel ſuò, fatali, vt infra: Q. Hortenſii vox extincta fato ſuo eſt. SVORVM

CIVIVM TEMPORE, quum Reip. alieniſsimo tempore ſit extinctus, ſupra. TVM OCCIDIT, L. Paulo, & C. Marcello Coſs. quum ageret annum ſexageſimum quartum, infra. QVA'M IVVARE, quum iam tum Cæſar ita conualuiſſet, vt in vno ciue Reſp. ad reſiſtendum eſſet imbecilla, Epiſt. tertia lib. ſeptimi ad Attic. potuiſſet tamen aliqua parte iuuare. Nam non fuiſſet extinctus alieniſsimo tempore Reip. ſed facilius potuiſſet lugere, quàm iuuare. QVA'M LICVIT, dum licuit, & quandiu licuit, etiam dicimus. Licuit vero vſque ad L. Paulum, & C. Marcellum Coſs. Tunc enim vox Hortenſii extincta eſt ſuo fato, Ciceronis vero, & aliorum, publico, infra. CIVITATE, libertate, vt Cicero ipſe in oratione pro Cornelio Balbo videtur interpretari: ſeruos bene de Rep. meritos perſæpe libertate, ideſt ciuitate publice donari vidimus. vel Rep. nam & veteres Græci τὴν πόλιν πολιτείαν vocabant, vt Plato lib. quinto de Rep. ἐὰν μὴ ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς φιλοσοφήσωσι, οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα ταῖς πόλεσιν. quem locum Cicero ſic in Epiſt. prima ad Q. fratrem tranſtulit: Plato tum denique fore beatas Reſp. putauit, ſi aut docti, & ſapientes homines eas regere cœpiſſent: aut ii, qui regerent, omne ſtudium ſuum in doctrina, ac ſapientia collocaſſent: & quum Plato item Epiſt. ſeptima πόλιν dixiſſet, Cicero Epiſt. octaua lib. primi Fam. Remp. vertit: vt alios ſcriptores Græcos, mittam, quos Cicero in hiſce rebus libenter imitari ſolet. BENE, BEATÉQVE VIVERE, quod nihil aliud eſt, niſi honeſte, & recte viuere, Parad. primo. SI ITA NECESSE EST, ſi omnino dolendum eſt contrà, quàm præcipiant Epicurei, qui dolorem ſummum malum dicunt. DOLEAMVS, & ſi ſuis incommodis angi, non amicum, ſed ſeipſum amantis eſt, in Lælio. OPPORTVNITATEM, quum ceſſerit è vita ſuo tempore. ILLVM, qui miſerias haſce non ſit paſſus, quas nos patimur. NOSMETIPSOS, qui tali amico ſimus priuati.

Nam ſi id dolemus, quòd eo iam frui nobis non licet, noſtrum eſt id malum, quod modice feramus, ne id non ad amicitiam, ſed ad domeſticā vtilitatem referre videamur: ſin tanquam illi ipſi acerbitatis aliquid acciderit, angimur, ſummā eius felicitatem non ſatis grato animo interpretamur. Etenim ſi viueret Q. Hortenſius cætera fortaſſe deſideraret vna cum reliquis bonis & fortibus ciuibus: hunc autē & præter cæteros, aut cum paucis ſuſtineret dolorem, cum forum populi Rom. quod fuiſſet quaſi theatrum illius ingenii, voce erudita & Romanis Græciſque auribus digna ſpoliatum atque orbatum videret.

NAM, αἰτιολογία. SI ID, complexio eſt hoc penè modo: vel noſtra, vel ipſius cauſa dolemus: ſi noſtra, videmur non eſſe amici, qui noſtris incommodis moueamur: ſin ipſius cauſa, non intelligimus, quanta fuerit ipſius felicitas prius extingui, quàm in has miſerias incideret. Qua quidem complexione Cicero vſus eſt etiam in Lælio, & Epiſt. decimaſeptima lib. quinti Fam. quam ex Apologia Platonis, lib. tertio de Rep. & Axiocho collegit, & Tuſc. primo pluribus explicauit. VIDEAMVR, vt videremur, ſi noſtro malo doleremus. ACERBITATIS, tanquàm ante diem perierit, & vt ait poëta, ſit funere merſus acerbo: in quo ſit aliquid mali paſſus: quòd præter fatum, aut naturam tulerit aliquid, Gellius lib. decimi tertii cap. primo. SVMMAM, ſumma fuit, & perpetua, vt dictum eſt. FELICITATEM,

qua

qua ſemper eſt vſus. NON SATIS GRATO ANIMO INTERPRETEMVR, nos penè ingrati naturæ, eam non fuiſſe talem, qualis re vera fuit, quaſi dicimus, & multo aliter, atque oportet, metimur, quum credimus Hortenſio aliquid acerbitatis accidiſſe. accidiſſet, ſi viueret. ETENIM, αἰτιολογία, quare ſit nunc etiam felix, &, ſi viueret, eſſet infelix. CAETERA, vt leges, & libertatem. FORTASSE, mirum eſt Ciceronem de illo homine, quem virum bonum vocet, & tantopere laudet, quaſi dubitare, an, quæ reliqui boni deſiderabant, fuerit deſideraturus, niſi εἰρωνικῶς quodam modo loquatur perinde, ac ſi dicat, deſideraret certe: etſi multa poterant eſſe prius in Rep. quæ Q. Hortenſius fortaſſe non deſideraſſet. Fieri etiam poteſt, vt Cicero nolit in hac re præſertim quicquam affirmare de illo homine, à quo ſe proditum olim meminerit: præſertim quum multi belli ciuilis tempore optimatium partes deſeruerint, & Cæſarem vel ſecuti ſint, vel certe non oppugnarint: in quorum numero fortaſſe fuiſſet Hortenſius, vt fuit Ser. Sulpicius. HVNC, quem ego ſuſtineo, & omnes oratores ſentire debent. Iacit enim iam nunc quædam quaſi ſemina rerum, quas de oratoribus eſt dicturus. AVTEM ET, vel interpretare, vel lege: autem etiam vel, aut etiam. VOCE, ſua, & Græcis quibus eruditionem concedimus audiretur. ORBATVM, quum ſit nunc in vnius poteſtate Reſp. atque dominatu vnius Cæſaris teneatur, qui poſsit, & fortaſſe etiam ſoleat dicere: ſit pro ratione voluntas: tantum abeſt vt oratores, ſicut antea, dicere poſſint, aut debeant.

Equidem angor animi, non conſilii, non ingenii, non autoritatis armis agere Rempub. quæ didiceram tractare, quibuſque me aſſuefeceram, quæque erant propria cum præſtantis in Rep. viri, tum bene moratæ & bene conſtitutæ ciuitatis. Quod ſi fuit in Repub. tempus vllum cum extorquere arma poſſet è manibus iratorum ciuium boni ciuis autoritas & oratio, tum profecto fuit cum patrocinium pacis excluſum eſt, aut errore hominum, aut timore. Ita nobiſmetipſis accidit, vt quanquam eſſent multo magis alia lugenda, tamen hoc doleremus, quòd quo tempore ætas noſtra perfuncta rebus ampliſſimis tanquam in portum confugere deberet, non inertiæ neque deſidiæ, ſed otii moderati atque honeſti cum quo ipſa oratio iam noſtra caneſceret haberetque ſuam quandam maturitatem, & quaſi ſenectutem: tum arma ſunt ea ſumpta, quibus illi ipſi qui didicerant eis vti glorioſe, quemadmodum ſalutariter vterentur, non reperiebant.

EQVIDEM, αἰτιολογία quædam κατὰ πρόληψιν, ne quis fortaſſe dicere poſſet: nemo poteſt affirmare, quid facturus fuerit Hortenſius. Ita facturum illum fuiſſe credo, inquit Cicero. nam coniecturam de me facio. Ego vero valde doleo. ANGOR ANIMI, ſic emendauit Paulus Manutius ex libris veteribus, & ingenio, quo ſummo præditus eſt. & ſanè veteres ita ſæpe loquebantur: angor animi: dubius animi Virgilius: pendeo animi, Cicero, & Plautus: diſcrucior animi, Plautus: excruciat animi, Plautus, & Terentius: labor animi, Plautus: ſum miſer animi, Plautus: ſum incertus animi, Liuius. ſiquis tamen hoc loco putet ambiguum eſſe tollēdum, legat ille, vt in mul-

tis etiam libris eſt ſcriptum, angor animo, præſertim quum Cicero ad Tironem ſcribens, ſic etiam loquatur. NON, repetitio, quæ ἐπαναφορὰ relatum, regreſsio, & ἐπιβολὴ ab his, qui de figuris ſcribunt, vocatur. NON CONSILII, NON INGENII, NON AVTORITATIS, quibus valere poſſemus. nunc pilis, & gladiis, non conſiliis, neque autoritatibus noſtris de iure publico diſceptatum eſt: vt ad Marcellum, & ad Torquatum ſcripſit: aliàs non ingenii, non conſilii, non autoritatis, fortaſſe rectius. ARMIS, arma, inquit Seruius, ſunt inſtrumenta, vt arma ruſticorum vomeres, plauſtra, & reliqua: arma ſtudentium libri: arma ſacerdotum libelli in quibus preces diuinæ ſcribuntur: ſic arma ſenectutis aptiſsima dicuntur artes, & exercitationes, in libro de Senectute. Quin, vt Quintilianum mittam, qui dixit arma facundiæ, idem Cicero vt hoc loco dixit, conſilii, ingenii, & autoritatis arma, ſic in libris oratoriis, arma prudentiæ: neque tamen hic aliud voluit ſignificare, quàm conſilium, ingenium, & autoritatem: ſed ita locutus eſt, quoniam mentio fiebat de Rep. Cæſarianis armis oppreſſa. eſt etiam tranſlatio à re militari ſumpta. EGERE REMP. quòd aliis armis ita geratur, vt his minus egere videatur: quanquàm tunc, vt quum maximè, hiſce armis egebat, vt non ſatis proprie locutus hoc loco Cicero videri poſſit: niſi dicas: non egebet his armis Reſp. quia illis abundabat, ſed vti non poterat: vel legas: geri Remp. vt nos olim legendum putauimus: quamuis ſciremus Ciceronem hoc verbum, vt carere aliter, ac ipſe docuit, vſurpare potuiſſe. QVAE, πολύπτωτον. DIDICERAM, quum è mutis, vt aiunt, magiſtris, tum è loquentibus, & quidem, vt, quum eloquentiã cum ſapientia coniunxiſſem, & in vtranque partem poſſem diſputare, & ea, quæ futura erunt, etiam prouidere. etenim, vt ſcribit Cornelius Nepos in Attici vita, Cicero non ea ſolum, quæ viuo ſe acciderunt, futura prædixit, ſed etiam, quæ nunc vſu venerunt. TRACTARE, verbum tranſlationis ſumptæ à militibus, qui tirones quum ſunt, variis modis arma tractare diſcunt, vt ſcribit Vegetius. ASSVEFECERAM, in foro, & in ſenatu circiter annos triginta in hiſce verſatus, vt ex conſulibus, & Gellio colligitur. PROPRIA, hæc omnia pluribus Ariſtoteles, & Plato ſcribunt: quorum alter ingenioſos, & animoſos eſſe oportere ciues oſtendit, alter etiam Philoſophos: quòd qui tales ſint, non poſsint non habere conſilii, ingenii, & autoritatis arma. BENE MORATAE, ET BENE CONSTITVTAE, moribus, & legibus quaſi firmatæ. aliàs bene moratæ, & conſtitutæ. CIVITATIS, dichoreus, quo Cicero, quia præclare cadit, in rebus aduerſis, & humilibus raro, in ſecundis & grauibus frequenter vtitur. SI FVIT, argumentandi locus, quem Cicero, & Boëtius in Topicis ab antecedentibus videntur vocare, quamuis argumentationis formam Rodulphus Agricola malit vocari hoc modo: ſi tempus vllum fuit, tum profectò fuit, tempus autem vllum fuit, tum igitur etiam fuit. tempus huiuſmodi fuiſſe, probari poſſet exemplis, vt Valerii, vt Menenii Agrippæ, vt Scipionis, vt Antonii oratoris, vt Catonis, vt ipſius Ciceronis: & autoritate quum veterum, tum Virgilii, qui cecinit, Ac veluti magno in populo quum ſæpe coorta eſt Seditio, ſæuitque animis ignobile vulgus, Iamque faces, & ſaxa volant: furor arma miniſtrat. Tum pietate grauem, ac meritis, ſi forte virum quem Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus aſtant. Ille regit dictis animos, & pectora mulcet. Sed illud probari non ita facile poſſet, oratione alicuius arma de manibus iratorum ciuium tempore belli ciuilis extorqueri potuiſſe. Nam cur Cicero ipſe, cur Cato, cur alii non extorquebant? fortaſſe poſsis interpretari, poſſet, id eſt, deberet, vt alibi ſæpe interpretari neceſſe eſt; vel dicere, id fieri potuiſſe, ſi

Reſp.

Reſp. conſilio fuiſſet adminiſtrata: ſed Hortenſius, vt ſupra dixit, tunc occidit, quum Remp. facilius lugere poſſet, quàm iuuare. Cicero certe in argumentatione dubitationem poſuit. IRATORVM CIVIVM. quorumcunque quidem, ſed eo tempore C. Cæſaris, M. Antonii, C. Curionis, & Q. Caſsii. Nam Cæſar & ſuam, & illorum iniuriam querebatur: illi vero ſe expulſos dolebant. TVM PROFECTO FVIT, initio belli ciuilis. PATROCINIVM, quod Cicero potiſsimum ſuſceperat, vt ſæpe teſtatur. & quum de oratoribus, ſiue patronis ſit dicturus, recte patrocinium poſuit, præſertim quum Latine patrocinium pacis dicatur, vt alibi patrocinium æquitatis, voluptatis, & imperii: ſed non item patrimonium pacis, vt in aliis libris legitur: quamuis non negemus à Cicerone dici, patrimonium dignitatis, & iuris, vbi tranſlatio eſt verecunda, vt præcipiebat Theophraſtus: hoc vero loco eſſet nimis audax. in fine dixit, ſpem pacis. PACIS, quæ tamen inter Cæſarem, & Pompeium eſſe non potuit, quamuis eius autor Cicero ſemper fuiſſet, cui pax omnis cum ciuibus bello ciuili vtilior videbatur. EXCLVSVM, ſic in fine dialogi: Inter nos impendentes caſus defleuimus, quum belli ciuilis cauſas in priuatorum cupiditatibus incluſas, pacis ſpem à publico conſilio eſſe excluſam videremus. Quum vero Cicero ex Cilicia decedens, ad Vrbem acceſsiſſet, incidit in ipſam flammam ciuilis diſcordiæ, vel potius belli: cui quum mederi cuperet, & fortaſſe poſſet, cupiditates certorum hominum impedimento fuerunt, præſertim quum Pompeius nullam pacis conditionem probaret. Quin Cicero ad bellum quum iam eſſet profectus, & deſperans victoriam, pacem, cuius autor ſemper fuerat, ſuadere cœpiſſet, ab ea ſententia ſemper Pompeius abhorruit. ERRORE HOMSNVM, AVT TIMORE, homines enim Pompeium Reipublicæ defenſorem, & clementem: Cæſarem vero oppugnatorem, & crudelem fore putabant: & iccirco errabant, quum timerent Cæſarem, non Pompeium: quum Cæſar Syllam imitari nollet, & ſe quàm leniſsimum præbere cuperet: & Pompeius contrà genus Syllani regni iampridem appeteret ita, vt à Cicerone ſyllaturire diceretur. Vnde in Italiam poſtea, ſi potuiſſet, vel Ioui iniquus erat rediturus, vt in Epiſtolis ad Atticum legitur. at Cæſar etiam poſtea indicauit à pleriſque ignoratione potius, & falſo, atque inani metu, quàm cupiditate, aut crudelitate, ciuile bellum eſſe ſuſceptum, vt in oratione pro Marco Marcello ſcribitur, vt illud item in Ligariana: ſcelus tu iſtud vocas Tubero? cur? iſto enim nomine illa adhuc cauſa caruit: alii errorem, alii timorem appellant: & in oratione pro Deiotaro communem errorem vocat: & Epiſtola vndecima libri ſeptimi ad Atticum omnia plena timoris, & erroris eſſe ſcribit. Hoc tamen loco in aliis libris etiam legimus: terrore hominum, vt timore, ſed male. ITA, excluſo pacis patrocinio. NOBISMETIPSIS, qui ſuperſtites Hortenſio viximus, & omnibus quidem, ſed mihi tamen potiſsimum. ACCIDIT, quod Hortenſio non accidit. QVAMQVAM, aliàs quum. ALIA, vt libertas, dignitas, Reſpublica denique ipſa. REBVS AMPLISSIMIS, Quæſtura, Aedilitate, Prætura, & Conſulatu, vt Auguratum, & res in Cilicia geſtas mittam. IN PORTVM, vide prouerbium, in portu nauigare. tranſlatio à nautis ſumpta. Tale quid etiam queritur libro primo Fam. NON INERTIAE, NEQVE DESIDIAE, SED OTII MODERATI, ATQVE HONESTI, ἀντίκτον. nam qui ſe inertiæ, & deſidiæ dedunt, vel nihil, vel turpiter agunt: qui verò in otio moderato, & honeſto verſantur,

ſemper aliquid agunt, & honeſte viuunt. In hoc otium, quod omnium poſſeſsionem optimam Socrates vocabat, ſe contulit Africanus, qui nunquàm minus erat otioſus, quàm quum otioſus erat: in hoc ſe L. Craſſus, vt ius deſcriberet conferre cogitabat: in hoc Socrates, in hoc Philoſophi penè omnes: in hoc ſenatores multi, quum iuuenes Remp. iuuiſſent, ſe tandem ſenes contulerunt. CANESCERET, quaſi caneſceret, vt capilli, à quibus eſt ſumpta tranſlatio. eloquētiæ verò genus alios aliud decet. nam neque tam plenum, & erectum, & audax, & præcultum ſenibus conuenerit, quàm preſſum, & mite, & limatum, & quale intelligi vult Cicero, quum dicit orationem ſuam cœpiſſe caneſcere: Quintil. lib. vndecimo cap. primo. MATVRITATEM, qualem ſolent habere fructus, à quibus eſt item ſumpta tranſlatio. & ſanè Cicero non modo adoleſcens, vt infra dicetur, ſed ſenex etiam ſe ipſe mutauit, & aliud dicēdi genus inſtituit, vt, quemadmodum Roſcius familiaris eius in ſenectute numeros in cantu ceciderat, ipſáſque tardiores fecerat tibias, ſic ipſe Cicero à contentionibus, quibus ſummis vti ſolebat, quotidie relaxaret aliquid, vt iam eius oratio non multum à philoſophorum lenitate abeſſet, lib. primo de Legib. alia maturitas infra deſcribitur, quum ſe dicit ex Sicilia rediiſſe. QVASI SENECTVTEM, mollit tranſlationem, ne nimis audax eſſe videatur, quum ſenectutem, quæ ſit in animali, ad inanimatam rem transferat. EA, ciuilia. SVMPTA, à Cæſare, & Pompeio. ILLI IPSI, T. Labienus, M. Petreius, & alii, qui rei militaris peritiſsimi quum eſſent, cum hoſtibus, quàm cum ciuibus, pugnare maluiſſent: ſed quo pacto id facere poſſent in tanta principum diſſenſione, non reperiebant. Poſſes etiam fortaſſe ſic interpretari: illi ipſi, Pompeius, qui vti armis glorioſè didicerat, ſed tunc, quemadmodum ſalutariter vteretur, non reperiebat, quum Cæſar irrueret.

Itaque ii mihi videntur fortunatè beatéque vixiſſe, cum in cæteris ciuitatibus, tum maximè in noſtra, quibus cum, autoritate rerumque geſtarum gloria, tum etiam ſapientiæ laude perfrui licuit. Quorum memoria & recordatio in maximis noſtris grauiſsimiſque curis iucunda ſanè ſatis fuit, cum in eam nuper ex ſermone quodam incidiſſemus.

ITAQVE, quum in tot miſerias nos, qui Hortenſio fuimus ſuperſtites, inciderimus. II. aliàs ei, vt infra, vbi de iudicio populi, & hominis docti diſputat. MIHI VIDENTVR, nam mihi, vt in libris oratoriis eſt ſcriptum, perbeati fuiſſe videri ſolent illi, qui in optima Rep. quum & honoribus, & rerum geſtarum gloria florerent, eum vitæ curſum tenere potuerunt, vt vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate eſſe poſſent. FORTVNATE BEATEQVE, altero fortunæ, altero corporis & animi bona complectitur. CIVITATIBVS, vt Athenis, vbi, qui de Rep. benemeriti eſſent, iis victus quotidianus in Prytaneo publice præbebatur: qui honos apud Græcos maximus habebatur: quo ſe dignum Socrates iudicauit, vt ſcribit Plato, & Cicero lib. primo de Oratore: vt Lacedæmone, vbi Lyſander honeſtiſsimum ſenectutis domicilium eſſe dicebat, in Catone. NOSTRA, in qua principes erant, qui bene de Rep. eſſent meriti. AVTORITATE, RERVMQVE GESTARVM GLORIA, eſt quaſi ἐπεξήγησιν, quum autoritas ex rebus geſtis potiſsimum comparetur, vt oſtendit Cicero

cero in oratione pro lege Manilia : & ſenectus honorata maximam habet autoritatem , vt idem ſcribit in Catone. Hac gloria olim Themiſtocli perfrui licuit, quum ad ludos Olympicos veniſſet, & omnium oculos in ſe conuertiſſet: licuit & Ciceroni poſtea, quum in Capitolium deductus, maximo clamore, atque plauſu in Roſtris fuit collocatus. SAPIENTIAE, non illius ſummæ, ſed eius, qua de ſupra dictum eſt: cuius laude licuit Acilio, Catoni, & Lælio perfrui, vt in Lælio ſcribit Cicero. QVORVM, hominum, quibus autoritate, rerúmque geſtarum gloria, & ſapientiæ laude perfrui licuit: quos in hoc dialogo maiorem partem numerabit. CVRIS, de Rep. vxore, fratre, fratris filio, & Tulliæ morte. obierat enim iam tum, vt cognoſcitur ex eo, quòd paulò poſt de Bruti literis meminit, quas ille ſcripſit, vt Ciceronem de morte Tulliæ conſolaretur : quàmuis hic liber viuo M. Catone, qui bello Africo id eſt multo ante Tulliæ mortem periit, ſcriptus eſſe videatur. Nam quo loco de Rutilio, & Tuberone Stoicis ſcribit, de M. Catone tanquam viuo loquitur: nec illum poſtea ſuo loco, quòd viueret, opinor, poſuit: quod oſtendunt item verba, quæ Bruto dicta, infra ponuntur: in Galliam veneris: quando Brutus dicitur, in Galliam nondum veniſſe: cui tamen illum Cæſar præfecit, μέλλων διαβαίνειν εἰς λιβύην ἐπὶ κάτωνα, καὶ σκηπίωνα, vt ſcribit Plutarchus, & nos ibi dicemus. Quin dubium non eſt, quin Brutum ante Catonem, & Oratorem ſcripſerit : quũ in Oratore dicat ita: Hoc ſum aggreſſus ſtatim Catone abſoluto : & ibidem : in illo ſermone noſtro, qui eſt expoſitus in Bruto, multum tribuo Latinis : & libro ſecundo de Diuinat. Oratori Brutum præponit. Catonem vero, & Oratorem certe ante mortem Tulliæ ſcripſiſſe oſtendit Epiſt. quarta, quinta, & ſexta libro duodecimo ad Attic. Conſtat igitur hunc librum ante mortem Tulliæ ſcriptum fuiſſe: quamuis appareat, hoc prooemium poſt Tulliæ mortem factum eſſe: quod de Cicerone mirũ videri non debet, qui lib. ſecundo de Orat. ita faciendum præcipiat, & in epiſtolis ad Att. dicat, ſe volumen prooemiorum habuiſſe, ex quo eligere ſoleret, quum aliquod σύγγραμμα inſtituebat. Verũ tamen ita prooemium ipſum cum ſermone connectit, vt parum diligenter ratione temporis habuiſſe videatur. ſic enim ſermo poſt mortem Tulliæ videtur inſtitutus, quem ſcriptum ante fuiſſe diximus: vt, in quo Curionem reprehendit, in eo ipſe peccaſſe videatur, ſed aliquid etiam infra dicemus. IVCVNDA, atqui ad Luceium ſcripſit eodem penè tempore ſe id verbum in omne tempus perdidiſſe: quod eò fecit, vt rem magis amplificaret : cæterum vel ad eundem ſcribit : nihil iſto poteſt eſſe iucundius his miſeris temporibus, & luctuoſis. SERMONE, quem de oratoribus in Tuſculano inchoaueram, vt infra dicetur.

Nam cum inambularem in xyſto & eſſem otioſus domi, M. ad me Brutus, vt conſueuerat, cum Tito Pomponio venerat, homines cum inter ſe coniuncti, tum mihi ita chari, itaque iucundi, vt eorum aſpectu omnis, quæ me angebat, de Rep. cura conſederit. Quos poſtquam ſalutaui, quid vos, inquam Brute & Attice, nunc? quid tandem noui? Nihil ſane inquit Brutus quod quidem aut tu audire velis, aut ego pro certo dicere audeam. Tum Atticus, eo, inquit, ad te animo venimus, vt de Repub. eſſet ſilentium, & aliquid audiremus potius ex te, quàm te afficeremus vlla moleſtia. Vos vero, inquam, Attice, & præ-

ſentem me cura leuatis, & abſenti magna ſolatia dediſtis: nam veſtris primum literis recreatus, me ad priſtina ſtudia reuocaui.

INAMBVLAREM, deambularem: quanquam inambulare domi, vel in loco certè, deambulare foris frequentius dici videbis: vnde iocus ille Catonis lib. ſecundo de Orat. quid opus fuit de? imò vero quid opus fuit te? XYSTO, ξυσὸν, inquit Vitruuius li. ſexti ca. nono Gręca appellatione eſt porticus ampla latitudine, in qua athletæ per hyberna tempora exercentur: noſtri autem hypæthras ambulationes, xyſtos appellant, quas Græci παραδρομίδας dicunt. DOMI, & quidem Romæ, non in Tuſculano, vt quidam putant: quod oſtendit verbum illud: conſueuerat. Vt enim rus etiam ſæpe accederet Brutus ad Ciceronem, frequentius tamen, Romæ quum eſſet, ad eum veniebat, quòd illum quotidie illo tempore videre cupiebat, vt, Epiſt. vndecima lib. decimitertii ad Attic. cognoſcitur. & ſi fuiſſent in Tuſculano, Atticus infra non ita dixiſſet: quod mihi nuper in Tuſculano inchoaſti: nec Cicero multo inferius ita: orationes veteres explicabo, ſed in Cumano, aut in Tuſculano aliquando, ſi modo licebit, quoniam vtroque in loco vicini ſumus. Erant Romæ, & in pratulo, vt poſt dicetur. VT CONSVEVERAT, vt iuuenis ad ſenem, quod Attico non tribuit. T. POMPONIO, Q. Cæcilio Pomponiano Attico, vt Varro vocat lib. ſecundi cap. ſecundo de Re ruſt. & Cicero Epiſt. vigeſima lib. tertii ad Atticum: quòd a Q. Cæcilio, vt ſcribit in vita Nepos, adoptatus ita vocaretur. Adoptatus enim adoptantis prænomen, nomē, cognomen, & ſuæ gentis etiam nomen, ſed χρηματιστικῶς habebat, vt Q. Fabius Maximus Aemilianus. Atticum tamen Cicero ferè ſemper veteri prænomine, & nomine ſolet appellare. HOMINES, Brutus cum Pomponio homines coniuncti, eſt quidem σύλληψις, vt vocant Grammatici, qualis illa apud Ouidium, Ilia cum Lauſo de Numitore ſati, ſed apud Ciceronem raro inuenitur. CONIVNCTI, ſic enim M. Bruto vſus eſt Atticus, vt nullo ille adoleſcens æquali familiarius, quàm hoc ſene: qui poſtea illum ſæpe pecunia iuuit, & Seruiliam eius matrem ſuſtentauit, vel certe coluit, vt ſcribit Nepos. ITA CHARI, id apparet, quum Cicero Atticum penè pluris, quàm fratrem, fecerit: & ad Brutum tot libros ſcripſerit: quem tamen Attico autore amare cœpit, & poſtea ſemper, vt quem maxime, amauit. ASPECTV, nedum ſermone, quo ſe amici inter ſe ſolent conſolari. CONSEDERIT, conquieuerit quòd nullus ſit vita vitalis, vt dixit Ennius, qui non in amici mutua beneuolentia conquieſcat. SALVTAVI, hinc cognoſcitur Ciceronis humanitas, qui prior eos ſalutauit, qui ad eum quaſi ſalutatum venerant: quo loco magis etiam proprie verbum ipſum poneretur: niſi forte quis velit hoc loco legere reſalutaui. QVID VOS, ad me venitis? INQVAM, ἔφη, εἶπον καὶ ἐγὼ, quibus verbis Plato frequenter vtitur, vt contra φάναι, εἶπε, ἔδοξε: quæ tamen omnia ex Theæteto ſuſtulit: quem Cicero imitatus, in Lælio ſic ſcripſit: quaſi ipſos introduxi loquentes, ne inquã, & inquit ſæpius interponeretur. Hinc vero Cicero non ſuſtulit, vt eundem Platonem imitaretur, nec ipſe cupreſſum tantum ſcire ſimulare videretur. QVID TANDEM NOVI, affertis; vel habetis de bello Hiſpanienſi? Tunc enim Cæſar in Hiſpania cum filiis Pompeii bellum gerebat, vt epiſtolæ ad Atticum ſcriptæ nos facile poſſunt docere: etſi liber hic ſcriptus eſt, vt ſupra diximus. INQVIT BRVTVS, Brutus potius, quàm Atticus: quoniam vt filius Seruiliæ, quam Cæſar amauit, vtque Cæſari charus ita, vt eius etiam filius crederetur, ſcire facilius poterat, quàm Atticus, quid Cæſar ageret: cui reuerſuro ex Hiſpania

profecturus

profecturus erat obuiam, vt etiam poſtea profectus eſt. lib. decimotertio ad Attic. AVT TV, qui pacis ſemper fuiſti ſtudioſus, & Pompeianus potius, quàm Cæſarianus. AVDIRE VELIS, quippe quum iam tum fama eſſet, victorem eſſe Cæſarem, & victos Pompeii filios: quod Cicero non audiſſet libenter, vt Reip. & Pompeianæ partis ſtudioſus. AVT EGO, qui Antiochius ſum, & veteres Academicos, qui nihil affirmabant, ſequor, infra: quique ita veritatis, & Reip. ſtudioſus ſum, vt nihil, quod aut falſum eſſe poſsit, aut Reip. pernicioſum videri, audeam dicere. DICERE, dicere & audire opponuntur. AFFICEREMVS, quaſi oleum camino addentes, vt dicitur, quum tot curis afficiaris. LEVATIS, quippe quum veſtro aſpectu omnis cura conſederit. aliàs leuaſtis. ABSENTI, ἀπόντι, præſentem abſenti opponit. DEDISTIS, literis conſolatoriis. Tunc enim Ciceronem non modo Brutus, & Atticus, ſed Cæſar etiam, Ser. Sulpicius, & alii penè innumerabiles amici, familiares, & philoſophi conſolati ſunt Epiſt. decimanona lib. decimitertii ad Attic. Epiſt. quinta lib. quarti Fam. & Plutarchus in Cicer. & ſe ipſe per literas conſolatus eſt, Epiſt. nona lib. duodecimi ad Attic. LITERIS, Bruti epiſtola, & Attici libro, paulo poſt. nam literas libros, orationes, & monimenta dici videmus: vt infra: hanc ſcientiam Varro pluribus, & illuſtrioribus literis explicauit: & Ep. nona lib. duodecimi ad Attic. ipſe me per literas conſolatus ſum, quem librum ad te mittam. orationes Epiſt. vndecima lib. primi ad Attic. monimenta, quum dicimus literis mandare. PRISTINA STVDIA, ſtudia potiſsimum Philoſophiæ, in quibus ab initio ætatis eram verſatus, lib. ſecundo de Officiis, & infra. REVOCAVI, nam priſtinis orbati muneribus hæc ſtudia renouare cœpimus, vt & animus moleſtiis hac potiſsimum re leuaretur, & prodeſſemus ciuibus noſtris qua re cunque poſſemus, lib. ſecundo de Diuinatione ſic ſe cum libris in gratiam rediiſſe ſcribit Epiſt. prima lib. noni Fam.

Tum ille, Legi, inquit perlubenter epiſtolam, quam ad te Brutus miſit ex Aſia, qua mihi viſus eſt & monere te prudenter, & conſolari amiciſsimè. Recte inquam, eſt viſus: nam me iſtis ſcito literis ex diuturna perturbatione totius valetudinis, tanquam ad aſpiciendam lucem eſſe reuocatum. Atque vt poſt Cannenſem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam prælio populus ſe Romanus erexit, poſteaq. proſperæ res deinceps multæ cõſecutæ ſunt: ſic poſt rerum noſtrarum, & communium grauiſsimos caſus, nihil ante epiſtolam Bruti mihi accidit, quod vellem, aut quod aliqua ex parte ſolicitudines alleuaret meas.

LEGI, ego Atticus. nam Cicero Bruti literas ad ſe ſcriptas, ad Atticum ſæpe mittebat, vel præſenti legendas dabat, vt in epiſtolis ad Atticum ſcriptis videre licet. ASIA, Aſia minore, quæ nunc Natolia dicitur, & olim decem prouincias, vt quidam volunt, continebat: quod etiam Strabo videtur dicere lib. duodecimo. M. certe Cælius ad Ciceronem ita ſcribit: ſenatui placet, in Ciliciam prouinciam, & in octo reliquas prouincias prætorios mitti. Hanc Aſiam à L. Scipione Antiocho ereptam, & à M. Perpenna poſtea tributariam factam legimus apud Patercul. in quam Prætores mittebantur. Sic eam Q. Cicero, & L. Flaccus obtinuerunt: ſic eam M. Brutus obtinuit à Cæſare, quamuis nondum prætor fuiſſet: vnde quum rediret,

Sami Ser. Sulpicium audiuit, infra:cui poſtea C. Vibius Panſa ſucceſsit, vt ex lib. duodecimo ad Attic. cognoſcitur: vbi ſunt illa verba: De Bruto tamen ſi quid habes: ſcire enim iam puto, vbi Panſam expectet: ſi, vt conſuetudo eſt, in prima prouincia, circiter Cal. Ian. affuturus videtur: etſi non deſunt, qui Galliam prouinciam ſignificari putent: Cicero certe ſcripſit ad Caſsium, & Caſsius gauiſus eſt, in eam Panſam paludatum ad III. Cal. Ian. profectum fuiſſe. MONERE, & accuſare grauioribus etiam verbis, Epiſt. nona ad M. Brutum. M. enim Brutus Ciceronem non ſolum monere, ſed obiurgare etiam, quòd nimis animo frangeretur, ſolebat: vnde Cicero literas eius obiurgatorias vocat in epiſtolis ad Atticum. & ſanè Cicero docet in Lælio monendos eſſe amicos ſæpe, & obiurgandos. MONERE TE PRVDENTER, ET CONSOLARI AMICISSIME, ſic lib. duodecimo ad Attic. Bruti literæ ſcriptæ & prudenter, & amice. & ſanè prudentis eſt monere, & conſilium dare, amici vero conſolari. VALETVDINIS, animi & corporis, quem tamen morbum vocat lib. duodecimo ad Attic. cuius cauſa in dies ſingulos eo tempore ab Attico volebat excuſari. AD ASPICIENDAM LVCEM ESSE REVOCATVM, quaſi ex tenebris, & ſolitudine, in quam me ipſe contuleram, vt lib. duodecimo ad Attic. cognoſcitur: vel ex Reip. nocte, in quam incideram, vt in fine huius dialogi legitur: vbi ſunt item illa verba: ea conſolatione ſuſtentor, quam tu mihi Brute adhibuiſti tuis ſuauiſsimis literis: de quib. tamen aliter in epiſtolis ad Atticum ſcriptum videbis: vbi teſtatur eas nihil ſibi profuiſſe, ſed multas lachrymas attuliſſe. Vnde literæ diuerſæ videri poſſent, niſi ſciant omnes, qui in Ciceronis libris ſunt verſati, eum ſolitum fuiſſe ita loco, tempori, & perſonæ ſeruire, vt quamuis aliis alia diceret, vel ſcriberet, Attico tamen ſoli ſemper vera diceret, vel ſcriberet. ATQVE VT, ſimilitudo in qua ſe cum Rep. comparat. CANNENSEM, apud Cannas Apuliæ vicum acceptam. Qua de re, præter ea, quæ Liuius, Plutarchus, & alii Hiſtorici ſcribunt, illud addit Gellius, in Claudii Annalium quinto ſcriptum eſſe, cladem illam ante diem quartum. Non Sext. factam, & iccirco diem illum religioſum fuiſſe: illud vero Valerius Maximus, creditum Varronem Conſulem apud Cannas cum Carthaginenſibus tam infeliciter dimicaſſe ob iram Iunonis. quòd quum ludos circeſes Aedilis faceret, in Iouis Opt. Max. templo eximia facie puerum hiſtrionem ad excubias tenendas poſuiſſet. ILLAM, ἐμφατικῶς, grauem, magnam: qua Romani imperium amiſiſſent, ſi Annibal vti victoria, vt dixit Maharbal, ſciuiſſet. CALAMITATEM, quam Liuius, Claudius, & alii cladem vocant. PRIMVM, nam Marcellus primus apud Nolā docuit Annibalē vinci poſſe. MARCELLI, M. Claudii Marcelli quinquies Cos. cuius res geſtas, & laudes Liuius, Plutarchus, autor libelli de Viris illuſtribus, Florus, Virgilius, & alii perſequuntur. AD NOLAM, vt Prima quod ad Troiam pro claris geſſerat Argis. Nola vero vrbs eſt Campaniæ, vt omnes teſtantur, præter Liuium, ſi modo fuit is Liuius, qui libro octuageſimonono ſcripſit à Sylla Nolam in Samnio receptam fuiſſe. condita fuit hæc vrbs à Tyriis, vt ſcribit Solinus, vel à Iapygiis, vt alii volunt. hanc olim in verſu quodam in Georgicis à Vergilio poſitam fuiſſe Gellius & Seruius credunt, quod falſum eſſe Pontanus oſtendit. Apud Nolam quidam contendunt, quas vocamus campanas, inuentas fuiſſe, & à regione campanas, ab vrbe vero nolas etiam vocatas. Sed tu de Nola plura in Italia Leandri Alberti Bononienſis viri non minus eruditi, quàm religioſi leges, quam nunc deſcribendam curat. PRAELIO, in quo ſcribunt multi duo millia, & CCC. hoſtium cæſos, Romanos non plus vno amiſiſſe. PROSPERAE,

Romanis.

Romanis. DEINCEPS, poſtea deinceps, vt deinceps inde: infra, vbi de ſuis loquitur cauſis, quas adoleſcens dixit. MVLTAE, vt ad Caſilinum clades hoſtium, ſomnus, vinum, epulæ, ſcorta, balnea, otium, & reliquæ deliciç Campanç, quibus ita ſunt milites Annibalis effœminati, vt poſtea ſemper res Annibalis in peius, vt ait poëta, ruerint, donec domum fuit reuocatus. SIC, ἀνταπόδοσις, vt ait Quintil. NOSTRARVM, vt æris alieni, res familiaris diſsipatæ, odii inter me, & Q. fratrem, & Q. fratris filium, diuortii Terentiæ, & filiæ mortis. COMMVNIVM, honorum, dignitatum, & tandem totius Reip. aliàs omnium. SOLICITVDINES ALLEVARET MEAS, ὑπέρβατον, quale lib. primo ad Attic. partim ſtudioſus, ac defenſor bonarum: quod hoc loco fecit Cicero, ne grandior eſſet oratio, ſi dixiſſet: ſolicitudines meas alleuaret: vt in orationibus, opinor, dixiſſet, vbi dichoreo, qui præclare cadit, vti frequenter ſolet, & infra, ſed hic iambo, qui humilem facit orationem, vſus eſt, præſertim quum de rebus miſeris loqueretur: quas etſi teſtatur literis Bruti alleuatas fuiſſe, vult tamen hac humili oratione quaſi ſignificare, in eaſdem ſe recidiſſe, in hiſque poſtea ſemper eſſe verſatum.

Tum Brutus, Volui id quidem efficere certè, & capio magnum fructum, ſi quidem quod volui tanta in re conſecutus ſum: ſed ſcire cupio quæ te Attici literæ delectauerint. Iſtæ verò, inquam, Brute non modò delectationem mihi, ſed etiam, vt ſpero, ſalutem attulerunt. Salutem? inquit ille. quodnam tandem genus iſtuc tam præclarum literarum fuit? An mihi potuit, inquam, eſſe aut gratior vlla ſalutatio, aut ad hoc tempus aptior, quàm illius libri, quo me hic affatus quaſi iacentem excitauit? Tum ille, Nempe eum dicis, inquit, quo iſte omnem rerum memoriam breuiter, &, vt mihi quidem viſum eſt, perdiligenter complexus eſt? Iſtum ipſum, inquam, Brute dico librum mihi ſaluti fuiſſe.

QVIDEM EFFICERE CERTE, ſi Cicero ipſe loqueretur, diceret, vt arbitror, quidem certe efficere, hoc eſt haſce particulas aliter collocaret: quas Brutus non ità bene diſponebat: quod Cicero multis in locis in hoc dialogo voluit referre, vt interdum nos indicabimus. Hic tamen in aliis libris etiam leges: volui id quidem efficere, certe & capio magnum fructum; & ſic, certe, particula cum ſequentibus iungitur. CONSECVTVS SVM, ſic lib. primo de Orat. conſecutus ſim: quod tamen Cicero non ita ſæpe facit. Nam quum ſonus, & concurſus illius literæ σ, quæ πολύσιγμα etiam ſæpe facit, quamque veteres abiiciebant, vt ſcribit Quintilianus lib. noni cap. quarto, offendit: tum vitioſa oratio à Probo, & Fortunatiano iudicatur, quæ cadat in verbum vnius ſyllabæ poſt duas longas ſequentis. Quare mihi videtur Cicero dedita opera induxiſſe Brutum ita loquentem, quem quod ſcribit Tacitus, otioſum, atque diſiunctum iudicabat: quòd ille, vt Cicero ſcribit Epiſt. vigeſimaquarta lib. decimiquarti, & Epiſt. prima lib. decimiquinti ad Attic. diuerſum dicendi genus ſequeretur, nec, quod Ciceroni placebat, probaret: ſed Ciceronem ipſum fractum, & elumbem vocaret, vt Tacitus refert. Quare quum diſerte magis, quàm ornate ſcriberet Brutus, Cæſar dixit, Bruti Catone lecto ſe ſibi viſum diſertum, Epiſt. quadrageſimaquarta lib. decimitertii ad Attic. ſcribit etiam Quintilianus lib. noni

cap. quarto ſæpe Brutum in oratione verſus, quod eſt vitioſum, feciſſe. Cicero igitur quum idipſum ſciret, decorum vt ſeruaret, perſonæ habuit ratio nem, & illum induxit illa dicentem: conſecutus ſum: literarum fuit: complexus eſt: idque videtur etiam feciſſe, vt & Bruto, à quo fuerat ipſe reprehenſus, parem gratiam referret: & illum quaſi caſtigaret, ac ab eo dicendi genere remoueret: quod infra ſæpe, quàm modeſtiſsime fieri poteſt, facit, vt apparebit. ATTVLERVNT, hic vident omnes, opinor, quum loquatur ipſe, & quidem de ſalute, quàm grandem faciat orationem, eam duobus continuis dichoreis terminans, attulerunt, excitauit. nec iocus ex ambiguo poteſt eſſe in illis verbis ſalutem attulerunt: quòd ad ſalutem, quæ in epiſtolis, & libris præſcribi ſolet, referri poſsit: quum dicat, vt ſpero, quod de ſalute, quæ præſcribitur, quæ certè allata fuerat, nunquam dixiſſet. qum paulò poſt affirmat, ſibi ſaluti fuiſſe. ILLIVS LIBRI, cuius argumentum hic, & in Oratore penè totum complectitur: quemque nos credimus annalem in epiſtolis ad Attic. vocari. IACENTEM EXCITAVIT, quum prius iacerem, me excitauit, vt ſit quaſi ἀπτῶτα, quo dicendi modo ſæpe Cicero eſt vſus: vt cunctantem, & diffidentem excitare in Epiſtolis Fam. conſuetudinem corruptam emendare, infra: ſanius illo: oſtendimus res perperam conſtitutas, intellecta veritate, commutatas corrigi poſſe, lib. primo de Inuent. quo Virgilius vtitur ſæpe, vt Tityre pingues paſcere oportet oues: atque idipſum Homerum imitatus, qui lib. Odyſſ. nono ſcripſit ad hunc modum: ἐνόμευε νομὸν κατὰ πίονα μῆλα, hoc eſt, paſcebat in paſcuis pingues oues: item Virgilius, animúmque labantem impulit: &, gentis adultos educunt fœtus: &, ſcuta latentia condunt: &, ſubmerſáſque obrue puppes. COMPLEXVS EST, nam conſeruatis, notatíſque temporibus, nihil quum illuſtre prætermitteret, annorum ſeptingentorum memoriam vno libro colligauit: quod in Oratore dicitur, vt mittam, quæ Nepos in Attici vita ſcribit.

Tum Atticus, Optatiſsimum mihi quidem eſt quod dicis: ſed quid tandem habuit liber iſte, quod tibi aut nouum, aut tanto vſui poſſet eſſe? Ille verò & noua, inquam, mihi quidem multa, & eam vtilitatem quam requirebam: vt explicatis ordinibus temporum, vno in conſpectu omnia viderem: quæ cum ſtudioſe tractare cœpiſſem, ipſa mihi tractatio literarum ſalutaris fuit, admonuítque, Pomponi, vt à te ipſo ſumerem aliquid ad me reficiendum, téque remunerandum, ſi non pari, at grato tamen munere: quanquam illud Heſiodium laudatur à doctis, quod eadem menſura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, ſi poſsis. Ego autem voluntatem tibi profectò emetiar, ſed rem ipſam nondum poſſe videor, ídque vt ignoſcas, à te peto. Nec enim ex nouis (vt agricolæ ſolent) fructibus eſt vnde tibi reddam quod accepi: ſic omnis fœtus repreſſus, exuſtuſque flos ſiti veteris vbertatis exaruit: nec ex conditis, qui iacent in tenebris, & ad quos omnis nobis aditus, qui penè ſolis patuit, obſtructus eſt. Seremus igitur aliquid tanquam in inculto & derelicto ſolo, quod ita diligenter colemus, vt impendiis etiam augere poſsimus largitatem tui muneris, modò idem

noſter animus efficere poſsit quod ager, qui cum multos annos quieuit, vberiores efferre fruges ſolet.

TIBI, hiſtoriæ, & philoſophiæ ita perito, vt neque nouum tibi quicquam eſſe poſsit in hiſtoria, neque neceſſarium ad leuãdum dolorem, quum philoſophia plus prodeſſe poſsit. POSSET ESSE, aliàs eſſe poſſet. ILLE VERO, habuit. ἔκλειψιν, aut ἀποσιώπησις, vt diceret Donatus: qua Cicero frequenter in hoc dialogo vtitur. NOVA, nunquam prius mihi cognita, quamuis eſſent vetera. Ita comici nouas fabulas ſolent appellare. QVAM REQVIREBAM, ad ſolicitudines meas leuandas. EXPLICATIS ORDINIBVS TEMPORVM, conſeruatis, notatíſque temporibus, vt ait in Oratore. OMNIA, quæ intra ſeptingentos annos ſunt geſta. TRACTARE, videtur eſſe tranſlatio ab his, quæ manibus tractari ſolent. LITERARVM, omnium quidem, ſed præſertim tamen tuarum, quæ mihi ſalutem attulerunt ita, vt literarum tractatio ſalutaris recte dici poſsit ADMONVITQVE, ipſa inſcriptione, ſalutatione, conſolatione, & exemplorum relatione. A TE IPSO, ex libro tuo vel re vera à te ipſo, qui fuiſſes ita forti animo, vt his temporibus illa poſſes ſcribere. SVMEREM ALIQVID AD ME REFICIENDVM TEQVE REMVNERANDVM, ſumerem aliquid, quo me reficerem, & pro quo te remunerarer: vt primo ſit quaſi inſtrumentum, deinde cauſa, cur remunerari deberet, idque per ſeptimam σύλληψιν, quæ ſenſum, & locutionem alioqui violentam, vt ſic dicam, defendat. QVANQVAN, correctio, quia dixerat, ſi non pari munere. ILLVD, dictum quod Græce tale eſt: εὖ δ' ἀποδοῦναι αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴ κε δύνηαι, hoc eſt, reddere menſura eadem, & melius, ſi poſsis: vel vt vertit ipſe Cicero lib. primo de Off. Heſiodus maiore menſura, ſi modo poſsis, iubet reddere. nec vertit ibi totum, hic plus etiam, vt paulo poſt oſtendemus. ſed quæri poteſt, cur hic & li. primo de Off. vertat, libro vero tertiodecimo ad Att. Græce ſcribat. nos igitur dicimus Ciceronem ita Græce ſciſſe, vt Rhodi olim, & poſtea in ſenatu Siculo Græce ſit locutus, & commentarium de ſuo Conſulatu Græce ſcripſerit. Itaque quum ad Atticum ſcriberet, verbis ſæpe Græcis vtebatur, quum vt πρὸς κρῆτα κρητίζοι, ideſt cum homine Græco Græce loqueretur, & ſic perſonæ rationem haberet: tum ne myſteria, vt appellat, enunciarentur, ſi literæ fuiſſent interceptæ. nam pauci tunc Græce ſciebant. ſic Cæſar olim ad Q. Ciceronem in Gallia obſeſſum Epiſtolam Grecis conſcriptam literis miſit, ne, intercepta illa, conſilia cognoſci poſſent. Cæterum Cicero, quum huiuſcemodi cauſæ non erant, Græce penè nunquam ſcribebat. quin reprehendebat eos, qui Græca cum Latinis ſoleant inculcare. hinc videas illum in aliis ſcriptis raro, in orationibus vero penè nunquam verba Græca vſurpaſſe. ob id quum verſum Græcum in oratione pro Deiotaro referre oporteret, Latine loqui maluit. Hunc morem ſi nunc ſeruarent quidam, ſuas orationes, aut Epiſtolas non ita Græcis verbis replerent, vt Chimæræ prorſus eſſe videantur. HESIODIVM, lib. primo illius operis, quod inſcribitur ἔργα καὶ ἡμέραι, quod ad fratrem Perſem ſcripſit Heſiodus: qui quidem quamuis Aſcræus à poëtis dicatur, quòd à Muſis in Aſcra ſit amatus, & poëta factus: vt, Aſcræúmque cano Romana per oppida carmen: re vera tamen Cumæus fuit: vt, Vltima Cumæi venit iam carminis ætas. Hoc Probus, ſed plura ſcribunt Suidas, Ioannes Zezes, & Lilius, quem nos, honoris cauſa, parentem vocamus. LAVDATVR A DOCTIS, aliàs laudatur. EADEM MENSVRA, αὐτῷ τῷ μέτρῳ. REDDERE, ἀποδοῦναι. QVA ACCEPERIS, hoc non eſt in Græco: ſed red-

dere ſolemus, quod accepimus: quod Græcus omiſit, quòd intelligitur, etiã ſi taceatur. Cicero vero, qui ſic ſcribebat, vt nihil addi poſſet, appoſuit, quòd etſi intelligi poſſe videbat, apud Heſiodum tamen in ſuperiore commate poſitum cognoſcebat, μετρεῖσθαι πὰρ γείτονος, à vicino accipere. Hinc factum prouerbium, eadem menſura, quo & Chriſtus ſeruator noſter eſt vſus. atque hoc quidem neceſſarium. nam neceſſe eſt reddere, quod accepiſti, eadẽ menſura. ſic enim Proclus interpres explicat, & additum credit, cumulatiore, ſi poſsis, vt, qui incipit gratificari, aliquid lucri faciat, & ad bene faciendum alacrior reddatur. nam & illud addit Heſiodus: ὡς ἂν χρηΐζων καὶ ἐσύστερον ἄρκιον εὕρῃς: vt & mutuo quærens iterum, quod ſatis ſit, inuenias. CVMVLATIORE, λώιον dixit Heſiodus, ideſt, melius: ſed Cicero maluit coniungere cum menſura. Docet etiam Gratiarum pictura beneficium duplex eſſe reddendum. Imitandi ſunt, inquit Cicero lib. primo de Off. agri fertiles, qui multo plus efferunt, quàm acceperunt. PROFECTO, Achilles Bochius eques genere, & virtute nobiliſsimus, & meus amiciſsimus legendum putat, pro facto. EMETIAR, alii, remetiar, quo verbo Plinius, Quintilianus, & alii ſunt vſi. ſed ſiue emetiar, ſiue remetiar legas, idem ſit ſenſus neceſſe eſt: remunerandi voluntatem tibi præſtabo, & ἀποδώσω τῷ μέτρῳ ipſam voluntatem. REM IPSAM, librum aliquem. POSSE ἀποδοῦναι. nunquam ab ipſa tranſlatione diſcedit. NEC ENIM, αἰτιολογία, quare rem ipſam reddere non poſsit. EX NOVIS, ἀλληγορία, qua dicit aliud, & aliud ſignificat. nam per nouos fructus, nouos libros vult ſignificare, per conditos, veteres, vel prius cogitatos, vel recõditos, vt paulo poſt dicemus. AGRICOLAE SOLENT, qui frumentum, fabam, reliquáque id genus à ditioribus per hyemem mutuantur, quæ, facta meſſe, ex nouis poſtea fructibus reddant. REDDAM, QVOD ACCEPI, reddam tibi aliquem librum, quemadmodum accepi. nam reddere eundem certe nolebat. SIC, ἐπιφώνημα. OMNIS FOETVS REPRESSVS, EXVSTVSQVE FLOS, eſt quaſi ἐπεξήγησις. nam tunc reprimitur fœtus, ne exeat, quum flos exuritur. SITI VETERIS VBERTATIS, ex ambiguo. ſiti, deſiderio quodam: & quemadmodum flores exuri ſolent ſiti, quãdo non pluit, ſic flos iſte exuſtus eſt ſiti, & deſiderio, quo cupiebam veterem vbertatem. nec enim aliter dici poſſe videtur, flos exuſtus eſt ſiti vbertatis: niſi forte dicas: ſiti vbertatis, ſiti, quam vbertas paſſa eſt. poſſet etiam fortaſſe hic eſſe ὑπέρβατον, flos veteris vbertatis, id eſt, flos, quem vetus illa vbertas ferebat, exuſtus eſt ſiti. CONDITIS, vt diximus, vel potius conditos fructus vocat, qui ad res philoſophicas magis reconditas pertinent, quas interiores literas, & reconditas appellare ſolet: quòd, vt ait lib. tertiodecimo ad Att. eſſent λογικώτεραι, quàm vt homines illius temporis eas intelligere poſſent. Quare iacebant in tenebris, vt hic affirmat: & iacuiſſent diutius, niſi poſtea Cicero Latinis literis eas illuſtraſſet. is enim cum paucis vt Attico, Varrone, Catone, & Bruto vere philoſophabatur, vt vere dicat, ſibi penè ſolis ad philoſophiám aditum olim patuiſſe, qui tunc eſſet obſtructus, quum in bellis ciuilibus, vt ad Varronem ſcribit, vel ipſe Cicero vſum librorum dimiſiſſet, quòd eorum ſuppuderet. Cum his tamen in gratiam poſtea quum rediiſſet, quæ ſemper incluſa habuerat, ea literis mandauit, vt hic ſe facturum pollicetur. & ſic Atticum libris de Senectute, & de Amicitia remuneratus eſt. SEREMVS IGITVR, quum fructus nullos neque nouos, neque veteres habeamus, vt fructus aliquos comparemus, & aliquam meſſem faciamus, ſeremus. nec ab ἀλληγορίᾳ, ſiue tranſlatione diſcedit. INCVLTO, ET DERELICTO SOLO, amplificatio. nam poteſt ſolum eſſe incultum, neque tamen dere-

lictum:

lictum: vel ἀπεξένωσα, ſolum incultum, ideſt derelictum. qua quidem in re erant notæ cenſoriæ, vt autor eſt Gellius, qui lib. quarti cap. duodecimo ita ſcribit: ſi quis agrum ſuum paſſus fuerat ſordeſcere, eúmque indiligenter curarat, ac neque arauerat, neque purgauerat: ſiue quis arborem ſuam, vineámque habuerat derelictui, non id ſine pœna fuit: ſed erat opus cenſorium. hinc Plinius ſcripſit agrum male colere, cenſorium probrum iudicatur. Huc reſpexit Cicerò hoc loco, & Verrina quinta quum ſcripſit aratores totas orationes dereliquiſſe. Ager vero Ciceronis, hoc eſt, animus, vt paulo poſt oſtendit, tunc fuerat derelictus, quum bellis ille ciuilibus vſum librorum, vt diximus, dimiſerat. COLEMVS, etſi videtur hic eſſe ὀξύμωρον, vel ἀντίθετον, incultum colemus, agros tamen incultos colere, vt homines indoctos etiam ſolemus docere: & dici poteſt, quod erat incultum colere, vt ſupra iacentem excitare. IMPENDIIS ETIAM AVGERE POSSIMVS LARGITATEM TVI MVNERIS, ideſt, vt ego interpretor, munus, quod large, & liberaliter nobis dediſti, vſura quadam maius facere, & ita tibi reddere poſſimus. Impendium enim, vt inquit Varrò, quod in ſorte accedebat, appellatum eſt: quæ vſura dicta eſt, quòd ad ſortem vſu accederet. ANIMVS, in quo verſantur, & veluti ſemina in agro, concipiuntur cogitationes, ex quibus opera, vt ex ſeminibus fructus, proficiſcuntur. EFFICERE, quamuis animus magis proprie dicatur cogitare, quàm efficere, eodem tamen modo, quo ager, hoc loco dicitur efficere. Ager vero efficere cum octauo, & cum decimo dicitur à Cicerone Ver. quinta. MVLTOS ANNOS, nedum alternos, vt poſtea præcepit hoc modo Poëta, Alternis idem tonſas ceſſare nouales, Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum. QVIEVIT, ceſſauit, vt animus ab hiſce rebus ceſſauit belli ciuilis tempore. VBERIORES, nam, vt inquit Columella, humus ſeu ſponte, ſeu quolibet caſu deſtituta, quum eſt repetita cultu, magno fœnore ceſſationis colono reſpondet. EFFERRE, ſic Ver. quinta ager cum decimo extulit. aliàs efficere, vt paulo ante.

Tum ille, Ego verò & expectabo ea quæ polliceris, nec exigam niſi tuo commodo, & erunt mihi pergrata ſi ſolueris. Mihi quoque, inquit Brutus, & expectanda ſunt ea quæ Attico polliceris, etſi fortaſſe ego à te huius voluntarius procurator petam, quod ipſe cui debes, incommodò exacturum negat. At verò, inquam, tibi ego Brute non ſoluam, niſi prius à te cauero, amplius eo nomine neminem, cuius petitio ſit, petiturum. Non mehercule, inquit, tibi repromittere iſtuc quidem auſus ſim: nam hunc qui negat, video flagitatorem non illum quidem tibi moleſtum, ſed aſsiduum tamen & acrem fore. Tum Pomponius, Ego verò, inquit, Brutum nihil mentiri puto. Videor enim iam te auſurus eſſe appellare, quoniam longo interuallo modò primum animaduerti paulo te hilariorem. Itaque quoniam id quod mihi deberetur, ſe exacturum profeſſus eſt: quod huic debes, ego à te peto. Quidnam id? inquam. Vt ſcribas, inquit, aliquid. iampridem enim conticuerunt tuæ literæ. Nam vt illos de Repub. libros edidiſti, nihil à te ſanè po-

ſtea accepimus, eiſque noſmetipſi ad rerum naturalium memoriam comprehendendam impulſi atque incenſi ſumus. Sed illa cum poteris, atque vt poſsis, rogo. Nunc verò, inquit, ſi es animo vacuo, expone nobis quod quærimus.

NEQVE EXIGAM, ne ſim moleſtus, vt ſolent eſſe, qui pecunias nimis acerbe exigunt: vnde acerbæ exactiones à Cicerone dicuntur. TVO COMMODO, vt commodo Reip. quo dicendi modo veteres frequenter vſi ſunt, vt Paulus Manutius meus vir ad literas ornandas natus oſtendit. MIHI QVOQVE, vt cui valde ſint profutura, nam libri, qui eduntur, non vni tantum, ſed multis proſunt. HVIVS, Attici. PROCVRATOR, tanquam procurator, qui negotiũ abſentis ſuſcipit. Nam vt ſcribit Aſconius patronus in iudicio defendit, ſi eſt orator: aduocatus ius ſuggerit, aut præſentiã accommodat: cognitor præſentis cauſam cognoſcit, & tuetur vt ſuam: hunc hodie nos procuratorẽ vocamus: procurator vero negotiũ abſentis ſuſcipit, ſiue ad iudicium, ſiue ad rem ruſticam, ſiue ad mercaturã, & tandem ad rem familiarem pertineat: qui ſic etiam à Cicerone deſcribitur, vt ſit alieni iuris vicarius. procuratores maiorem partem erant liberti, quamuis Cicero ſæpe libertos à procuratoribus ſeiungat. Philotimus certe Terentiæ fuit libertus, & Ciceronis procurator, vt alios mittam. hoſce nos hodie factores appellamus. DEBES, quum ſis pollicitus. INCOMMODO EXACTVRVM, aliàs incommodo tuo exacturum. TIBI, procuratori voluntario, vt dicis. À TE CAVERO, à te ſponſionem, & ſatis accepero. AMPLIVS, formula quædam fuit, qua Cicero frequenter in hiſce rebus vtitur, vt libro primo ad Att. recuſarat ſatiſdare, amplius abs te non peti: & lib. tertiodecimo Fam. ſatiſdandum erit, amplius eo nomine non peti: & in oratione pro Q. Roſcio Comœdo, ſatis non dedit, amplius à ſe neminem petiturum. EO NOMINE, eo debito. Vnde diſſoluere nomina, exigere nomina, facere nomina dicimus. NOMINE NEMINEM, annominationem vocant Rhetores. CVIVS PETITIO SIT, qui ſit creditor verus, & iure petere poſſit, vt Atticus, cui debebatur. TIBI, quaſi ſtipulanti. REPROMITTERE, contrà ſpondere, & quaſi ſatiſdare, vt apud Plautum in Aſin. Repromittam iſtoc nomine ſolutã in rem futuram. Repromittit, inquit Alciatus, qui nuda ſtipulatione ſe obligat: vt mittam, quæ ſcribant alii. ISTVC, neminem petiturum. AVSVS SIM, compoſitio Bruto conueniens, vt ſupra conſecutus ſum. ſunt tamen, qui legant, auſim, quod Virgilius, Terentius, Liuius, & alii vſurpant, & Donatus interpretatur, pro audebo, & huius tantum temporis eſſe contendit. alii tamen reiiciunt, quòd à Cicerone non videant vſurpari. HVNC, Atticum. aliàs nunc. FLAGITATOREM, nedum petitorem. nam flagitare plus ſignificat, quàm petere & poſtulare, vt in oratione pro Quintio, res poſtulat, non flagitat: & lib. primo de Legibus, poſtulatur à te iandiu, vel flagitatur potius hiſtoria. ILLVM, ἐπανάληψις quædam, qua Cicero frequenter vti ſolet, vt lib. quinto Fam. ei, qui in alios indicta cauſa animaduertiſſet, dicendi ipſi poteſtatem fieri non oportet: & in oratione pro Mil. hoc, quod tormentis inuenire vis, id fatemur. NIHIL MENTIRI PVTO, ſed puto verum dicere, & fore, vt, quod es pollicitus, flagitem. VIDEOR ENIM IAM TE AVSVRVS, ſic legendum eſt, quamuis librarii quidam multo aliter deſcripſerint. APPELLARE, vt debitorem. Ita Cicero ſæpe loquitur. MODO PRIMVM, nunc tandem. EXACTVRVM, voluntarium procuratorem petiturum. DEBES, vt libros de Finibus, Tuſculanas quæſtiones, libros de Natura Deorum,

rum,& alios : & ſi forte nondum ſciebat Atticus eos Ciceronem eſſe ſcripturum. IAMPRIDEM, circiter annos ſeptem,id eſt ex conſulatu L.Domitii, & Ap. Claudii,quo tẽpore ſcripſit libros de Rep.Ep.quintadecima lib. quarti ad Att.ad Conſulatum Caleni,& Vaticani,quibus Coſs. bellum Hiſpaniẽſe cum Pompeii filius,vt opinor,eſt geſtum,certe cœptum,& finitum Cęſare III. & Lepido Coſs.vt ex Dione collegimus : & ſupra diximus hunc ſermonem hiſce temporibus habitũ fuiſſe. LITERAE, doctrina,ſcientia,vt infra ſæpe leges. ILLOS DE REP. LIBROS, ſex, vt ipſe in epiſtolis ad Att. & lib. ſecundo de Diuinatione teſtatur, quamuis ad Q. fratrem ſcribat nouẽ fuiſſe:quod ego ſic interpretari ſoleo:quòd à primo quidem nouem ſcribere inſtituerit,fortaſſe à nouendialibus feriis,quæ fuerant Tuditano,& Aquilio Coſs.ſed paulo poſt mutato conſilio pro nouẽ ſex ſcripſerit,vt contrà τὴν σύνταξιν ἀναλημμάτων, quam libris duobus fuerat cõplexus,poſtea in quatuor contulit,lib. tertiodecimo ad Att. Atq. ita,ſi volumus, vt propemodũ neceſſe eſt, interpretari; dicemus,in epiſtolis ad Q. fratrem, & lib.quarto ad Att. recte ſcribi,C.Fanniũ,quum de Rep. diſputatum eſt, cum reliquis ſermonẽ contuliſſe,in Lælio vero negari prorſus affuiſſe.Nam primo quũ libri eſſent nouẽ inductus Fannius loquebatur:deinde,ſublatis tribus libris, ſublatus & ipſe, negatur affuiſſe. EDIDISTI, L. Domitio Aenobarbo,& Ap.Claudio Pulchro Coſs.vt cognoſcitur ex lib. quarto ad Att. VETERVM ANNALIVM, ex quib. in meum librũ tranſtuli,quæ transferẽda iudicaui.hinc Attici librũ videbis annalẽ dici lib. duodecimo ad Att. alii, rerum noſtrarũ.vt ſit,nos ad rerũ noſtrarum memoriam comprehendendã impulſi ſumus.ſed quum paulo ante dicat,Att.omnem rerũ memoriã, non ſolum rerum Romanarum,fuiſſe complexum.& in Oratore teſtetur,Attici laborẽ in ordine rerum geſtarum non ſolum Romanorũ,ſed aliorum etiam populorũ,& regum illuſtrium fuiſſe verſatum:nullo modo,rerum noſtrarũ, legi poſſe credimus. In veteribus libris penè omnibus ſcriptum videbis:rerũ naturalium:ſed Petrus Victorius vir,vt L.Craſſus de Q. Catulo dixit,ambroſia alendus,hoc verbum,naturalium,tollendum putat,quum quòd Att.in ſuo libro rerum quidẽ,ſed non rerum naturaliũ memoriam complexus eſt : tum quòd memoria rerum naturalium non ita bene dicatur,quum illa dicatur de rebus geſtis,non autẽ de naturalibus,quæ ſemper habeant eodem modo.Nos putamus eſſe neſas, à viro tanto diſſentire:ſunt tamẽ,qui quum videant in omnibus libris ita ſcriptum inueniri, dicant,Att. libris de Rep. ad res naturales cõprehendendas impelli potuiſſe, præſertim quum, quod ex illis libris reliquum eſt, omnes penè ad idem poſsit impellere : & memoriam rerum naturalium recte dici, ſiquidem τὰ φυσικὰ certe ſunt φανταστά idest naturalia ſub phantaſiam cadunt : ὅσα δὲ φανταστά ἐστι, ἔστι μνημονευτὰ καθ' αὑτά, quæcunque vero cadunt ſub phantaſiam pertinẽt ad memoriam,vt ſcribit Ariſtoteles:qui teſtatur item, τὴν μνήμην εἶναι τῶν γινομένων memoriam eſſe rei præteritæ,vel factæ, quales pleræque res naturales ſunt: inter quas ipſa memoria poſsit numerari,quum lib.tertio ad Herenn.naturalis eſſe dicatur:vt mittantur,quę lib.tertio de Anima ſcripta ſunt ab Ariſt. & taceatur itẽ Platonis τὴν ἀνάμνησιν poſſe ſignificari, de qua Cicero loquitur Tuſcul. primo.Res vero naturales non ſemper eodem modo habere, docuit Pythagoras,qui volebat omnia mutari, vt canit Ouidius lib. quintodecimo Metam. ſed hæc diſputatio tolletur,ſi,veterũ annalium, legas, vt nos etiam legendum putamus. ILLA, vt libros de Finibus,Tuſculanas quæſtiones,& libros de Natura Deorum,vt diximus. QVVM POTERIS, dabis,ſcribes. VT POSSIS, vt velis, id eſt ita velis animum relaxare,& cura liberare,vt poſsis: vt oſtendit paulo poſt : poteris relaxa modo animum.

1 Quid nam eſt id, inquam? Quod mihi nuper in Tuſculano inchoaſti de oratoribus, quando eſſe cœpiſſent, qui etiam, & quales fuiſſent. Quem ego ſermonem cum ad Brutum tuum, vel noſtrum potius detuliſſem, magnopere hic audire ſe velle dixit. Itaque hunc elegimus diem, cum te ſciremus eſſe vacuum. Quare ſi tibi eſt commodum, ede illa quæ cœperas, & Bruto, & mihi. Ego verò, inquam, ſi potuero faciam vobis ſatis. Poteris inquit; relaxa modò paulum animum, aut ſanè (ſi poteſt) libera. Nempe igitur hinc tum Pomponi ductus eſt ſermo, quòd erat à me mentio facta, cauſam Deiotari fideliſsimi atque optimi regis ornatiſsime & copioſiſsime à Bruto me audiſſe defenſam. Scio, inquit, ab iſto initio tractum eſſe ſermonem, téque Bruti dolentem vicem, quaſi defleuiſſe iudiciorum vaſtitatem, & fori. Feci, inquam, iſtuc quidem, & ſæpe facio. Nam mihi Brute in te intuenti, crebrò in mentem venit vereri, ecquodnam curriculum aliquando ſit habitura tua & natura admirabilis, & exquiſita doctrina, & ſingularis induſtria. Cum enim in maximis cauſis verſatus eſſes, & cum tibi ætas noſtra iam cederet, faſceſque ſummitteret, ſubitò in ciuitate cum alia ceciderunt, tum etiam ea ipſa, de qua diſputare ordimur, eloquentia obmutuit.

QVOD MIHI, inquit Atticus. IN TVSCVLANO, nunc enim Romæ ſumus: vt dictum eſt. QVANDO ESSE COEPISSENT, QVI ETIAM, ET QVALES FVISSENT, eſt propoſitio, qua breuiter oſtendit, quibus de rebus ſit dicturus: quæ tres ſint, quando eſſe cœpiſſent oratores, qui etiam, & quales fuiſſent: quibus tamen aliquid poſtea ſemper addit, vt in ſermone fieri ſolet. Addit uero præſertim, vbi de Liuio Andronico loquitur, diſtinguere oratorum genera ætatibus. Hic attentum reddit lectorem. BRVTVM TVVM, VEL NOSTRVM POTIVS, correctio, qua nunc vtitur Atticus, ſed aliter, & melius Cicero in epiſtolis ad Atticum: venio ad Brutum tuum, imo noſtrum: ſic enim mauis. & ſanè Cicero Brutum omni ſtudio Attico autore fuerat complexus, & amare cœperat, vt ipſe teſtatur. SCIREMVS, ſupra tamen dixit cum dubitatione, ſi es animo vacuo: quod ego ad curas, hoc vero ad negotia refero. ILLA, de oratoribus. COEPERAS, inchoaueras, paulo ante. BRVTO, ET MIHI, hominibus inter nos coniunctis, & tibi charis, atque iucundis: vt ſupra dictum eſt. SI POTVERO, hæc exceptio taceri etiam poterat, vt illa, ſi Deus volet. Nullus enim debet præſtare, quæ non poteſt, vel quæ Deus nolit. SI POTES, κατὰ παρένθεσιν καὶ ἐπανόρθωσιν loquitur, quum ſciret Ciceronem maioribus curis angi, quàm vt illis liberari facile poſſet. MEMPE, principium, & occaſio dialogi, & quidem poſt procemium, vt apud Platonem ſæpe, ſed frequentius à principio captatur. CAVSAM DEIOTARI, cauſam, in qua Deiotarus Rex à Caſtore nepote, & Phidippo ſeruo tanquam inſidias Cæſari feciſſet, accuſabatur, vt oſtendit Ciceronis oratio vel, quod ego magis probo, in qua Rex ipſe dicebatur arma cõtra Cæſarem tuliſſe, quod ſcribit Hircius de bello Alexand. FIDELISSIMI, ſic lib: decimoquinto Fam. Regem fideliſsimum, & amiciſsimum Reip. Deiotarum

vocat

vocat Cicero OPTIMI, quippe quum in eo virtutes eſſent omnes, vt in oratione pro ipſo idem Cicero ſcribit. ORNATISSIME, ET COPIOSISSIME, alterum ad medium, alterum ad vehemens dicendi genus pertinet. & adulatur Cicero. nam ne Tacitus quidē illam orationem Bruti pro Deiotaro ſatis probat in dialogo de Orat. BRVTO, qui tunc Cæſari ex Hiſpania reuertēti obuiam fuerat profectus, lib. decimotertio ad Att. Quòd ſi Brutus Deiotarū defendit, obuiam profectus Cæſari ex Hiſpania reuertēti, cognoſcimus Ciceronē multo poſt ſuam dixiſſe orationē, in qua ſcribat ea de re Cæſarem literas Tarracone miſiſſe. ſed videtur potius eſſe dicendū: à Bruto, qui fuerit vnus ex his, de quib. ita ſcribit Hircius de bello Alexan. Cæſar dixit, ſe concedere id factum precibus eorum, qui frequentes concurriſſent, hoſpites, atq. amici Deiotari ad deprecandū. & ita Brutus primam, Cicero ſecundā cauſam defenderit: præſertim quum Marcellus adhuc viueret, quum hæc loquebantur: & mortuus dicatur, quum Brutus obuiā Cæſari eſt profectus, lib. decimotertio ad Att. DEFENSAM, Niceæ Ligurum, quò Brutus obuiam Cæſari fuerat profectus, ſi modo ſecundā cauſam ſignificari putas: vel potius Niceæ Bithyniæ. Cęſar enim poſt bellum Alexandrinum propius Pontum fineſq. Gallogræciæ acceſsit: ad quem Deiotari hoſpites, & amici venerunt ad deprecandum, vt ait Hircius de bello Alexan. Inter eos credimus Brutum fuiſſe, is certe pro Deiotaro Niceæ dixit, Epiſt. prima lib. decimiquarti ad Attic. BRVTI, cuius ætas in hæc tempora, & haſce miſerias incidiſſet, in quibus eloquentiā, reliquáſq. virtutes oſtendere non poſſet. DOLENTEM VICEM, ſic in fine dialogi: in te intuens Brute, doleo, cuius in adoleſcentiā per medias laudes quaſi quadrigis vehementē tranſuecta incurrit miſera Fortuna Reip. IVDICIORVM, quæ nunc quum ad vnius voluntatem ſæpe fiant, oratorum eloquentiam non requirunt. VASTITATEM, amplificatio eſt in ipſo rei nomine, vt loquitur Quintil. nam quum orbitatem, vel tale quid dicere potuiſſet, rem vt amplificaret, vaſtitate verbo grandi, & tranſlato vti maluit: vt quum in Verrinis furem nō vocat, ſed raptorem, vt rem magis augeat. FORI, quod ſupra ſpoliatum, & orbatum dixit. ISTVC, vt Bruti vicem dolens, deflerem iudiciorum vaſtitatem, & fori. SIT HABITVRA, quum tanta ſit vaſtitas iudiciorum, & fori: quod tuum erat curriculum, in fine dialogi. NATVRA ADMIRABILIS, ET EXQVISITA DOCTRINA, ET SINGVLARIS INDVSTRIA, hic naturam, artem, & exercitationem, vel diligentiam, ex quibus pariter eloquentia, videtur voluiſſe ſignificare, id eſt, illa tria, quæ libro ſecundo de Oratore deſcribit hoc modo: ad inueniendum in dicendo hæc tria ſunt, acumen, deinde ratio, quam licet, ſi volumus, appellemus artem: tertium, diligentia. & naturam Cicero vocat ibi, & paulo poſt in eodem loco interpretatur per ingenium, cui primas tribuit: quòd meminerat ſe in oratione pro Archia poëta ſcripſiſſe: ſæpius ad laudem, atque virtutem naturam ſine doctrina, quàm ſine natura valuiſſe doctrinam: hanc naturam hic in Bruto, & infra in Curione admirabilem fuiſſe teſtatur: ſed in Bruto etiam exquiſitam doctrinam, quam modo rationem, modo artem, modo rationem quandam conformationémque doctrinæ vocat. Ingenium vero, vt eſt in oratione pro Cælio, induſtria alitur: & ingenia ſenibus manent, modo permaneat ſtudium, & induſtria, vt ſcribit in libro de Senectute: & in libro primo ad Herennium videmus, præceptionis rationem ad exercitationem accōmodari oportere. Hic igitur recte tertio loco additur induſtria: quę vt ego puto, diligentiam, ſtudium, & exercitationē complectatur, pręſertim quum ſcribat Sex. Pompeius, induſtriam dictā à verbo ſtruo, quod antiqui dicebant

addicere, & augere: quòd hæc ipſa induſtria augeat, quod ingenium excogitauit, & ars expoliuit. nec diſplicet mihi Pontani ſententia, qui induſtriam ab induendo deducit. quòd ea ſit quaſi quidam habitus vſu indutus. Bruti vero ingenium vocat in epiſtola quadam ad Dolabellam, & in fine huius Dialogi: atque in Oratore non minus doctrinam, & artes illius, quàm ſtudium, & exercitationem commendat. Hæc omnia C. Graccho infra tribuit, ſed ordinem mutat. IN MAXIMIS CAVSIS VERSATVS ESSES, Brutus enim iam tum Ap. Claudium defenderat, compluréſque cauſas & cum aliis, & ſolus egerat, vt infra dicetur. TIBI, adoleſcenti, in fine dialogi: annum trigeſimum nonum, vel quadrageſimum agenti. natus enim videtur L. Cinna. III. Cn. Carbone Coſs. certe decem annis poſt quàm Q. Hortenſius cauſas agere cœpit, infra. Itaque C. Cæſare, & M. Antonio Coſs. ſuo anno poſteà Prætor fuit. AETAS NOSTRA, annorum vnius & ſexaginta, vel circiter, ſi tamen anni rationem habeas, quo ſermo ſit habitus, non illius, quo bellum ſit cœptum: quod & de Bruti annis dictum volumus. CEDERET, quaſi lampada traderet. & quum de foro ſit locutus, videtur ad res fori reſpicere, cedere foro, & cedere bonis, quod Iuriſconſulti dicunt. FASCESQVE SVMMITTERET, manus daret, herbam porrigeret, & ſe quaſi inferiorem fateretur. eſt enim tranſlatio à Conſulibus ſumpta, qui in concionem aſcenſuri, Publicolam imitati, faſces populo ſummittebant, id quod populo gratum erat: ſummitti ſibi imperii inſignia, confeſsionémque fieri, populi, quàm Conſulis, maieſtatem, vimque maiorem eſſe: ſic enim Liuius quaſi interpretatur. ſunt, qui putent etiam morem fuiſſe, vt, qui de prouinciis decederent, ſucceſſoribus, & minores magiſtratus item maioribus, occurrentes faſces ſummitterent: quod veriſimile magis videri, quàm probari poteſt. Illud quidem conſtat, Pompeium Poſidonio faſces ſummiſiſſe. ELOQVENTIA OBMVTVIT, ſic infra, perterritum armis hoc ſtudium noſtrum conticuit ſubito, & obmutuit, ſed ibi minus, vt dicerent Grammatici, figurate: hic vero videtur eſſe ὀξύμωρον, eloquentia obmutuit, vt infra, eloquentia loqui dedidicit: vel ſit μετωνυμία, id eſt homines, qui profitebantur eloquentiam, obticuerunt.

Tum ille, cæterarum rerum cauſa, inquit, iſtuc & doleo, & dolendum puto: dicendi autem me non tam fructus & gloria, quàm ſtudium ipſum exercitatióque delectat: quod mihi nulla res eripiet, te præſertim tam ſtudioſo. Etenim dicere bene nemo poteſt, niſi qui prudenter intelligit. Quare qui eloquentiæ veræ dat operam, dat prudentiæ, qua ne maximis quidem in bellis æquo animo carere quiſquam poteſt. Præclarè, inquam, Brute dicis: eóque magis iſta dicendi laude delector, quòd cætera quæ ſunt quondam habita in ciuitate pulcherrima, nemo eſt tam humilis qui ſe non aut poſſe adipiſci, aut adeptum putet: eloquentem neminem video factum eſſe victoria. Sed quò facilius ſermo explicetur, ſedentes, ſi videtur, agamus. Cum idem placuiſſet illis, tum in pratulo propter Platonis ſtatuam conſedimus.

CAETERARVM RERVM, vt honorũ, dignitatum, & libertatis. DOLEO, vt libertatis ſtudioſus, & ab his maioribus oriundus, qui patriam liberarunt.

DICENDI, eloquentiæ. FRVCTVS ET GLORIA, ἐπεξήγησις. nam gloria fructus eſt virtutis, vt ſcribit in oratione in Piſonem: de Gloria duos libros Cicero ſcripſit, vt ipſe libro decimo quinto, & decimo ſexto ad Atticum, & Gellius libro decimo quinto capite ſexto teſtantur. Nunc Bartholomæus Riccius vir doctiſſimus, & elegantiſſimus Ciceronem in ea re, vt in aliis multis imitatur. STVDIVM IPSVM, eloquentiæ, quæ quum ſit vna de ſummis virtutibus, vt in libris oratoriis demonſtratur: & virtutes omnes, & honeſtum illud, quod ex his virtutibus exoritur, & in his hæret, per ſe ſit expetendum, ſequitur eloquentiam ipſam, & ipſius ſtudium per ſe expetendum eſſe, ita, vt recte dicat Brutus quaſi Stoicus, certe Academicus, qui eloquentiam ſapientiam dicat, & neget quicquam bonum eſſe, præter honeſtum, ſe non tam fructu eloquentiæ, & gloria, quàm ſtudio ipſo delectari. EXERCITATIOQVE, animi, vt oſtendunt, quæ ſequuntur, vt infra mentis exercitatio: domeſtica certe, & priuata, non illa forenſis, quæ ſublata fuerat. & ita ſignificabit exercitationem priuatim declamandi, qua Brutus vſus videtur. Vnde conſtat illum exercitationis cauſa orationem olim ſcripſiſſe pro Milone, vt Aſconius, & Quintilianus teſtatur. QVOD, quam rem. nam ſi dicas, quod ſtudium, quum interponatur exercitatio, Grammatici reclamabunt: quanquam nos in Quæſtura ſic etiam dici poſſe oſtendimus. NVLLA RES ERIPIET, virtus enim amitti non poteſt, vt Cicero ſcribit lib. ſecundo Tuſculanarum quæſt. Philip. quarta, & in libris oratoriis: & Ariſtippus oſtendit, quum ſuis ciuibus renunciari iuſsit, vt eas opes ſibi pararent, quæ naufragio non perirent: & ille item, qui dixit, omnia mea bona mecum porto. atque hæc omnia demonſtrant, ad animum referri oportere, etſi ne ſtudium quidē dicendi, & exercitatio ita facile poteſt eripi: ſiquidem priuatim quiſque poteſt declamare, vt Cicero ad Præturam vſque græce declamauit, latine vero ſenior quoque, & quidem Hircio & Panſa Coss. Cn. Pompeium tradunt ſub ipſum ciuile bellum repetiſſe declamandi conſuetudinem: M. Antonium: item Auguſtum ne Mutinēſi quidem bello hanc exercitationem omiſiſſe ſcribit Suetonius. TE, eloquentiæ principe, & philoſopho. STVDIOSO, iuuenum quidem penè omnium, & aliorum, vt Hircii, Panſæ, Volumnii, Caſsii, Papirii Pæti, & Dolabellæ, quos habes quaſi diſcipulos, ſed mei tamen præcipuè, cuius etiam vicem doleas. ETENIM αἰτιολογία, quare ſtudio ipſo, & exercitatione delectetur: eſt etiam γνώμη.

DICERE BENE NEMO POTEST, nemo poteſt dicere res bonas: vt bene hic interpreteris, recte, honeſte, non copioſe, aut ornate: vt reſpondeat oratoris definitioni, qua M. Cato, vt ſcribit Quintilianus, eſt vſus: Orator eſt vir bonus, dicendi peritus: præſertim quum Cicero lib. tertio de Oratore ſcribat, dicendi vim probitate iungendam, ſummáque prudentia: quarum virtutum expertibus ſi dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, ſed furentibus quædam arma dederimus. PRVDENTER INTELLIGIT, ſapienter ſentiendi, & ornate dicendi ſcientiam cohærentes eſt conſecutus, vt libro tertio de Oratore Craſſus diſputat. hanc enim cogitandi, pronunciandíque rationem, vimque dicendi veteres Græci ſapientiam nominabāt: vnde ſcriptum eſt in Partitionibus: nihil eſt aliud eloquentia, niſi copioſe loquens ſapientia: & quo loco ſapienter dixit in oratoriis libris, hic prudenter dixit. ELOQVENTIAE VERAE, ſapientiæ ipſius. DAT PRVDENTIAE, quum eloquentia vera, ſapientia, & prudentia ſint eædem, vt diximus. NE MAXIMIS QVIDEM IN BELLIS, nedum in pace, & otio, quorum comes, & ſocia dicitur eloquentia, infra.

AEQVO ANIMO CARERE QVISQVAM POTEST, quum turpe ſit, vt

dicebat Africanus,in re militari dicere non putaram. nam cõſilium in prouidendo requiritur,vt docet Cicero in oratione pro lege Manil. & opus eſt eloquentia ad milites excitandos, hortandos, & interdum conſolandos,vt ſcribit Onoſander in libello de optimo Imperatore. Quare Imperatori vera eloquentia videtur neceſſaria,vt hoc loco Brutus quaſi concludit. ISTA, quæ te etiam delectat. CAETERA, honores,dignitates, diuitias, & reliqua id genus. PVLCHERRIMA, quum dignis dabatur ita, vt vir, quod dici ſolet,magiſtratum oſtenderet. NEMO EST, nunc ſub Cæſare. ADIPISCI, per Cæſarem; in cuius poteſtate ſunt omnia. VICTORIA, ipſius Cæſaris. SERMO, de oratoribus. SEDENTES, perſonæ,quæ in dialogis loquuntur ſedere vel dicuntur,vel intelliguntur: dicuntur in oratoriis libris,in Academicis quæſtionibus,in libris de Natura Deorũ,in Phædro Platonis:intelliguntur,& partim etiam dicũtur in quatuor libris de Finibus,intelliguntur in Lælio,in Catone,& multis Platonis dialogis:partim ambulare,& partim ſedere cognoſcuntur in Tuſculanis quæſtionibus, in libris de Diuinatione, & de Legibus. & ſanè quidem Cicero ſemper videtur ambulare,quum Peripateticum agit, vt in libro quinto de finibus, in primo de Diuinatione, & primo de Legibus, vbi Peripateticorum more diſputatur. hic Cicero vt Academicus vult ſedere. SI VIDETVR AGAMVS, in carmen deſinit: quod etſi vitioſum eſſe dicitur, Cicero tamen non ſemper vitat. ILLIS, Attico, & Bruto. PROPTER, aliàs prope. PRATVLO, quod erat prope xyſtum, & quidem Romæ, vbi lata prata eſſe vix poterunt,& ideo pratulum dixit,vt Epiſt. ſexta lib. duodecimo ad Att. nam credibile eſt Ciceronem Romæ hoc pratulum habuiſſe, vbi eſſet herba, in quam ſe ipſe,Atticus,& Brutus abiecerint, vt Socrates in Phædro apud Platonem,quem Cicero nunc,vt ferè ſemper imitatur:certe conſederint. PLATONIS STATVAM, Cicero Platonis ſtatuam habebat, vt hic apparet,& Atticus Ariſtotelis imaginem, vt in epiſtolis ad Atticum ſcribitur: malo in illa ſedicula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis ſedere. Credimus tamen etiam Ciceronem Ariſtotelis imaginem habuiſſe, quum quòd huiuſcemodi ſignis delectabatur, tum quòd vtrunq. philoſophum imitatus, Academiam & Lycium habere voluit,vt ſæpe teſtatur.

Hic ego, Laudare igitur eloquentiam, & quanta vis ſit eius, expromere, quantámque iis qui ſint eam conſecuti, dignitatem afferat, neque propoſitum nobis eſt hoc loco, neque neceſſarium. Hoc verò ſine vlla dubitatione confirmauerim, ſiue illa arte pariatur aliqua,ſiue exercitatione quadam,ſiue natura, rem vnam eſſe omnium difficillimam. Quibus enim ex quinque rebus conſtare dicitur, earum vnaquæque eſt ars ipſa magna per ſeſe. Quare quinque artium concurſus maximarum, quantam vim quantámque difficultatem habeant,exiſtimari poteſt.

HIC, hoc loco,vel potius,tunc,vt ſit aduerbium temporis,vt docet Donatus apud Terentium, & apud Ciceronem cognoſcitur, vt in epiſtolis ad Appium: hic ego multa ſimul cogitaui. & eſt verum dialogi principium, in quo παραλείψει vtitur, quum ſe de laudibus eloquentiæ neget dicturum, & tamen ſummatim dicat. LAVDARE, in aliis libris male ſcribitur, laudari. ELOQVENTIAM, quam Cicero libro primo de Oratore ita laudat, vt nihil nunc addendum eſſe videatur. QVANTA VIS, quanta ſit vis eloquentiæ

quentiæ quando Cicero non putat hoc loco ſibi neceſſarium dicere, ne nos quidem dicemus, prȩſertim quum Valerius Maximus, & Baptiſta Fulgoſius eam rem pluribus perſequantur. Illud tamen ponemus, quod Gorgias apud Platonem ita refert: ῥητορικὴ ἁπάσας τὰς δυνάμεις συλλαβοῦσα ὑφ' αὑτῇ ἔχει. DIGNITATEM AFFERAT, hinc inquit libro primo de Inuent. ad ipſos, qui eam ſunt adepti, laus, honor, dignitas confluit: vt mittamus, quæ libro ſecundo de Oratore ſcribit. NEQVE PROPOSITVM NOBIS EST, quum hoc ne meditati quidem ſimus, & vos me rogetis, vt de oratoribus, quod inchoaueram, tantum vobis exponam. HOC LOCO, in principio huius ſermonis, vbi de arte potuiſſemus loqui, poſtea de oratoribus tanquàm artificibus locuturi, vt poſtea Diogenes Laërtius de philoſophis ſcripturus, multa prius de Philoſophia præfatus eſt: quod item ſuperioribus annis Gregorius Lilius in ſuis poëtis fecit. NEQVE NECESSARIVM, atqui videtur neceſſarium, quando vix artifex deſcribi poſſit, niſi prius ars ipſa, à qua dictus eſt, demonſtretur. ſed meminerat Cicero in libris oratoriis artem à ſe ſcriptam, & in libro hoc quaſi quarto artifices ipſos eſſe deſcribendos: nec illud ignorabat, à ſuo Platone libro decimo de Rep. ſcriptum eſſe: περὶ ἕκαστον τρεῖς τέχνας εἶναι, χρησομένην ποιήσουσαν μιμησομένην. Itaque reliquas omittit, & quæ ad vſum pertinet, tractat leuiter, quum alibi ſæpe præcepta tradiderit. Accedit, quòd Cicero non negat prorſus eſſe neceſſarium de arte quædam loqui, ſed affirmat ſibi, qui tam multa de ea ſcripſiſſet, hoc loco neceſſarium non eſſe, eam laudare, & quanta ſit vis eius, quantámque afferat dignitatem, dicere. SIVE, videtur ad illud reſpicere, quod libro decimo de Legibus ita ſcripſit Plato: λέγουσί που τινὲς ὡς πάντα ἐστὶ τὰ πράγματα γιγνόμενα καὶ γενόμενα καὶ γενησόμενα τὰ μὲν φύσει, τὰ δὲ τέχνῃ, τὰ δὲ διὰ τύχην: quamuis hic exercitationẽ fortunæ loco ponat. ILLA, eloquentia. ARTE PARIATVR ALIQVA, eloquentia artificioſa eſt, quam Rhetoricam vocant, inquit Cicero libro primo de Inuent. quibus ex verbis intelligimus eloquentiam, & Rhetoricam eandem eſſe: quam ſcribit Ariſtoteles eſſe ἀντίστροφον τῇ διαλεκτικῇ id eſt, vt in Oratore vertit Cicero, ex altera parte reſpondere Dialecticæ: & ſic eam definit: ἔστω ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν idest, ſit Rhetorica vis, qua quod in vna quaq. re probabile eſt, perſpicitur: & Plato Rhetoricam non modo artem, ſed τέχνην etiam συνουσίαν in Gorgia vocat. Quòd ſi eloquentia, ſiue Rhetorica eſt ars, quæri poteſt, quo pacto dicat Cicero, arte pariatur aliqua, quaſi quærat, an Rhetorica Rhetorica pariatur. Reſpondere poſſemus, libros de Inuentione Ciceroni iuueni rudes, & inchoatos excidiſſe, vt nos non magnopere mouere debeat, ſi quid in illis aliter ſit ſcriptum: nec Ariſtotelis definitio artem prorſus eſſe demonſtrat, quamuis ita cum Dialectica coniungat, vt qui vnam dicat eſſe artem, alteram quoque eſſe fateatur, propemodum neceſſe ſit. Quin Ariſtoteles neutram ἐπιστήμην, aut τέχνην ſed Rhetoricam ipſam δύναμιν, vt Theon etiam, vocat. Plato vero inducit Socratem, vt ſemper, εἰρωνικῶς dicentem, Rhetoricam artem eſſe ſeruantem qui in Phædro illud ſcribit: ῥητορικὴ δ' οὐδ' ἔστι καὶ οὐκ ἔστι τέχνη: quibus verbis & artem eſſe negat, & artem eſſe non poſſe oſtendit. nam ſi mentitur, vt certe mentitur, non videtur poſſe cadere ſub artis definitionem, quam ponit Ariſtoteles libro ſexto τῶν ἠθικῶν, ἡ τέχνη ἕξις τις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική ἐστι. Hinc L. Craſſus lib. primo de Oratore reſpondet, ſibi dicendi aut nullã artem, aut pertenuem videri: & nõ eloquentiam ex artificio, ſed artificium ex eloquentia natum: quod tamen oſtendit, quæri ſolitum fuiſſe, an contrà ex artificio eloquentia naſceretur, vt hic etiam ponit. Vnde multi putant Rhetoricam, & eloquentiam rem eandem non eſſe. Sciebat igitur diſputari in vtranque

partem poſſe Cicero, & ob id rem potius tetigit, quàm diſputauit: præſertim quum ipſe infra ſit artem appellaturus non modo eloquentiam, ſed Dialecticam etiam, quàm maximam artium dicet, quamuis ea de re libro ſecundo de Oratore perſonæ ſeruiens, dubitarit. Si plura cupis, lege Quintilianum libro ſecundo, capite decimo octauo. EXERCITATIONE, quæ libro primo ad Herennium ita definitur: exercitatio eſt aſsiduus vſus, conſuetudoque dicendi: quam quidem Ariſtoteles libro primo Rhetorices συνήθειαν vocat, vnde Cicero videtur hunc locum ſumpſiſſe. Aphthonius, & Theon προγυμνάσματα, γυμνασίαν, alii μελέτην appellant, quæ vel prouerbio poſſe omnia dicitur, & quidem omnibus in rebus, ſed in dicendi facultate potiſsimum, quam ad exercitationem oportet accommodari. Hinc Theon ita ſcribit: οὔτε ὅλως τι ὄφελος τῇ ῥητορικῇ ... οὐδέν ἐστι χρήσιμον, ἐὰν μὴ καὶ αὐτὸς ἕκαστος ... καθ' ἑκάστην ἡμέραν γράφειν ἐγγυμνάζηται. Quare Cicero merito dicit, ſiue exercitatione eloquentia pariatur. NATVRA, ἀπὸ ταὐτομάτου, vt inquit Ariſtoteles, quod vertunt, natura, & ſponte: vt hoc loco Cicero dixit, natura: lib. vero primo de Oratore, ſcripſit, quæ ſua ſponte homines eloquentes facerẽt ea quoſdam obſeruaſſe. Meminerat enim Cicero ſe olim in oratione pro Archia poeta dixiſſe: ſæpius ad laudem, atque virtutem, naturam ſine doctrina, quàm ſine natura valuiſſe doctrinam. Mittimus cætera, quæ in libris oratoriis, & à Quintiliano libro ſecundo, capite vigeſimo: quæque ab Horatio, & aliis de ingenio diſputãtur: illud dicimus libro primo de Inuentione hanc rem ſcribi, ſed ſtudium addi: ſi volumus huius rei, quæ vocatur eloquentia, ſiue artis, ſiue ſtudii, ſiue exercitationis cuiuſdam, ſiue facultatis à natura profectæ conſiderare principium, reperiemus id ex honeſtiſsimis cauſis natum, atque optimis rationibus profectum. DIFFICILLIMAM, ſic in procemio libri primi de Oratore quærens, cur tam rari ſint oratores boni, nihil aliud cauſæ putat eſſe, niſi rei quandam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem. QVIBVS ENIM, αἰτιολογία, quare ſit res hæc ipſa difficillima. EX QVINQVE, inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria, & pronuntiatione. ſic enim Quintilianus, & ipſe Cicero ferè ſemper ſcripſerunt, prætèrquam in Oratore, vbi Cicero docet oratori tria videnda, quid dicat, & quo quicque loco, & quo modo: vbi quatuor partes inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, & pronuntiationem complecti videtur, & memoriã omittere quòd multarum artium ſit communis: Ariſtotelem fortaſſe imitatus, qui libro tertio Rhetorices ita ſcribit: τρία ἐστὶν ἃ δεῖ πραγματευθῆναι περὶ τὸν λόγον. hinc alii treis tantum partes eſſe putauerunt, vt Albutius, qui memoriam, & actionem natura contingere iudicauit: alii partes etiam ſex putarunt eſſe, quos omnes Quintilianus confutauit. REBVS, partibus, vt libro primo de Inuentione, & libro primo de Oratore: libro vero ſecundo de Oratore, eloquentiæ membra vocat: quamuis hoc loco cautius locutus videri poſsit: quum ſciret ab aliis opera oratoris, ab aliis elementa, vel opera Rhetorices appellari, vt refert Quintilianus libro tertio, capite tertio, vbi videtur hunc locum adducere ex Oratore, non ex Bruto, fortaſſe memoriæ lapſu. ARS, quaſi ars. MAGNA, ita quidem magna, vt Cicero libros duos de Inuentione (mitto reliquas partes & illarum ſcriptores) & quatuor Hermogenes poſtea ſcripſerint. QVARE, quum vna quæque pars ſit ars magna per ſeſe, & ob id magnam habeat difficultatem. & ita concludit eloquentiam eſſe omnium difficillimam per argumentum à minori, vt vocant, hoc penè modo: ſi partes ſingulæ tantum habent difficultatis, ſimul iunctæ quid habebunt? ARTIVM, partium ſed quaſi artium. EXISTIMARI POTEST, etiamſi minus dicatur.

Teſtis eſt Græcia, quæ cum eloquentiæ ſtudio ſit incenſa, iandiúque excellat in ea, præſtétque cæteris, tamen omneis artes vetuſtiores habet, & multo antè non inuentas ſolùm, ſed etiam perfectas, quàm hæc eſt à Græcis elaborata dicendi vis, atque copia: in quam cum intueor, maxime mihi occurrunt, Attice, & quaſi lucent Athenæ tuæ, qua in vrbe primum ſe orator extulit, primúmque etiam monumentis & literis oratio eſt cœpta mandari: tamen ante Periclem, cuius ſcripta quædam feruntur, & Thucydidem, qui non naſcentibus Athenis, ſed iam adultis fuerunt, litera nulla eſt quæ quidem ornatum aliquem habeat, & oratoris eſſe videatur. Quanquam opinio eſt, & eum qui multis annis ante hos fuerit, Piſiſtratum, & paulo ſeniorem etiam Solonem, poſteáque Cliſthenem, multum, vt temporibus illis, valuiſſe dicendo.

TESTIS, non videtur ſimile vero nunc Græciam citari à Cicerone teſtem: quæ teſtimoniorum religionem, & fidem nunquam coluit, vt ait ipſe in oratione pro L. Flacco: niſi citet ob id, quòd illa ſola huiuſce rei teſtis eſſe poſsit: vel dicamus, licet, quamuis ita Cicero loquatur, non eſſe tamen à teſtibus locum, in quo nulli dicant teſtimonium, ſed ab exemplo potius, quod Græci παράδειγμα vocant, in quo, quum ſit ſpecies quædam comparationis, vt ait Rhodulphus Agricola, poteſt eſſe aliquid maius, vel par, vel minus, vt hic eſt maius Græcia, quæ ſemper, vt libro primo de Oratore ſcribitur, eloquentiæ princeps eſſe voluit, tantum habuit difficultatis ante, quàm artem hanc perficeret, ſi modo perfecit: multo plus igitur habebunt reliqui, qui tantum ſtudii non ſolent adhibere. GRAECIA, Græci, vt ſit μετωνυμία. SIT INCENSA, vnde Gorgias hominum primus, vt ait Plinius, Delphis in templo ſibi poſuit ſtatuam auream, & ſolidam: tantus erat docendæ artis oratoriæ quæſtus. hanc artem de Protagora decem millibus denariorum, id eſt, vt hodie ſubducunt rationem, mille aureis noſtratibus dicitur Euathlus didiciſſe: eandem decem minis, ideſt centum aureis, Iſocrates docebat, vt refert Plutarchus, & tamen ipſe in oratione περὶ τῆς ἀντιδόσεως gloriatur nemini vnquàm plures, quàm ſibi diſcipulos fuiſſe: vt paulo poſt merito Cicero ſcribat, Iſocratis domum cunctæ Græciæ quaſi ludum quendam patuiſſe, atque officinam dicendi: quæ res mouit Ariſtotelem, vt ipſe quoque pomeridianis horis artem hanc doceret, illud dicens: αἰσχρὸν σιωπᾷν λαλοῦντος Ἰσοκράτους. IANDIVQVE, annos circiter quadringentos & triginta, Tot enim propemodum à Pericle, ante quem nihil fuit ſcriptum ornate, ad tempus, quo Cicero hæc ſcripſit, numerantur. EXCELLAT, ita vt eloquentiæ princeps eſſe velit, vt libro primo de Oratore dicitur. CAETERIS, gentibus. OMNES ARTES, liberales. VETVSTIORES, arte ipſa Rhetorica. MVLTO ANTE NON INVENTAS SOLVM, nam Grammaticam, vt paucis, quod ait Cicero, probemus, non ita multo poſt literas à Cadmo, vel ab alio repertas, inuentam conſtat: quam Epicurus omnium primus docuiſſe poſtea dicitur. Poëticam facultatem antiquiſsimam fuiſſe oſtendunt Orpheus, Muſæus, Linus, & Homerus: qui poëtę fuerunt vetuſtiſsimi: vt mittam, quod ſcribunt multi, Moſen Hebræum, qui certe fuit antiquiſsimus, poëtam fuiſſe: quanquam Martianus poëticam inter artes liberales non

numerat. Dialectica,vt ordinem Martiani ſequamur,inuenta fuit à Zenone Eleate, qui fuit aote Periclem minimum annos centum, vt ex Diogene Laërtio collegimus. Geometria,& Arithmetica ab Aegyptiis inuentæ dicuntur: ſed Ioſephus vtranque Hebræis acceptam refert: nec deſunt, qui à Phœnicibus mercatoribus Arithmeticam excogitatam velint: ne dicam multos eſſe, qui ſcribant Palamedem eius inuentorem fuiſſe, vſque adeo duæ iſtæ artes vetuſtæ putantur. Variæ ſunt item opiniones, quis primus Aſtrologiam inuenerit:ſed ſatis conſtat, antiquiſsimam fuiſſe, quam ſcribat Ioſephus à nepotibus primi hominis inueotam fuiſſe: quod idem de Muſica dicitur:vt iam dubinm non ſit,quin omnes artes liberales Rhetorica fuerint vetuſtiores,ſi verum eſt,quod hoc loco ſcribit.Cicero,ante Periclem nihil ſcriptum fuiſſe,quod oratoris eſſe videretur:quaſi velit ſignificare, hanc artem tum demum naſci, vel creſcere cœpiſſe:quanquam hoc totum falſum videri poteſt,vel ipſius Ciceronis autoritate,qui in principio libri primi de Inuentione eloquentiæ ipſius principium ab eo vſque tempore repetit,quo homines in agris paſsim beſtiarum more vagabantur: quod verum eſſe illud etiã oſtendit,quod Ariſtides ſcripſit, Mercurium Iouis iuſſu primis illis temporibus eloquentiam, ſiue Rhetoricen ad homines detuliſſe. Ariſtoteles vero teſtatur ab Empedocle inuentam fuiſſe: qui aliquot annos vixit ante Periclem:vt mittam cætera argumeota, & rationes, quibus facile probare poſsimus, hanc noo minus vetuſtam, quàm cæteras artes fuiſſe & nonnullis etiam, vt Dialectica, vetuſtiorem: ſed hoc non agit. Cicero, vt probet, reliquas artes omnino Rhetorica vetuſtiores fuiſſe, aut prius inuentas: illud potius agit, vt demonſtret, illam propter rei difficultatem ſerius apud Græcos cultam & perfectam fuiſſe. Quòd Cicero ſenſit, artes omneis à Græcis inuentas, id falſum eſſe oſteodimus: quod oſtendunt item Tatianus Syrus, & Iſocrates: quorum alter eas Græcos à barbaris accepiſſe, alter partim inueniſſe,partim ab aliis inueotas probaſſe teſtatur. ſio abſolute inuentas ante Rhetoricen opioatur, id quóque falſum eſſe demonſtratum eſt. ſin vero non inuentas ſolum,ſed perfectas etiam à Græcis arbitratur, verum eſſe dicimus,quod ad perfectionem pertioet,& item quod ad inueotionem,ſi inuentas, penè inuentas interpreteris: quòd inuentæ etiam ab aliis fuiſſent illæ quidem,ſed ita imperfectæ,vt vix inuentæ dici poſſent. Vel inuentas à Græcis dicit eo modo,quo dixit ſummam illam dicendi vim Athenis inuentam, & paulo poſt natam, quum tamen alibi nata,& inueota dicatur,ſed non ita perfecte. Vel inuentæ quidem fuerant ab aliis prius, ſed à Græcis etiam poſtea, quum illud ipſum oeſcirent, iouentæ. Nam fieri poteſt,vt aliud alibi inueniatur,quod alibi tamen ignoretur. Vel ita diſtingue, & conclude,Rhetorica prius alibi fuit inuenta,ſed eloquentia, ideſt ſumma vis dicendi Athenis eſt nata,vt infra dicitur. VIS, δύναμις. ſic enim dicitur ab Ariſtotele in definitione Rhetorices. COPIA, rerum,& verborum, de qua tam multa ſcribit Quintilianus. hinc Hortenſium Cicero vt ſummum oratorem commendat, quòd ei ſummam copiam, facultatémque dicendi natura largita fuiſſet. QVASI, particula, qua tranſlationem, quæ dura nimis,& audax videri poterat,mollit. LVCENT, vt omnium doctrinarum inuentrices, libro primo de Orat. in qua vrbe nata,& alta ratio,ac moderatio vitæ dicitur à Cicerone in epiſtolis ad Torquatum. Vnde humanitas,doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ,atque in omnes terras diſtributæ putantur, in oratiooe pro Flacco. ATHENAE, ἀπὸ τῆς ἀθηνᾶς dictæ: vnde poëta ingenioſus cecinit, dictas à Pallade terras. ἀθῆναι καὶ ἀττικὴ διαφέρει, vt inquit Ammonius: ἀθῆναι μὲν γὰρ ἡ πόλις ἐστὶν, ἀττικὴ δὲ ἥ τε πόλις καὶ ἡ χώρα.

χώρα: vnde Atticus deducitur. hinc Cicero in epiſtolis ad Atticum dixit, ἀττικώτερα, ἀττικισμὸν, & ἀττικώτατα: & illa ſunt prouerbia, lepos Atticus, eloquentia Attica, & muſa Attica. TVAE, qui te olim Athenis ita collocaſti, vt eſſes penè vnus ex Atticis, libro quinto de Finibus. PRIMVM SE ORATOR EXTVLIT, ſi Empedocles artem Rhetoricam primus, vt ſcribit Ariſtoteles, inuenit, Gorgias Leontinus docuit, Corax & Tiſias prius in Sicilia ſcripſerunt, quo pacto primum ſe orator Athenis extulit? Vel igitur interpretare, orator, non Rhetor: nam illi Rhetores tantum fuerunt, non Oratores tales, quales L. Craſſus libro primo, & tertio de Oratore quærit. Vel illud verbum, extulit, expende, ideſt ſe erexit, & quaſi eleuauit ita, vt vere talis orator, qualis fuit Demoſthenes, dici tandem poſſet. PRIMVMQVE ETIAM MONIMENTIS, ET LITERIS ORATIO EST COEPTA MANDARI, atqui Gorgiam Leontinum prius artem ſcripſiſſe Laërtius affirmat, & Cicero paulo poſt Coracem & Tiſiam Siculos artem, & præcepta conſcripſiſſe teſtatur: Plinius vero & Suidas orationem Pherecydi acceptam referunt. πρῶτον γὰρ, inquit Suidas, Φερεκύδην συγγραφὴν ἐξενεγκεῖν πεζῷ λόγῳ τινὲς ἱστοροῦσιν, ἑτέρων τοῦτο εἰς Κάδμον τὸν Μιλήσιον φερόντων. neque tamen id Athenis eſt factum. ſed illi de arte, vel non cum multa arte ſcripſerunt: Cicero vero ſignificat orationem ex arte ſcriptam ita, vt oratoris poſsit videri. οὐ γὰρ πᾶς ὁ πεζὸς λόγος ῥητορικός ἐστιν, ὥσπερ οὐδὲ τὰ Πλάτωνος συγγράμματα, οὐδὲ τὰ ἰατρικά, vt ait Marcellinus in vita Thucydidis. oratio vero talis Athenis primum ſcripta, vt hic ait, videtur. πρῶτος γὰρ πρῶτος γραπτὸν λόγον ἐν δικαστηρίῳ εὗρεν, vt ſcribit Suidas: quanquàm ita dicat Quintilianus libro tertio, capite primo: Antiphon omnium primus orationem ſcripſit. MONIMENTIS, ET LITERIS, ſeiunxit, quoniam monimentis etiam ſine literis oratio mandari poteſt, ſi verum eſt, quod Cicero libro tertio de Oratore ſcribit, Pamphilum neſcioquem, artem Rhetoricam rem tantam in inſulis depingere ſolitum fuiſſe: niſi malis interpretari, monimentis, & literis, ideſt monimentis literarum, vt pateris libamus, & auro: & molémque, & montes, ideſt, molem montium: vt ſit figura, quam Grāmatici vocant endiadin, quæ fortaſſe rectius ἓν διὰ δυοῖν diceretur: quæ tamen ita rara eſt apud Oratores, vt ego putē potius eſſe ἐπεξήγησιν monimentis, & literis, monimentis, ideſt literis. EST COEPTA, Periclis tēporibus, vt diximus: quibus ipſe, Antiphon, & paulo poſt Polycrates, & Lyſias ſcripſerunt. TAMEN ANTE, Olympiade octuageſima octaua, hoc eſt, anno ab Vrbe cōdita trecēteſimo vigeſimo quarto: quo tempore Pericles deceſsit, ſi credimus Euſebio. PERICLEM, Xanthippi, & Aganiſtæ filium, Athenienſem oratorem, & quidem, vt ſcribit Suidas, δημαγωγόν: cuius vitam quoniam Plutarchus pluribus deſcribit, & multa de illo à Thucydide, Platone, Iuſtino, & aliis referuntur, nos, quæ nobis dicenda videbuntur, ea ſuis locis dicemus, præſertim quum Cicero in hoc dialogo de illo ſæpe mentionem faciat. FERVNTVR, ita quidem, vt multi putent ab aliis fuiſſe compoſita, vt Quintilianus libro tertio, capite primo ſcribit. THVCYDIDEM, Oroli (ſic enim ſcribendum docet Marcellinus) filium, virum Athenienſem nobiliſsimum, vt qui paternum genus ab Orolo Thracum Rege, & maternum à Miltiade duceret qui cauſas egit, bellum geſsit, & ſcripſit, vt in eius vita referunt Suidas, & Marcellinus, & nos, vbi fuerit opus, referemus. Nunc illud, quod ad inflammandos adoleſcentes pertinet, dicimus, olim Thucydidem, quum, Herodoto ſuas hiſtorias recitante, præſens eſſet, fleuiſſe, vel quòd doleret, ſibi ereptā illam eſſe materiam, quod fertur etiam de Themiſtocle, Alexandro, & Cæſare: vel quòd cuperet iam tum nimis tale quid ſcribere, vt poſtea ſcripſit. NASCENTIBVS, creſcentibus, quum fuiſſent conditæ à Cecrope annis ab

orbe condito tribus millibus, ſexcentis, ſeptuaginta, vt ex Euſebio collegimus: quod tempus condendæ vrbis Athenienſium fuit ante Periclem, & Thucydidem annis minimum mille centum & decem. & eſt tranſlatio ab hominibus præſertim, qui naſci, & adoleſcere dicuntur. SED IAM, circiter olympiada octuageſimam ſeptimam. ADVLTIS, auctis poſt bellum Perſicum, & munitis, & potentibus factis ita, vt omnibus vicinis eſſent terrori, & tunc cum Peloponeſi populis bellum gererent. nam, vt ait infra, ante, quàm delectata eſt Athenienſium ciuitas hac laude dicẽdi, multa iam memorabilia & in domeſticis, & in bellicis rebus effecerat. FVERVNT, & quidem æquales, quum in eodem bello quod Thucydides ipſe ſcripſit, duces fuerint. LITERA, nedum oratio. ἰσοδυναμοῦν. QVAE QVIDEM, non negat fuiſſe aliqua ſcripta, ſed negat fuiſſe ſcripta, quæ ornatum haberent. ORATORIS ESSE VIDEATVR, eſt quaſi ἐπίτεχνον, id eſt, quæ ex arte ſcripta videatur. &, eſſe videatur, numerus eſt, quo Cicero tam frequenter vſus eſt, vt multi olim crederent, ſe Ciceronis eloquentiam aſſecutos, ſi modo comprehenſiones ita terminarent, eſſe videatur: vt hodie ſe Ciceromanos illi putant, qui ab hac particula, quanquam, exordiuntur. QVANQVAM correctio. MVLTIS ANNIS, centum triginta, vel circiter, vt ex Euſebio colligi poteſt. PISISTRATVM, Hippocratis filium, & Athenienſium tyrannum: qui quum priuatus eſſet, & de Rep. bene meritus, finxit ſe ab inimicis ſuis vulneratum fuiſſe: atque eo commento præſidium impetrauit, quo paulo poſt arcem, & tyrannidem occupauit, vt Herodotus, & Iuſtinus ſcribunt, ne plures huc teſtes citem. hunc vt eloquentem libro tertio de Oratore laudari videbis. PAVLO, ita, vt, quod Plutarchus, & Diogenes ſcribunt, inter eos à principio eſſet amicitia, quæ ſolet inter æquales potiſsimũ conciliari: quin Aelianus libro octauo de Varia hiſtoria ſcribit, Piſiſtratum παιδικὰ Solonis fuiſſe. SENIOREM, vnde ſcribit in Catone Cicero, illum Piſiſtrato quærenti, quæ tandem ſpe fretus, ſibi tam audacter obſiſteret, reſpondiſſe, ſenectute: quod idem penè de Conſidio, & Caſtritio Romanis legimus. SOLONEM, Execeſtidæ filium à Codro oriundum, vt teſtatur Plutarchus: vnde cognoſcimus illum Athenienſem fuiſſe, vt vocat Suidas, non autẽ Salaminium, vt credit Diogenes, qui inter ſeptem ſapientes illũ numerat: quem Plato σοφώτατον appellat: cuius vitam Plutarchus diligenter ſcripſit. POSTEAQVE, annis quatuor & triginta, quot Athenæ, vt refert Iuſtinus, à Piſiſtrato, & filiis occupatæ fuerunt, & poſtea liberatæ tyrannide; quo tempore Cliſthenes floruit. CLISTHENEM, Megaclis, & Agariſtiæ filium: qui quum eſſet Alcmæonides & ipſe, Pythiæ perſuaſit, vt Lacedæmoniis nihil aliud reſponderet, niſi Athenas tyrannide liberandas: quibus poſtea liberatis, ipſe magnus in Rep. fuit ita, vt Iſagoram aduerſarium ſuum facile ſuperarit, vt refert Herodotus. hinc Iſocrates in Areopagitico ſcribit hoc modo: τὴν δημοκρατίαν κλεισθένης ὁ τοὺς τυράννους ἐκβαλὼν καὶ τὸν δῆμον καταγαγὼν πάλιν ἐξ ἀρχῆς κατέστησεν: quem credimus illum, quem Cicero libro ſecundo de Legibus hiſce verbis laudat: Athenienſis Cliſthenes Iunoni Samiæ ciuis egregius, quum rebus timeret ſuis, filiarum dotes credidit. Quare quum is tantopere laudetur, apparet eum non eſſe, quem Ariſtophanes vt mollem & effœminatum in Ranis inſectatur: quum præſertim nec tempora ſatis patiantur, & Interpres, ac Suidas illum Symbirtii filium fuiſſe teſtentur. inde prouerbia facta: Cliſthenem video: Cliſthene intemperantior. VT TEMPORIBVS ILLIS, poſt Athenas tyrannide liberatas. & eſt elegans locutio, pro qua nunc dicunt, pro temporibus illis, vel ſecundum illa tempora. infra, Brutus, vt temporibus illis, eruditus. VALVISSE DICENDO, & quidem tantum,

tum, vt Solon populo perſuaſerit, legem de Salamine latam abrogandam, & Salamina bello repetendam: Piſiſtratus præſidium impetrarit, & tandem, quod Cicero libro tertio de Oratore ſcribit, ſic eloquentia floruerit, vt literis, doctrináque præſtaret: Cliſthenes vero Pythiæ, quod voluit, de liberandis Athenis perſuaſerit: & liberatas multos annos pro ſua ſententia adminiſtrarit, & tribuum nomina mutarit, eáſque auxerit: vnde vere illud de illo ſcripſit Herodotus: πάντων τὴν ἑωυτοῦ μοῖραν προσεθήκατο. illud addit Aelianus in Varia hiſtoria, eum primum genus exilii, quod Græci ὀστρακισμὸν vocant, excogitaſſe, & eundem primum eo modo expulſum fuiſſe.

Poſt hanc ætatem aliquot annis, vt ex Attici monimentis poteſt perſpici, Themiſtocles fuit, quem conſtat cum prudentia, tum etiam eloquentia præſtitiſſe. poſt Pericles, qui cum floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude clariſsimus. Cleonem etiam temporibus illis turbulentum illum quidem ciuem, ſed tamen eloquentem conſtat fuiſſe. huic ætati ſuppares Alcibiades, Critias, Theramenes. quibus temporibus quod dicendi genus viguerit, ex Thucydidi ſcriptis, qui ipſe tum fuit, intelligi maxime poteſt. grandes erant verbis, crebri ſententiis, compreſsione rerum breues, & ob eam ipſam cauſam interdum ſubobſcuri.

HANC AETATEM, Solonis, Piſiſtrati, & Cliſthenis. ALIQVOT ANNIS, ſeptuaginta, vel circiter. Olympiades enim quatuordecim inter Piſiſtratum, & Themiſtoclem numerantur, vt in Euſebio videri poteſt, ſi tamen eas à morte Piſiſtrati, ad mortem Themiſtoclis colligas. ATTICI MONIMENTIS, libro, quo Atticus noſter annorum ſeptingentorum memoriam colligauit ita, vt Themiſtoclem, & reliquos viros magnos, qui temporibus illis fuerunt, ſit complexus: quanquam magis placet legere, vt in aliis libris etiam manu ſcriptis ſcriptum vidimus, Atticis monimentis, quum loquatur cum Attico, & quidem cum illo vno nunc, vt paulo ante, Athenæ tuæ, & paulo poſt, vides, cognoſcitur: nec dicat, tuis monimentis Attice: & veriſimilius ſit, rem Atticam ex Atticis monimentis, quàm ex Attici viri Romani & rerum Romanarum autoris, vt infra vocat, libro perſpici poſſe. THEMISTOCLES, Neoclis, & Abrotani, vel, vt alii volunt, Euterpæ filius, omniũ Græcorum Imperatorum, meo quidem iudicio, præſtantiſsimus, & ſolus, vt poſtea dicetur, cum Romanis conferendus. PRVDENTIA, qua de inſtantibus, vt ex Thucydide vertit Probus, veriſsime iudicabat, & de futuris calidiſsime coniiciebat. Verba Græca ſunt apud Thucydidem libro primo, & apud Ciceronem Epiſtola ſexta libri decimi ad Atticum. Hæc prudentia multis in rebus apparuit, ſed præſertim bello Perſico, quo finito Lacedæmonii Themiſtocli ſapientiæ coronam dederunt. ἐδοξώθη γὰρ εἶναι ἀνὴρ πολλῶν Ἑλλήνων σοφώτατος, vt Herodotus libro octauo ſcribit. ELOQVENTIA, & quidem naturali. nam Themiſtocles, vt ſcribit Thucydides, Remp. adminiſtrabat οἰκείᾳ ξυνέσει καὶ οὔτε προμαθὼν ἐς αὐτὴν οὐδὲν οὔτ᾽ ἐπιμαθών. ſed mirum videri poteſt, Ciceronem, qui affirmet Ariſtotelem prudentiam cum eloquentia coniunxiſſe, quique libro tertio per Craſſum doceat, eas coniungi oportere, & probitatis, ac prudentiæ expertes non eloquentes, ſed furentes vocet, hoc loco quaſi ſeiungere: niſi intelligamus, prudentiam eſſe poſſe ſine eloquentia, & iccirco priore loco poſitam, vt oratio creſcat, quum additur eloquentia, quæ

nihil aliud quum ſit, niſi copioſe loquens ſapientia, prudentiã etiam complecteretur, vt lib. tertio de Oratore diſputatur. PRAESTITISSE, ita vt Athenienſibus, quod fieri poſſe nemo putaſſet, perſuaſerit, vt vrbem relinquerent & naues conſcenderent: quod præter Herodotum, Plutarchum, Iuſtinum & alios, Demoſthenes in oratione de Corona teſtatur. mitto reliqua, quę bello Perſico & prudenter fecit, & eloquenter perſuaſit. præſtitiſſe dichoreus eſt. POST; annis quinquaginta. ſic enim Cicero videtur collegiſſe Ep. decima lib. ſeptimi ad Att. vt ibi diximus. PERICLES, de quo dictum eſt, & dicetur. FLORERET OMNI GENERE VIRTVTIS, λέγεται γὰρ οὐκ ἀπὸ ταυτομάτου σοφὸς γεγονέναι, ἀλλὰ πολλοῖς καὶ σοφοῖς συγγεγονέναι καὶ Πυθοκλείδῃ καὶ Ἀναξαγόρᾳ, vt ſcribit Plato in primo Alcibiade. ſapientia vero, quam Græci σοφίαν vocant princeps eſt, vt inquit Cicero, virtutum omniũ ita, vt, qui ſapiens ſit, non poſſit non omni genere virtutis florere. Virtutes porrò Periclis ſi quis ſingulatim cognoſcere cupit, ille Platonem, Thucydidem, Plutarchum, & Iuſtinum legat. LAVDE, eloquentia, quã laudem vocat, quoniã nihil ea laudabilius putabat vt lib. ſecundo de Officiis, & lib. de Orat. videre licet. ſic infra laudẽ dicendi, & laudẽ oratoriam dixit. CLARISSIMVS, dicitur enim à Platone in Phædro, πάντων τελεώτατος εἰς τὴν ῥητορικὴν γενέσθαι. Vnde ſcripſit Eupolis Deam perſuadendi in eius labris ſeſsitauiſſe: quod infra dicetur. CLEONEM, Cleæneti filium, ciuem Athenienſem violentum illum quidem, ſed tamen ita populo Athenienſi gratum, vt illi quiduis facile poſſet perſuadere, vt tempore belli Peloponneſiaci perſuaſit, pacem cum Lacedæmoniis petentibus non eſſe faciendam, atque id ipſum, vt Niciæ Nicerati filio ſuadenti aduerſaretur. Quare non ita multo poſt quum publice nunciaretur, Athenienſibus res ad Pylum minus ex ſententia ſuccedere, veritus, ne tanquàm pacis diſſuaſor accuſaretur, cœpit primo negare, ea quæ nunciarentur, vera eſſe: deinde, quum ipſe cum Theogene delectus eſſet, vt ad ea cognoſcenda proficiſceretur, & videret, neceſſe eſſe, aut eadem nunciare, aut mentiri, ne alterutrũ facere cogeretur, cœpit tergiuerſari, & affirmare, tempus mittendis ſpeculatoribus terendum non eſſe, ſed ſiue vera, ſiue falſa eſſent, maiores copias eſſe mittendas: quæ rem, vt erat, poſtea renunciarent, vel certe conficerent. Itaque placere ſibi, claſſem, quæ ſtabat inſtructa, eò primo quoque tempore proficiſci: quum facile capi poſſent obſeſsi in Pylo, ſi viri eſſent Imperatores. & ſe id facturum, ſi eſſet Imperator, pollicebatur: quod dicebat, vt Niciam ſuum inimicum tunc Imperatorem morderet: qui id ipſum cognoſcens autor fuit, vt imperium illi traderetur: quod ille tamen poſtea recuſabat, ſed quum tergiuerſari amplius non poſſet, accepit, & ad Pylum contendit, pollicitus fore, vt intra viginti dies vel obſeſſo in Pylo Lacedæmonios captiuos Athenas adduceret, vel ipſe occumberet. Qui ſermo bonis gratus fuit, qui ex eo ſe liberatũ iri vel hoſtiũ metu, vel turbulẽti ciuis importunitate ſperabãt. Ille tamẽ hoſtes, vt fuerat pollicitus, vicit: qua quidẽ victoria elatus, exiſtimabat, ducem nullum ſibi obuiã pugnandi cauſa venturum. Itaq. facile populo perſuaſit, vt, quamuis rei militaris imperitus, & ignarus eſſet, ipſe tamẽ dux ad opem Thraciæ ferendã crearetur: quò quum veniſſet, ad Amphipolim nõ ſolum à Braſida Lacedæmonio ſuperatus eſt, ſed à Myrcinio etiã milite peltato percuſſus, occubuit. Huius hominis tanta in negotiis, & in verbis leuitas, quã Thucydides κουφολογίαν vocat, fuiſſe dicitur, vt olim populum Athenienſem ad concionẽ conuocarit, &, quũ populus illum diu expectaſſet, ille coronatus proceſſerit, & dixerit, concionem differendam eſſe, quòd ſibi otium non eſſet, propterea quòd hoſpites hoſpitio accepturus eſſet. Hunc ſcribunt Lucianus, & Interpres Ariſtophanis poſt victoriam ad Pylum primum il-

lam

lam epiſtolarum inſcriptionem excogitaſſe: κλέων ἀθηναίων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν. Hunc item refert Plutarchus in Nicia, orandi grauitatem, atque ornatum conuertiſſe: quòd is primus vociferari, veſtem ab humeris reiicere, femur percutere, & per ſuggeſtum quaſi inambulare cœperit. Fuit etiam non multo poſt Cleon Cleonymi filius, quem toties Ariſtophanes inſectatur: quod iccirco diximus, ne quis, vt multi faciunt, eundem eſſe putet. TEMPORIBVS ILLIS, quibus fuit Pericles: οἱ τῷ τότε, & κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον, dixit Thucydides de eodem loquens. TVRBVLENTVM ILLVM QVIDEM CIVEM, quippe quem Thucydides βιαιότατον τῶν πολιτῶν vocarit. SED TAMEN, quamuis ille turbulentus fuerit, & qui turbulenti ſint, & improbi, non ita bene poſsint eloquentes appellari, quum eloquentia probitate, & ſumma prudentia ſit iungenda, vt libro tertio de Oratore diſputatur. ELOQVENTEM, ita quidem, vt πιθανώτατος à Thucydide dicatur. CONSTAT, apud Thucydidem potiſsimum. HVIC AETATI, Periclis, & Cleonis. SVPPARES, propè pares, & æquales: quo verbo raro ſcriptores vtuntur. ALCIBIADES, Cliniæ, & Dinomaches filius: de quo tam multa Plato, Thucydides, Plutarchus, Iuſtinus, Probus, Aelianus, & alii ſcripſerunt, vt & ea repetere moleſtum, & aliquid addere curioſum poſsit videri. Quare tantum dicamus, Alcibiadem huic ætati ita ſupparem fuiſſe, vt Periclem tutorem habuerit: atque apud Xenophontem, & Thucydidem ea dicere, & ita perſuadere, vt ſe eloquentem fuiſſe facile oſtendat: vt mittam, quæ cæteri ſcribunt, & quod in Oratoriis libris teſtatur Cicero, ſuo tempore ſcripta quædam Alcibiadis extitiſſe. CRITIAS, Calæſchri filius, vt vocatur à Platone, apud quem in Charmide, & in Atlantico loquitur: qui Socratis diſcipulus fuit, à quo poſtea quum diſceſsiſſet, in Theſſaliam profectus, conſuetudinem habuit cum hominibus, qui iniuſtitiam pluris, quàm iuſtitiam, faciebant, vt ſcribit Xenophon: à quibus corruptus eſſe dicitur: quanquam dubitat Philoſtratus, vtrum Theſſalos ille, an illum Theſſali corruperint, præſertim quum ſatis conſtet, autorem illum fuiſſe, vt ibi rerum ſtatus mutaretur, vſque adeo ſemper ille rebus nouis ſtudebat. Hic poſtea domum reuerſus, aperte Lacedæmoniis, vt refert Philoſtratus, cœpit fauere, ſacra prodidit, muros per Lyſandrum demolitus eſt, & vnus inter triginta creatus, quos vrbe pepulit, ne illi vſquam in Græcia poſſent manere, curauit, his bellum denuncians, qui quempiam exulum recepiſſent: quamuis quædã ex his Xenophon Therameni tribuere videatur: quem Critias quum tollendum curaſſet, non ita multo poſt ipſe, & Hippomachus triginta tyrannorum ſæuiſsimi ab exulibus, qui duce Thraſybulo patriam repetebant, ſunt interfecti. Quàm vero eloquens Critias fuerit, & quod dicendi genus ſit ſecutus, pluribus verbis explicat Philoſtratus. ſed & Xenophon illum nobis vt eloquentem quaſi depingit, quum tot orationes illum facientem inducit. huius nonnulla ſcripta tempore Ciceronis extabant, libro ſecundo de Orat. THERAMENES, de quo ſic Ariſtophanis Interpres ſcribit: Theramenes fuit Agnonis filius ex populo Stereo, cui quidem alia multa, præter leges, ſunt adminiſtrata, ſed duo maxima, & miſerrima eorum ducum, qui in Arginuſis fuerant, delatio, quam ſibi ipſe cum Callixeno finxit: & triginta in diſſolutione populi, mutatio. & ſanè finem dignum vita, quam elegerat, ſortitus eſt. ab ipſis enim triginta, deferente Critia, ſublatus eſt. Quidam dicunt, illum quum ad arã confugiſſet, abſtractũ fuiſſe. hunc propter morum varietatem, & inconſtantiã, cothurnum vocabant: quoniam vtriq. ſtatui eorum, qui Remp. regebant, ſe ipſe accõmodabat temporibus ſeruiens, & vtilitatem

ſuam ipſius fidei præponens. Cothurnus enim viris, & mulieribus conuenit. Hic etiam videtur hæc tria de ſua multa ſuaſiſſe, vt vel in ligno in vinculis haberetur, vel cicutam biberet, vel in exilium mitteretur. Videtur item ex Ceo inſula fuiſſe: & ob id vt ciuis, non legitimus, nec filius Agnonis legitimus, ſed adoptiuus ſolebat appellari. Hic vt refert Xenophon, quod alii Critiæ tribuunt, autor fuit, vt populus Athenienſis muros demoliretur, & pacem à Lacedæmoniis acciperet: quem tamen laudat Thucydides, & Ariſtoteles, nec Cicero in Tuſculana prima vitúperat, qùum ſcribit ad hunc modum: quàm me delectat Theramenes? quamq. elato eſt animo? etſi enim flemus, quum legimus, tamen non miſerabiliter vir clarus emoritur: qui quum coniectus in carcerem, triginta iuſſu tyrannorum venenum, vt ſitiens, obbiſſet, reliquum ſic è poculo eiecit, vt id reſonaret: quo ſonitu reddito, arridens, propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui in eum fuit teterrimus. Hoc in varia hiſtoria ſcribit Aelianus: Theramenes in quadã domo commorabatur, è qua quum olim eſſet egreſſus, ſtatim illa corruit: qua de re quum Athenięſes alii aliũde ad eum de ſalute congratulatũ veniſſent, ipſe præter omniũ expectationem ita reſpondit: ò Iupiter ad quod tempus me reſeruas? & nõ ita multo poſt à triginta ſublatus eſt, cicutam bibere coactus. Quidam putant prouerbium illud, nõ Chius, ſed Cius, ab eo natum: quòd ille, qnum Chii & Cii bellum inter ſe gererent, modo his, modo illis fauebat, & quando cum Chiis erat, ſe Chium, quando vero cum Ciis, Cium vocabat. De illius eloquentia, cæteríſque artibus nemo poteſt dubitare, quum Ariſtophanis Interpres ſcribat illum ducẽ, & mimum fuiſſe, Suidas illum ſophiſten vocet, & ſatis cõſtet illum & Prodici diſcipulum, & Iſocratis magiſtrum fuiſſe, & Thucydides ita ſcribat: θηραμένης ἀνὴρ οὔτε εἰπεῖν οὔτε γνῶναι ἀδύνατος. THVCYDIDI SCRIPTIS, non dixit, Thucydidis ſcriptis, vt literæ s concurſum vitaret: quanquàm Thucydidis ſcriptis, hic etiam deſcriptum videbis: ſuauior tamen illa lectio, vt libro ſecũdo de Oratore, Pericli ſuccum, legimus. TVM FVIT vt ſupra dictum eſt. INTELLIGI MAXIME POTEST, ex Græcorum ſcriptis, cuiúſque ætatis quæ dicendi ratio, voluntáſque fuerit, intelligi poteſt. GRANDES ERANT VERBIS, vt Thucydides, qui rerum geſtarum pronunciator ſincerus, & grandis infra vocatur: & à Marcellino ζηλωτὴς τοῦ πινδάρου εἰς τὸ μεγαλοφυὲς καὶ ὑψηλὸν τοῦ χαρακτῆρος καὶ τὴν ἰδέαν ἢ τὸν χαρακτῆρα μεγαλοπρεπὴς ὡς μηδὲ ἐν τοῖς οἴκτοις ἀφίστασθαι τοῦ μεγαλοπρεποῦς: ac paulo poſt: ἔχει χαρακτῆρα ὑπέρσεμνον καὶ μέγα. & ſane quum ſciret tria eſſe dicẽdi genera grande, medium, & attenuatum, relictis aliis, grande ſecutus eſt, quòd cognoſceret illud & ſuæ naturæ, & rerũ, quas ſcribebat, magnitudini conuenire. medio prius Herodotus, & attenuato poſtea vſus eſt Xenophon. CREBRI SENTENTIIS, qualis eſt Thucydides, qui libro ſecundo de Oratore dicitur ita creber rerum frequentia, vt verborum propè numerum ſententiarũ numero conſequatur. creber item in epiſtolis ad Q. fratrem vocatur: & Dionyſius Halicarnaſſeus in eius ſcriptis τὸ πυκνὸν agnouit: & Quintilianus eum denſum vocat. COMPRESSIONE RERVM BREVES, dum res quaſdam, quæ dici poſſent, cõprimunt, & quaſi omittunt, breues, qualis idem Thucydides, qui breuis, & ſibi ſemper inſtãs à Quintiliano vocatur: quem Cicero lib. ſecundo de Oratore preſſum dixit preſſi vero oratores ab eo nõ ita multo poſt illi dicuntur, quibus redundantes opponuntur, & oratio preſſa, cui opponitur illa, in qua ſit luxuries. Quin oratorẽ preſſum vocat infra, qui attenuate loquitur, amplóque opponitur, vt tum dicemus, quum ad eum locum peruenerimus. Quod autem Cicero preſſum dixit, id nos à Græcis credimus ἐμβριθὲς appellari, nec eos ſequimur, qui legunt hic, compreſsione rerum breues, vt ſit illa

Hermogenis

Hermogenis περιβολή. ſed quo pacto breues eſſe poſsint, qui multas res comprehendunt, ego planè non video: niſi dicas, breues, ſi reſpicias ad res, quas comprehendant: vnde Thucydidem libro ſecundo de Oratore crebrum quidem rerum frequētia, ſed verbis aptum, & preſſum vocat. OB EAM IPSAM CAVSAM, quòd ſunt breues. nam breuis eſſe laboro, obſcurus fio, vt ait Horat. SVBOBSCVRI, quòd ſententias conciſas habeant, interdum etiam non ſatis apertas quum breuitate, tum nimio acumine, vt infra dicetur. Talis eſt Thucydides, cuius conciones ita multas habent obſcuras, abditáſque ſententias, vix vt intelligantur, vt in Oratore ſcribit Cicero: vnde à Græcis etiam dicitur ἀσαφὴς τοῖς πολλοῖς διὰ τὸ ὑπερέχειν χαίρειν: quod ipſum dedita opera, vt ſcribit Marcellinus, fecit, ne ab omnibus intelligeretur, ſed à doctioribus, à quibus probatus, & laudatus apud poſteros gloriam conſequeretur: quanquam nos credimus ita tum tempora tuliſſe. nam ſi poſterius, vt loquitur infra Cicero, fuiſſet, multo maturior fuiſſet, & mitior.

Sed vt intellectum eſt, quantám vim haberet accurata, & facta quodam modo oratio; tum etiam magiſtri dicendi multi ſubito extiterunt; tum Leontinus Gorgias, Thraſymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Cius, Hippias Eleus in honore magno fuit; aliíque multi temporibus eiſdem docere ſe profitebantur, arrogantibus ſanè verbis, quemadmodum cauſa inferior (ita enim loquebantur) dicendo fieri ſuperior poſſet. iis oppoſuit ſeſe Socrates, qui ſubtilitate quadam diſputandi refellere eorum inſtituta ſolebat, vir is, cuius ex vberrimis ſermonibus extiterunt doctiſsimi viri: primúmque tum philoſophia, non illa de natura, quæ fuerat antiquior, ſed hæc, in qua de bonis rebus & malis, déque hominum vita & moribus diſputatur, inuenta dicitur. quod quoniam genus ab hoc, quod propoſuimus, abhorret; philoſophos aliud in tempus reiiciamus, ad oratores, à quibus digreſsi ſumus, reuertamur.

INTELLECTVM EST, à Thraſymacho & Gorgia præſertim, qui, vt in Oratore dicitur, primi traduntur arte quadam verba iunxiſſe. VIM, δύναμιν, quam Gorgias inuenit, vt ſcribit Suidas, quanquam paulo poſt Cicero eam in Vlyſſe multo antè fuiſſe teſtatur. TVM, vt intellectum eſt, quantam vim haberet accurata oratio: vel tum quum viueret Thucydides, cuius ætas in Thraſymachi, Gorgiæ, & Theodori tempora, vt in Oratore ſcribitur, incidit. Vnde falſum videtur eſſe, quod hoc loco ſcribat Cicero, Thucydidem, & eius æquales ſubobſcuros fuiſſe, quòd nondum fuerat intellectum, quantam vim haberet accurata oratio: quando ſatis conſtat, Gorgiam, & reliquos, quorum ætate id intellectum eſt, quoſque hic ponit Cicero, Thucydide ſeniores fuiſſe: ſiquidem Suidas putat ante olympiada octuageſimam, & Plinius ante ſeptuageſimam Gorgiam fuiſſe: & Euſebius ſcribit, eos omnes, qui ponuntur hic, olympiade octuageſima ſexta, Thucydidem vero octuageſima ſeptima agnoſci ita, vt eius ætas in eorum tempora incidiſſe recte dicatur: quod verum eſſe teſtantur Dionyſius Halicarnaſſeus, & Marcellinus, qui ſunt autores, illum τὰς τοῦ γοργίου ἀντιθέσεις & τὴν τοῦ προδίκου ἐπὶ τοῖς ὀνόμασιν ἀκριβολογίαν ſecutum: quanquam Philoſtratus contendit, Thucydidem Gorgia

ſeniorem fuiſſe. Quòd ſi ille ſenior fuit, cognoſcere non potuit, quod poſtea eſt intellectum: ſin iunior, & illos vt ſeniores eſt ſecutus, qui primi traduntur arte quadam verba iunxiſſe, quæri poteſt, cur non idem fecit Thucydides ita, vt ne obſcurus eſſet. Reſpondemus primum Gorgiam centum & ſeptem annos compleſſe ita, vt non modo ætatem Thucydidis, qui annos quinquaginta vixit, ſed Iſocratis etiam iuuentutem potuerit complecti: & illum quidem, vt in Oratore dicitur, paria paribus adiuncta, & ſimiliter finita, itémque contrariis relata contraria primum inueniſſe: atque Thraſymachum principem inueniendi numeri fuiſſe: ſed Iſocratem, qui illorum omnium ætati ſucceſsit, quum Thraſymachus ei conciſus minutis numeris videretur, & Gorgias, Thucydides autē præfractior, cœpiſſe dilatare verbis, & mollioribus numeris explere ſententias: quam rem certe videre non potuit Thucydides. MAGISTRI DICENDI, Rhetores. LEONTINVS, quē Sicilia, vt ait Philoſtratus, οἱ λεοντῖνοι ἤνεγκεν. & Cicero ferè ſemper, quum de Gorgia meminit, Leontinum Gorgiam, non Gorgiam Leontinum ſcribit, præterquàm in his libris, qui adoleſcentulo inchoati, & rudes exciderunt: quāquàm in Platone, & cæteris Grecis ſcriptoribus dicitur γοργίας ὁ λεοντῖνος: ſed Cicero vel aures conſuluit ſuas, vel ita loqui maluit, vt quum alibi dixit, Balbum Cornelium, Thebanum Epaminondam, Syracuſium Dionem, Heracleotam Dionyſium, Abderitam Protagoram, Eleum Hippiam, & Phalerea Demetrium. Leontinus vero dictus eſt, à patria ſua, hoc eſt à Leontina ciuitate Siciliæ, quam olim Athenienſes incoluere, vt refert Hermogenis interpres: de qua Pauſanias libro ſecundo τῶν ἠλιακῶν ita ſcribit: λεοντίνους ἐρημωθεῖσαν ποτὶ ὑπὸ συρακουσίων τὴν πόλιν, κατ' ἐμὲ αὖθις συνέβαινεν οἰκεῖσθαι. Quàm vero fertiles eſſent campi Leontini Cicero, Plinius, & alii docent. GORGIAS, Gorgias Leontinus Charmantidæ filius, Rhetor, Empedoclis diſcipulus fuit: vnde ferunt illum artem Rhetoricā didiciſſe, & ſcripſiſſe, ac ſolitum dicere, ſe, quū Empedocles magicam exerceret, interfuiſſe: qui quum Rhetoricam docere cœpiſſet, tantum ſibi famæ comparauit, vt, quod ſcribit Aelianus, Philolao maior etiam crederetur: neque minus, quàm centum minas à ſingulis exigebat: vnde tantum numorum acquiſiuit, vt, quod etiam ſupra retulimus, Delphis in templo ſtatuam ſibi, & quidem auream poſuerit. Athenis, quò legatus cum Tiſia veniſſe dicitur, & Lariſſæ in Theſſalia diu commoratus eſt. Hunc purpureis veſtibus vſum fuiſſe teſtatur Aelianus: nec deſunt, qui ſcribant eius orationes Athenienſibus vſque adeo admirabiles viſas fuiſſe, vt dies, quibus habitæ fuiſſent, ἑορτὰς, & orationes ipſas lampadas vocarint. & ſanè primus ille orationes huiuſcemodi luminibus illuſtrauit, quæ Græci σχήματα vocant. In hunc etiam tanquam patrem Philoſtratus artem ſophiſtarum refert. Hic Gorgias putabat mulieris non formam, ſed bonum nomē atque famam debere apud quàmplurimos eſſe vulgatam. Hic auſus eſt dicere, ὡς οὐδὲν τῶν ὄντων ἐστίν, vt ait Iſocrates. Hic, vt eſt apud Platonem, & Ciceronem, de omni re, quæcunq. in diſceptationem, quęſtionémque vocaretur, ſe copioſiſsime dicturum profitebatur. quem quidē Clearchus in octauo Vitarum libro ſcripſit, propter vitæ continentiam octuaginta propemodum annos integra mēte, & ſenſibus vixiſſe: & quum à neſcio quo interrogaretur, qua diæta vtens, ſic pulchre, & cum ſenſu tantum temporis viueret, reſpondiſſe, nihil vnquàm voluptatis cauſa faciens. Demetrius vero Byzantius in lib. de Poëmatis, Gorgias, inquit, Leontinus interrogatus, quid fuiſſet cauſa cur vltra centum annos vixiſſet, nihil, inquit, vnquàm alterius cauſa facere: quod Lucianus in Macrobiis quaſi interpretatur, quòd aliorum conuiuia nunquàm ſequeretur. In conuiuiis enim ſæpe plus, quàm par ſit quaſi ad

aliorum

aliorum arbitrium edendum eſt, & bibendum. hunc morem M. Antonius Flaminius vir optimus, & homo doctiſsimus hodie, quum ſit tenui admodum valetudine, ſeruat ita, vt ne mecum quidem Regii ſuperioribus annis inuitatus, familiariter cœnare voluerit, veritus, vt poſtea dixit, ne plures eſſent inuitati. Gorgias igitur interrogatus item, vt ait Cicero, cur tandiu vellet eſſe in vita, nihil habeo, inquit, quòd accuſem ſenectutem. Vixit enim Gorgias annis centum & quinque, vt ait Pauſanias: centum & nouem, vt Quintilianus, Diogenes, & Suidas ſcribunt: centum & octo, vt Plinius, Lucianus, & Philoſtratus arbitrantur: centum & ſeptem, vt Cicero, & Valerius volunt: quanquàm Cicero loquitur ita, centum & ſeptem compleuit annos, vt eum quaſi oſtendat ad centum & octo annos perueniſſe. quo quidem tempore quum debilitate quadam correptus, aliquantulum ſomni cepiſſet, à neceſſario quodam rogatus, ecquid ageret, ſomnus, inquit, venit, vt me fratri commendet. nec ita multo poſt inedia vitam finiuit, quod de T. Pomponio Attico Cornelius Nepos ſcripſit. Huius ſenectus locum prouerbio facere poteſt, quod de his dicatur, qui diu, bene, & feliciter viuũt. Illud nõ putauimus prætereundũ, quoſdam eſſe, qui credant, Gorgiam Philolai filium fuiſſe, propterea quòd Aelianus in Varia hiſtoria ita ſcribat: οἱ τοῖς ἕλλησι τοῖς πάλαι μακρῷ τῇ δόξῃ διέπρεπε γοργίας ὁ λεοντῖνος φιλολάου καὶ πρωταγόρας δημοκρίτου sed quum cæteri omnes & Gorgiam Charmantidæ, & Protagoram vel Artemonis, vel Mæandrii filium eſſe dicant, nos arbitrati ſumus, vel Aelianum erraſſe, vel, vt nos paulo ante fecimus, interpretandum, præſertim quum Philolaus talis fuerit, qualem Diogenes deſcribit. χελιδὼν πάλαι κατὰ γοργίου πετομένη ἀφῆκε τὸ περίττωμα αὐτὸς δ᾽ εἶπεν αἰσχρόν γε ὦ φιλομήλα vt refert Ariſtoteles libro tertio Rhetorices. Haud equidem ſcio, an is fuerit Gorgias, quem Plutarchus in præceptis connubii refert, orationem de concordia in olympiis recitaſſe. Illud quidem conſtat, eum præter artem Rhetoricam, ſingularum rerum laudes, vituperationéſque conſcripſiſſe, quod etiã infra dicetur. THRASYMACHVS CHALCEDONIVS, & Chalcedonius, non Charchedonius vt eſt apud Philoſtratũ, ſcribi debet: nec fuit Platonis, & Iſocratis Rhetoris diſcipulus, vt ſcribit Suidas, quũ Cicero vel hoc ipſo loco Iſocrate ſeniorem faciat, & Plato in libris de Rep. inducat illũ cum Socrate aſperius diſputantẽ: tantũ abeſt, vt diſcipuli diſcipulus eſſe potuerit. Hic Sophiſtes fuit, qui primus περίοδον, & κῶλον oſtendit, & modum Rhetorices præſentem introduxit. De conſultationibus, de arte Rhetorica, de ludis puerilibus, & de argumentis Rhetoricis ſcripſit. hæc Suidas. Fuit & inueniendi numeri in oratione princeps, vt Cicero in Oratore teſtatur. CHALCEDONIVS, χαλκηδὼν inquit Stephanus, πόλις βιθυνίας ἡ πρὸς τῷ στόματι τοῦ πόντου κατ᾽ ἀντικρὺ τοῦ βυζαντίου: ὁ πολίτης χαλκηδόνιος lege Strabonem lib. duodecimo, & Plinium lib. quinto cap. trigeſimoſecundo. PROTAGORAS ABDERITES, Protagoras Artemonis, vel, vt alii volunt, Mẹandrii filius, Abderites, vel, vt Eupolis ſcripſit, Teius fuit: quanquàm idem Teius, & Abderites eſſe potuit: ſiquidem Teii, quũ Perſarum contumelias ferre non poſſent, patria relicta, migrarunt Abdera, vt refert Strabo libro decimoquarto: vnde prouerbium factum: ἄβδηρα καλὴ τηΐων ἀποικία. Huius pater ita diues fuiſſe dicitur, vt Xerxem, quum in Grẹciam veniret, donis, & hoſpitio acceperit, & ab eo impetrarit, vt Magi Perſẹ Protagoram, præter etiam ſuas leges ẹrudirent: à quibus creditur didiciſſe, quod in principio ſui libri poſtea ſic poſuit: De Diis, neque vt ſint, neque vt non ſint, habeo dicere. Quare Athenienſium iuſſu vrbe, atque agro fuit exterminatus. Democriti fuit auditor, quem tamen fama ſaltem ſuperauit, vt ſcribit Aelianus, ſed ita, vt Democriti filium, vt Gorgiam Philolai videatur

ſignificare. Hic ſophiſtes maximus ſuis temporibus fuit, & Rhetor, à quo Rhetoricam decem millibus denariorum didiciſſe Euathlum ſcribit Quintilianus. & ſanè primus omnium mercede docuiſſe dicitur: vnde λόγος ἔμμισθος eſt appellatus. Docuit vero in Græcia, vt ſcriptum eſt apud Platonem annos quadraginta amplius: &, quum annos circiter ſeptuaginta vixiſſet, in Siciliam profectus, deceſsit: qui πρότερος γοργίου καὶ προδίκου dicitur à Platone. Atque hæc omnia ſi vera ſunt, & præſertim eius patrem diuitem fuiſſe & ipſum annos quadraginta in Gręcia docuiſſe, videbunt docti, qui vera poſſint eſſe, quæ dicat Athenæus, & referat etiam Gellius, illum à principio ita pauperem fuiſſe, vt lignis vehendis, cæteríſque rebus huiuſmodi operam ſuá locaret: & ex lignorum faſciculo perbelle compoſito ipſius ingenium à Democrito cognitum fuiſſe: niſi forte patris illum hæreditatem non creuiſſe, vel duos Protagoras Abderitas fuiſſe credere velimus. nam ſine autoribus affirmare nihil poſſumus. Hic, vt refert Stobæus, nihil eſſe neque artem ſine exercitatione, neque exercitationem ſine arte dixit: ὃν ἔνδοξον vt ait Stephanus, ἱστορεῖ τὸν ἥσσω καὶ κρείσσω λόγον πεποιηκέναι καὶ τοὺς μαθητὰς διδάξαι τὸν αὐτὸν ψέγειν καὶ ἐπαινεῖν. ABDERITES, ἄβδηρα, inquit Stephanus, πόλεις δύο ἡ μὲν θρᾴκης ἀπὸ ἀβδηρίτου τοῦ υἱοῦ ἑρμοῦ ἡρακλέους ἐρωμένου. ſed Pomponius Mela, & Martianus Capella, ac Solinus putant à ſorore Diomedis appellatam fuiſſe. Quàm vero inſipientes eſſent Abderitæ, retulimus in epiſtola quintadecima libri quarti ad Atticum. PRODICVS CIVS. cuius nomen tantum in ſapientia fuit, vt Xenophon Grylli filius, quum apud Bœotios in vinculis eſſet, illum, dato ſui corporis vade, audire voluerit. Hic olim quum legatus Athenas veniſſet, ingreſſus ſenatum, mortalium aptiſsimus eſt viſus, quamuis ſono difficili, & graui pronunciaret. Inquirebat vero iuuenes nobiles, & ex magnis viris natos, vt hoſpites haberet in ea quaſi venatione. Fuit enim auarus, & voluptatibus deditus: quamuis Xenophon teſtetur ab eo ſcripta fuiſſe, quæ dicuntur de Hercule dubitante, vtram viam ingrederetur, duas quum cerneret, vnam virtutis, alteram voluptatis. De quo quidem Suidas ita ſcribit: Prodicus Cius ex Ceo inſula, vrbe Iulide, philoſophus, phyſicus, & ſophiſtes, æqualis Democriti, & Gorgiæ: diſcipulus Protagoræ Abderitæ: Athenis, tanquam iuuenes corrumperet, cicutam bibere coactus, deceſsit: à quo prouerbium illud factum volunt: Prodico ſapientior, vel quòd re vera ſapiens eſſet, vel potius quòd ſe omnium ſapientiſsimum eſſe crederet: vnde Ariſtophanes illum in Nubibus, vt ſcribit interpres, in ea re notauit. Primus hic ſuæ artis ſpecimen quinquaginta drachmis præbuit: quem Theramenis Cothurni, & Socratis magiſtrum fuiſſe legimus. Hic dicere ſolebat, optimum condimentum eſſe ignem, ſentiẽs bono ſtomacho ſatis eſſe obſonium eſſe coctum, etiamſi delitiarum nihil accedat. Hic ea, quæ prodeſſent hominum vitæ, Deorum in numero habita eſſe dixit. Apud Platonem, & Ciceronem ſæpe Chius ſcribitur, quum Cius ex inſula Ceo ſcribi debeat. CIVS, κεῖος ὁ ἀπὸ κίω τῆς νήσου: de qua quidem inſula Solinus capite duodecimo, Plinius libro quarto capite duodecimo, & Strabo libro decimo plura ſcribunt. HIPPIAS, hic Hippias filius fuit Diopithis, diſcipulus Hegeſidami, ſophiſtes, & philoſophus, qui multa ſcripſit, & finem τὴν αὐτάρκειαν quaſi rem per ſe contentam eſſe definiuit. hæc Suidas, illa Philoſtratus: Hippias tantum memoria etiam ſenex valuit, vt quinquaginta nomina eodem ordine, quo audiuerat, redderet. In diſputationes Geometriam, Aſtronomiam, Muſicam, & Arithmeticam introduxit. Diſputabat etiam de pictura, & arte ſtatuaria, atque hæc quidem alibi, Spartæ vero de generibus Rerump. coloniis, & operibus diſſerebat:

quoniam

quoniam Lacedæmonii propter deſiderium imperandi, huiuſcemdi forma delectabantur. Scripſit non orationem, ſed dialogum Troicum, in quo Neſtor in Troia capta Neoptolemo Achillis filio demonſtrabat, qualia facere oporteat eum, qui velit bonus videri. Plurimas legationes quum obiret, nuſquam tamen neque in concionibus, neque in diſputationibus ſuam ipſius gloriam amiſit: ſed plurimas pecunias collegit, & tribubus, ciuitatum paruarum, & maiorum fuit adſcriptus. Quum igitur maxime probaretur, olim Græciam in Olympia ſermonibus variis, & bene cogitatis delectauit: quum res non anguſte, ſed copioſe, & naturaliter, ad pauca verba poëtica confugiens, explicaret. Nam quum Olympiam, vt ſcribit Plato, & vertit Cicero, veniſſet maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus eſt cuncta penè audiente Græcia, nihil eſſe vlla in arte rerum omnium, quod ipſe neſciret, nec ſolùm has artes, quæ liberales vocantur, ſed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, ſoccos, quibus indutus eſſet ſe ſua manu confeciſſe. etſi gloriatus eſt, ea ſe feciſſe, apparet eſſe falſum, quod autor Dierum genialium ſcripſit, eum tanta inopia oppreſſum fuiſſe, ea vt facere cogeretur: præſertim quum apud Platonem de ſe ipſe ſic loquatur: ſi ſcires Socrates, quantum argenti ſum lucratus, mirareris: &, vt alia mittam, olim profectus in Siciliam, vbi tunc erat Protagoras & quidem in ſummo honore, & me ipſo ſenior, breui tempore multo plus, quàm centum & quinquaginta minas, & ex vno paruo vico Inyca nomine plus, quàm viginti minas acquiſiui: quas domum quum tuliſſem, & patri dediſſem, ille, & ciues omnes ſunt admirati. Quin puto me plures pecunias, quàm duos alios ſimul Sophiſtas mihi comparaſſe. Aelianus illum veſtibus purpureis vſum fuiſſe teſtatur. ELEVS, Elis regio fuit Homeri tempore, & poſt bella Perſica: in ea vrbs fuit ædificata, quæ Elis item eſt appellata, quæ ſit in Peloponneſo, & Elei populi ab Eleo Rege dicti. hæc Strabo, Mela, & Pauſanias, vt mittam, quæ Plinius, Stephanus, & alii ſcribunt. & Eleus ſine aſpiratione, & ſine diphthongo ſcribi debet, quoniam Græce ſcribitur ἠλεῖος, & ει in e productum ſæpe, vt docet Seruius, Latine conuertitur. FVIT, aliàs fuerunt, vt verbum ſuperiores etiam complectatur. MVLTI, vt Parmenides, Zeno, Selybrianus Herodicus, Pithocles Chius, Euthydemus, Dionyſodorus, & alii, quos Plato ſæpe vt ſophiſtas deridet. TEMPORIBVS EISDEM, quibus Gorgias, Thraſymachus, & alii fuerunt. PROFITEBANTVR, in ſuis oſtentationibus, quas ἐπιδείξεις Plato vocat. ARROGANTIBVS, quid enim arrogantius, quàm tam multa, & iniuſta profiteri? CAVSA, λόγος, vt à Græcis dicitur: vnde λόγον ἐπέχειν, cauſam dicere vertunt eruditi. INFERIOR, infirmior, Gellius libro quinto capite tertio: peior, Quintilianus libro ſecundo, capite decimo ſeptimo: ἥττων λόγος Iſocrates in oratione περὶ τῆς ἀντιδόσεως, Stephanus in verbo ἄβδηρα, Plato in Apologia, & Ariſtophanes in Nubibus, vbi Strepſiades ita loquitur: εἶναι παρ' αὐτοῖς φασιν ἄμφω τὼ λόγω, τὸν κρείττον' ὅστις ἐστὶ καὶ τὸν ἥττονα. τούτοιν τὸν ἕτερον τοῖν λόγοιν τὸν ἥττονα νικᾶν λέγοντά φασι τἀδικώτατα. Anytus enim & alii Socratem ſic accuſabant, vt eſt in Platonis Apologia: ὡς ἔστι τις σωκράτης ἀνὴρ σοφὸς τά τε μετέωρα φροντιστὴς καὶ τὰ ὑπὸ γῆν ἀνεζητηκὼς καὶ τὸν ἥττω λόγον, κρείττω ποιῶν. Quam rationem Protagoras inuenit, vt diximus, & Ariſtoteles, Gellius, & Stephanus teſtantur. ITA ENIM LOQVEBANTVR, Græce illi quidem, ſed in eam ſententiam. SVPERIOR, fortior, vt vertit Gellius, melior, vt Quintilianus: κρείττων, vt aiunt ſcriptores, & autores Græci, quos paulo ante laudauimus. IIS, ſophiſtis, & talia, qualia diximus, profitentibus. OPPOSVIT, tantum abeſt, vt verum ſit, quod aduerſarii calumniabantur, & Ariſtophanes ſcripſit, hæc illum feciſſe, quæ ſemper, & vbi

que repellebat, vt Plato, Xenophon, & alii teſtantur. SOCRATES, Socrates Sophroniſci lapidarii, & Phænaretæ obſtetricis filius, ab Apolline omniũ ſapientiſsimus appellatus, de quo tam multa Plato, Xenophon, Cicero, Aelianus, Laërtius, Suidas, & alii ſcripſerunt, vt nunc præſtet de illo ſilere, quàm pauca dicere. SVBTILITATE, Socrates enim quum prudentia, & acumine, & venuſtate, & ſubtilitate, tum vero eloquentia, varietate, & copia, quam ſe cunque in partem dediſſet, omnium fuit facile princeps, lib. tertio de Orat. DISPVTANDI, εἰς ἑκάτερον, Epiſt. tertia lib. ſecundi ad Attic. contra alterius opinionem. ea enim fuit vetus, & Socratica ratio diſputandi, Tuſculana prima. REFELLERE, εἰρωνείᾳ, & ἐπαγωγῇ, quibus illum frequenter vſum fuiſſe conſtat. ſic enim Socrates diſputabat, vt nihil affirmaret ipſe, alios refelleret, lib. primo Academicarum quæſt. EORVM, ſophiſtarum. INSTITVTA, quibus τοὺς νέους ἔπειθον τὰς ἐκείνων ξυνουσίας ἀπολείποντας σφίσι συνεῖναι χρήματα διδόντας καὶ χάριν προσειδέναι. SOLEBAT, quum percuntando, atque interrogando eliciebat eorum opiniones, quibuſcum diſſerebat, vt ad ea, quæ ii reſpondiſſent, ſiquid videretur, diceret, lib. ſecundo de Finibus. VIRIS, rectius, quàm verbis, vt in aliis libris legitur: ne ſit ingratus numerus, ſolebat verbis, & πλεονασμὸς vitium quod vitare in primis debemus, ne reprehendamur, vt Hircius, quum dixiſſet, filium à matre decem menſibus in vtero latum fuiſſe, à Cicerone ſic eſt reprehenſus: quid? aliæ in penula ſolent ferre? quanquam, verbis, etiam legi poſſe credimus, quum & Plato Socratem φιλόλογον, atque λόγων θυλάκους à quibuſdam vocatum fuiſſe ſcribat, & Xenophon eum multum loqui ſolitum fuiſſe teſtetur: atque Aelianus affirmet, Socratis ſermones Pauſonis picturis ſimiles fuiſſe: qui rogatus à quodam, vt equum, qui volutaretur, pingeret, currentem pinxit: illo vero, qui tabulam dederat, id moleſte ferente, quod præter pactiones pinxiſſet, verte, inquit, & qui nunc currit, volutabitur: ſic Socratem ſolitum fuiſſe obſcure diſputare: ſed ſi quis eius ſermones vertiſſet, eos bene habere animaduertiſſet. nolebat enim iis, quibuſcum diſputabat, moleſtus eſſe. Itaq; αἰνίγμασι, obliquis ſermonibus, & ob id multis verbis vtebatur. CVIVS, aliàs huius, VBERRIMIS, vnde tam multa Plato, Xenophon, Aeſchines, & alii ſcripſerunt. SERMONIBVS, non dixit, è ludo, vt de Iſocrate, loquens. quoniam Socrates apud Platonẽ ſic loquitur: Ego magiſter nullius vnquam fui: ſi quis vero me vel dicentem, vel facientem voluit audire, ſiue iuuenis, ſiue ſenex eſſet, nulli vnquam operam meam negaui. DOCTISSIMI VIRI, vt Plato, Xenophon, Aeſchines, Ariſtippus, Phędon, Crito, & alii, quos longum eſſet referre. ILLA DE NATVRA, φυσικὴ ἣν δὴ καλοῦσι περὶ φύσεως ἱστορίαν, vt apud Platonem in Phædone Socrates ipſe teſtatur. & ſanè philoſophandi ratio eſt triplex, vna de vita & moribus, quæ Græce ἠθικὴ dicitur: altera de natura, & rebus occultis, quæ φυσικὴ: tertia de diſſerendo, quæ λογικὴ vocatur. quæ quidem ratio accepta eſt à Platone, vt credit Cicero lib. primo Acad. quæſt. vt vero ſcribit Laërtius ſic primus Zeno Citieùs diuiſit. Philoſophiæ partes vocat Cicero lib. primo de Orat. locos Apollodorus, Chryſippus vero, atque Eudromus ſpecies, alii genera. & aliqui Philoſophiam ipſam animanti ſimilem eſſe dixerunt, oſsibus ac neruis λογικὸν, carnibus ἠθικὸν, animæ φυσικὸν conferentes: alii ouo compararunt, quòd cruſtam λογικὴ albumen ἠθικὴ, vitellum, & reliqua abſtruſa φυσικὴ referat: alii agro frugifero, quòd ſepem λογικὴ fructum ἠθικὴ, humum ac arbores φυσικὴ quaſi repręſentet. ANTIQVIOR, quipppe quàm, ſiue à barbaris, vt multi putarunt, ſiue à Græcis, vt credit Laërtius, inuenta ſit, certe ſatis conſtat ante Socratem annis minimum mille centum & quinquaginta fuiſſe. SED HAEC, ἠθικὴ. DISPVTATVR, vt apud

apud Platonem in his dialogis, qui ἠθικοὶ vocantur, & apud Ariſtotelem in libris τῶν ἠθικῶν νικομαχείων & ἠθικῶν μεγάλων. INVENTA DICITVR, à Socrate, qui, vt ſcriptum eſt in Tuſculanis quæſtionibus, primus philoſophiam deuocauit è cœlo, & in vrbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita, & moribus, rebúſque bonis, & malis quærere. GENVS, φιλοσοφίαν τῶν ἠθικῶν, quam moralem vocant, etſi totam philoſophiam potius hic complecti videtur. AB HOC, genere, quod pertinet ad oratores referendos. PROPOSVIMVS, quando me vos rogaſtis, vt vobis exponerem, quod in Tuſculano inchoaueram de oratoribus, quando eſſe cœpiſſent, qui etiam, & quales fuiſſent. ABHORRET, quoniam in illo præcepta traduntur, & diſputatur: in hoc perſonę referuntur. vel abhorret ſecundũ Socratis opinionem, qui ſapienter ſentiendi, & ornate dicendi ſcientiam re cohærentes, diſputationibus ſuis ſeparauit, lib. tertio de Orat. vel abhorret, hominibus abhorrere videtur, qui philoſophiam non ſint complexi, vt pauci, vel potius nulli oratores ante Ciceronem complectebantur: quum tamen ea mater omnium bene factorum, benéque dictorum infra vocetur: & in libris Oratoriis ita ſit ſcriptum; tertium vero genus philoſophiæ, quod ſemper oratoris fuit niſi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus eſſe poſsit, relinquemus. PHILOSOPHOS, philoſophiam, vt ſit quædam denominatio. nam Cicero non reiecit in aliud tempus philoſophos, de quibus, quod ego ſciam, non fuit ſcripturus, ſed philoſophiam, de qua poſtea tam multa ſcripſit, & plura ſcripſiſſet, ſi vixiſſet, ALIVD IN TEMPVS, in illud, in quo Academicas quæſtiones, libros de Finibus, Tuſculanas quęſtiones, libros de Natura Deorum, de Diuinatione, de Fato, & præſertim de Officiis ſcribemus; quáquam ex his quædam iam tum, vt puto, fuerat exorſus. A' QVIBVS, vt à Pericle, Cleone, & reliquis. DIGRESSI, & ad ſophiſtas, & philoſophos delapſi.

Extitit igitur iam ſenibus illis, quos paulo ante diximus, Iſocrates, cuius domus cunctæ Græciæ quaſi ludus quidam patuit, atque officina dicendi, magnus orator, & perfectus magiſter, quanquam forenſi luce caruit, intráque parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem meo iudicio eſt poſtea conſecutus. is & ipſe ſcripſit multa præclarè, & docuit alios: & cum cætera melius quàm ſuperiores, tum primus intellexit, etiam in ſoluta oratione, dum verſum effugeres, modum tamen & numerum quendam oportere ſeruari. ante hunc enim verborum quaſi ſtructura, & quædam ad numerum concluſio nulla erat: aut, ſi quando erat, non apparebat eam dedita opera eſſe quæſitam: quæ forſitan laus ſit: veruntamen natura magis, tum caſu nonnunquam, quàm aut ratione aliqua, aut obſeruatione fiebat. ipſa enim natura circumſcriptione quadam verborum comprehendit concluditque ſententiam. quæ cum aptis conſtricta verbis eſt, cadit etiam plerunque numeroſe. nam & aures ipſæ, quid plenum, quid inane ſit, iudicant: & ſpiritu, quaſi neceſsitate aliqua, verborum comprehenſio terminatur: in quo non modo defici, ſed etiam laborare turpe eſt.

SENIBVS. nam Gorgiam ſenē Iſocrates adoleſcens in Theſſalia audiuit, vt ſcribitur in Oratore. ILLIS, Gorgia, Thraſymacho, Protagora, Prodico, & Hippia. ISOCRATES, Theodori mediocris ciuis Athenienſis filius, cuius vitam Dionyſius, Plutarchus, Philoſtratus, & Suidas ita diligēter ſcripſerūt, vt ego malim tacere, quàm quę notiſsima ſunt, referre. ſiquid tamē occurret, quod referendum videatur, non prætermittam. CVNCTAE GRAECIAE, nedum Athenienſibus. & ſanè, vt ſcribit Dionyſius, iuuenes, qui vel Athenis, vel in reliqua Græcia eſſent optimæ indolis, erudiuit. Quin autor eſt Plutarchus, primū in Chio inſula ludum aperuiſſe. QVASI LVDVS, domus quaſi ludus, quum doctores domi ludos habere non ſoleant. nam ludum alio qui Iſocrates habuit. ſiquidem Dionyſius ſcribit, eius ludum Athenarum quandam imaginem fuiſſe: quòd, quemadmodum Athenæ colonias deducebāt, ſic Iſocratis ludus orationum quaſi colonias mittebat: quam rem Dionyſius paulo obſcurius ſcripſit, ſed nos explicauimus ita, præſertim quum ſatis conſtet, Iſocratem ad centum auditores ex diuerſis locis habuiſſe, qui penè omnes magni viri euaſerunt: vnde Cicero in libris oratoriis ita ſcribit: è ludo Iſocratis tanquam ex equo Troiano innumeri principes exierunt. OFFICINA, ſic in Oratore, domus Iſocratis officina habita eloquentiæ eſt. & ſanè vt ſit μεταφορὰ officina recte dicitur: quando ex ea, vt ſcribit Plutarchus, ἀργυρίους ὅσοι οὐδεὶς σοφιστῶν ἐπόρισεν. MAGNVS ORATOR, ita magnus, vt pręter cęteros eiuſdem generis à Socrate, Platone, & Cicerone ſit laudatus. Quare vt Cicero, quum à Catone laudabatur, vel reprehendi ſe à cæteris facile patiebatur, ſic Iſocrates videtur horum teſtimonio aliorum iudicia debere contemnere. hoc in Oratore ſcribit Cicero. PERFECTVS, quamuis enim Gorgias, Prodicus, & alii Rhetoricam docuiſſent, perfecti tamen magiſtri non fuerant, vt poſtea fuit Iſocrates. & ſanè in omnibus penè rebus, quæ magnæ, & perfectæ ſint futuræ, id vſu videmus euenire, vt ab exiguis principiis profectæ, paulatim creſcant, donec ad ſummum perueniant, quod, vt de rebus aliis taceamus, in poëtis, & oratoribus tam Gręcis, quàm Latinis optime cognoſci poteſt. MAGISTER, omnium penè oratorum ſui temporis, lib. ſecundo de Orat. QVANQVAM, correctio, vel πρόληψιν, ne quis dicat: qui fieri poteſt: vt is magnus orator fuerit, qui forum, vbi ars dicendi exercetur, nunquam penè vidit? FORENSI LVCE, foro quod lux, & theatrum ingenii eſſe ſolet. CARVIT, pudore à dicendo, & timiditate quadam ingenua refugit, lib. ſecundo de Orat. abſtinuit, εἰσλώσ, ipſe ſcribit in Panathenaico, τὴν φύσιν πρὸς μὲν τὰς πράξεις ἀρρωστοτέραν καὶ μαλακωτέραν ἔσχον τοῦ δέοντος πρὸς δὲ τοὺς λόγους οὐ τελείαν, οὔτε πανταχῇ χρησίμην: præterquam quòd ἐνδεὴς ἐγένετο φωνῆς ἱκανῆς καὶ τόλμης. PARIETES, ἀντίθετον, in quo luci parietes quaſi tenebras opponit, vt ex vmbra in Solem. ALVIT, μεταφορὰ ab iis animalibus, quæ domi ſolent ali, quæ altilia vulgo dicuntur. EAM GLORIAM, quæ tanta fuit, vt ea motus Ariſtoteles, ipſe etiam cœperit docere, & prudentiā cum eloquentia coniungere, illud frequenter vſurpans, αἰσχρὸν σιωπᾶν λαλοῦντος ἰσοκράτους, quod etiam ſupra retulimus. NEMO QVIDEM MEO IVDICIO, libentius legerem: nemo; meo quidem iudicio. nam tunc eſſet neſcioquid annominationis, mo me, & frequenter ita loquuntur ſcriptores: meo quidem iudicio, mea quidem ſentētia, meo quidem animo. ſic vero dixit præſente Bruto, quoniam Cicero ſemper Iſocratem laudabat, Bruto nonnunquam leuiter, & erudite repugnante, in Oratore. erant enim tunc quoque, qui Iſocratem non diligerent, vt ſuperioribus annis Fauſtus Victor amicus noſter, qui ſolebat illum Iſocratellum vocare. CONSECVTVS, recte Cicero,

cero, quum de Oratore magno loqueretur, & paulo poſt neſcio quid de numeris eius eſſet dicturus, ῥυθμῷ numero, id eſt dichoreo pede, quem maxime probabat, terminauit. MVLTA, orationes ſexaginta. Tot enim ferebantur, vt ſcribit Plutarchus, quarum viginti quinque Dionyſius germanas putabat, Cæcilius vero viginti octo: quanquam Suidas eum triginta duas ſcripſiſſe refert. hodie certe vna tantum & viginti leguntur. PRAECLARE, quàm præclare ſcripſerit, etſi orationes ipſius oſtendunt, Dionyſius tamen etiam pluribus verbis explicat. ALIOS, vt Hyperidem, Timotheum, Theopompum, Ephorum, & alios, quos apud ſcriptores reperies. CAETERA, quæ ad dicendum pertinent. MELIVS, docuit, fecit. SVPERIORES, Gorgias, Prodicus, & alii. PRIMVS, atqui Thraſymachus in Oratore princeps inueniendi numeri fuiſſe dicitur, vt Cicero à ſe ipſe diſſentire videatur, niſi forte ſic dicas: Thraſymachus inueniendi numeri, Iſocrates vero ſeruãdi princeps fuit. nam & hic Cicero ita loquitur: Iſocrates primus intellexit numerum quendam oportere ſeruari: & item in Oratore: Iſocrates primus inſtituit dilatare verbis, & mollioribus numeris explere ſentẽtias. Quare in eo merito non Thraſymachum ſolum, qui conciſus minutis numeris illi videbatur, ſed Gorgiam etiam Leontinum moderatione, non inuentione viciſſe dicendus eſt. nam neminem in eo genere ſcientius Iſocrate verſatum eſſe cõfitendum eſt, in Orat. SOLVTA ORATIONE, πεζῷ λόγῳ, proſa, & pedeſtri oratione. his enim nominib. à ſcriptoribus appellatur: & ſoluta quidẽ, quòd etſi pedes, & numeros habet, carmine tamen eſt ſolutior: proſa quaſi profuſa: pedeſtris vero, quòd pedes etiã ſæpe plures, quàm carmen habeat: vel quòd quaſi pedes ire videatur, quũ carmẽ quaſi eques dici poſsit. hinc pedeſtres hiſtorias dixit Horat. ſoluta oratione ſcriptas. hanc orationẽ à Pherecyde Syro inuentã ſcribit Plinius: quamuis & ipſe à ſe diſſentiat, qui dicat alibi Cadmũ eam condere inſtituiſſe: & multi aliter ſcribãt, qui Moſi Hebræo acceptã referãt. VERSVM EFFVGERES, eſt enim vitiũ orationis, ſi periodus in verſum cadat, vt lib. tertio de Oratore, & in Oratore docet. & omne quidẽ genus carminis effugere debemus, ſed præſertim heroicũ, ſiue hexametrũ, vt Quint. lib. nono capite quarto, & Fortunatianus lib. tertio ſcribunt: cuius tamen finẽ ne Cicero quidẽ ipſe ſemper effugit, vt Teucris promiſſa patrauit: in cõſpectu conſedimus omnes: ſcire neceſſe eſt: domus te tota ſalutat: ſpectare videtur: & reliqua id genus, in quæ ſæpe in Epiſtolis, & in libris Philoſophicis vel imprudens incidit, vel certe prudẽs, vt diligentẽ quandam negligentiã oſtendat in illo preſertim dicẽdi, & ſcribendi genere temperato: vel fortaſſe quædã à poẽtis mutuatur, vt Teucris promiſſa patrauit. Id enim credimus licere nõ in epiſtolis modo, ſed in orationibus etiã: in quibus tamen Cicero frequẽtius à carmine orditur, quàm in carmẽ terminet. Trapezuntius tamen exiſtimat heroicum in fine nõ eſſe prorſus vitandum: in principio certe Liuius non vitauit: facturus ne operæpretium ſim. Eſt vero carmen orationis vitium, quoniam, quum ſit ſoluta, & libera, nõ debet, vt carmen, numeris aſtringi: aut carmini ſic admiſceri, vt Chimera quædã eſſe videatur. Accedit, quòd oratio quum ſit ad res gerendas nata, non debet cõponi, vt carmina, quæ ſunt cœnis, otio, & theatro comparata. MODVM, lib. tertio de Oratore quum Cicero de modo ſcribit, interdũ videtur vertere, πέρας, vel ῥυθμὸν, vt quum illud dicit: verborum, & ſententiarũ modo interpunctas clauſulas in orationibus eſſe voluerunt: interdum ῥυθμὸν, vt quum verborum coniunctionem vocat: interdũ σχῆμα, vel τρόπον, vt quũ ſententiam modis vinctam eſſe debere, vel orationẽ variis modis confici poſſe teſtatur: interdũ ἁρμονίαν, vt quum vocum modum, & moderationem vocis appellat: interdũ μέτρον, vt quum veteres affirmat verſus

propemodũ in ſoluta oratione adhibuiſſe: quæ penè omnia Dionyſius in Iſocratis vita pluribus proſequitur: & hoc loco fortaſſe Cicero vno verbo, hoc eſt modo, voluit complecti: niſi forte modo, & numero id voluit ſignificare, quod ad hunc modũ ſcribit Dionyſius: περιόδῳ τε καὶ κύκλῳ περιλαμβάνειν τὰ νοήματα πειρᾶται ῥυθμοειδεῖ πάνυ καὶ οὐ πολὺ ἀπέχοντι τοῦ ποιητικοῦ μέτρου ἀναγνώσεως μᾶλλον οἰκειότερος ὢν, ἢ χρήσεως. præſertim quum de metro, & numero etiã Quintil. ita coniunctim ſcribat: omnis ſtructura, ac dimẽſio, & copulatio vocum conſtat aut numeris (numeros ῥυθμοὺς accipi volo) aut μέτρῳ, id eſt dimenſione quadam: & Ariſtophanis interpres ῥυθμὸν τοῦ μέτρου πατέρα vocat. Tibicines ſuos modos græce τοὺς νόμους, vt opinor, appellant: de quib. aliàs dicemus. NVMERVM, ῥυθμόν. ſic enim Cicero ipſe in Oratore, & Quintil. lib. nono capite quarto docent. Quicquid enim, inquit Cicero, eſt, quod ſub aurium menſurã aliquam cadit, etiamſi abeſt à verſu, numerus vocatur, qui Græce ῥυθμὸς dicitur: qui ſic definitur, vel certe deſcribitur: ῥυθμός ἐστι τάξις ἔμμελος ἀκολούθου ἁρμονίας μέλος εὐφώνου: quod ita vertunt: rhythmus eſt ordo conſonans, ad harmoniæ conſecutionẽ ſuauis, & arguta modulatio. hinc ſcripſit Suidas eum ſpectari etiã in his, qui pedibus, & manibus pulſant. Quando enim cita, & tarda pedum ſublatio, & depreſsio inter ſe habet proportionẽ, fit ῥυθμὸς, hoc eſt, numerus. Vnde poëta dixit, in numerum ludere: quod hodie quoq. in choreis ſeruari videmus, vt omnes penè in numerum, id eſt πρὸς τὸν ῥυθμὸν ſaltent. & hinc ſumpta ab his tranſlatione, ſyllabarum compoſitio, quam ad carminum factionem comprehendimus, pedes, & numeri hoc eſt ῥυθμοὶ vocantur: vnde recte dixit poëta, numeros memini: quos quidẽ numeros verbis ſolutis Iſocrates primus adiũxit, vt Cicero in Oratore teſtatur, vbi de numeris plura ſcribit: ad quem librum, & tertium de Oratore, ac Quintiliani nonũ ſtudioſos reiicio, qui diſcere cupiunt, qua ratione numeroſa oratio ſit conficienda. OPORTERE SERVARI, vnde princeps id fertur inſtituiſſe, vt inconditã antiquorum dicendi conſuetudinem, delectationis, atque aurium cauſa, quemadmodum ſcripſit diſcipulus eius Naucrates, numeris aſtringeret, lib. tertio de Orat. & oportere dixit, non neceſſe eſſe, quoniã aliter etiam fieri poteſt. nam multi ante, & poſt aliter ſcripſerunt. HVNC, Iſocratẽ. ENIM, αἰτιολογία. QVASI STRVCTVRA, quum verbum durius videretur, hac particula, quaſi, molliuit. coniunctionẽ lib. tertio de Oratore videtur appellare: Quintil. certe ſtructuram, dimenſionem, & copulationem vocat. AD NVMERVM, πρὸς τὸν ῥυθμὸν, concluſio ad numerum, numeroſa, vt in Oratore dicitur. CONCLVSIO, ſic etiã vocatur lib. tertio de Oratore, & quidem recte. Quamuis enim quæri ſoleat, totóne in ambitu verborum numeri ſint tenendi, an in primis partibus, atque extremis, plerique tamen cenſent cadere tantum numeroſe oportere, terminaríque ſententiam, aures enim ſemper extremum expectant, in eóque acquieſcunt, in Oratore. NVLLA ERAT, hoc negat Quintilianus, qui putat Herodotum, Thucydidem, Lyſiam, reliquóſque compoſitionis huiuſcemodi fuiſſe ſtudioſiſsimos. Cicero tamen hoc ſemper affirmat. QVAE FORSITAN LAVS SIT, nam caput artis eſt artem diſsimulare, & vitanda eſt ingenii, oſtentationíſque ſuſpicio: inquit Cicero lib. ſecundo de Orat. Nimis etiã inſidiarum ad capiendas aures adhiberi videtur, ſi etiam in dicendo numeri quæruntur ab oratore, vt ait in Oratore. Ariſt. quoque lib. tertio Rhetorices artem docet eſſe celandam. NATVRA MAGIS TVM CASV NONNVNQVAM, ſic in Oratore: nihil affert numerus, niſi vt ſit apte verbis comprehenſa ſententia: quod fit etiam ab antiquis, ſed plerunque caſu, ſæpe natura: quæ verba nihil ab his differunt, niſi ordine. hic enim naturam caſui, ibi caſum naturæ præpoſuit, vt ille, qui ſcripſit ad Herennium, libro ſecun-

do:

do:male his vſum dicemus,quæ caſu, & natura habuerit: & Ser. Sulpicius ad Ciceronem ſcribens:caſus,& natura in nobis dominatur. Cicero tamen hic alium ſecutus eſt ordinē:quamuis ordo ipſe compoſitionis, & contrapoſita, quæ ſequuntur in προσαποδόσει,eundem,quem diximus, quaſi requirant. nam ratio reſpōdet caſui,obſeruatio naturæ: vt verba videri poſsint inuerſa, præſertim quum in aliis libris aliter etiā legantur:natura magis tum caſúq. nonnunquam,vt legi etiam fortaſſe poteſt. RATIONE, conſilio: contrà caſu, forte,temere,fortuito:quod naturę reſpondere nullo modo poteſt,quæ prouida ſolérſque,& quædam vis rationis particeps à Cicerone dicatur. OBSERVATIONE, vt enim poëtica, & verſus inuentus eſt terminatione aurium obſeruatione prudentum,ſic in oratione animaduerſum eſt, multo quidem illud ſerius,ſed eadem natura admonente,eſſe quoſdam certos curſus,cocluſionéſque verborum, in oratore. & ſic obſeruatio diuturna notandis rebus fecit artem : quæ quum à natura proficiſcatur, illi recte dicitur reſpondere. IPSA, αὐτὴ, ſponte ſua,per ſe,id enim αὐτὸς etiam apud Græcos ſignificat,vt apud Homerum : ἵμεν αὐτοβοεὶ ἑλόντα αὐτὸν ὀφρύεσσαν. ENIM, αἰτιολογία, quare id natura fieret. CONCLVDITQVE SENTENTIAM, hinc in Oratore inquit: veteres fortuito ſæpe aliquid concluſe, aptéque dicebant. CONSTRICTA, illigata, vincta, vt loquitur lib. tertio de Orat. aliter circunſcripta. nam & paulo ante,circunſcriptione,dixit. CADIT, concluditur. AVRES, quarum iudicium ſuperbiſsimum; & ſenſus faſtidioſiſsimus eſſe dicitur. IPSAE, αὐταὶ, per ſe, paulo ante. PLENVM, modis vinctum,& numeris abſolutum. INANE, plenum,inane, ἀντίλιτον. IVDICANT, aures enim vel animus aurium nuncio naturalem quandam in ſe continet vocum omnium menſionem. Itaque & longiora,& breuiora iudicat, & perfecta, ac moderata ſemper expectat. Vnde Cicero ita de ſe ſcribit in Oratore. meę quidem aures & perfecto, completóq. verborum ambitu gaudent, & curta ſentiunt,nec amant redundantia. SPIRITV, quo vno ſaltem verborum comprehenſio volui poſsit, lib. tertio de Orat. NECESSITATE, clauſulas enim atque interpuncta verborum, animę interclusio, atque anguſtiæ ſpiritus attulerunt, lib. tertio de Orat. vt neceſsitate cōprehenſio terminetur, vbi ſpiritus deficiat. vnde longiſsimam cōplexionem verborum Cicero vocat, quæ volui vno ſpiritu poteſt. quin Hermogenes lib. quarto de Inuent. cōprehenſionē ipſam πνεῦμα videtur vocare. COMPREHENSIO, quam Græci περίοδον, nos tum ambitū, tum circuitum, tum cōprehenſionem, aut cōtinuationem, aut circūſcriptionē dicimus, vt ait Cicero in Oratore, lib. vero tertio de Oratore complexionē vocat: quam quidem ſic Ariſt. lib. tertio Rhetorices definit: λέγω περίοδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν, καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ' αὑτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον, id eſt dico periodum dictionem habentem ipſam in ſe ipſa principium, & finem & magnitudinem perſpicuam : Demetrius Phalereus hoc modo Latine, vt M. Antonius Antimachus ſenex optimus vertit: Periodus eſt ex membris, & inciſis bene conuerſis, ſubiectam ſententiam perficientibus, conſtitutio: Hermogenes paulo aliter, ſed, vt nūc eſt, Aquilę Romani illa mihi definitio placet: periodus eſt ea, quæ ſententiam certa quadā circunſcriptione definit, atque determinat, qualis hæc eſt: ſi quantū in agro, locíſque deſertis audacia poteſt, tantū in foro, & in iudiciis impudentia valeret, nō minus nunc Aulus Cecinna cederet impudētiæ, quàm tum in vi facienda ceſsit audaciæ. Atque periodū dictam volunt μεταφορικῶς, quod oratio per eam currat, vt curſores, ad metam: quam & ſimplicem, & compoſitam facit Demetrius, vt ſimplex ea ſit, quæ vnum habeat membrum: compoſita, quæ duo, tria, quatuor. & ſanè Cicero quoque docet eam quatuor partibus conſtare, quum tamen

ipſe pluribus membris in ea ſæpe vtatur, vt facile videbit, qui paulo accuratius eius opera leget. Et membrum quidem, quod Græci κῶλα vocant, ſic ab Aquila definitur: membrum eſt pars orationis ex pluribus verbis abſolute aliquid ſignificans, hoc modo: etſi vereor iudices, ne turpe ſit, pro fortiſsimo viro dicere incipientem timere. Inciſum vero, quod ille cæſum, & Græci κόμμα dicunt, hoc modo: cæſum eſt pars orationis nondum ex duobus, aut ex pluribus verbis quicquam abſolute ſignificans, ita: etſi vereor iudices, ne turpe ſit. Hoc vero inciſum, autore Demetrio, breue debet eſſe. Periodus item alio quodã modo triplex à Demetrio dicitur, Rhetorica, dialogica, & hiſtorica: & Rhetorica quidem talis eſt, qualem ante deſcripſimus: dialogica vero remiſsior, ac ſimplicior, vixque periodus apparens, qua in dialogis vtamur: hiſtorica harum vtriuſque particeps, vt neque nimis ſit ſoluta, neque nimis aſtricta, ne hiſtoricam ſimplicitatem amittat. Quare Liuius quibuſdã videri ſolet ſuas comprehenſiones nimis circumduxiſſe. DEFICI, voce, & ſpiritu: quod etſi recte dici ſcio, vt illud in oratione pro Cluent. mulier conſilio, rationéque deficitur, ego tamen malim legere hoc loco, deficere. LABORARE, vt laborant illi, qui plura in circuitu volunt comprehendere, quàm vt vno ſpiritu volui poſsint: quod quidam, qui nunc ſe Ciceronianos credunt exiſtimatum iri, ſi complexiones quàm longiſsimas conficiant, cauerent, ſi quod ſcribunt, aliquando de ſuperiore loco pronunciare cogerentur.

Tum fuit Lyſias, ipſe quidem in cauſis forenſibus non verſatus, ſed egregie ſubtilis ſcriptor atque elegans: quem iam propè audeas oratorem perfectum dicere. nam planè quidem perfectum, & cui nihil admodum deſit, Demoſthenem facile dixeris. nihil acute inueniri potuit in eis cauſis, quas ſcripſit, nihil, vt ita dicam, ſubdole, nihil verſute, quod ille nõ viderit: nihil ſubtiliter dici, nihil preſſe, nihil enucleate, quo fieri poſsit aliquid limatius: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatũ vel verborum grauitate, vel ſententiarum, quo quidquam eſſet elatius.

TVM FVIT, Gorgia, Prodico, & aliis, quos paulo ante dixit, iam ſenibus & Iſocrate iuuene, vt oſtendit in Phædro Plato, vbi teſtatur Lyſiã iam tum quũ iuuenis admodũ eſſet Iſocrates, orationes cõſcripſiſſe. Quin illud addit in fine: ἰσοκράτης δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ λυσίαν εἶναι λόγους, τά τε φύσεως ἔτι δὲ ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι, id eſt, vt vertit Ficinus, Iſocrates videtur mihi præſtantiori ingenio eſſe, quàm Lyſiam ſua ſcripta demonſtrant: præterea moribus generoſioribus præditus. LYSIAS, Lyſias Chephali Syracuſani filius orator, Tiſiæ, & Niciæ diſcipulus, vnus ex decem oratoribus, qui apud Græcos maxime celebrãtur: de quo Alicarnaſſeus, & Plutarchus quidẽ plura ſcribunt in vita, ſed nos hæc pauca hinc inde collegimus. Natus eſt Athenis, quum pater eò Cephalus immigraſſet. Quindecim annos natus, in Thurios cum duobus fratribus in coloniam profectus eſt: ſed poſtea, quum ſermonem Atticum ibi penè perdidiſſet, Athenas, agens annum quadrageſimum ſeptimum, eſt reuerſus. orationes eius vere vltra trecentas fuiſſe dicuntur, & aliæ, præter has, dubiæ. Dicendi puritate omneis, præter Iſocratem, ſuperauit. ſcripſit artem Rhetoricam, conciones, laudationes, & epiſtolas ſeptem, vnam de negotiis, reliquas de amoribus, quarum quinque ad adoleſcentulos miſit & ſanè in amores pronus fuit, quando duæ ipſius amicæ Metanira, & Lagis celebres habentur. exul olim quingentos milites ſtipendio ſuo inſtructos, ad

Athenas triginta tyrannide liberandas miſit. De Lyſia Cicero ſcribit ita lib. primo de Orat. Quum Socrati ſcriptam orationem diſertiſsimus orator Lyſias attuliſſet, quã, ſi ei videretur, ediſceret, vt ea pro ſe in iudicio vteretur, Socrates non inuitus legit, & commode ſcriptam eſſe dixit: ſed inquit, vt ſi mihi calceos Sicyonios attuliſſes, non vterer, quamuis eſſent habiles, & apti ad pedem, quia nõ eſſent viriles, ſic illam orationem diſertam ſibi, & oratoriam videri, fortem, & virilem non videri. Idem Cicero refert infra, Lyſiam primo profiteri ſolitum, artẽ eſſe dicendi: deinde, quòd Theodorus eſſet in arte ſubtilior, in orationibus autẽ ieiunior, orationes eum ſcribere aliis cœpiſſe, artem remouiſſe. Eum philoſophum etiam fuiſſe quidam putant, quod falſum eſt, quando Socrates apud Platonem Phædrũ hortatur, vt Lyſiam ad philoſophiã conuertat ita, vt veluti frater Polemarchus, philoſophetur: quod niſi iam ſenex fecit, nõ video, qui poſsit philoſophus appellari. Hic olim Diogenem, vt aiunt, interrogauit, an crederet Deos eſſe: cui reſpondit ille: qui conuenit, vt non credam, quum certũ habeam, te Diis inuiſum eſſe? Phauorinus, vt ait Gellius, de Lyſia, & Platone ſolitus eſt dicere: ſi ex Platonis oratione verbũ aliquod demas, mutẽſue, atque id cõmodiſsime facias, de elegantia tantũ ditraxeris: ſi ex Lyſię, de ſententia. ſed hæc, & alia huiuſcemodi ſuis locis dicentur. IN CAVSIS FORENSIBVS NON VERSATVS, quippe qui priuatas pleraſq. & eas ipſas aliis, & paruarũ rerum cauſulas ſcripſerit vt ait Cicero in libello de Optimo genere oratorum. SVBTILIS, ita, vt eius ſubtilitate multi gaudeant, infra, & Quintil. lib. decimo cap. primo, hinc L. Craſſus illi ſubtilitatẽ tribuit lib. tertio de Orat. SCRIPTOR, nam ſcripſit orationes aliis, non habuit ipſe, infra. ELEGANS, in Catone & Lyſia nõnulla fuit inter ipſos ſimilitudo: acuti erant, elegãtes, faceti, breues, infra: idem propemodũ ſcribit Quintil. lib. decimo cap. primo. AVDEAS, hoc verbũ de re ardua, & difficili dicitur, vt docet Seruius Grãmaticus. Difficile vero ſemper fuit, ac penè ἀδύνατον oratorem perfectum inuenire: quum boni perquam diu nulli, vix autẽ ſingulis ætatibus ſinguli tolerabiles oratores inuenirẽtur, vt lib. primo de Orat. dicitur: tantũ abeſt, vt eſſent perfecti. PERFECTVM, non fuit tamẽ perfectus, quando inter minores oratores à Cicerone in libello de Optimo genere oratorũ numeratur: quamuis Quint. ita ſcribat: Lyſias ſubtilis; atque elegans, & quo nihil, ſi oratori ſatis ſit docere, quæras perfectius. nihil enim eſt inane, nihil arceſsitum: puro tamen fonti, quàm magno flumini propior. Illum quoq. Plato eſſe ſcripſit κομψότατον εἰπεῖν vt etiam Plutarchus in vita refert. NAM, αἰτιολογία quare perfectum illum nõ vocet. PLANE, opponit illi particulæ, propè. CVI NIHIL ADMODVM DESIT, cui nihil prorſus deſit, vt interpretantur eruditi. & eſt quaſi ἐπίφημα vel ὁρισμὸς perfecti, quòd ſit illud, cui nihil addi poſsit, quodque ſummum, perfectiſsimúmque Cicero iudicat in Oratore. DEMOSTHENEM, Demoſthenis, & Cleobulæ filium, oratorum Græcorum facile principem, de quo tam multa ſcripta ſunt à Cicerone, Quintiliano, Plutarcho, Hermogene, Theone, Luciano, Suida, & aliis, vt ſuperuacaneum videatur aliquid hoc loco referre, quum omnia poſsint ab his ſcriptoribus nullo penè negotio peti. NIHIL, repetitio. ACVTE, ὀξέως vt loquitur Hermogenes libro ſecundo περὶ τῶν ἰδεῶν quo loco περὶ δριμύτητος καὶ τοῦ ὀξέως λέγειν ſcribit. & ſanè, vt idem eſt autor, τὸν Δημοσθενικὸν λόγον τὰ ποιοῦντα ἔστι ταῦτα: σαφήνεια, μέγεθος, κάλλος, γοργότης, ἦθος, ἀλήθεια, δεινότης: quæ ſi non prorſus omnia, at maiorem certe partem Cicero hoc loco, & in Oratore complectitur. Demoſthenes igitur nihil argutiis, & acumine Hyperidi cedebat, vt ait in Oratore: vt hoc totum videatur ad τὸ ὀξέως λέγειν pertinere: vel potius hæc omnia, acute inuenire,

ſubdole, verſute, ſubtiliter dicere, preſſe, & enucleate, ſub genere dicẽdi attenuato continentur, vt ex deſcriptiooe generis ipſius attenuati colliges in Oratore. cætera vero, quæ ſequuntur, ad ſublime genus dicendi pertinent: vnde videtur hic medium genus omittere, quaſi qui duo hæc extrema habeat, medium etiam habere videatur. Sed infra de Serg. Galba dicemus. QVAS SCRIPSIT, orationibus, quæ nunc extant. VT ITA DICAM, verbum nouum, vel potius antiquum, vt Plautioum, ſubdole, dicturus, accipit veniam. SVBDOLE NIHIL VERSVTE, vtrunque ſimul complector, quoniam mihi videtur quædam ἐπιδέξιον eſſe, atque hoc vno verbo fortaſſe dici potuiſſe, callide, præſertim quum in Oratore ſit ſcriptum: Demoſthene nec grauior extitit quiſquam, nec callidior: quorum alterum ad genus ſublime, alterum vero ad attenuatum item refertur. Quàm porrò callidus Demoſthenes fuerit vel vno exemplo Valerius Maximus libro ſeptimo, capite tertio demooſtrat. Ao vero hocipſum ad vllam ex formis, quas Hermogenes deſcribit, accommodari poſſit, doctiores conſiderabunt. SVBTILITER, minute, & tenuiter: vnde in Lyſia infra modo ſubtilitatem, modo tenuitatem appellat: cui tameo Demoſthenes, vt in Oratore ſcriptum eſt, in ea non cedit ita, vt Demoſthenes certè poſſit ſummiſſe dicere, elate Lyſias fortaſſe oon poſſit: vt ſcribit in libello de Optimo genere oratorum, & Theon. Hinc multæ ſunt eius totæ oratiooes ſubtiles, vt contra Leptinem, in Oratore. atque hoc videtur pertinere ad illam, quam ἀφελότητα vocat Hermogenes: quanquam ſubtiliter, preſſe, & enucleate dicere videatur referendum totum ad σαφήνειαν voam ex ſeptem formis, quas Hermogenes idem quaſi σώματα quædam proponit. nam qui ſubtiliter, preſſe, & enucleate loquuntur, ii videntur orationem claram, puram, & manifeſtam, quod eſt σαφήνειαν, facere. PRESSE, preſſe, & ample loqui opponit infra. qui vero preſſi eſſent oratores, ſupra diximus. ENVCLEATE, eleganter, clare, & polite. à nucleis tranſlatio ſumpta. LIMATIVS, elegantius, politius, vt videntur illa, quæ ſunt limata. atque hæc omnia pertinent, vt diximus, ad dicendi genus attenuatum, de quo in Oratore ſcibit ita: contra tenues, acuti omnia docentes & dilucidiora, noo ampliora facientes, ſubtili quadam, & preſſa oratione limati. NIHIL CONTRA, quæ ſequuntur omnia, ad ſublime dicendi genus referenda ſunt: quod in Oratore deſcribit. GRANDE, hinc infra dicit verborum granditatem in eo fuiſſe: & Hermogenes inter ſeptem formas, quæ Demoſthenis orationẽ conficiunt, μέγεθος annumerat. INCITATVM, vehementes enim in genere ſublimi ſunt oratores, vt in Oratore dicuntur: & ibidem, & io epiſtolis item ad Atticum Demoſthenis fulmina dici cognoſces: quàm rem ad γοργότητα vt opinor, omnes referẽt, qui deſcriptionẽ eius apud Hermogenem viderint, & γοργότητα celeritatem quandam vehemẽtem, & incitatam verti poſſe cognouerint: niſi maluerint ad μέγεθος referri, præſertim quum σφοδρότης ad μέγεθος pertineat, & Plutarchus in vita Dinarchi τὸ σφοδρὸν in Demoſthene fuiſſe dicat: quod quidã vertunt incitatum. NIHIL ORNATVM VEL VERBORVM GRAVITATE, VEL SENTENTIARVM, QVO QVICQVAM ESSET ELATIVS, hæc ioquã, omnia continentur ſublimi dicendi genere, vt ex illa deſcriptione, quę eſt in Oratore, cognoſcitur. Grandiloqui ſunt cum ampla & ſententiarum grauitate, & maieſtate verborum. poſſet tamẽ aliquis ad tres Hermogenis formas quaſi trahere, ornatum ad κάλλος, grauitatem ad δεινότητα, elatius ad μέγεθος: ego tamen omnia potius ad δεινότητα refero, præſertim quum Cicero in Oratore dicat, eo neminem eſſe grauiorem: cuius orationes multæ totæ ſint graues, vt Philippicæ; qui δεινότατος τῶν καθ' αὑτὸν à Suida dicitur, & Quintiliano multum δεινότητι valere.

Hermogeoes

Hermogenes vero libro ſecundo περὶ τῶν ἰδεῶν ita ſcribit: τούτων τῶν μὲν καὶ ὄντως δεινοῦ καὶ δοκοῦντος εἶναι τοιούτου παραδείγματα, οἵ τε κατὰ φιλίππου λόγοι, καὶ σχεδὸν ἅπαντες οἱ φιλιππικοὶ καὶ τῶν δημοσίων οἱ πολλοί: καὶ γὰρ βούλεται δοκεῖν δεινὸς εἶναι λέγω ἐνταῦθα ὅσα γε καὶ ὁμολογεῖ ζηλοῦν τὸν περικλέα δεινότατον γεγονότα λέγει τὸν περικλέα, καὶ οὐ μόνον φαίνεται τοιοῦτος ἐνταῦθα, ἀλλὰ καὶ δεῖ καὶ ἔστι μὲν ὄντως ἐνταῦθα δεινὸς ὥσπερ καὶ ἐν ἅπασιν αὐτοῦ τοῖς λόγοις. Vt vero verba ſententiis hic Cicero præpoſuerit, infra dicetur.

Huic Hyperides proximus, & Aeſchines fuit, & Lycurgus, & Dinarchus, & is, cuius nulla extant ſcripta, Demades, aliique plures: hæc enim ætas effudit hanc copiam; &, vt opinio mea fert, ſuccus ille, & ſanguis incorruptus vſque ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis ineſſet, non fucatus nitor.

HVIC, Demoſtheni. HYPERIDES, Hyperides Glaucippi, vel, vt alii volunt, Pithoclis filius Athenienſis, quem Cicero inter Iſocratis diſcipulos videtur referre, ſed Plutarchus, & Laertius auditorē Platonis fuiſſe ſcribūt: Suidas vero videtur ſignificare, illum vtriuſque fuiſſe condiſcipulum quum inquit. μαθητεύσας ἅμα λυκούργῳ καὶ πλάτωνι τῷ φιλοσόφῳ ἰσοκράτει τε τῷ ῥήτορι, ἐπὶ δὲ δεξιὸς ῥήτωρ niſi forte velis interpretari, fuit diſcipulus his omnibus ſimul, præſertim quum Plutarchus ita dicat: ἀκροατὴς πλάτωνος γενόμενος τοῦ φιλοσόφου ἅμα λυκούργου καὶ ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος ἐπολιτεύσατο ἀθήνησιν quibus quidem verbis videtur oſtēdere, Platonis, Lycurgi, & Iſocratis ſimul auditorem fuiſſe. Is certe tantum profecit, vt optimus orator euaſerit, & quidem vnus ex illis decem, qui primi ſunt iudicati. Hinc Cicero Hyperidem, & Demoſthenem perfectos iam homines in dicendo, & perpolitos vocat: & Hyperidi etiam argutias, & acumen tribuit. Hunc edacem, & mulieroſum fuiſſe Suidas & Athenæus & Quintilianus teſtantur vſque adeo, vt, quum Glaucippum filium domo eieciſſet, Myrrinen amicam ſumptuoſiſsimam receperit: quam quidem in vrbe habuit, ſed in Piræeo Ariſtagoram, Philam vero, ſiue Philten, quam tamen vertunt amicam, Thebanam in Eleuſi: quam quum viginti minis emiſſet, ac deinde manumiſiſſet, denique domus cuſtodem fecit. Quin ipſe in oratione, quam pro Phryne dixit, affirmauit, ſe illius amore captum, nec eo adhuc liberatum, Myrrinem, quam diximus domum duxiſſe. Fuit enim Phryne ex Theſpiis: quam capitis accerſitam quum Hyperides defenderet, ac animaduerteret, fore, vt iudices eam condemnarent, eius tunicam diſcidit, ac pectus oſtendit, & eo aſpectu iudices ita perorando commouit, vt eam abſoluerint. Vnde poſtea factum eſt decretum, de quo meminit Ariſtoteles, ne quis ad miſericordiam moueret, & ne videretur is, de quo iudicādum eſſet. Hunc infidum, amicitiæ expertem, & populi aſſentatorem Lucianus vocat, quod, vt vulgo gratum faceret, non dubitarit Demoſthenem, cuius erat amicus, accuſare, quod ab Harpalo pecunias accepiſſet: quanquam non ita multo poſt Demoſthenis reditum, cum eo videtur ſenſiſſe & de bello Lamiaco, & quando, aduentante Antipatro Rege, & ipſe ex vrbe in Aeginam, vt eſſet cum Demoſthene, profugit: vnde poſtea extractus ab Archia Tyrio iuſſu Regis Antipatri ſublatus eſt, quum prius ipſe ſibi linguam, ne quicquam proderet, abſcidiſſet: cuius oſſa inſepulta Glaucippus filius in patrium ſepulchrum intulit. Orationes ſex & quinquaginta, vel ſeptem & ſeptuaginta, vel duas & quinquaginta, vt aliis placet, reliquit. Hic iubebat Athenienſes conſiderare non ſolum, an eſſet acerbus, ſed an gratis eſſet acerbus. Hic dicit ſolicitudinem impedimentū eſſe ad dicendum, vt refert Stobæus. Atque hæc quidem ex Suida, Athenæo, aliiſque autoribus ſunt collecta: quibus

ex Plutarcho illa ſunt addenda: hunc in Athenienſium Rep. verſatum fuiſſe potiſsimum, quo tempore Alexander Græcia potitus eſt, & de ducibus, ac triremibus, quas ab Athenienſibus ille petierat, contradixiſſe: item exercitus, qui erat in Tænaro, non dimittendi autorem fuiſſe, quòd Ducis ipſius amicus putaretur: primum hunc cauſas mercede dixiſſe. Quum Perſarum Rex certorum hominum animos pecunia corrupiſſet, & hic pecunias accepiſſe creditus eſt, quòd luxurioſe, & hilariter admodum viueret. Quando Philippus Byzantium obſidebat, hic electus trierarchus, vt Byzantiis auxilium ferret, eo anno cæteris omnibus omne munus, functionémque publicam fugientibus, ſolus ſuſtinuit choragum agere, expenſáſque ſuppeditare. Quum vero multos accuſaſſet, & in his Demoſthenis familiares quoſdam, ipſúmque tandem Demoſthenem, & ipſe non ſemel accuſatus eſt. nam primum à Dionda, deinde ab Ariſtogitone in iudicium de legibus male latis vocatus, aufugit. certe quum accuſaretur à quodam, quòd in decreto, quod fecerat, multas leges prætermiſiſſet, conſidera, inquit Macedonum arma: non ego decretum illud ſcripſi, ſed pugna, quæ fuit ad Chæroneam. Conciones habebat is quidem, ſed ex ſcripto, eaſque literis mandatas referebat: & ſine actione pronunciabat, ſed rem, vt geſta fuerat, recenſebat. Librum contra Demoſthenem ſcripſit, quem Demoſthenes illi ægrotanti eripuit, ac illo ægre ferente, dixit, nullum amicum triſtitia afficiet, inimicum vero factum prohibebit contra me quicquam facere. Hic cenſuit Iolæ honorem habendum, qui ſe Alexandro venenum daturum promiſerat. Delum, Rhodum, & Elim legatus eſt miſſus, vt cætera, quæ ſunt à Plutarcho ſcripta, mittamus. PROXIMVS, ita quidem, vt ipſe Cicero libro primo de Oratore Demoſthenem, & Hyperidem homines in dicendo perfectos, & perpolitos vocet: & Plutarchus de Hyperide ſcribat ita: τέτακται ὑπὸ ἐνίων πρὸ Δημοσθένους. AESCHINES, Aeſchines Atrometi, qui literas docuit, & Leucotheæ, vt eſt in Suida, vel potius Glaucotheæ, vt apud Demoſthenem, Plutarchum, & alios legimus, & quidem prius Empuſæ vocatæ, τυμπανιστρίας, vt putat Lucianus, vel certe τελεστρίας vt ſcribit Suidas, & nos ex Demoſthenis orationibus collegimus, filius, vnus inter oratores decem numeratus; qui puer admodum literas à patre didicit, deinde Platonem, & Iſocratem, vt multi volunt, vel, vt Cæcilius ſcripſit, Leodamantem audiuit. Tum tres & triginta natus annos, vt in Epiſtolis ipſe ſcribit, ad Remp. acceſsit: in qua non obſcure verſatus eſt: ſiquidem Demoſtheni, & eius amicis ſemper eſt aduerſatus. Quare quum multas legationes obiiſſet, & præſertim de pace ad Philippum, falſæ legationis à Demoſthene accuſatus, defendente Eubulo Spintharo Proualluſio, abſolutus eſt. Ille vero inimici vlciſcendi cauſa multam à Cteſiphonte petiit quadriennio ante Philippi Macedonis mortem, ſed iudicium factum eſt aliquot annos poſt, Alexandro iam Aſiam tenente: in quo victus, quum propter ignominiam iudicii ceſsiſſet Athenis, ſe Rhodum contulit, quo ſecum duxit ſeptem ſeruos, duos familiares, matrem, quæ tunc annum tertiũ & ſeptuageſimum agebat, vxorem, & tres filios, vt in Epiſtolis ipſe ſcribit. Ibi quum eſſet rogatus à Rhodiis, legiſſe fertur orationem illam egregiam, quam in Cteſiphontem contra Demoſthenem dixerat: qua perlecta, petitum eſt ab eo poſtridie, vt legeret illam etiam, quæ erat contra à Demoſthene pro Cteſiphonte edita: quam quum ſuauiſsima, & maxima voce legiſſet, admirantibus omnibus, quanto, inquit, magis admiraremini, ſi audiſſetis ipſum? Ita Cicero, & Valerius ſcribunt: ſed rem Plutarchus, & Philoſtratus hoc modo narrant: Quum publice orationem, quam contra Cteſiphontem dixerat, recitaſſet, mirantibus Rhodiis, quo pacto in ea oratione victus fuiſſet,

fuiſſet, & Athenienſes etiam accuſantibus, dixit: non miraremini, ſi Demoſthenem contradicentem audiuiſſetis: quo dicto non ſolum inimicum laudauit, ſed iudices etiam omni culpa liberauit. Id eò magis credimus, quòd in Epiſtolis ipſe ſcribit ita: καὶ μὴν οὐδὲ πρὸς δικαίους οὐδ' εἰς ἐπιτηδείους ὡς ὁμῶν. τῶν ὑμῶν, οὐδὲ πρὸς ἄλλους ἴσως τῶν οἷς ἢ λοιδορεῖν ἴδοι με τὴν πατρίδα τὴν ἐμὴν ἢ λοιδορουμένην αὐτὴν ἀκούειν. Rhodi ludum aperuit, qui ludus Rhodius eſt appellatus: ſed illum mox reliquit, ac Samum profectus, non ita multo poſt ibi deceſsit. Voce grandi, & ſuaui fuit. Vnde, à primis annis tragœdias egiſſe dicitur ita, vt à Demoſthene ὑποκριτὴς ſoleat appellari. Inimicitias enim inter ſe geſſerunt & quidem ob eam cauſam, quam Philoſtratus refert: quòd magna eſſet inter eos morum, & ſtudiorum diſsimilitudo. Aeſchines enim vinolentus, hilaris, & remiſſus fuit, ac is, qui ſemper grata loqueretur: Demoſthenes vero ſobrius ſeuerus, & abſtemius, vnde difficilis, & moroſus habebatur. Quare quum factiones eſſent Athenis, altera, quæ Perſarum Regi, altera, quæ Philippo faueret, Demoſthenes Perſarum Regi, Aeſchines Philippo ſtudebat vſque adeo, vt pecunias vterque credatur accepiſſe. Hic orationes treis ſcripſit, contra Timarchum, de Legatione, & contra Cteſiphontem, & epiſtolas aliquot quæ nunc quoque extant. Hunc artis Sophiſticæ ſecūdæ autorem fuiſſe ſcribit Philoſtratus, quum Rhodi, & in Caria verſaretur. LYCVRGVS, Lycurgus Lycophronis filius Athenienſis orator ex decem, quum Platonis primum, deinde Iſocratis auditor fuiſſet, ſe ad Remp. contulit, & Quæſturam adeptus, in ea ſe per duodecim annos ita geſsit, vt priuati etiam ciues ſæpe magnas apud eum pecunias deponerent. Hic opera multa inchoata perfecit & multa ipſe conſtituit: improbos eſt inſectatus: quorum multos accuſauit: vnde factitaſſe Athenis accuſationem infra dicitur: multos etiam conuicit & eiecit: nec ipſe tamen vnquam ita fuit accuſatus, vt conuinceretur, quòd ſanctiſsime vixiſſe dicatur. Multas tulit leges, & in his illam, ne mulier vehiculo veheretur: quam quum vxor ipſius non ſeruaſſet, ipſe talentum ſoluit. Sæpe fuit legatus, & tandem, quum tardus eſſet ad res ex tempore excogitandas, dies & noctes cogitabat, quo pacto Reip. poſſet cōſulere: cui ſic conſulebat, vt populo eſſet gratiſsimus. Quare quum Alexander illum poſtularet, populus illum non cenſuit dedendum: tanti refert, virum eſſe bonum, qualis ille fuit. qui ob eam rem tantum habuit autoritatis, vt olim publicum miniſtrum, qui Xenocratem philoſophum in carcerem ducebat, baculo impune verberarit, & in carcerem ipſum compegerit. Hic eandem veſtem ſemper æſtate, & hyeme, quod de Ageſilao dicitur, gerebat: & lectulum habebat, in quo villoſa pellis eſſet, & puluinar, quo facilius excitaretur ad meditandum. Illum quidam reprehendebat, quòd ſophiſtis orationis diſcēdæ cauſa mercedem daret: cui reſpondit: ſi quis liberos mihi meliores ſe facturum recipiat, huic ego non mille drachmas, ſed facultatum dimidium dabo. Quum ægrotaret, cuperetque rerum à ſe in Rep. geſtarum rationem reddere, in ſenatum ſe deferri iuſsit: in quo qui illum accuſare auderet, inuentus eſt nemo, præter Meneſæchmum, cuius crimina quum refutaſſet, domum reductus, non ita multo poſt è vita migrauit, vt vir iuſtus, & omnium ſermone commendatus. Quæ quidem opinio filiis etiam, quos ex Calliſtone tres habuit, magnopere profuit. nam, quum illi Vndecimuiris, accuſante Meneſæchmo, traditi fuiſſent, literis Demoſthenis, qui populum monuit exul, ſunt liberati, vt Aeſchines in epiſtola quadam teſtatur. Lycurgus epiſtolas, & orationes multas ſcripſit, quarum multas Plutarchus & Suidas nomināt: in quibus quàm vehemens fuerit, Diodorus Siculus, & Gemiſtus oſtendunt, vt mittā, quę Theon ſcribit. DINARCHVS, Dinarchus Socratis, vel Soſtrati filius Corinthius,

vt Plutarchus, & Suidas ſcribunt, etſi quidam in agro Athenienſi natum putant, vnus ex decem oratoribus fuit: qui quum Athenas, quo tempore Alexander Aſiam tenebat, veniſſet, Theophraſtum audiuit, & Demetrio Phalereo familiariter eſt vſus. Deinde ſe Reip. tradidit potiſsimum poſt Antipatri Regis mortem, quum ex oratoribus multi aufugiſſent, & alii fuiſſent ſublati. Quum vero cum Caſſandro amicitiam coniunxiſſet, magnas ſibi diuitias vendendis orationibus, quas rogantibus ſcribebat, comparauit. Qua etiam via in numerum ſummorum oratorum peruenit, quum ipſe ad populum accedere non poſſet. Scripſit vero potiſsimum contra eos, qui, quòd pecunias ab hoſtibus accepiſſent, accuſabantur: nec ita multo poſt accuſatus eſt ipſe, quòd ad Caſſandrum colloquendi cauſa per id tempus, quo capta eſt Munychia, veniſſet. Quare condemnatus, Chalcidem in exilium abiit: ex quo poſt quindecim annos tandem, familiaribus Theophraſti agentibus, eſt reuocatus. Atque quum ad amicum diuertiſſet iam ſenex, ac penè luſcus, & argentum amiſiſſet, quamuis hoſpes illud inquiri vellet, illum tamen accuſauit, ac tum primum in iudicio dixit. poſtremo quum ex vrbe cum Phocione, & Solone Platęenſi profugiſſet, Polypercontis inſidiis iugulatus, occubuit: cuius orationes quatuor, & ſexaginta fuiſſe ſcribit Plutarchus, Suidas vero centum ſexaginta, vel ſexaginta tantum, vt multi putarunt: in quibus Hyperidem, vel, vt alii credunt, Demoſthenem, propter incitatum, & plenum affectus orationis genus, eſt imitatus. CVIVS NVLLA EXTANT SCRIPTA, quamuis multa, vt enumerationem ad Olympiadem τῆς αὐτοῦ διδασκαλίας, vt refert Suidas, vt hiſtoriam de Delo, & de ortu filiorum Latonæ ſcripſerit.

DEMADES, Demades Athenienſis orator, quamuis inter decem non ſit à Plutarcho numeratus: qui nauta quum fuiſſet, ita popularis, callidus, & fœlix fuit, vt iudicia, & oratorum contentiones, quas Græci vocant ἀγῶνας, ſuſtulerit, vt ſcribit Suidas. Hic multum Athenis potentia, & opibus valuit vel ob id potiſsimum, quòd in Repub. adminiſtranda nihil præter Macedonum, & Antipatri gratiam quærebat: quem multa contra patriæ dignitatem & commoda facientem, dicere ſolitum ferunt: veniam ſibi dandam eſſe, qui naufragæ ciuitatis reliquias gubernaret: vt ſcribit Plutarchus in Phocione, qui Demadi de pace cum Philippo facienda ſemper aduerſatus eſt. Quum Alexandri mortem Aſclepiades omnium primus Athenas nunciaſſet, illi Demades credendum eſſe negauit, quòd diceret, tanti cadaueris odore primo die orbem terrarum impleri debuiſſe. Quo tempore Antipater infeſto exercitu Athenas petiturus videbatur, Demades iacebat, ſenatu, & omni publico munere eiectus ita, vt illi neque comitiis intereſſe, neque vlli conſilio publico liceret: quia pecuniam qua illum Athenienſes multarant (ſepties enim fal ſi damnatus fuerat) ſoluere non poterat. Is igitur tunc, quum Demoſthenes, Hyperides, & alii metu ex vrbe aufugiſſent, priſtina ſibi ob temporum iniquitatem vſurpata licentia, tulit ad populum, vt legati ad Antipatrum de pace cum poteſtate mitterentur. Hic diuitiarum ita cupidus fuit, vt Antipater dicere ſolitus fuerit: duos Athenis ſibi eſſe amicos Phocionem, & Demadem, quorum alteri nunquam potuiſſet, vt aliquid caperet, perſuadere: alterum nunquam potuiſſet largiendo explere. Ingentes igitur diuitias vt turpiter quæſitas, ita luxurioſe diſiectas profudit: in quo non neceſsitas, non ratio, non honeſtas, ſed ſola libido modum ſumptibus ſtatuebat: qui ſibi laudem ex impenſis non modo turpibus, verumetiam patria lege vetitis quæritabat. Nam quum Athenis eſſet lex, quæ peregrinum vetaret publicis ludis in theatro ſaltare, & mille drachmarum multa indiceretur ludorum præfecto, qui ſaltatorem huiuſmodi induxiſſet: Demades quum ludos ipſe pararet

tam

tam pœna, quàm legis veneratione neglecta, centum & amplius aduenas ſaltatores vndique magno ſtudio conquiſitos in theatrum admiſit, millenáſque pro ſingulis drachmas exoluit. Demeę vero filii, ex meretrice, vt ſcribit Athenæus, ſuſcepti nuptias ſplendore planè regio parauit: in quibus illum cum filio ita locutum accepimus. Matris tuæ nuptias ò Demea vix vel vicinorum quiſquam ſenſit, quando ducebatur, quum tuæ nunc & principibus, & Regibus celebratæ ſint. Poſtea Demades de præſidio Macedonum deducendo ad Antipatrum miſſus, Demeam filium ſecum duxit: & quum eò veniſſet, & Antipater valetudine lethali laboraret, à Caſſandro, qui primas partes apud Antipatrum agebat, & non ita pridem literas Demadis ad Antigonum ſcriptas, vt ad occupandam Græciam velut ex putri, veteréque filo id eſt Antipatro pendentem veniret, interceperat, comprehenſus, filium ſibi ante oculos trucidari vidit: nec ita multo poſt ipſe tanquam proditor, & ingratus eſt interfectus. Hic ex tempore ſæpe dicebat: qui quum Demoſthenes in dicendo ex tempore, deficeret, hic illi ſæpe opem ferebat: & iccirco aduerſus illum ſic olim clamauit: Demoſthenes me vult corrigere, ſus Mineruam: cui tamen Demoſthenes ita reſpondit: at iſta Minerua anno ſuperiore in adulterio deprehenſa eſt. is quum vellet inconſtantiam ſuam excuſare, dicebat, ſe quidem ſibi ſæpe, ſed Reip. nunquam contraria dixiſſe. Olim quum Alexander decem ciues, & in his Demoſthenem depoſceret, Demades mercedem quinque talentorum pactus, legationem ſuſcepit, & ciuitatem cum Alexandro reconciliauit. Hoc autore Demoſthenes, & qui cum illo, aduentante Antipatro, ex vrbe profugerant, capitis ſunt damnati. Mortuo Alexandro, eius exercitum Cyclopi ſimilem eſſe dixit. Quæſtor quum eſſet ipſe, & populus iis, qui ab Alexandro defecerant, triremes vellet mittere, ob idque iuberet, vt pecuniam depromeret, ſunt, inquit, pecuniæ paratæ, quas ego depoſueram, vt ſinguli minæ dimidium acciperent: verùm ſi vos eas ita mauultis erogari, per me quidem licet, vt eis tanquam veſtris abutamini. atque hac ratione impetum populi fregit. Huius ſtatuas deiectas, obrutas, ac inde ad vaſcula quædam per contumeliam conflatas accepimus. De hoc iam ſene dicere ſolebat Antipater, ei, vt immolatæ victimæ, nihil præter ventrem, & linguam ſupereſſe. Quum aliquando Phocionem prandentem vidiſſet, illíque menſam parcam, ac frugalem eſſe, miror, inquit, cur tu Phocion Remp. adminiſtres, quum poſsis ad iſtum modum prandere. Demades enim ventri gerebat magiſtratus adeo, vt, quum exiſtimaret Athenas non poſſe ſuo luxui ſuppeditare, è Macedonia quoque commeatum pararet. Hinc Demoſthenes reſpondit iis, qui credebant Demadem deſiiſſe improbum eſſe: iam enim ſaturum videtis, vt leones. Quum vidiſſet olim Philippum largius potum, cum amicis ſaltaſſe, & captiuis quibuſdam ſuam calamitatem exprobraſſe, libere dixit: quum ò Rex Fortuna tibi Agamemnonis perſonam impoſuerit, non pudet te factis agere Therſiten? ea vox totum Regem in diuerſum vitæ genus mutauit. Hæc apud Plutarchum præſertim, ſed in diuerſis locis inuenies. nos enim hæc, & alia multa, quæ in hunc commentarium congeſsimus, ex authoribus ita collegimus, vt non ſemper ordinem ſecuti ſimus. Is interrogatus olim, quis fuiſſet ipſius magiſter, tribunal, inquit, Athenienſium, ſignificans, rerum vſum, & experientiam quauis diſciplina meliorem eſſe. captus in Chæronenſi prælio, & à Philippo interrogatus, vbi eſſet Atheniẽſium nobilitas, & amplitudo, cognouiſſes, inquit, ſi Philippus Athenienſium, & Chares Macedonum Imperator fuiſſet: hoc refert Stobæus, illud Athenæus: Athenienſes Demadem decem talentis multarunt, quòd Alexandrum vt Deum colendũ cenſuiſſet, quamuis Aelianus centum talentis mul-

tatum fuiſſe teſtetur. Hunc facetum præter alios fuiſſe Cicero in Oratore ſcribit, illud Gellius: quo tempore tragœdus gloriæ ſibi ducebat, talentum magnum ob vnam fabulam datum eſſe, homo eloquentiſsimus ſuæ ciuitatis Demades ei reſpondiſſe dicitur: mirum tibi videtur, ſi tu talẽtu m loquendo quæſiſti? ego, vt tacerem, decẽ talenta à Rege accepi. ALIIQVE PLVRES, vt Phocion, Pytheas, Lamachus, Callides, Eubulus, Ariſtophon & Ariſtogiton. ii.n. videntur omnes oratores iiſdẽ temporib. fuiſſe, vt ex vitis Plutarchi col ligi poteſt. aliíque complures, eadem de re loquens, dixit libro ſecundo de Oratore. HAEC ENIM, αἰτιολογία, cur tam multos dixerit eo tempore oratores fuiſſe. AETAS, qua Demoſthenes, Hyperides, Aeſchines, Lycurgus, Dinarchus, & alii floruerunt, quæ circiter olympiada centeſimam octauam videtur fuiſſe: ſiquidem Demoſthenes dicitur ab Euſebio fama omnium eo tempore, id eſt anno ab vrbe condita quadrageſimo quinto celebrari. EFFVDIT, vt terra fruges effundere ſolet: quæ tamen vices quaſdam videtur habere, quibus interdum fruges effundat, interdum quaſi comprimat: vnde vi demus interdum multos annos frugum eſſe copiam, interdum contrà inopiam, & famem, vt in ſacris literis vbertatem ſeptem annos, & famem totidem in Aegypto, atque adeo in Iudæa fuiſſe legimus. ſic ætates ipſæ interdum doctorum hominum, & bonorum copiam effundunt: interdum comprimunt ita, vt nulli, aut certe pauci viri docti, & boni reperiantur: quam rem & Heſiodus, & cæteri poëtæ videntur intellexiſſe, quum ætates ab auro, argento, ære, & ferro appellarunt: quòd in ætate aurea omnes eſſent docti, id eſt, vt nos interpretamur, boni: in argentea multi: in ærea pauci: in ferrea nulli penè reperirentur. Quare nos poëtas imitati ætatem illam, in qua tot oratores, id eſt viri boni fuerunt, auream poſſumus appellare, quemadmodum ſummus poëta illam voluit ſignificare, quum cecinit: Vltima Cumæi venit iam carminis ætas. Et ſanè ætas illa vere fuit aurea, qua tot viri docti floruerunt: vt, quæ ſecuta eſt, argentea dici poteſt vſque ad Traianum: tertia vero ærea ſub cæteris Imperatoribus: quarta vere ferrea Gothorum, & Longobardorum temporibus vſque ad maiorum noſtrorum memoriam, quum iterum Vltima Cumæi venit iam carminis ætas. Tunc enim multi viri docti florere cœperunt, & hodie multi, vt quum maxime florent, vt Ioannes Baptiſta Egnatius, Lilius Gregorius Gyraldus, M. Antonius Antimachus, Paulus Iouius Nouocomenſis, Lazarus Bonamicus, Romulus Amaſæus, Petrus Victorius, Marius Nizolius, Achilles Bocchius, Pierius Valeria nus, Hieronymus Vida, Alexander Varinus, Alexander Maciolus, Bartholomæus Riccius, M. Antonius Maioragius, Paulus Manutius, Pompilius Amaſæus, Bernardus Felicianus, Carolus Sigonius, Franciſcus Robortellius, Albericus Longus Salentinus, Iacobus Griſolus, Arnoldus Arlenius, Albertus Lollius, Baſilius Zanchius, Baſsianus Landus, Ioan. Baptiſta Faſeolus, Io. Baptiſta Hadrianus Marcelli filius, Sebaſtianus Fauſtus, Petrus, & Antonius Angelii, Benedictus Varchius, Io. Oporinus, Georgius Agricola, Ioachimus Camerarius, Henricus Glareanus, Proſper Paſethus, Speronus Speronius, Aonius Palearius, Frãciſcus Portus, Marcus Tarteſsius, Ioannes Muſonius, & alii, quos longũ eſſet referre: qui tamen omnes iam cum veteribus vidẽtur eſſe cõparandi. HANC COPIAM, oratorũ, quos ſupra duxi. OPINIO MEA FERT, hoc dixit, quoniam, vt ſupra retulimus, Bruti, qui diuerſum dicendi genus ſequebatur, alia erat opinio, & eorum, quorum ſermo imperitus increbuerat, qui aut dici ſe deſiderabant Atticos, aut ipſi Attice volebant dicere, quos infra confutat, & in Oratore præterquam quòd nouos Atticos vocat, docet etiam, quæ ſit propria laus Atticorum. SVCCVS, figura orationis

tionis plena:ſic enim dicitur lib. tertio de Orat. cui tenuis opponitur, quę aridi vocatur lib. quarto ad Heren. qua de re ſic loquitur Donatus apud Teren. in Phorm. In ſe admiſerit: bono ornatu addidit, in ſe, quum & ſine hoc plenũ videri poſsit:& hic eſt, quẽ Cicero ſuccũ orationis appellat. & ſanè Cicero ſuccũ Periclis lib. ſecundo de Orat. ſic appellauit, & quidẽ per trãſlationem à corporis humani ſucco potiſsimũ ſumptã. nam, vt ait Cicero lib. ſecũdo de Natura Deorũ, ex inteſtinis, & aluo ſecretus à reliquo ſuccus is, quo alimur, permanat ad iecur:& Donatus, vt mittã, quę ſcribunt Medici, inquit: ſuccus eſt humor in corpore, quo abundant bene valẽtes. vnde Teren. dixit, corpus ſolidũ, & ſucci plenũ:& Cicero illos oratores, qui huiuſmodi ſuccũ haberẽt, ſanos, bonam valetudinem, ſanitatem, & integritatem ſecutos ſæpe dicere non dubitauit, vt in hoc dialogo, & in libello de Opt. gen. orat. videre licet. SANGVIS, oratio fortis, robuſta, vires, lacertos, & neruos habens. ſic enim ſolet à Cicerone per tranſlationẽ dici, vt viri fortes, & robuſti dicuntur, qui plurimũ ſanguinis habent. Vnde Plautus in Bacchidibus dixit: nihil moror diſcipulos mihi eſſe tam plenos ſanguinis, id eſt tam robuſtos, vt interpretari oportet. INCORRVPTVS, purus, ſanus, integer. hinc infra dixit, ſalubritatẽ Atticæ dictionis, quaſi ſanitatẽ:& ſanum genus dicendi in Callidio: in libello vero de Opt. gen. orat. incorruptam ſanitatem, & bonam valetudinem. Semper enim Athenienſium, vt in Oratore ſcribitur, ita prudens ſincerũq; iudiciũ fuit, nihil vt poſſent, niſi incorruptum, & elegans, audire. Eorum igitur religioni quũ ſeruiret orator Demoſthenes, nullum verbũ inſolens, nullũ odioſum ponere audebat: quod reliquos etiã oratores Demoſthenis exẽplo feciſſe credimus: quũ lib. ſecundo de Orat. ita ſcriptũ videamus: ſunt omnes in eodẽ virtutis imitandæ genere verſati. Nec à tranſlatione diſcedit, quũ ſanguis incorruptus proprie dicatur, id eſt nõ vitioſus: de quo Cornelius Celſus ita ſcribit: ſanguis craſſus, & niger, vitioſus eſt: ſi rubet, & pellucet, integer eſt. AETATEM, Demoſthenis, & æqualiũ, quos diximus. FVIT, nam, poſtea quam extinctis Demoſthene, & æqualib. omnis eorum memoria ſenſim obſcurata eſt, & euanuit, alia quædã dicendi molliora, ac remiſsiora genera viguerunt, lib. ſecundo de Orat. IN QVA, in qua ætate, vt ſit quædã denominatio forte nimis libera pro ipſis oratoribus: niſi malit quis legere, in quo, vt ad ſuccum ſiuè ſanguinẽ referatur, præſertim quũ color, ſiue nitor rectius ineſſe dicatur in ſucco, vel in ſanguine, quàm in ætate. nam & Ariſt. in humore colorẽ agnoſcit, & ſanguis certe niger, & rubẽs appellatur. NATVRALIS, ſanguine diffuſus, vt lib. tertio de Orat. loquitur: verus, vt verus color puellæ dicitur à Teren. & à Donato ſic interpretatur: color verus, quia nõ de cura eſt, ac fuco, id eſt naturalis, non fucatus. & fucata atq. ſimulata, ſinceris, atq. veris à Cicer. opponũtur in Lælio. FVCATVS, fuco illitus, vt ſcriptũ eſt lib. tertio de Orat. tales ſolẽt eſſe meretrices, vt factũ Phrynes oſtẽdit, & prouerbiũ, fucum facere. NITOR, ſplẽdor, color. Vnde Rhetorici colores à Latinis etiã ſcriptorib. appellãtur, quę χρώματα Gręci vocãt, de quib. infra dicetur.

Phalereus enim ſucceſsit eis ſenibus adoleſcẽs, eruditiſsimus ille quidẽ horum omniũ, ſed non tam armis inſtitutus, quàm palæſtra: itaq. delectabat magis Athenienſes, quàm inflãmabat: proceſſerat enim in ſolem & puluerem, non vt è militari tabernaculo, ſed vt è Theophraſti doctiſsimi hominis vmbraculis. hic primus inflexit orationem, & eam mollem tenerámque reddidit: & ſuauis, ſicut fuit, videri maluit, quàm grauis, ſed ſuauitate ea, qua

perfunderet animos, non qua perfringeret; tantum vt memoriam concinnitatis ſuæ, non quemadmodum de Pericle ſcripſit Eupolis, cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, à quibus eſſet auditus.

PHALEREVS, Demetrius Phanoſtrati filius Phalareus, qui primũ Phanos eſt vocatus, philoſophus Peripateticus, ſcripſit philoſophica, hiſtorica, libros de Rep. de poëtis. Audiuit vero Theophraſtũ, & Athenis quaſi dux populi fuit, multóſq. libros conſcripſit. Vſque adeo vero decorus, & formoſus fuit, vt male audiuerit, tãquam amatus, quũ iuuenis eſſet: & à quibuſdã λαμπιτὼ, & χαριτοβλέφαρος appellatus ſit. Quum ad multũ gloriæ, & potẽtiæ peruenisſet, ob inuidiã militari fraude ſuperatus eſt. Itaq. eiectus ab Atheniẽſibus, in Aegyptũ profectus eſt, vbi quum apud Ptolemæum Soterem maneret; ab aſpide morſus occubuit, & in Buſirite præfectura prope Dioſpolim ſepultus eſt. Hæc propemodũ Suidas, quibus addit Pauſanias, iliũ à Caſſandro propter ſapientiæ opinionem Athenis tyrannum conſtitutũ, deinde à Demetrio Antigoni filio tyrannide deiectũ fuiſſe, & quidem tãta cum inuidia, vt Strabo, & Plutarchus teſtentur, trecentas eius ſtatuas deiectãs, & ex his quaſdam in matulas conflatas fuiſſe. Tertullianus autor eſt, eum ad Ptolemæum Philadelphum, nõ Soterem confugiſſe, & ab illo præfectura ornatũ fuiſſe, quòd illum Grãmaticorũ probatiſsimũ cognoſceret. & Tertullianus Grãmaticum vocat, quem alii philoſophum, alii oratorem appellant. ſunt, qui ſcribãt, Demetriũ apud Timotheum, & Cononẽ ſeruiſſe, hoc eſt, οἰκέτης fuiſſe. Quo tempore Phocion fuit condemnatus, Demetrius quoq. Phalereus, Callimedon, Charides, & alii abſentes ſunt dãnati, vt Plutarchus in Phocione ſcribit. Quum Thebis exularet, & miſere viueret, Cratetẽ accedentẽ haud ſanè libẽter à principio vidit, quòd cynicã libertatem, & aſperum ſermonẽ ab eo expectaret: Verũ, vbi Crates multa de exilio diſputauit, & cum cõſolatus eſt, male ſit, inquit, negotiis, & occupationib. per quas mihi vitũ talẽ cognoſcere nõ licuit. In Aegyptum verò profectus, ſic omnib. rebus abũdauit, vt Athenienſibus ampliſsima munera miſerit, atq. ibi quũ eſſet Ptolemæum Regem monebat, vt ſcriptos de regno, imperióq; libros legeret: quòd ea, de quibus amici Reges monere nõ audent, in libris ſcripta legi poſsint. & quũ in philoſophia excelleret, multa præclara in illo calamitoſo otio ſcripſit, nõ ad vſum aliquẽ ſuum, quo erat orbatus, ſed animi cultus ille erat ei quaſi quidã humanitatis cibus, vt ait Cicero lib. quinto de Finibus: qui & lib. ſecundo de Legibus, ita ſcribit: Fuit Demetrius nõ ſolum eruditiſsimus, ſed & ciuis, & Reip. maxime, tuẽdęq. ciuitatis peritiſsimus. Iſte igitur ſumptus funerum minuit nõ ſolum pœna, ſed etiã tempore. ante lucẽ. n. iuſsit efferri. ſepulchris autẽ nouis finiuit modũ. Hinc ipſe Periclẽ vituperabat, quòd tantã pecuniã in pręclara illa propylæa cõiecisſet. putat Cicero nemini Græcorũ contigiſſe, vt idẽ in vtroq. genere laboraret, ſequeretúrq. & illud forenſe genus dicendi, & hoc quietũ diſputãdi: niſi forte Demetrius in hoc numero haberi poteſt, diſputator ſubtilis, orator parũ vehemens, dulcis tamẽ, vt Theophraſti diſcipuliũ poſſis agnoſcere. Diogenẽ Laertiũ lege. PHALEREVS, φαληρεὺς. ſic. n. pronũciari debet triũ ſyllabarũ. & φαληρεὺς, vt inquit Suidas, ἐστὶ πολίτης ἐκ φαλήρων. φάληρον δὲ λιμὴν τῆς ἀττικῆς, & Plinius itẽ portũ vocat: ſed Strabo inter δήμους numerat, nec ab eo multũ Suidas alio loco videtur diſſentire, quũ inquit: φάληροι δῆμος τῆς ἀντιοχίδος ἀφ' οὗ ὁ δημότης φαληρεύς. niſi forte φάληροι δῆμος φάληρον λιμὴν ἐστί· quanquam idẽ locus & oppidũ, & portus eſſe poterat, vt Piręeus: vnde Cicero dubitauit olim, an vt portũ, an vt oppidũ verteret. ENIM, αἰτιολογία αἰτιολογίας, quòd ſuccus

cus ille fuerit vſq. ad illã ætatẽ, & poſtea ſit mutatus. EIS, Demoſtheni, & reliquis, quos ante dixi. SENIBVS ADOLESCENS, hinc Demetrius, vt teſtatur Plutarchus, ſcripſit ſe quædã à Demoſthene ipſo iã ſene audiuiſſe. ERVDITISSIMVS, eruditiſsimus itẽ dicitur à Cicerone lib. ſecũdo de Legibus: quòd is philoſophiã cum dicẽdi facultate cõiunxiſſet, vt lib. primo de Off. Cicero demõſtrat qui lib. ſecũdo de Orat. horum itẽ omniũ politiſsimũ Demetriũ vocat. NON TAM ARMIS, nõ tam graui, & ſublimi dicendi genere: in quo qui florẽt, grandiloqui, vehementes, varii, copioſi, g raues, & ad permouẽdos ac cõuertendos animos inſtructi, & parati dicuntur in Oratore: Demetrius vero parum vehemens orator lib. primo de Off. appellatur. & eſt tranſlatio ab hominib. armatis, qui terribiliores vidẽtur. vnde graues oratores fulgurare, & tonare, & omnia permiſcere dicũtur. INSTITVTVS, aliter inſtructus. QVÀM PALAESTRA, quàm tẽperato, & medio dicendi genere: in quo, inquit Cicero in Orat. multi floruerunt apud Græcos, ſed Phalereus Demetrius meo iudicio præſtitit cæteris: cuius oratio quum ſedate, placidéq. loquitur, tũ illuſtrant eam quaſi ſtellæ quædam, tranſlata verba, atq. immutata. & Cicero quum de homine loquatur, apud quẽ frequens erat tranſlatio, tranſlatione vtitur, præſertim quũ apte vtatur: quòd hoc temperatum genus orationis cũ palæſtra quaſi comparatur: quũ in palæſtra luctentur quidẽ, & pugnẽt homines, ſed non ita tamẽ, vt aduerſariũ magnopere poſsint offendere, quũ ſæpe nudi, & oleo vncti contendant: vnde poëtæ palæſtras nitidas, & vnctas vocant. ſic oratores temperati certant illi quidẽ cum aduerſariis, ſed non ita vt multũ proficiant, quamuis orationẽ ſuauitatis plenã, & omnibus ornamẽtis perpolitam afferant. ſic etiã lib. primo de Legibus de Cælio Antipatro loquitur: habuit vires agreſtes ille, atq. horridas ſine nitore, ac palæſtra: & lib. primo de Orat. Nitidum quoddã genus eſt verborũ, & lætũ, ſed palæſtræ magis, & olei, quàm huius ciuilis turbæ, ac fori: ex quibus verbis eruditi prouerbium faciunt. Interpretari etiã fortaſſe poſsis, palæſtra, exercitatione domeſtica, quæ dictioni forenſi opponitur lib. primo de Orat. præſertim quũ palæſtræ, vt docet Vitruuius, eſſent etiã loca, vbi diſputabant: & Demetrius diſputator ſubtilis lib. primo de Off. appellatur. DELECTABAT, quod ad temperatũ dicendi genus pertinet, in quo Demetrius cæteris præſtitit. nam quũ eloquens is à Cicerone dicatur, qui ita dicit, vt probet, vt delectet, vt flectat: & quot ſunt officia oratoris, tot ſint genera dicendi, ſubtile in probãdo, modicũ in delectando, vehemens in flectẽdo, Demetrius in modico ſic excelluit, vt ſemper delectaret potius, quàm inflammaret, aut flecteret. ATHENIENSES, ſuos ciues, quamuis eorũ princeps, vel tyrannus à Caſſandro cõſtitutus fuerit, vt dictũ eſt. QVÀM INFLAMMABAT, nam ſi potuiſſet illos inflãmare, aut flectere, nõ eos magis, quàm hoſtes, vt in Demetrio ſcribit Plutarchus formidaſſet. PROCESSERAT ENIM, αἰολογία, quare nõ flecteret. IN SOLEM, ET PVLVEREM, in aſpectũ, in lucem, in medium, in publicũ, in locum, vbi publice oraret: quemadmodũ milites, à quibus ducta eſt tranſlatio, è tabernaculo in ſolẽ, & puluerem pugnaturi prodeũt. Vnde in libris Oratoriis ita loquitur: educẽda dictio eſt ex domeſtica exercitatione, & vmbratili medium in agmen, in puluerẽ, in clamorem, in caſtra, atq. aciem forenſem. Idem penè dixit lib. tertio de Legibus, quum de eodẽ Demetrio loqueretur. Atque de ſole quidẽ nemo dubitat, quin ad milites referatur: qui, quum bellum ſæpius æſtate, quàm hyeme geratur, in ſolem prodire, æſtus ferre, & ſæpe ſub ardẽti ſole pugnare coguntur. De puluere, multi putãt ab eo dictum, quòd palæſtritæ ſe puluere cõſpergere ſolerẽt: alii à puluere Olympico, vt, ſunt, quos puluerẽ olympicũ collegiſſe iuuat: quaſi vero vel Cicero ipſe hoc loco nõ oſtendat

agentem comœdias edere cœpiſſe, & ſeptendecim edidiſſe, in quibus ſepties vicerit: quanquam Lilius videtur credere, omnes illas editas fuiſſe, quũ annos ſeptẽdecim ille natus eſſet. De poëtę huius interitu varias opiniones fuiſſe apud veteres oſtendit Cicero in epiſtolis ad Att. quas quoniã Lilius refert nos omitemus. Hic multa de Pericle ſcripſit: quod quum ſciret Cicero, credidit illud item ab eo ſcriptum: ἤστραπτεν ἐβρόντα ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα, & iccirco in Oratore ſic poſuit: Pericles ſi tenui genere vteretur, nunquam ab Eupolide poëta fulgurare, tonare, permiſcere Græciam dictus eſſet: deinde vel admonitus ab Attico, vel recordatus ipſe, id ab Ariſtophane dictum mutauit, vt lib. duodecimo ad Att. cognoſces. CVM DELECTATIONE, οὕτως ἐκήλει, vt legitur apud Plinium lib. primo Epiſtolarum, vbi verba refert Eupolidis. De Periclis porrò ſuauitate dicitur infra. ACVLEOS, τὸ κέντρον, dixit Eupolis, vt idem Plinius refert, & Eupolis ad prouerbium videtur reſpexiſſe, aculeo immiſſo diſcedere. RELINQVERET, ἐγκατέλειπε, vt locutus eſt Eupolis. IN ANIMIS EORVM A' QVIBVS ESSET AVDITVS, τοῖς ἀκροωμένοις, vt ſcriptum eſt apud Plinium lib. primo Epiſtolarum & Ariſtophanis interpretem, qui verſus Eupolidis integros ita referunt: κράτιστος οὗτος ἐγένετ' ἀνθρώπων λέγειν ὁπότε παρέλθοι, ὥσπερ οἱ ἀγαθοὶ δρομεῖς ἐκκαίδεκα ποδῶν ᾕρει λέγων τοὺς ῥήτορας. ταχὺν λέγεις μὲν πρὸς δέ γ' αὐτοῦ τῷ τάχει πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν, οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Vides ne igitur, vt in ea ipſa vrbe, in qua & nata & alta ſit eloquentia, quàm ea ſero prodierit in lucem? ſiquidem ante Solonis ætatem & Piſiſtrati de nullo vt diſerto memoriæ proditum eſt. at hi quidem, vt populi R. ætas eſt, ſenes; vt Athenienſium ſecula numerantur, adoleſcentes debent videri. nam etſi Seruio Tullo regnante viguerunt: tamen multo diutius Athenæ iam erant, quàm eſt Roma ad hodiernum diem: nec tamen dubito, quin habuerit vim magnam ſemper oratio. neque enim iam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Vlyſſi tribuiſſet Homerus, & Neſtori, quorum alterum vim habere voluit, alterum ſuauitatem; niſi iam tum eſſet honos eloquentia: neque ipſe poëta hic tam idem ornatus in dicendo, ac planè orator fuiſſet: cuius etſi incerta ſunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum: ſiquidem non infra ſuperiorem Lycurgum fuit, à quo eſt diſciplina Lacedæmoniorum aſtricta legibus. ſed ſtudium eius generis, maiórque vis agnoſcitur in Piſiſtrato.

VIDES, Atticc. nam ex eo loco, lucẽt Athenæ tuæ, vſque ad cum locum, Tum Brutus, cum Attico vt homine penè Gręco de rebus Gręcis præſertim loquitur. IGITVR, hic eſt concluſio, & epilogus quidã, eloquẽtiam propter difficultatẽ in lucem ſero prodiiſſe etiã Athenis, vbi nata, & alta dicatur. IN EA IPSA VRBE, Athenis. NATA, ET ALTA SIT ELOQVENTIA, inuẽta, & perfecta ſit vis ſumma dicẽdi, vt lib. primo de Orat. loquitur, & quaſi interpretatur. nam quod ad Rethoricam pertinet, ſupra oſtendimus alibi prius inuentã fuiſſe. Eſt autem tranſlatio ab animalibus quæ naſcuntur, & aluntur. QVA'M, quũ paulo ante poſita ſit particula, vt hãc multi ſuperuacaneam putant: alii potius illã tollunt, exiſtimantes fortaſſe factam vel ex vltima ſyllaba ſuperioris particulæ, igitur: vel ex particula in, quæ ſequitur. & ſanè in

Hic versus legitur apud Aristophanem in Acharnensibus, et Plinius [ut?] eius Cicero in epistolis, ut hic etiam dicitur.

particula facile vertitur in vt, & contra. vt vero, & quàm hoc loco idem ſignificent, neceſſe eſt: & vtraque ſeparata rectè cum illo verbo, vides, copulatur. nam Latine dicitur: vides, vt ſerò eloquentia prodierit: & vides, quàm ſero eloquentia prodierit. nos tamen credimus vtranque poſſe retineri, vt ſit quædam ἰσοκωλίαν, quam Cicero facit ſæpe non modo diuerſis particulis, ſed diuerſis etiam caſibus, & diuerſis verbis, vt nos in orationibus pro Domo, pro Cornelio Balbo, & in Philippicis obſeruauimus. SERO, ætate Demoſthenis potiſsimum, id eſt ab vrbe Athenienſi condita mille, ducentis & decem annis, vel circiter. PRODIERIT IN LVCEM? perfecta ſit? ISSA QVIDEM, αἰτιολογία, quòd eloquentia ſero in lucẽ prodierit: quum ante Solonis ætatem, & Piſiſtrati nullus agnoſcatur diſertus. & ita breuiter, aliud agens, repetit, quod prius omiſerat, de ætate, quæ fuit ante Solonem. SOLONIS AETATEM, ET PISISTRATI; annis noningentis octnaginta, vel circiter, ab vrbe Athenienſi condita. Solon enim olympiade quadrageſima ſeptima, vel quinquageſima ſexta natus à Suida dicitur. Vnde quiuis annorum rationem facile ſubducat. DE NVLLO VT DISERTO MEMORIAE PRODITVM EST, atqui Zoroaſtres, qui multis ante annis fuit, & ſapientes illi, quibuſcum Solon ſeptimus eſt numeratus, & quorum nonnulli ſeniores Solone fuerunt, videntur dicendi non modo diſerti, ſed etiam eloquentes: ſiquidem verum eſt, quod ſcribit Cicero, eloquentiam nihil aliud eſſe, niſi copioſe loquentem ſapientiam; illi certe ſapientes erant, &, vt credimus, ac probare poſſumus, copioſe loquebantur. Erant igitur eloquentes, & quidem ante Solonem, & de his memoriæ proditum eſt; vt Cicero videatur errare, qui de nullo memoriæ proditum dicat. ſed interpretandum eſt: vel de nullo Athenienſi, quamuis Dracon leges, & præcepta quædam, vt ait Suidas, ſcripſiſſet: & nullus ex illis ſapientibus erat Athenienſis; vel de nullo tanquam diſerto, nam de illis ſapientibus proditum eſt memoriæ tanquam ſapientibus, non tanquam diſertis. Quòd ſi quis eos vel ob id velit eloquentes appellare, quòd copioſe loqui poſſent, iam poterit etiam eodem modo poëtas, hiſtoricos, & ſcriptores omnes, qui multi ante fuerant, eloquẽtes vocare. HI QVIDEM, Solon, & Piſiſtratus. POPVLI R. AETAS EST, quæ non ſit admodum longa, ſed annorum ſeptingentorum ſeptem, vel circiter. Tot enim propemodum numerantur ab Vrbe cõdita ad id tempus, quo Cicero hæc ſcripſit. ſic infra, vides oratorum partus ad noſtrorum annalium rationem veteres, ad ipſorum ſanè recentes. SENES, ſenes videri debent, quum ſint annorum minimum quingentorum, & ducenti tantum ac ſeptem relinquantur ad ætatis finem, vnde numerare incipit: & ita multo plures ſunt anni ipſorum, quàm qui ex ætate populi R. ſuperſunt. & de Romanis loquens, dixit ætatem, quaſi γενεὰν, quæ minus omnino ſignificat, quàm ſeculum, quòd Romanis adhuc minor ætas fuiſſet. ætas enim ſub ſeculo à Cicerone libro ſecundo de Natura Deorum comprehenditur. SECVLA, & ſecula, & numero multitudinis dixit, vt rem amplificaret, & magis oſtenderet etiam verbis Athenienſes fuiſſe vetuſtiſsimos. ſeculum certe ſpatium centum annorum dicitur à Varrone, vt mittam, quæ ſunt à Cenſorino de ſeculo ſcripta, alitèr ſecla. vt infra ſeclis. ADOLESCENTES DEBENT VIDERI, ſi quingenti anni, quot inter Solonem & Ciceronem, ſiue tempus, quo hæc ſcripſit, inter fuerunt, cum ipſis noningentis octuaginta, quot à condita vrbe Athenienſi ad Solonem fuiſſe diximus, conferantur. NAM, αἰτιολογία, quòd adoleſcentes videri debent. SERVIO TVLLO, aliter Seruio Tullio, rectè. nam & ſcriptores omnes Seruium Tullium vocant, & Tullia filia Tullium dicendum, & ſcribendum oſtendit: qui ſextus fuit Romanorum Rex, quum Tul-

lus

lus tertius fuerit. REGNANTE, ab olympiade quinquageſima prima vſq. ad olympiada ſexageſimam primam; id eſt annos quadraginta quatuor, vt colligunt hiſtorici. VIGVERVNT, nam Solon, ſi natus eſt olympiade quadrageſima ſeptima, in principio regni Seruii Tullii ſextum decimum annum agebat, & ita viguit illo regnante: ſi vero, vt alii volunt, natus eſt olympiade quinquageſima ſexta, incidit eius dies natalis in annum regni Seruii Tullii vigeſimum ſecundum: & Solon Piſiſtrato paulo ſenior fuit, vt ſupra dictũ eſt. MVLTO DIVTIVS, annis quadringentis octuaginta: ſiquidem à conditis Athenis ad Solonem anni nongenti octuaginta, à Solone vero ad tempus, quo Cicero hæc ſcripſit, quingenti tantum numerantur: vel ducentis octuaginta, ſi ab vtraque vrbe condita numeres, vt hic Cicero videtur ſignificare. IAM ERANT, ætate Solonis, & Piſiſtrati. AD HODIERNVM DIEM, ad annos ab vrbe condita circiter ſeptingentos, & ſeptem. NEC TAMEN, quamuis dixerim eloquentiam ſero in lucem prodiiſſe. NEQVE ENIM, αἰδιολογία, quòd ſemper oratio magnam vim habuit. TROICIS TEMPORIBVS, temporibus, quibus à Græcis Troia oppugnata, & expugnata fuit, alii malunt legere, heroicis temporibus. TANTVM LAVDIS, quantum apud ipſum Homerum videre licet. VLYSSI, quem libro Iliados decimo πολύμητιν, & μέγα κῦδος ἀχαιῶν vocat, vt alia, quæ ſunt innumerabilia, mittamus. TRIBVISSET, multis quidem in locis, ſed potiſsimum tamen libro primo, & tertio Iliados: & quidem ob id fortaſſe, quòd, vt refert Suidas, Homerus ipſe ex Telemacho Vlyſsis filio, & Polycaſta Neſtoris filia natus credatur. HOMERVS, poëtarum princeps, cuius vitam Herodotus, Plutarchus, Suidas, & Lilius ſcribunt. NESTORI, cuius non minus eloquentia, quàm ſenecta locum prouerbio fecit. VIM, δύναμιν; vt Ariſtoteles, & Theon vocant, quàm Suidas à Gorgia inuentam putat, ſed ea prius in Vlyſſe fuit tanta, quantam ſcribit Homerus libro tertio Iliados: ὅτι δὴ ῥ᾽ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν, οὐκ ἂν ἔπειτ᾽ ὀδυσῆΐ γ᾽ ἐρίσειε βροτὸς ἄλλος. Hinc illi Mineruam ducem dedit, quòd eloquentia coniuncta ſit cum ſapientia, vt libro tertio de Oratore quæritur. Hac vero vi dicendi Vlyſſes Græcos non ſemel inflammauit; & flexit, vt libro ſecundo Iliados, quum illos à conſilio diſcedendi reuocauit: quæ res ad grauem dicendi figuram pertinet. hinc Vlyſſes à poëtis etiam Latinis diſertus, & facundus frequenter appellatur. SVAVITATEM, τὸ ἡδὺ. Neſtor enim libro primo Iliados ἡδυεπὴς ἀγορητὴς vocatur: cuius è lingua μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. & hoc totum pertinet ad mediam dicendi figuram. IAM TVM, Troicis temporibus. ESSET, fuiſſet poſtulabat illud verbum, tribuiſſet, ſed ita ſæpe loquitur Cicero. HONOS ELOQVENTIA, ſic infra, & libro tertio de Legibus, breuitas eſt laus, locutio penè qualis illa: & certamen erat Corydon cum Thyrſide magnum item, ſerpens terror eras, aliter honos eloquentiæ, vt loquitur Tuſculana prima: honorem huic generi non fuiſſe declarat oratio Catonis. POETA, Homerus. ORNATVS IN DICENDO, quàm ſit ornatus Homerus in dicendo etſi omnes, qui accurate legunt eius opera, facile poſſunt cognoſcere, Plutarchus tamen in ipſius vita pluribus oſtendit, dum omnes penè exornationes verborum, & ſententiarum, atque omnes dicendi figuras ex eius libris colligit. & Cicero magniloquentiam Homeri dixit. PLANE ORATOR, nam & Reges voluiſſe fieri verborum oratores ſcribit, & eos ita loquentes inducit, vt nihil eloquentiæ deſideres. Hinc Quintilianus ſcribit eum omnibus eloquentiæ partibus exemplum, & ortum dediſſe. INCERTA SVNT TEMPORA, propter varias ſcriptorum opiniones: quum alii aliter ſcribant, vt Herodotus, Crates Mallotes, Eratoſthenes, Ariſtarchus, Philochorus, Apol

rorum virorum: ſiquidem vterque, cum ciuis egregius fuiſſet, populi ingrati pulſus iniuria, ſe ad hoſtes contulit, conatúmque iracundiæ ſuæ morte ſedauit. nam etſi aliter eſt apud te Attice de Coriolano: concede tamen, vt huic generi mortis potius aſſentiar. At ille ridens, Tuo vero, inquit, arbitratu: quoniam quidem conceſſum eſt rhetoribus ementiri in hiſtoriis, vt aliquid dicere poſsint argutius. vt enim tu nunc de Coriolano, ſic Clitarchus, ſic Stratocles de Themiſtocle finxit. nam quem Thucydides, qui & Athenienſis erat, & ſummo loco natus, ſummúſque vir, & paulo ætate poſterior, tantum mortuum ſcripſit, & in Attica clam humatum, addidit fuiſſe ſuſpicionem veneno ſibi conſciuiſſe mortem; hunc iſti aiunt, cum taurum immolauiſſet, excepiſſe ſanguinem patera, & eo poto, mortuum concidiſſe. hanc enim mortem rhetorice & tragice ornare potuerunt: illa mors vulgaris nullam præbebat materiem ad ornatum. quare, quoniam tibi ita quadrat, omnia fuiſſe in Themiſtocle paria & Coriolano, pateram quoque à me ſumas licet. præbebo etiam hoſtiam, vt Coriolanus ſit planè alter Themiſtocles.

1.

PROXIMO SECVLO, ætate ſequenti. nam ſeculum integrum, id eſt ſpatium centum annorum, eſſe non potuit: ſiquidem annis ſeptuaginta poſt, vt diximus, Themiſtocles fuit. VT APVD NOS, vt populi Romani ætas eſt, vt ſupra dixit. PERANTIQVVS, vt à quo ad hanc ætatem anni minimum quadringenti numerentur. VT APVD ATHENIENSES, vt Athenienſium ſecula numerantur, vt ſupra dixit. NON ITA SANE VETVS, adoleſcens, vt ſupra dixit: & quidem multo adoleſcentior, quàm Solon, & Piſiſtratus: ſi quadringenti & triginta anni cum mille & quinquaginta conferantur. FVIT ENIM, αἰτιολογία. REGNANTE, dominante, & quaſi floreſcente, certe ſine Regibus maiorem partem Reſpublicas adminiſtrante. NOSTRA AVTEM CIVITATE, Roma. NON ITA PRIDEM, annis ante triginta, vt nos propemodum credimus, quamuis ex Conſulibus viginti duo tantum numerentur. DOMINATV REGIO, Tarquinii Superbi tyrannide. LIBERATA, per L. Iunium Brutum præſertim, Philippica prima. NAM, αἰτιολογία αἰτιολογίας. VOLSCORVM, qui populi erant vltra Circeios, vt ait Plinius. ILLVD GRAVISSIMVM, quod geſtum eſt Accio Tullio, & Cn. Marcio Coriolano ducibus de omnium Volſcorum ſententia lectis, vt apud Liuium leges: qui ſcribit illud bellum ita graue fuiſſe, vt, quam armis viri defendere vrbem non poſſent, eam mulieres precibus, lachrymíſque defenderent. CVI CORIOLANVS, alliterationem vocaret Pontanus. CORIOLANVS, Cn. Marcius à Coriolis oppido Volſcorum ipſius opera præſertim capto Coriolanus appellatus, vt Liuius libro ſecundo ſcribit. EX VI, populi ingrati pulſus iniuria, paulo poſt. nam quum Tribunitiæ poteſtatis eſſet hoſtis, & in annona plebi aduerſaretur, die dicta à Tribunis plebis, non affuit. Quare condemnatus abſens, in Volſcos exulatum abiit, vt loquitur Liuius. Autor libelli de Viris illuſtribus, Tribunum pl. qui Coriolano diem dixit, Decium vocat. INTERFVIT, dux cum Accio Tullio, vt dictum eſt, lectus. EODEM FERE TEMPORE, bellum Volſcorum fuit olympiade ſe-

ptuageſima tertia, Sp. Nautio Rutilio, Sex. Furio Philone Coſs. Perſicum vero olympiadæ ſeptuageſima quinta: vnde quiuis colligere poteſt ſex minimum annos inter vtrunque bellum interfuiſſe, quos fuiſſe paucos ſcripſit Gellius libro decimoſeptimo capite vigeſimoprimo: quanquam Cicero in Lælio annos viginti videtur numerare, quum inquit: Themiſtocles fecit idem pulſus, quod viginti annis ante apud nos fecerat Coriolanus: vt videatur falſum, quod hoc loco dicat Cicero, vtrúnque bellum eodem tempore fuiſſe: ſed hic quũ dixit, ferè, voluit ſignificare, non fuiſſe prorſus eodem tempore, ſed parum diuerſo: & in Lælio annos, qui inter viriuſque ducis exilium, & mortem, non qui inter vtrunque bellum interfuerunt. & ſanè tot anni numerantur ab exilio Coriolani, quod fuit ante bellum Volſcorum, ad exilium Themiſtoclis, quod fuit poſt bellum Perſicum, vt omnes hiſtorici teſtantur. PERSARVM, qui ſunt à Perſeo Iouis & Danaës filio dicti, vt libro ſeptimo ſcribit Herodotus, qui multa de Perſis refert, vt alios ſcriptores mittamus. Apud Perſas, qui nomen retinent, is hodie regnat, qui Sophus appellatur. BELLVM, quod intulit Græciæ Xerxes Darii filius à Mardonio incitatus, & ab Alebadis, atque Piſiſtratidis inuitatus, vt libro ſeptimo refert Herodotus. SIMILISQVE FORTVNA, vt ſtatim docet. CLARORVM VIRORVM, Coriolani, & Themiſtoclis. SIQVIDEM, αἰτιολογία, quo pacto ſimilis fortuna fuerit. VTERQVE, Coriolanus, & Themiſtocles. EGREGIVS, Coriolanus in capiendis præſertim Coriolis, & Themiſtocles in ſuperandis Perſis. POPVLI INGRATI, Romani quidem, qui Coriolano bene merenti Conſulatum dare noluit, & eum, quòd patricius patriciorum iura defendiſſet, & in ſenatu de poteſtate Tribunorum tollenda locutus fuiſſet, expulit: Athenienſis vero, qui Themiſtoclem Græciæ totius ſeruatorem teſtularum ſuffragiis vt nimis potentem primo expulit, deinde abſentem, Lacedæmoniis, & eius inimicis accuſantibus, proditionis condemnauit. INIVRIA, ſic iniuriam ingratæ patriæ vocat in Lælio. SE AD HOSTES CONTVLIT, Coriolanus quidem ad Volſcos, Themiſtocles vero ad Perſas. CONATVMQVE IRACVNDIAE SVAE, qua motus vterque bellum patriæ ſuæ conatus eſt inferre, & Coriolanus etiam intulit. MORTE SEDAVIT, vterque enim ſibi mortem conſciuit, vt Cicero loquitur in Lælio. NAM ET SI, αἰτιολογία, & πρόληψιν, ne forte Atticus arguat: ALITER EST, fortaſſe, vt poſtea ſcripſit Liuius, illum inuidia rei oppreſſum periiſſe: vel vt proditorem à Volſcis, præſertim ab Accii Tullii militibus lapidibus interfectũ fuiſſe: quod Dionyſius, Plinius, & Plutarchus ſcribunt, quamuis Fabius Pictor ſcripſiſſet, eum vſque ad ſenectutem vixiſſe: quem Atticus etiam ſecutus videri poteſt, vt antiquitatis, quod ait Nepos, amator. APVD TE, in tuo libro, quo ſeptingentorum annorum memoriam colligaſti, in Oratore. DE CORIOLANO, de morte Coriolani. HVIC GENERI MORTIS, cum ſibi mortem conſciuiſſe. QVONIAM QVIDEM, alii malunt legere, quandoquidem, quòd Cicero frequentius ita loquatur: quod quidem nos non negamus, ſed affirmamus tamen, apud illum ſæpe etiam, quoniam quidem inueniri. CONCESSVM EST, vt poſtulat Quintilianus libro duodecimo capite primo: concedant mihi omnes oportet, inquit, quod Stoicorum quoque aſperrimi confitentur, facturum aliquando bonum virum, vt mendacium dicat: & alibi, mendacium dicere etiam ſapienti aliquando conceſſum eſt. nam quum orator à Catone definiatur vir bonus, dicẽdi peritus, dubitari poterat, quo pacto vir bonus dici poſsit, qui mentiatur, præſertim quum in Apologia Plato ita dicat. ῥήτορος ἀρετὴ τἀληθῆ λέγειν, & in Phædro Rhetoricam ſine veritate ridiculam vocet. ſed conceſſum eſt oratoribus mentiri,

vt

vt diximus,& Cicero libro ſecundo de Oratore pluribus oſtendit. RHETORIBVS, & his, qui docent artem dicendi, & his, qui orant. Vtrunque enim ſignificat ῥήτωρ: &Cicero hic vtrunque voluit complecti: quòd & qui docent declamationes fingant,ac mentiantur: & qui orant, hiſtorias ſæpe aliter referant. EMENTIRI, aliter mentiri,idque mihi magis placet. mentiuntur vero tam ſæpe,& ita Rhetores,vt illos Plato γοητεύειν,& τὰ δόξαντα μᾶλλον ἢ τἀληθῆ μανθάνειν dicat:& artem ipſam κολακείας μόριον vocet. IN HISTORIIS, aliter, & in hiſtoriis, quod maxime probamus, vt hoc dicat, etiam in hiſtoriis, nedum in aliis rebus, quum prima ſit lex hiſtoriæ, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, vt libro ſecundo de Oratore ſcribitur. ſic videtur Cicero mentitus, in oratione pro Cluentio, quum gloriatus eſt, ſe iudicibus tenebras offudiſſe, vt ait Rufinianus: ſic Aeſchinem mentitum ſæpe conuincit Demoſthenes. VT ALIQVID DICERE POSSINT ARGVTIVS, imo vt vnum quodque trahant ad vtilitatem ſuam vincendi cauſa, vt in præceptis Rhetoricis traditur: vt hic Cicero facit, qui ſic etiam loquitur,vt magis accommodate, quod ſequitur, ponit. VT ENIM, αἰτιολογία, quod oratores interdum mentiantur. TV, tu Cicero. NVNC DE CORIOLANO, fingis eum ſibi mortem conſciuiſſe. CLITARCHVS, qui res Alexandri Magni id eſt, vt loquitur Athenæus, τὰς περὶ Ἀλέξανδρον ἱστορίας ſcripſit, & libros linguarum multos: cuius ingenium, vt ait Quintilianus, probatur, fides infamatur: quem tamen vnum, nec prætereà quenquam de Græcis Siſenna legiſſe Ciceroni videbatur, vt libro primo de Legibus ſcribit; vbi oſtendit non fuiſſe probatum ſcriptorem, quando inquit, Siſennam, etiamſi illum fuiſſet aſſecutus, à ſummo tamen abfuturum fuiſſe. Illius tamē narrationem M. Cælius Ciceronis amicus ita probabat, vt exiſtimaret illum ſibi narrare, apud Iſſum Darium ab Alexandro fuiſſe ſuperatum, libro ſecundo Fam. STRATOCLES, ſcriptor. DE THEMISTOCLE FINXIT, eum ſanguinem tauri bibiſſe. Qui vertit Annibalis vitam ex Plutarcho, his verbis vſus videtur, quum ita vertit: Quidam dicunt Annibalem ſanguinem tauri bibiſſe, ſicut Clitarchus, Stratocléſque de Themiſtocle finxit. NAM, αἰτιολογία, quòd illi finxerunt. QVEM, Themiſtoclem. THVCYDIDES, vir tantus, vt ſit ἔμφασις, & quaſi locus à teſtibus, in quibus ad faciendam fidem autoritas quæritur, vt ait Cicero in Topicis: & autoritatem aut natura, aut tempus affert: naturæ autoritas in virtute ineſt maxime, & hic Thucydides vir ſummus appellatur: in tempore multa ſunt, & in his fortuna, ætas: & hic ſummo loco natus, & ætate paulo poſterior dicitur hoc loco. ATHENIENSIS, & iccirco dignus, cui credatur, quum teſtis Atticus, & fides Attica dicantur in prouerbio. ERAT, aliter, fuit. SVMMO LOCO NATVS, quippe qui paternum genus ab Orolo Thracum Rege, maternū vero à Miltiade duceret, vt ſupra retulimus. SVMMVSQVE VIR, qui ſenator bonus, & bonus imperator fuerit. PAVLO AETATE POSTERIOR, annis quinquaginta, vt ſupra de Pericle collegimus. MORTVVM, τελευτῆσαι τὸν βίον, & quidem νοσήσαντα, vt ipſe Thucydides loquitur. SCRIPSIT, libro primo. IN ATTICA, ἐν τῇ Ἀττικῇ, inquit Thucydides. CLAM, ait Thucydides κρύφα. HVMATVM, τὰ δὲ ὀστᾶ φασι κομισθῆναι αὐτοῦ οἱ προσήκοντες οἴκαδε κελεύσαντος ἐκείνου καὶ τεθῆναι κρύφα Ἀθηναίων ἐν τῇ Ἀττικῇ, vt Thucydides ipſe loquitur: Pauſanias vero ſcribit Athenienſes, quum eos pœnituiſſet eorum, quæ in Themiſtoclem fecerant, conceſsiſſe, vt propinqui eius oſſa ex Magneſia in Atticam ferrent. ADDIDIT, λέγουσι δέ τινες inquit Thucydides, καὶ ἑκούσιον φαρμάκῳ ἀποθανεῖν αὐτὸν ἀδύνατον νομίσαντα εἶναι ἐπιτελέσαι βασιλεῖ ἃ ὑπέσχετο. aliter addidítque. VENENO, φαρμάκῳ, ait Thucydides. SIBI MORTEM CONSCIVISSE, ἀποθανεῖν, in-

quit Thucydides. SSTT, Clitarchus,& Stratocles. TAVRVM, ex tauris enim victimæ opimæ, & lautiſsima Deorum placatio, vt ſcribit Plinius libro octauo capite quadrageſimo quarto. IMMOLAVISSET, τῷ λαπόφορα ἀρτίμως κελευμένῃ, vt refert Ariſtophanis Interpres in Equitibus. EXCEPISSE, ὑποδέξασθαι, vt idem interpres ait. SANGVINEM, αἷμα ταύρειον, vt ait Ariſtophanes in Equitibus. Taurorum vero ſanguis, vt ſcribit Plinius, celerrime coit,& dureſcit: ideò peſtifer potu maxime. PATERA, φιάλῃ, vt vocat Ariſtophanis Interpres. EO POTO, aliter eo potu: Vtrunque defendi poteſt. MORTVVM CONCIDISSE, τελευτῆσαι, vt loquitur Ariſtophanis Interpres. concidiſſe, dichoreus loco poſitus. HANC ENIM, εὐλογία, quare finxerint. RHETORSCE, eleganter, copioſe, electis verbis, & ornatis, qualibus Rhetores vti ſolent. TRAGICE, grauiter, & verbis grandibus, quibus Tragici vtuntur: quum omne genus ſcripti grauitate tragœdia vincat: vnde dici ſolet, τραγικώτερον λαλεῖν. & hic finis fuit, qualis in tragœdiis ſemper eſſe ſolet. ILLA MORS VVLGARIS, quam obiiſſe Themiſtoclem ſcribit Thucydides. NVLLAM PRAEBEBAT MATERIEM AD ORNATVM, quum rem tam ſterilem non poſſent ornare. TIBI ITA QVADRAT, aliter tibi quadrat. FVISSE IN THEMISTOCLE, aliter fuiſſe Themiſtocli. PATERAM, φιάλην qua Coriolanus quoque ſanguinem tauri excepiſſe videri poſsit, vt Themiſtocles excepit. A' ME, cui ſuppellex eſt non modica, neque tamen multa, quod Cornelius Nepos in Attici vita refert. vel à me, qui de Coriolano ſcripſi, quod dixiſti, & nunc addam etiam, ſi placet, pateram,& hoſtiam. vel à me quaſi propinante, vt mos erat apud Græcos: qui, vt Cicero in Tuſculanis quæſtionibus teſtatur, in conuiuiis ſolebant nominare, cui poculum tradituri eſſent: præſertim quum, vt ait Athenæus, οἱ κύλικ' ἔπινον. Quòd niſi iocus indignus ſit, qui ab Attico in Ciceronem proficiſcatur, dici poſsit hoc modo: pateram ſumas à me licet, quo modo ſcribunt iſti Themiſtoclem ſumpſiſſe: &, ſi nullum habes taurum, vnde ſanguinem poſsis excipere, illum, tibi præbebo, vt tu quoque ſanguinem poſsis haurire. PRAEBEBO ego qui greges habeo, qui in Apulia hybernant, & in Reatinis montibus æſtiuant, vt ait Varro libro ſecundo capite ſecundo de Re ruſtica. Porrò Reate, & Clitumnus, vnde victimæ accipiebantur, in Vmbria collocantur à Blondo, quamuis à Plinio paulùm ſeparentur: ſunt tamen loca inter ſe vicina, & ex quibus victimæ petebantur: vt apud poëtam, albi Clitumne greges, & maxima taurus victima: & apud Ouidium, quos aluit campis herba Phaliſca ſuis: & apud Silium, & ſedet ingentem paſcens Meuania taurum dona Ioui. & dixit, præbebo, tanquam redemptor. nam redemptor hoſtias ad ſacrificium præbebat, vt oſtendit Cicero libro ſecundo de Inuent. HOSTIAM, taurum. SIT PLANE ALTER, ſi patera ſanguinem tauri excepiſſe dicatur. nam cætera, vt tibi videtur, cum Themiſtocle poteſt comparari: etſi Cicero mihi hac in parte nimium Coriolano videtur tribuiſſe. neque enim cum Themiſtocle Græcorum omnium præſtantiſsimo recte comparatur, ſed ne cum Alcibiade quidem, quamuis comparetur à Plutarcho: qui tamen & ipſe ſuis interdum Græcis plus tribuit, quàm fides hiſtoriæ poſtulet: quum ſæpe indignos cum Romanis viris ſummis confert.

Sit ſanè, inquam, vt lubet, de iſto: & ego cautius poſthac hiſtoriam attingam te audiente, quem rerum Romanarum auctorem laudare poſſum religioſiſsimum. ſed tum ferè Pericles Xantippi filius, de quo ante dixi, primus adhibuit doctrinam: quæ

quanquam

quanquam tum nulla erat dicendi, tamen ab Anaxagora phyſico eruditus exercitationem mentis à reconditis abſtruſiſque rebus ad cauſas forenſes popularéſque facile traduxerat. huius ſuauitate maxime hilaratæ ſunt Athenæ, huius vbertatem & copiam admiratæ, eiuſdem vim dicendi terrorémque timuerunt. hæc igitur ætas prima Athenis oratorem propè perfectum tulit.

SIT SANE, συγχώρησον. ISTO, Coriolano, vel iſta re. AVTOREM, quamuis rerum Romanarum omnem memoriam Atticus vno libro, vt ſupra dictum eſt, ſit complexus, hic ego tamen autorem non tam ſcriptorem, quàm vindicem, laudatorem, & defenſorem interpretor, vt autorem pupillorum dicimus illum, qui pupillos defendit. fuit vero Atticus, vt Cornelius Nepos refert, moris maiorum ſummus imitator, antiquitatiſque amator. TVM FERE, ætate propemodum Themiſtoclis. annis enim poſt quinquaginta tantum fuit, vt ſupra diximus. FERE PERICLES, aliter ferè Xanthippus, Pericles: quod non diſplicet, quando Xanthippus & ipſe Miltiadem accuſauit. XANTHIPPI, qui fuit Ariphronis filius, Miltiadem accuſauit, in Mycale Regis Perſarum præfectos vicit, & canibus ita delectatus eſt, vt eum canem, qui mare illum fuerat ſecutus, & poſtea ſummerſus, ſepeliendum curarit. FILIVS, ex Agariſtia, quæ fuit ex Alcmæonidarum genere, vt refert, Herodotus. PRIMVS, quando ante illum nihil ſcriptum fuit, quod oratoris eſſe videretur, vt ſupradictum eſt. DOCTRINAM, quam quidem ὁ περικλῆς πρὸς τῷ εὐφυὴς εἶν' ἐκτήσατο, vt ait Plato in Phædro, NVLLA ERAT DICENDI, quippe quum ex arte, & cum doctrina nihil tum diceretur, aut ſcriberetur, vt ſupra demonſtratum eſt. ANAXAGORA, Anaxagora, Hegeſibuli, vel Euhuli filio Clazomenio viro ſummo in maximarum rerum ſcientia: cuius vitam Laërtius, & Suidas ſcribunt: atque, vt mittam, quæ Plato, Cicero, Plutarchus, Philoſtratus, & Tertullianus de illo retulerunt, Aelianus eum ἀγέλαστον fuiſſe teſtatur. PHYSICO, ſic etiam vocatur in Oratore, quòd περὶ τῆς φύσεως multa diſputauit: vt quum omnium rerum deſcriptionem, & modum, mentis infinitæ vi, ac ratione deſignari, ac confici voluit, vt ait Cicero libro primo de Natura Deorum: & ita Plato in Phædro: περὶ τῆς μετεωρολογίας, καὶ φύσεως νοῦ τε καὶ ἀνοίας πολὺν λόγον ἐποιεῖτο ἀναξαγόρας, aliter, Phyſicis, vt legi poſſe oſtendunt, quæ paulo poſt ſequuntur: reconditis, abſtruſiſque rebus. ERVDITVS, μετεωρολογίας ἐμπλησθεὶς, καὶ ἐπὶ φύσιν νοῦ τε, καὶ ἀνοίας ἀφικόμενος, hinc Cicero libro tertio de Oratore ſcribit ad hunc modum: Periclem docuerat Anaxagoras Clazomenius vir ſummus in maximarum rerum ſcientia. Itaque hic doctrina, conſilio, eloquentia excellens quadraginta annos præfuit Athenis & vrbanis eodem tempore, & bellicis rebus. EXERCITATIONEM MENTIS, qua vtebatur prius τῇ μετεωρολογίᾳ, vel τῇ ὑψηλολογίᾳ. nam τὸ ὑψηλόνουν hoc loco vertere Cicero videtur ex Phædro Platonis. & quum de Anaxagora loqueretur, mentis,

vt ferè ſemper, mentionem fecit: quoniam Anaxagoras, quum νοῦν πάντα, vt loquitur Plato, διακοσμεῖν diceret, νοῦς ipſe, vt ſcribit Diogenes, eſt appellatus. A RECONDITIS, ABSTRVSISQVE REBVS, ab ea philoſophandi ratione, quæ eſt de natura, & rebus occultis, vt in Academicis quæſtionibus loquitur Cicero, qui in Partitionibus item obſcuras, naturaleſque quæſtiones dixit: quanquam nemo neſcit, quàm difficiles, quàm occultæ, quamque abſtruſæ ſint res naturales. AD CAVSAS FORENSES, POPVLARESQVE, videtur tria genera cauſarum complecti, iudicii, deliberationis, & laudationis, vt forenſes cauſas ad iudicium, quod in foro potiſsimum fieret: populares vero ad deliberationem, & laudationem referat: quòd etſi in ſenatu deliberare, & laudare etiam ſolebant, ſæpe tamen apud populum hæc fiebant: & populus quodam modo ſenatum comprehendit. Plato tamen in Phædro hac ipſa de re loquens, ita dixerat: ἐπὶ τὴν τῶν λόγων τέχνην. TRADVXERAT, εἵλκυσεν inquit Plato in Phædro. SVAVITATE, quæ tanta fuit, vt etiam, quum contra voluntatem Athenienſium loqueretur pro ſalute patriæ, ſeuerius tamen id ipſum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus, & iucundum videretur. Vnde veteres comici in eius labris leporem habitaſſe dixerunt, vt ſcribit Cicero libro tertio de Oratore. ἐπέλεγε, & delectabat, vt ſupra diximus. HILARATAE, illa ſuauitate delinitæ, quam nunquam antea percepiſſent. VBERTATEM, ET COPIAM, Illa ſunt in Oratore verba: in Phædro Platonis hoc Periclem præſtitiſſe cæteris dicit oratoribus Socrates, quòd is Anaxagoræ Phyſici fuerit auditor: à quo cenſet eum, quum alia præclara quædam, & magnifica didiciſſet, vberem, & fœcundum fuiſſe. ATHENAE, muri, nedum homines: vel Athenienſes, vt ſit denominatio. ADMIRATAE, ita, vt ipſum Periclem quadraginta annos vrbanis, & bellicis rebus præeſſe ſint paſſæ, quod ſupra retulimus. VIM, δύναμιν, quæ tanta fuit, vt Plato in Alcibiade primo ita ſcribat: ὁ Περικλῆς οὐ μόνον ἐν τῇδε τῇ πόλει δυνατώτατος πράττει ὅ, τι ἂν βούληται, ἀλλ' ἐν πάσῃ τῇ Ἑλλάδι, καὶ τῶν βαρβάρων ἐν πολλοῖς, καὶ μεγάλοις γένεσι. TERROREM, quem ipſe aliis afferebat, quum fulgurare, tonare, & Græciam permiſcere videbatur: vnde Olympius eſt appellatus. TIMVERVNT, nam, vt ſcribit Thucydides, quum Pericles ſentiebat Athenienſes παρὰ καιρὸν ὕβρει θαρσοῦντας, λέγων κατέπλησσεν ἐπὶ τὸ φοβεῖσθαι. HAEC IGITVR, eſt quædam concluſio ſuperioris ſiue narrationis, ſiue probationis, qua probauit artem dicendi difficillimam eſſe, & ex eo cognoſci, quòd vel Athenis in lucem ſero prodierit: atque hinc nactus occaſionem, Græcos oratores nominauit. AETAS, ætas Periclis, qui non naſcentibus Athenis, ſed iam adultis fuit, vt ſupra dixit. PRIMA, quum prius nihil eſſet ſcriptum, quod oratoris eſſe videretur, vt ſupra oſtendit. ORATOREM, vt ipſum Periclem. PROPE PERFECTVM, ita venit per gradus. Pericles fuit orator propè perfectus: Lyſias is, quem propè audeas oratorem perfectum dicere: ſed Demoſthenes, quem planè perfectum, & cui nihil admodum deſit, facile dixeris. ſupra.

Nec enim in conſtituentibus remp. nec in bella gerentibus,

nec

nec in impeditis ac regum dominatione deuinctis naſci cupiditas dicendi ſolet. pacis eſt comes, otiíque ſocia, & iam bene conſtitutæ ciuitatis quaſi alumna quædam eloquentia. itaque ait Ariſtoteles, cum ſublatis in Sicilia tyrannis res priuatæ longo interuallo iudiciis repeterentur, tum primum, quòd eſſet acuta illa gens & controuerſa natura, artem & præcepta Siculos Coracem & Tiſiam conſcripſiſſe: nam antea neminem ſolitum via, nec arte, ſed accurate tamen, & deſcripto pleroſque dicere; ſcriptáſque fuiſſe & paratas à Protagora rerum illuſtrium diſputationes, quæ nunc communes appellantur loci: quod idem feciſſe Gorgiam, cum ſingularum rerum laudes vituperationéſque conſcripſiſſet; quòd iudicaret hoc oratoris eſſe maxime proprium, rem augere poſſe laudando, vituperandóque rurſus affligere: huic Antiphontem Rhamnuſium ſimilia quædam habuiſſe conſcripta: quo neminem vnquam melius vllam orauiſſe capitis cauſam, cum ſe ipſe defenderet, ſe audiente, locuples auctor ſcripſit Thucydides: nam Lyſiam primo profiteri ſolitum artem eſſe dicendi: deinde, quòd Theodorus eſſet in arte ſubtilior, in orationibus autem ieiunior, orationes eum ſcribere aliis cœpiſſe, artem remouiſſe. ſimiliter Iſocratem primo artem dicendi eſſe negauiſſe, ſcribere autem aliis ſolitum orationes, quibus in iudiciis vterentur; ſed cum ex eo, quia quaſi committeret contra legem, quo quis iudicio circumueniretur, ſæpe ipſe in iudicium vocaretur, orationes aliis deſtitiſſe ſcribere, totúmque ſe ad artes componendas tranſtuliſſe.

NEC ENIM, *αἰτιολογία*, quare tum ætate Periclis, id eſt Athenis iam adultis orator propè perfectus, non autem prius fuerit. IN CONSTITVENTIBVS REMP. vt in Minoë, qui Cretenſium: in Phalea, qui Carthaginenſium: in Hippodame, qui Mileſiorum: in Lycurgo, qui Lacedæmoniorum: in Solone, qui Athenienſium: in Bruto, & reliquis, qui Romanorum Remp. conſtituerunt. In his enim, etſi interdum eloquentes etiam dicuntur, non fuit tamen in illis dicendi cupiditas. NEC IN BELLA GERENTIBVS, quamuis enim ſcribat Onoſander oportere imperatorem dicendi peritum eſſe, & nos legamus Auguſtum declamandi conſuetudinem ne bello quidem Mutinenſi omiſiſſe, omnes tamen intelligunt, in bellis operam eloquentiæ dari non poſſe. NEC IN IMPEDITIS, AC REGVM DOMINATIONE DEVINCTIS, vt Athenienſes decem & ſeptem Regum, Romani ſeptem dominatione impediti, ac deuincti fuerunt: quibus temporibus neminem neque Athenis, neque Romæ eloquentem fuiſſe legimus: quòd Reges illud ſoleant vſurpare: ſic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas, ita vt eloquẽtia tunc nullum habeat locũ. aliter nec in impeditis, ac Regum dominatione deuictis. NASCI CVPIDITAS DICENDI SOLET, cur enim naſcatur cupiditas rei, qua ne vti quidem poſsis? PACIS EST COMES, *αἰτιολογία καὶ αἰτιολογίας κατ' διάλυτον* verſo tamen ordine factum. Videtur

enim prius vſus eſſe ordine naturali, quòd primũ Reſp. conſtituatur, deinde bella gerant, poſtremo ſoleant occupari; nunc vero cõuerſo prorſus ordine reſpondere. Pax enim reſpondet bella gerentibus: otium impeditis, ac Regum dominatione deuinctis: bene conſtituta ciuitas conſtituentibus Remp. & ordinem mutari poſſe quum Cicero docet in partitionibus, tum ſæpe mutat ipſe, & alibi quidem ob alias fortaſſe cauſas, hic, opinor, vt oratio creſcat hoc modo: primo pax, deinde otium ex pace, poſtremo ex vtroque ciuitas bene conſtituitur: quod tamen ordo etiam naturalis requirit; quòd quamuis à principio ciuitas conſtituatur; poſtea tamen per pacem bene conſtituitur. Creſcit item in illis verbis oratio, comes, ſocia, alumna: nam comitem, quum minus ſignificet, paci tribuit: ſociam plus ſignificantem, otio; alumnam vero plus etiam multo demonſtrantem bene conſtitutæ ciuitati dedit. Quòd vero eloquentia pacis ſit comes, imò vero pacem ipſam conciliet, veteres ſignificarunt, quum Mercurio eloquentiæ autori caduceum pacis ſignum tribuerunt. Vnde Cornutus in libro de Diis ita loquitur: διὰ τοῦτο γὰρ καὶ εἰρηνοποιὸν δοκεῖ τὸ κηρύκιον εἶναι. OTIIQVE, honeſti. ET IAM BENE CONSTITVTAE CIVITATIS, & iam legibus firmatæ Reip. vt etiam ſupra ſumus interpretati. Cornelius tamen Tacitus in dialogo de Oratoribus ita ſcribit: in bene conſtitutis ciuitatibus eloquentia non oritur. Ille igitur vel aliter ſenſit, vel perſonæ inductæ ſeruiuit. QVASI ALVMNA, ſic loquitur, ne parum verecunda videatur tranſlatio ſumpta ab hominibus, qui proprie alumni dicuntur. ITAQVE, aliter ita, vt ſit, ita ait Ariſtoteles, vt ſequitur. nam verba, quæ ſequuntur, videntur à Cicerone maiorem partem cõuerſa, & quidem κατὰ λέξιν, vt Aquila Romanus vocat, εἰρομένην, vt Ariſtoteles; εἰρομένην; id eſt, vt omnes vertunt, per orationem pendentem: de qua iidem Aquila, & Ariſtoteles, atque Demetrius Phalereus plura ſcribunt. AIT, in eo libro, in quo expoſuit dicendi artes omnium ſuperiorum, libro ſecundo de Oratore: ac veteres quidem ſcriptores artis vſque ab principe illo, atque inuentore Tiſia repetitos vnum in locum conduxit, libro ſecundo de Inuentione; qui quidem liber Ariſtotelis hodie non extat. SVBLATIS, ante Ariſtotelem annis circiter centum; tantum abeſt, vt hoc Ariſtotelis tempore acciderit, vt quidam putarunt: qui non videntur legiſſe Coracem Hieronis tyranni amicum fuiſſe: Hieronem vero Syracuſis olympiade ſeptuageſima ſexta regnare, & Ariſtotelẽ olympiade cẽteſima tertia Platonem audire cœpiſſe: qui quidem Plato Ariſtotelis magiſter quum de Tiſia in Phædro meminit, oſtendit illum ſeipſo multo ſeniorem fuiſſe; qui tamen Coracis diſcipulus fuit; vnde prouerbium: κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. SICILIA, qua nulla terra tyrannorum feracior fuit, vt ait Iuſtinus libro quarto. nam poſt Aeolum Regem ſingulæ ciuitates in tyrannorum imperium conceſſerunt, hinc Cicero Verrina ſeptima inquit: tulit Sicilia multos, & crudeles tyrannos. TYRANNIS, Hippocrate, de quo meminit Herodotus libro ſexto: Gelone, de quo meminit idem libro ſeptimo, vbi Denomenis filium, vt Pindari etiam Interpres, vocat: & Hierone, qui Gelonis ipſius fuit frater, vt iidem ſunt autores, quamuis alii filium fuiſſe putẽt, vt ait Hermogenis Interpres, qui rem iſtam pluribus verbis deſcribit; vt mittam, quod Pindarus de Hierone ſcribit, ne quis eum putet eſſe, qui tempore belli Punici ſecundi Romanis ſtuduit. LONGO INTERVALLO, quantum fuit ſub tribus minimum tyrannis, qui ita crudeles fuerunt, vt populis imperarent, ne loquerentur, ſed, ſi quid opus eſſet, pedibus, manibus, & oculis ſignificarent, vt ſcribit Hermogenis Interpres. REPETEBENTVR, prius vel à tyrannis, vel à tyrannorum

amicis

amicis ablatæ. TVM PRIMVM, μετὰ θάνατον τοῦ Ἱέρωνος, vt loquitur Hermogenis Interpres. ACVTA, ita, vt, quod Cicero Verrina ſexta ſcribit, nunquam tantum mali ſit Siculis, quin aliquid facete, & commode dicant. Siculos acutos etiam Iulius Maternus vocauit. CONTROVERSA, vt quæ inſulam habitet: quum dici ſoleat, omneis, qui inſulas habitent, eſſe malos, Siculos vero peſsimos: nos tamen illos his annis bonos eſſe ſumus experti, præſertim, qui ſe Bononiam ſtudendi cauſa contulerant. ARTEM, ET PRAECEPTA, videtur eſſe quædam ἐπεξήγησις, artem, id eſt præcepta, præſertim quum Corax, & Tiſias artem perfecte non ſcripſerint, ſed Corax exordium, narrationem, & perorationem tantum, vt refert Hermogenis Interpres inuenerit, Theodorus vero confirmationem, & confutationem, & alii aliud excogitarint. vel ſit artis ipſius quaſi definitio, vel potius deſcriptio: quum ſic illa libro primo ad Herennium definiatur: ars eſt præceptio, quæ dat certam viam, rationémque dicendi: præſertim quum libro ſecundo de Oratore ſic etiam loquatur: quæcunque loquimur, mihi videntur ad artem, & ad præcepta eſſe reuocanda: SICVLOS; ſic ait Quintilianus: artis ſcriptores antiquiſsimi Corax, & Tiſias Siculi, quos inſecutus eſt vir eiuſdem inſulæ Gorgias Leontinus. CORACEM, hic quum tyrannorum, & præſertim Hieronis fuiſſet amicus ita, vt quicquid vellet, faceret, poſt eius mortem ſperabat, vt prius, audiri, ſed quum populi cognouiſſet inconſtantiam, eum blandis verbis cœpit appellare, & tum demum partes orationis quaſdam primus, vt ait Hermogenis Interpres, excogitauit, & inde ſcriptor artis eſt appellatus, quem tamen Cicero deridet, quum vocat neſcio quem, & monet oportere pati illum ſuos pullos excludere in nido, quòd κόραξ coruus dicatur. TISIAM, Coracis diſcipulum. Vnde quum illis tale quid accidiſſet, quale refert Gellius de Protagora, & Euathlo, prouerbium illud eſt factum: mali corui malum ouum, quod Græcum paulo ante poſuimus. Cum hoc Tiſia legatum Gorgiam Leontinum Athenas profectum ſcribit Pauſanias. hic multa in orationem contulit, & perſuadendi peritiſsimus omnium ſuo tempore habitus eſt. Mulieri cuidam Syracuſanæ litem de pecuniis intulit. hunc in Phædro Platonis Socrates deridet: cuius tamen auditorem Iſocratem fuiſſe ſcribit Plutarchus. CONSCRIPSISSE, vnde ſcriptores artis, non inuentores artis vocat Quintilianus: qui ſecutus Ariſtotelem, Empedoclem facit inuentorem: Cicero tamen libro primo de Oratore hoſce vocat inuentores. NAM, αἰτιολογία, quòd illi primum artem conſcripſerint. SOLITVM, ſolitum dicere, & videtur eſſe ὑπέρβατον. DE SCRIPTO, non memoriter, quòd dum Rhetorica eſſet ſcripta, cuius inter partes memoria numeratur. ſic Cicero ſuam orationem Poſt reditum in ſenatu propter magnitudinem de ſcripto dixit. PLEROSQVE, vt Periclem, qui primus orationem ſcriptam in iudicio dixit, vt ſupra retulimus. & ſanè alios potius hic, quàm Siculos ſignificat: ſiquidem Siculi neque de ſcripto, neque memoriter dicebant, ſi vera ſcribit Hermogenis Interpres, qui teſtatur, Siculos ante Coracem ne loqui quidem potuiſſe. SCRIPTASQVE FVISSE, ET PARATAS, & quidem in Sicilia, quò profectus eſt, vt diximus. PROTAGORA, de quo ſupra. RERVM ILLVSTRIVM, fortaſſe virtutum, de quibus ſcripſit: vel potius ἐπιχειρήσεων, de quibus ita ſcribit Laërtius: πρῶτος κατέδειξε τὰς πρὸς τὰς θέσεις ἐπιχειρήσεις: vel τέχνης ἐριστικῶν, vt ait Laërtius. Vt enim Suidas refert, τοὺς ἐριστικοὺς λόγους εὗρε καὶ ἀγῶνα λόγων ἐποιήσατο. hinc à Timone ἐριζέμεναι εὖ εἰδὼς dictus eſt. NVNC, & ſemper poſt Protagoram. à veteribus enim ſic nominati ſunt. COMMVNES APPELLANTVR LOCI, eo,

quòd videntur iidem multarum eſſe cauſarum, vt in Oratore Cicero ſcribit: qui libro tertio de Oratore ſic item docet: loci, quia de vniuerſa re tractari ſolent, communes à veteribus nominati ſunt: & libro ſecundo de Inuentione: hæc argumenta, quæ transferri in multas cauſas poſſunt, locos communes nominamus. locum communem ſic definit Aphthonius: locus communis eſt exaggerans oratio eorum, quæ inſunt alicui, bonorum, vel malorum. dicitur autem communis eo, quòd omnibus communiter accommodetur. mitto, quæ dicat Quintilianus, Priſcianus, & Theon, qui tamen inter locum communem, & laudationem, ac vituperationem multum interesse putat: quòd locus communis rerum ſit tantum, neque demonſtrationes habeat: laudatio vero, ac vituperatio certas perſonas, & demonſtrationes habent, vt Helenæ laudatio apud Iſocratem, & Eurybatæ vituperatio. GORGIAM, Gorgiam Leontinum, de quo ſupra diximus, ne decipiamur cum his qui neſcio quem alium Gorgiam Rhetorem ſignificari putant: nec animaduertunt, hic Gorgiam inter Protagoram, & Antiphontem ita collocari, vt Gorgias Leontinus, qui inter eos quaſi medius tempore fuit, intelligatur. SINGVLARVM RERVM, non igitur perſonarum. nam quum certæ perſonæ laudantur, aut vituperantur, non iam communes loci, ſed laudationes, aut vituperationes, vt dictum eſt, appellantur. Hic vero communes locos vult ſignificare, quum Gorgiam idem feciſſe dicit, quod Protagoras fecerat. & rerum quidem, vt ſenectutis, paupertatis, audaciæ, & aliorum rerum, quarum laudes, & vituperationes Stobæus breuiter eſt complexus, Gorgiam fortaſſe imitatus. LAVDES VITVPERATIONESQVE, ἐπαίνους, ψόγους, vt vocant Græci, & præſertim Theon, & Aphthonius, qui laudationis, & vituperationis etiam præcepta tradunt. de quibus & nos aliquid hoc loco diceremus, ſi Cicero laudationes, & vituperationes perſonarum hic ſignificaſſet, & non rerum: de quibus tamen illi quoque ſcribunt, docéntque quo pacto laudari, aut vituperari debeant. IVDICARET, quippe quum Rhetoricam cæteris omnibus artibus præferret, vt in Philebo refert Plato, qui Gorgiam ſcripſit, in quo, quantum ille Rhetoricæ tribueret, facile cognoſcitur. REM AVGERE POSSE LAVDANDO, hinc Theon putat ῥήτορος ἔργον εἶναι τὸ αὐξῆσαι τὰ ἀποδεδειγμένα. AFFLIGERE, deprimere. oratores enim parua extollere, & magna deprimere poſſunt. hinc, vt Plutarchus eſt autor, Iſocrates interrogatus, quid eſſet Rhetorica, reſpondet: τὰ μὲν μικρὰ μεγάλα, τὰ δὲ μεγάλα μικρὰ ποιεῖν. HVIC, hic conſideranda eſt hæc locutio: Antiphon habuit ſimilia quædam huic conſcripta, id eſt talia, qualia hic ſcripſit: quæ locutio apud Græcos eſt frequens, vt ὅμοιος σοι ποιῶ. Lucianus in dialogo, quem inſcripſit πρὸς τὸν εἰπόντα προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις: ὅμοιόν τι τῷ προμηθεῖ πεποιηκὼς φαίνομαι. & ἐν πρὸς ὅσεις τὸν βίον. βάρβαρος ἡ φωνὴ ἴσαι, καὶ ἀπηχὲς τὸ φθέγμα καὶ ἀτεχνῶς ὅμοιον κωμῷ. & Ariſtophanes in Pluto: ἴσας πληγὰς ἐμοὶ μετεῖχεν. Quin Interpres Homeri libro ſecundo Iliados ita ſcribit: ἰστέον ὅτι τὸ ὅμοιον καὶ τὸ ἴσον καὶ τὸ ἴκελος δοτικῇ συντάσσονται μόνα τῶν πρός τι. rara vero eſt locutio apud Latinos, vt infra, Cotta ſonabat contrarium Catulo. & apud Horatium illud in arte: idem facit occidenti. Quare quum tam rara ſit, libenter lego, vt in meo libro ſcriptum eſt: hinc, id eſt poſt Gorgiam. Antiphon enim, vt ſcribit Suidas, ἱερεὺς τοῦ ῥαμνουσίου χαρακτῆρος μετὰ γοργίαν, ὀλίγῳ νεώτερος αὐτοῦ, vt ait Plutarchus. ANTIPHONTEM, Antipho hic Sophili filius, & diſcipulus fuit: quamuis multi putent, eum dicendi facultatem natura conſecutum, ad Rempublicam acceſsiſſe. cum Socrate habuit conſuetudinem, ſed ita, vt aduerſaretur; vt Plato & Xenophon teſtes locupletes ſunt. Hic omnium primus, vt autor eſt Quintilianus, orationem ſcripſit. & ſanè petentibus orationes

&

& quidem iudiciales potiſsimum ſcribebat, vt refert Plutarchus: qui affirmat tum morem non fuiſſe, vt orationes ſcriberentur. & quum hic eſſet admodum ingenioſus, primus artem Rhetoricam protulit: vnde Neſtor eſt appellatus. Thucydidis magiſtrum fuiſſe ſcribit Suidas, & Marcellinus in vita Thucydidis, ſed Cęcilius apud Plutarchum diſcipulum fuiſſe credit, & ob id illum ab eo laudari putat. peruenit vero hic vſque ad diſſolutionem ſtatus popularis à quadringentis viris factam, cuius & ipſe autor fuiſſe dicitur, quòd quadringentos viros nauibus, auxiliis, & opibus iuuiſſet. Soluta vero quadringentorum virorum dominatione, cum Archeptolemo vno ex illis in iudicium vocatus, condemnatus eſt, & pœnis, quibus proditores multari ſolent, multatus, inſepultus eſt proiectus, tanquam ſacer, & infamis cum filiis, & nepotibus notatus, vt ſcribit Plutarchus, qui etiam decretum ponit. alii tamen, vt Lyſias, & Theopompus à triginta tyrannis illum ſublatum fuiſſe ſcripſerunt: alii iam ſenem Syracuſas nauigaſſe, vbi, quum à Dionyſio priore quæreretur, quod æs optimum eſſet, dixit, quod Diogeni quidam tribuunt, optimum eſſe, ex quo Harmodii, & Ariſtogitonis ſtatuæ factæ fuiſſent. Quare Dionyſius illum vel ob id tollendum curauit: vel quòd eius tragœdias vituperaſſet: quum tamen etiam tragœdias cum eo ſcripſiſſe dicatur. orationes eius ſexaginta circunferebantur, quarum viginti quinque falſas Cæcilius iudicabat. In comœdiis à Platone comico tanquam nimis auarus eſt notatus. Hic ἀλυπίας id eſt indolētiæ artem profeſſus eſt, tanquam triſtes, vt medici ægrotos, poſſet curare. νηπενθεῖς ἀκροάσεις appellat Philoſtratus. Itaque Corinthi domum prope forum ſibi quum paraſſet, iuſsit proſcribi: ſe triſtes per ſermones curaturum: & poſtea cauſas triſtitiæ ſciſcitans, eos conſolabatur. Deinde arbitratus illam artem ſuis viribus inferiorem, ad Rhetoricam ſe conuertit: & tam multa poſtea ſcripſit, vt multi librum Glauci Rhegini de poëtis huic acceptum referant. Ex his omnibus, quæ retulimus, dubitat Philoſtratus, bonum, an improbum illum debeat appellare, quamuis illum Thucydides magnopere commendet. RHAMNVSIVM, τὸν δῆμον ῥαμνούσιον vt Græci dicunt, à pago Rhānunte, à qua Rhamnuſia Nemeſis etiam fuit appellata, quòd ibi eſſet eius ſtatua, vt multi putant, ſed Pauſanias in Atticis ita ſcribit: ῥαμνοῦς ἀπέχει μικρὸν δὲ ἀπὸ θαλάσσης ἄνω, νεμέσεώς ἐστιν ἱερόν. parua Rhamnus à Pomponio Mela dicitur. QVO NEMINEM VNQVAM MELIVS VLLAM ORAVISSE CAPITIS CAVSAM, ſic ait Thucydides libro octauo: ἄριστα φαίνεται τῶν μέχρι ἐμοῦ ὡς ξυγκατέστησε θανάτου δίκην ἀπολογησάμενος. DEFENDERET, in cauſa proditionis, quòd cum quadringentis viris ſenſiſſet. SE AVDIENTE, hoc non ſcribit aperte Thucydides, ſed eſt veriſimile, quum eodem tempore vixerint ita, vt ipſius Antiphontis diſcipulus, vel magiſter Thucydides, vt retulimus, fuiſſe dicatur. SCRIPSIT, libro octauo. PROFITERI SOLITVM ARTEM ESSE DICENDI, hinc Plutarchus in vita ſic ait: εἰσὶ δ' αὐτῷ καὶ τέχναι ῥητορικαὶ πεποιημέναι. THEODORVS, Theodorus Byzantius, quem Plato in Phædro λογοδαίδαλον vocat: qui, vt eſt apud Suidam contra Thraſybulum, & Andocidem, aliáque multa ſcripſit. ARTE, Rhetorica. SVBTILIOR, acutior, in inueniendo præſertim. nam multa, quæ Plato numerat, inuenit. IEIVNIOR, fit enim ſæpe, vt qui artem ſciant, ſcribere neſciant: quod de Varrone, Hortenſio, Galba, Horatio, Quintiliano, Seneca, Hermogene, dicitur, vt alios mittam, quos longum eſſet referre. Quin fuerunt, qui neminem ſcriptorem artis, ne mediocriter quidem diſertum fuiſſe dicebant, vt Cicero libro primo de Oratore refert. ORATIONES EVM SCRIBERE ALIIS COEPISSE, Lyſias enim, vt ait in libello de Optimo genere oratorum, priuatas pleraſque, & eas ipſas aliis, & paruarum re-

rum cauſulas ſcripſit. REMOVISSE, quòd ipſe quoque negaret eſſe vllam artem dicendi, vt multi alii negarunt:quod Cicero libro primo de Oratore ſcripſit,& nos ſupra repetiuimus. Ita vero interpretandum docet particula, ſimiliter, quæ ſequitur, & Quintilianus, qui libro ſecundo capite decimo octauo ſcribit, eum negaſſe, artem eſſe. SIMILITER, ſimiliter, atque Lyſias remouerat,& negarat.nam,quod ad ordinem pertinet,primo artem fuerat profeſſus,deinde orationes ſcripſerat: Iſocrates contrà primò artem negarat,quum orationes ſcriberet,deinde ſe ad artem tranſtulerat. NEGAVISSE, vt negat Socrates apud Platonem in Phædro,& Gorgia, vt multi ſæpe negarunt,vt diximus. ORATIONES, λόγους, vt περὶ τοῦ ζεύγους, αἰγινητικὸν, τραπεζιτικὸν, παραγραφικὸν, & alios quos multos ſcripſit. EX EO, QVIA, ex eo, quòd, dicere ſolet. QVASI, hac particula hic eſt vſus vel quia lex illa nondum erat, vt infra, quaſi lege Licinia, & Mucia: vel quia in totam legem nō commiſerat: quum in ea ſic eſſet ſcriptum: qui coierit, conuenerit, conſenſerit, falſúmue teſtimonium dixerit, vt in oratione pro Cluētio leges. Iſocrates vero tantum conſenſiſſe videri poterat: quanquam vel id ſatis erat. COMMITTERET, committere in legem ſæpe dixit Cicero, vt in orationibus pro Cluentio,& pro Muræna. Ipſe quidem Iſocrates in oratione περὶ τῆς ἀντιδόσεως ſcribit, ſe à Lyſimacho potiſsimum accuſatum, ὡς διαφθείρει τοὺς νεωτέρους, λέγειν διδάσκων, καὶ παρὰ τὸ δίκαιον ἐν τοῖς ἀγῶσι πλεονεκτεῖν. LEGEM, tunc fortaſſe apud Græcos etiam latam, certe apud Romanos legem, ne quis iudicio circumueneretur, C. Gracchus tulit, vt Cicero refet in oratione pro Cluentio. SAEPE, Plutarchus tamen in vita ita ſcribit: δὶς δὲ ἄπειπε τῷ βίῳ συνέστησαν αὐτῷ ἀγῶνας, πρότερος μὲν ὑπὸ τοῦ μεγακλείδου, δεύτερος δὲ ὑπὸ τοῦ λυσιμάχου. ARTES, τέχνας ῥητορικάς. τέχνας enim Lyſiæ, & τέχνας Theramenis dixit Plutarchus,& Ariſtoteles τέχνας à ſe Theodectæ ſcriptas appellauit. Cicero igitur quum videret τέχνας pene frequētius, quàm τέχνην à Gręcis dici, artes & ipſe hoc loco dixit. & fortaſſe tam ille, quàm Græci artes potius, quàm artē, de Rhetorica loquentes, dixerunt: quòd, vt ſupra dictum eſt, illa ex quinq. rebus conſtet, quarum vnaquæque eſt ars ipſa magna per ſe ſe: vel quòd oratori plures artes ſint neceſſariæ, vt in libris oratoriis diſputatur. COMPONENDAS, ſed non edendas. Iſocratis enim quam conſtaret eſſe artem, ne Cicero quidem inuenit, vt libro ſecundo de Inuentione teſtatur. vel, ſi edidit, ad Ciceronis tempora non peruenerunt. in libro manu ſcripto, hoc verbum, componendas, omiſſum animaduertimus. TRANSTVLISSE, quòd vidiſſet artes quaſdam Theramenis ſibi in iudiciis, in quibus accuſabatur, auxilio fuiſſe, vt ſcribit Plutarchus in vita. Cicero vero ſuo dichoreo de Iſocrate, & de arte loquens, vt ſupra, apte vſus eſt.

Et Græciæ quidem oratorū partus, atq. fontes vides, ad noſtrorum annaliū rationem veteres, ad ipſorū ſanè recentes. nam ante quàm delectata eſt Athenienſium ciuitas hac laude dicendi, multa iam memorabilia & in domeſticis & in bellicis rebus effecerat. hoc autem ſtudium non erat commune Græciæ, ſed proprium Athenarum, quis enim aut Argiuum oratorem, aut Corinthium, aut Thebanum ſcit fuiſſe temporibus illis? niſi quid de Epaminonda docto homine ſuſpicari libet. Lacedæmonium uero uſque ad hoc tempus audiui fuiſſe neminem: Menelaum ipſum dulcem illum quidem tradit Homerus, ſed pauca dicentem.

tem. breuitas autem laus eſt interdum in aliqua parte dicendi, in uniuerſa eloquentia laudem non habet.

GRAECIAE QVIDEM ORATORVM. ἐπίλογος, nec dixit, Græcorum oratorum, vt infra, ne Aſiaticos, & Rhodios complecteretur. PARTVS, ATQVE FONTES, ortus, & principia. ſed quoniam fontes rerum prius ſunt, quàm res pariantur, videri Cicero poteſt ὁμοιωτικῶς ὕστερον πρότερον locutus, vt quædam ſit amplificatio per incrementũ, vt vocat Quintilianus, hoc modo: magnum eſt partus, ſed maius eſt etiam fontes videri. ſic vero mutat ordinem in hoc dialogo, quum ex arte loquatur, vt ſupra de Demoſthene loquens, & infra, verba ſententiis præpoſuit, aliter fortaſſe facturus, ſi de arte loqueretur. hic vero duplex eſt trãſlatio altera ab animalibus, altera ab aquis ſumpta. VIDES, tu Attice. iampridem enim cum ſolo Attico loquitur, vt oſtendimus, aliter nidos. AD NOSTRORVM ANNALIVM RATIONEM VETERES, ſic ſupra: hi oratores, vt eſt populi Romani ætas, ſenes: vt Athenienſium ſecula numerantur, adoleſcentes debent videri. AD IPSORVM, ad ipſorum Græcorum, ſiue Athenienſium annalium rationem: non autem ipſorum oratorum, vt multi poſſent putare, qui non intelligerent, per ipſos κατὰ σύνεσιν Græcos in Græcia intellectos referri. SANE RECENTES, ſanè recentes partus, ſanè adoleſcentes oratores, vt ſupra dixit. NAM, αἰτιολογία, quare recentes videri debeant oratorum partus ad Athenienſium annalium rationem. ANTEQVAM DELECTATA EST, ante Periclem, vt ſupra dixit. ATHENIENSIVM CIVITAS, in qua primum ſe orator extulit, primúmq. etiam monimẽtis, & literis oratio eſt cœpta mandari, ſupra. HAC LAVDE DICENDI, eloquentia, quam ſupra etiam de Pericle loquens, laudem vocauit. IAM, iam adulta, vt ſupra locutus eſt. DOMESTICIS, in quibus continentur humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, & leges: quæ quidem omnia putantur Athenis orta, & in omnes terras diſtributa, vt in oratione pro Flacco leges. Quæ vero dicuntur ab Iſocrate ſparſim, & à Iuſtino libro ſecundo, mitto. IN BELLICIS REBVS EFFECERAT, nam filiis Herculis, Lacedæmoniis, Argiuis, & Thebanis auxilium tulerat, & bellum cum Scythis, Amazonibus, Thracibus, Dario, & Xerxe geſſerat, & alia fecerat, quæ pluribus verbis Iſocrates, & hiſtorici perſequuntur. STVDIVM, dicendi, & eloquentiæ. GRAECIAE, reliquæ Græciæ. nam & Athenæ certe ſunt in Græcia, vt omnes ſciunt. & Græciam dicit non quo modo Plinius qui ſeparat à Peloponneſo, ſed quo modo Strabo, & alii, qui vocant eam Græciam totam, quam & Pauſanias deſcribit, quum τῆς Ἑλλάδος περίηγησιν facit, vt ipſe vocat, quamuis paruum quendam locum Europæ teneat, ſempérq. tenuerit, vt ait Cicero in Oratione per Flacco. Nec inſulas vicinas hic videtur complecti, quum paulo poſt è Piræeo euectam eloquẽtiam dicat: quanquam ſupra nonnullos, qui non erant ex vera Græcia, numerauit. PROPRIVM ATHENARVM, vbi nata, & alta ſit eloquentia. QVIS ENIM, αἰτιολογία, quòd ſtudium hoc non fuerit commune Græciæ reliquæ: quod tamen falſum videtur, quando Prodicus Cius fuit, Hippias Eleus, & Dinarchus Corinthius: ſed Prodicus & ex inſula fuit, & ipſe, ac Hippias ſophiſtæ potius, quàm oratores fuerunt: Dinarchus vero in agro Athenienſi natus etiam creditur: Athenis certe diutius vixit, vt ſupra diximus: & tam pauci ſunt, vt maxime ſint oratores, numerum vix vt facere videantur, ſi cum reliquis conferantur. ARGIVVM, ab Argo Peloponneſi, quod Homerus vocat ἀχαιικὸν ἴασον, ἱππόβοτον, vt Strabo, & Interpres Homeri etiam teſtantur. eſt enim etiam Argos Pelaſgicum in Theſſalia, vt Plinius libro quarto capite ſeptimo do-

cet, Argos Amphilochicum, idem libro quarto capite primo, argos Hippium in Italia, Arpi poſtea dicti, idem libro tertio capite vndecimo. Argiui porro breuius loquebantur, quàm vt oratores eſſe aut dici etiam poſſent: id oſtendit prouerbium Argiua oratio. CORINTHIVM, à Corintho vrbe prope Iſthmum poſita, à qua κορινθιάζεσθαι veteres deduxerunt: quod qui faciunt, haud ſanè quidem video, qui magni oratores eſſe poſsint. THEBANVM, à Thebis Bœotiæ, vbi cœlum erat craſſum. Itaque Thebani pingues putabantur, vt Cicero in libro de Fato ſcribit: & tot prouerbia oſtẽdunt, Bœotica auris, Bœotica ſus, Bœotici mores, Bœoticum ingenium. Qui vero tales ſunt in oratorum numerum non ita facile poſſunt peruenire: Meneclides tamen Thebanus à Plutarcho in Pelopida Rhetor appellatur, ſed non fuit magni nominis, vt apparet, quando nuſquam ab aliis, quod ego ſciam, nominatur. TEMPORIBVS ILLIS? quibus oratores ſupra dicti fuerunt. nam poſtea fuiſſe non negat. NISI QVID, πρόληψις, ne quis dicat, quod ſcribit Aemilius Probus, Epaminondam Thebanum eloquentem fuiſſe. EPAMINONDA, qui & Thebanus, & illis temporibus fuit: ſiquidem fuit æqualis, vt apud Probum legimus, Calliſtrati, quem Demoſthenes quum ſemel audiuiſſet, eius gloria cõmotus ad dicendi facultatem ſe dicitur contuliſſe. Epaminondæ vitam, & res geſtas quum alii multi, tum Plutarchus, Probus, & Iuſtinus perſequũtur: cuius nomẽ in veteribus, & nouis libris variè modo per o, modo per v ſcriptũ videmus: cuius rei cauſam fuiſſe credimus, quòd quum græce ſcribatur ἐπαμινώνδας, multi putarunt ω in v conuerti oportere quòd Dores, vt erant Thebani, ω pro ου vterentur: ſed quum hoc nomen tam apud Atticos, quàm apud alios ſcriptores Græcos ita ſcriptum inueniatur, non video, cur apud nos potius per v, quàm per o ſcribendum videatur. DOCTO, & docto, à Lyſia Tarentino Pythagoreo, vt à Cicerone, & Probo vocatur, quamuis à Diogene in Pythagora Lyſis appelletur. LACEDAEMONIVS, quum ſupra dixiſſet hoc dicendi ſtudium non fuiſſe Græciæ commune, opus erat vt id probaret, & quidem omnibus Græciæ ciuitatibus enumeratis, ſed putauit ſatis eſſe, illas, quæ primariæ putabantur, enumerare: atque, vt oratio creſceret, Lacedæmonem, cuius ſpectata, ac nobilitata virtus, non ſolum natura corroborata, verumetiam diciplina, vt ait Cicero in oratione pro Flacco, putabatur, poſtremo loco ponere, præſertim quum in aliis ciuitatibus aliquem fortaſſe reperiri potuiſſe oratorem; Lacedæmone vero nullum prorſus fuiſſe Cicero contendit. VSQVE AD HOC TEMPVS, quo loquimur inter nos; tantum abeſt, vt aliquis illis temporibus fuerit. AVDIVI, tantum abeſt, vt legerim, aut viderim. FVISSE NEMINEM, oratorem, quando Lacedæmonii, vt ſcribit Iſocrates in Panath. τοσοῦτον ἀπολελειμμένοι τῆς κοινῆς παιδείας καὶ φιλοσοφίας εἰσὶν, ὥστ' οὐδὲ γράμματα μανθάνουσιν. Idem propemodum Xenophon in libro de Rep. Lacedæmoniorum, & Plutarchus in Laconicis inſtitutis ſcribunt. Quòd ſi Lacedæmonii ne literas quidem diſcebant, certe oratores eſſe non poterant, quum literis fons perfectæ eloquentiæ; quod dicitur infra, contineatur. nec λακωνισμὸς oratori conuenit, vt mittam, quod Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus ſcribit, eloquẽtiam in beneconſtitutis ciuitatibus, vt erat Lacedæmon, oriri non ſolere. MENELAVM, Pliſthenis filium. Agamemnon enim, & Menelaus filii fuerunt Pliſthenis, vt Interpres Homeri libro ſecundo Iliados, Porphyrius, & Seruius ſcribunt: ſed quum Pliſthenes iuuenis admodum deceſsiſſet, pueri ab Atreo ſunt educati, & ob id poſtea filii eius crediti: vnde ſemper à poëtis Atridæ vocantur. atque hic eſt πρόληψις, ne quis arguat, falſum eſſe quod dixit, Lacedæmonium oratorem neminem vnquam fuiſſe, quum Menelaus fuerit. Cicero igitur

probat

probat illum vere oratorem non poſſe appellari, quòd illa bræuitas, qua Menelaus vtebatur, in vniuerſa eloquentia laudem non habeat. DVLCEM, λίγυν, vel, vt Homerus loquitur, λιγέως ἀγορεύοντα, quamuis aliqui λιγέως acute vertant, Cicero tamen hoc loco dulcem dixit, TRADIT, libro tertio Iliados. HOMERVS, qui, vt ait ipſius Interpres, in Menelao ἄκτον τρόπον: in Vlyſſe vero τὸν σύντονον eſſe voluit. PAVCA DICENTEM, παῦρα ἀγορεύοντα, & more Laconum, qui βραχυλόγοι dicuntur: vnde in prouerbio eſt λακωνισμός. BREVITAS, breuitas talis, quali Menelaus, & reliqui Lacones vſi ſunt. & eſt quaſi αἰσχολογία, quàre Menelaüm oratorem fuiſſe non cenſeat, quòd ea breuitate vteretur, quæ in vniuerſa eloquentia laudem non habet. LAVS EST, locutio, qualis illa ſuperior, honos eloquentia. INTERDVM, non igitur ſemper, quando, dum breuis eſſe laboro, obſcurus fio, vt ait Horatius. IN ALIQVA PARTE DICENDI, in aliqua parte ex illis ſex partibus, ex quibus dicunt Rhetores orationem conſtare, vt in exordio, quod vitioſum dicitur libro primo ad Herennium, ſi nimium ſit longum: vt in narratione, quam Rhetores ſcribunt oportere breuem eſſe, quamuis Ariſtoteles ridiculos vocet eos, qui id ipſum præcipiunt: vt in diuiſione, ſiue partitione, præſertim ea, quæ rerum diſtributam continet expoſitionem, quæ breuitatem, vt ait Cicero libro primo de Inuentione, debet habere: vt in concluſione, præſertim quo loco miſericordia commouetur. commiſerationem enim breuem eſſe oportet. nihil enim lachryma citius areſcit. Vel in aliqua parte dicendi in aliquo genere dicendi, interpreteris licet, & attenuatum intelligas, in quo ſunt oratores ſubtili & preſſa oratione limati, vt ait Cicero in Oratore. Nec moueat, quòd partem, non genus hoc loco dicat Cicero, quoniam ſic loqui conſueuit, vt libro primo de Inuentione quum partitionem in duas partes diuiſiſſet, poſtea genus vtrunque dixit: idque facit, vt planè oſtendat: quamuis pars generi ſiue toti ſubiiciatur, in docendo tamen, & ſcribendo ſæpe alterum pro altero poni ſolere. Quæ igitur in Oratore, & alibi genera dixit, hic partes videtur vocare, præſertim quum poſtea vniuerſam eloquentiam tanquam genus addat. LAVDEM NON HABET, atqui libro tertio de Legibus ait, breuitatem non modo ſenatoris, ſed etiam oratoris magnam eſſe laudem, ſed in ſententia. οὐδὲ γὰρ, inquit Ariſtoteles libro tertio Rhetorices, ἐνταῦθα δεῖ τὸ εὖ ἢ τὸ ταχὺ ἢ τὸ συντόμως, ἀλλὰ τὸ μετρίως.

At vero extra Græciam magna dicendi ſtudia fuerunt, maximíque huic laudi habiti honores illuſtre oratorum nomen reddiderunt. nam vt ſemel è Peiræeo eloquentia euecta eſt, omnes peragrauit inſulas, atque ita peregrinata tota Aſia eſt, vt ſe externis oblineret moribus, omnémque illam ſalubritatem Atticæ dictionis quaſi ſanitatem perderet, ac loqui penè dediſceret. hinc Aſiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate, nec copia, ſed parum preſſi, & nimis redundantes, Rhodii ſaniores, & Atticorum ſimiliores. ſed de Græcis hactenus: etenim hæc ipſa forſitan fuerint non neceſſaria.

AT VERO, quum ſciret Cicero apud Græcos tria quaſi genera oratorum fuiſſe Atticos, Aſiaticos, & Rhodios: ac multa de Atticis dixiſſet, de reliquis etiam aliquid ſibi dicendum putauit. Itaque poſt epilogum de Atticis factum, quàm breuiſſime fieri poteſt, quædam de Aſiaticis, & Rhodiis oratoribus refert, & poſtea tandem ad Romanos, vt à principio cogitarat, tranſit.

GRAECIAM, totam quidem illam, quam ſupra diximus, ſed potiſſimum tamen Atticam ſignificat. MAGNA DICENDI STVDIA, ita magna, vt quod ſcribit Quintilianus libro duodecimo capite decimo, paulatim ſermone Græco in proximas Aſiæ ciuitates influente, nondum ſatis periti loquendi, facundiam concupierint. FVERVNT, in aliis quidem etiam locis ſed in Aſia tamen potiſſimum, & Rhodi. HVIC LAVDI, eloquentiæ, hoc eſt, hominibus eloquentibus, vt ſit denominatio. HABITI, vt ab Alexandro Magno, qui Anaximenem Lampſacenum oratorem ſecum etiam in bellis habuit, & magni ſemper fecit: vt à Pyrrho Epirotarum Rege, qui Cyneam oratorem ſecum & ipſe duxit, & multo plures vrbes eius oratione, quàm ſuis armis captas dixit: vt à Romanis, qui M. Valerium Dictatorem, quòd diſcordias dicendo ſedaſſet, maximis honoribus, & Maximi cognomine ornarunt vt infra dicetur: vt ab aliis, quos longum eſſet referre. ILLVSTRE, ita, vt M. Antonius apud Ciceronem proponat, nihil eſſe oratore perfecto præclarius: vt mirum nemini videri debeat, quod ſcribit Cicero, Romæ nulla vnquam vehementius, quàm eloquentiæ ſtudia viguiſſe. REDDIDERVNT, quum antea fuiſſet obſcurum, & ſero in lucem prodiſſet. & de eloquentia loquens, ſuo dichoreo vti voluit, vt præclare terminaret. NAM, αἰολογία, quòd extra Græciam magna dicendi ſtudia fuerunt, non quòd habiti honores illuſtre oratorum nomen reddiderunt. nam quum peregrinata, & oblita moribus externis dicitur eloquentia, non laudatur. E PIRAEEO, è portu Athenien. πειραιεὺς enim, vt ſcribit Pauſanias in Atticis, δῆμος ἦν ἐκ παλαιοῦ, & portus, vt ait Plinius: de quo dubitauit Cicero libro ſeptimo ad Atticum, hodie portus Leonis appellatur. alii legunt, in Piræeo, nec vident, non dici Latine, eloquentia in Piræeo euecta eſt. EVECTA, aliter deuecta. & videtur tranſlatio à mercatoribus ſumpta, qui cum mercibus in regiones externas deuehuntur. OMNES, ὑπερβολή. neque enim veriſimile videtur, omnes illam inſulas peragraſſe: quum, vt alias mittam, ne Britannia quidem tempore Ciceronis homines literis, & muſicis eruditos haberet, nedum eloquentes. vel omnes inſulas ſignificat Græciæ vicinas, & in Aegeo mari præſertim poſitas, ex quarum nonnullis oratores agnoſcuntur, vt ex Lesbo Potamon apud Suidam. PEREGRINATA, hoc videtur dictum tanquam de fœmina, quæ male ſolet audire, quum apud comicos peregrina dicitur, quod Donatus etiam ſcribit. ASIA, minore, qua de ſupra dictum eſt. SE EXTERNIS OBLINERET MORIBVS, vt oblini ſolent homines, quum peregrinantur: vnde Lacedæmoniis peregrinari non licebat, ne moribus externis oblinerentur, ſic facetias oblitas Latio dixit in Epiſtolis Fam. Atque hoc quidem quidam, quorum Santra fuit, putant, vt ait Quintilianus, accidiſſe, quòd paulatim ſermone Græco in proximas Aſiæ ciuitates influente, nondum ſatis periti loquendi, facundiam concupierint: ideóque ea, quæ proprie ſignari poterant, circuitu cœperint enunciare, ac deinde in eo perſeuerarint. Quintiliano autem ea videtur cauſa, quòd Aſiana gens tumidior alioqui, & iactantior vaniore etiam dicendi gloria inflata fuerit. SALVBRITATEM, tranſlatio à locis, vel potius ab animalibus, quorum ex habitu, & colore tum ſalubritatis tum peſtilentiæ ſigna percipiuntur, vt loquitur Cicero libro primo de Diuinat. & ſupra dicitur ſuccus, & ſanguis incorruptus illo tempore in oratione fuiſſe, quòd naturalis ineſſet, non fucatus nitor. Salubritas vero multo minus ſignificat, quàm ſalus, quæ eadem eſt & ſanitas, vt oſtendit in oratione pro Muræna: à iuriſconſultis ſalubritas quædam, ab oratoribus ſalus ipſa petitur. hinc quum poſt ſalubritatem ponitur ſanitas, creſcit oratio: quanquam durior trãſlatio videbatur: & iccirco particula hac quaſi eam molliuit. QVASI,

vel

vel mollitur tranſlatio, vt diximus, vel eſt quædā ἐπεξήγησις, qua ſalubritatē in
terpretatur. aliter & quaſi, vt duo dicat, ſalubritatē, & ſanitatem. SANITA-
TEM, ſic in libello de Opt. orat. gen. incorruptam ſanitatē, & bonam valetu-
dinem: & infra item ſanitatē, & contrà inſaniā orationis dixit. LOQVI, vide
tur ὀξύμωρον eſſe, eloquētia loqui dediſceret, vt ſupra, eloquētia obmutuit. PE
NE, aliter plene, male, quum plenius etiam loqueretur, vtens circuitu, vt ait
Quintil. aliter plane, quod mihi ſatis placet. nam, qui circuitu vtuntur, ſatis
plane loqui non poſſunt, vt Aſiatici, qui redundantes paulo poſt dicuntur.
ASIATICI ORATORES, vt Hierocles, & Menecles Alabandenſes fratres,
quos M. Antonius audiuit, vt lib. ſecundo de Orat. dicit ipſe: quoſque Cicero
in Oratore Aſiaticorū oratorum principes vocat: & infra orationes eorū, vt
in Aſiatico genere laudabiles appellat. alios itē in hoc dialogo, de ſe loquens
numerat. NON CONTEMNENDI, ſic in Oratore: Hierocles, & Menecles mi
nime, mea ſententia, contemnendi. Vnde quaſi apparet hic eoſdē ſignificari.
CELERITATE, dicendi celeritate, quam tamen in Oratore hac ipſa de re lo
quens, facultatē videtur appellare. & ſanè qui celeriter loqui poteſt, is dicēdi
facultatem videtur adeptus. hinc lib. primo de Orat. quum de rebus ad ora-
torē pertinentibus eſſet locutus, inquit: quibus in rebus omnis oratorū ver-
ſatur facultas: & quòd conſuetudo, exercitatióque & intelligendi prudentiā
acuit, & eloquēdi celeritatem incitat. Vel facultatē ad alterum genus Aſiati-
corum, celeritatē ad alterum referas, quod ipſe infra verbis volucre, & inci-
tatum vocat. COPIA, dixit idem in Orat. PRESSI, in quibus nihil redundet,
vt ſupra diximus. NIMIS, aliter nimiū, fortaſſe rectius. nam ſæpius, parum &
nimiū, quàm parum & nimis inter ſe opponūtur: vt lib. primo de Off. medio
critas eſt inter nimiū, & parum: & quamuis nō negemus recte dici, aliquid ni
mis redundans, vt dicimus, aliquid nimis infinitum, nimis magnum: Cic. ta-
mē lib. ſecundo de Orat. dixit, verba nimiū redundantia. REDVNDANTES,
redundantes, & abundantes etiam vocat Quint. quòd inania quædam ver-
ba quaſi complementa numerorum inculcarent, vt ait Cicero in Oratore.
eſt autem tranſlatio à fluminibus. RHODII, Rhodii oratores, vt Apollo-
nius Malacus, & Molo, quem Cicero, vt infra dicetur, audiuit. Quamuis
enim Alabandenſes illi fuerint, quia tamen Rhodi vixerunt, Molo Rhodius
infra, & hic Apollonius, & idem Molo Rhodii dicuntur: vt Dionyſius Thrax
& Apollonius, qui ſcripſit Argonautas, Alexādrini quidē fuerunt, ſed Rho-
dii tamen, vt Srabo teſtatur, ſunt appellati. SANIORES, Aſiaticis, qui ſani
quum dici nō poſsint, quòd ſalubritatem, & ſanitatē in illis eloquentia per-
diderat, Grammatici interpretarētur, ſaniores, minus inſani: quum huiuſce
modi comparationes probare non ſoleant. ob id vero ſaniores à Cicerone di
cuntur: quòd, vt in Oratore ſcriptum eſt, quum Caria, & Phrygia, & Myſia,
quòd minime politæ, miniméque elegantes eſſent, aſciuiſſent aptum ſuis au-
ribus opimum quoddam, & tanquam adipale dictionis genus, id Rhodii eo-
rum vicini, non ita lato interiecto mari, nunquam probauerunt. Hinc Quin
tilianus libro duodecimo capite decimo ita ſcribit: Adiecerunt genus Rho-
dium, quod velut medium inter Atticum, & Aſiaticum eſſe, atque ex vtro-
que miſtum volunt. neque enim Attice preſsi ſunt Rhodii, neque Aſiane
abundantes. ATTICORVM SIMILIORES, Aeſchines enim, qui, vt ait
Quintilianus, hunc exilio locum delegerat, intulit eò ſtudia Athenarum,
quæ velut ſata quædam cœlo, terráque degenerant, ſaporem illum Atticum
peregrino miſcuerunt. SED, tranſitio, vt vocatur libro quarto ad He-
rennium. GRAECIS, his oratoribus, qui Græca lingua vterentur,
quamuis extra Græciam eſſent multi, vt Aſiatici, & Rhodii: qui in Græ-

cia non erant, & tamen Græci dicebantur: quòd Græcia quidem cuncta paruum quendam locum Europæ tenet, ſempérque tenuit: vnde Græciæ oratorum partus ſupra dixit: ſed eadem Aſiæ maritimam oram bello ſuperatam cinxit vrbibus, vt Cic. in oratione pro Flacco, Srabo lib. octauo, & Plin. lib. ſexto cap. ſecundo ſcribunt. Hinc Græcos in Aſia eſſe ſæpe legis. Cic. igitur quum ſupra Græciæ oratorũ partus, Aſiaticos, & Rhodios nominauit, de Atticis oratorib. Aſiaticis, & Rhodiis quaſi per ſpecies eſt locutus: nũc vero quaſi per genus omnes cõplectitur, quum inquit, de Græcis hactenus. ETENIM, αἰτιολογία, quare plura de Græcis non dicat. HAEC IPSA, quæ diximus. FORSITAN, vtitur hac dubitatione, vt illis etiam ſatisfaciat, quibus hæc ipſa minus neceſſaria videri poterant: quum de Romanis dicturo nõ videatur neceſſariũ tam multa de Græcis repetere. Si quis tamẽ paulo acuratius rẽ intueatur, videat profecto, de Romanis oratorib. dicturo neceſſariũ eſſe de Græcis etiã, à quib. eorum facultas eſt profecta, dicere. FVERINT, aliter fuerunt.

Tum Brutus, Iſta vero, inquit, quàm neceſſaria fuerint; non facile dixerim: iucunda certe mihi fuerunt, neque ſolum non longa, ſed etiam breuiora quàm vellem. Optime, inquam: ſed veniamus ad noſtros; de quibus difficile eſt plus intelligere, quàm quantum ex monimentis ſuſpicari licet. Quis enim putet aut celeritatem ingenii L. Bruto illi nobilitatis veſtræ principi defuiſſe? qui de matre ſuauianda ex oraculo Apollinis tam acute argutéq. coniecerit; qui ſummam prudentiam ſimulatione ſtultitiæ texerit; qui potentiſſimum regem clariſſimi regis filium expulerit; ciuitatémque perpetuo dominatu liberatam, magiſtratibus annuis, legibus, iudiciiſque deuinxerit; qui collegæ ſuo imperium abrogauerit, vt è ciuitate regalis nominis memoriam tolleret: quod certe effici non potuiſſet, niſi eſſet oratione perſuaſum. Videmus item paucis annis poſt reges exactos, cum plebes prope ripam Anienis ad tertium milliarium conſediſſet, eumque montem, qui Sacer appellatus eſt, occupauiſſet, M. Valerium Dictatorem dicendo ſedauiſſe diſcordias eíque ob eam rem honores ampliſſimos habitos, & eum primum ob eam ipſam cauſam Maximum eſſe appellatum. Ne L. Valerium quidem Potitum arbitror non aliquid potuiſſe dicendo, qui poſt decemuiralem inuidiam plebem in patres incitatam legibus & concionibus ſuis mitigauerit.

NON FACILE DIXERIM, ego qui nondum, quorſum referantur, prorſus intelligo. Neque enim Brutus adhuc intelligere poterat, quò tenderet Ciceronis diſpoſitio. BREVIORA, nam, quæ libenter audimus, ea quàm longiſſima cupimus eſſe. OPTIME, dicis Brute. NOSTROS, Romanos. DIFFICILE, non facile inquit lib. ſecundo de Orat. in noſtris oratoribus poſſumus iudicare, quia ſcripta, ex quibus iudiciũ fieri poſſet non multa ſanè reliquerunt. SVSPICARI, putare, non etiam ſcire. QVIS ENIM, αἰτιολογία, quare ſuſpicari liceat, non autẽ ſcire. PVTET, ſuſpicetur. AVT, hanc particulam fortaſſe ſemel poſuit, ne meditatus dicere videretur, ſi poneret omnia. CELERITATEM INGENII, ſic in Aquilio Gallo celeritatẽ ponit infra. nam, vt

ſcribit

ſcribit lib. primo de Oratore,& animi,atque ingenii celeres quidam motus eſſe debent:qui ad excogitandum acuti,& ad explicandum,ornandúmq́. ſint vberes:& ad memoriã firmi,atque diuturni. Sed illud hic occurrit:quód hic tribuit ingenio,& orationi,id lib. primo de Orat. menti dat,& cõſilio ita,vt illa dicat verba:exactionẽ mente,non lingua perfectã L.Bruti eſſe cernimus: ſed deinceps omnia nonne plena cõſiliorum,inania verborũ videmus?ſed ibi Cic. inducit Scęuolã contra L. Craſſum diſputantem:& diſputãtes vincendi cauſa multa ſolent mẽtiri,& multa ſecus interpretari,vt tum Scæuola viderĩ poteſt feciſſe,qui eloquentiæ detrahebat,vt arti ſuæ plus tribueret. Hic vero Cic. vel putat in eo,in quo fuit prudentia,eloquentiã etiam fuiſſe:vel,vt res eſt,loquitur,vt hiſtoricus,dignus etiã venia,ſiquid corã M. Bruto de L. Bruto loquens addat:quanquam nihil addere videtur:quando Dionyſius,& Liuius L.Brutum longas etiã orationes habuiſſe ſcribunt:quod nunquam feciſſent,niſi illum eloquentẽ fuiſſe & ipſi putaſſent, vel apud veteres hiſtoricos legiſſent. L.Lucio.Lucius vero dicebatur is,qui luci natus eſſet,vt Varro,& Sex.Pompeius docent. BRVTO, L. Iunio Bruto,qui Marci filius fuit.Marcus vero Iunius quum,vt autor eſt Dionyſius, duceret originem ab vno eorum,qui cum Aenea coloniã deduxerant in Italiam,& diues eſſet,dignus eſt iudicatus,cui Tarquinius Priſcus Tarquiniã filiam vxorẽ daret:ex quã duos filios ſuſtulit M.Iunium,vt nos putamus,& hunc L.Iuniũ qui poſteã Brutus eſt appellatus:quòd quum patrẽ primum,deinde Marcum fratrem,quòd diuites,& prudentes eſſent,ã Tarquinio Superbo & quidẽ auunculo ſuo interfectos intellexiſſet, ne & ipſe interficeretur, ſe ſtultum eſſe ſimulauit. ΙΙΚΑΙ ΤΑ ἰμφατικ. NOBILITATIS VESTRAE PRINCIPI, quamuis enim pater, & frater maior natu,ac alii etiã fortaſſe plures fuiſſent in ea familia nobiles,hic tamen tantum ſplẽdoris attulit,vt iure nobilitatis illius gentis princeps debeat appellari. Quin vero M. Brutus,quicum Cicero loquitur,ab eo genus ducat,nemo dubitat, quum ſit ex ea gente,& præter Suetoniũ, Plutarchum reliquóſque ſcriptores penè omnes,id Cicero ſæpe,præſertim vero Philippica prima hiſce verbis teſtetur: L.Brutus & ipſe regio dominatu Remp. liberauit, & ad ſimilem virtutem, & ſimile factum ſtirpem in propè quingenteſimum annum propagauit. QVI, repetitio ὕστερον πρότερον facta. nam prius texit prudentiam, quàm coniecit, vt fortaſſe ordo ſit mutandus: niſi fecit arte, vt oratio creſceret, quod maius fuerit tegere prudentiam eo modo, quàm conii cere: vel ita fecit,quia poſt reditum ex oraculo etiam diu ſtultitiam ſimulauit. DE MATRE SVAVIANDA, quum vox,inquit Liuius,ex infimo ſpecu ſic reddita fuiſſet: Imperium ſummum Romæ habebit, qui veſtrum primus ò iuuenes oſculum matri tulerit: quumque Tarquinii de oſculo matri ſuæ ferendo cogitarent, L. Brutus aliò ratus ſpectare Pythicam vocẽ,velut ſi prolapſus cecidiſſet,terram oſculo contigit, ſcilicet quòd ea communis mater omnium mortalium eſſet.Ita Liuius.& ſanè terra mater omniũ dicitur à Cicerone in oratione pro Cluentio:Plinio,Dante,& à poëtis ſæpe:nec id ipſum negat Dionyſius, ſed affirmat Brutum Italiam, quum primum eò veniſſet, oſculo contigiſſe:quòd hanc putaret eſſe omnium hominum matrem. hinc fortaſſe Plinius Italiam rectricem,parentémque mundi alteram vocat,& alibi,omnium terrarum alumnam, & parentem:Cicero vero libro nono ad Atticum hanc patriam antiquiſsimam, & ſanctiſsimam parentem dixit: vnde ſummus Poëta vel ob id ita videtur ceciniſſe: antiquam exquirite matrem: vbi matrem, id eſt Italiam terram, non terram ſimpliciter, vt Seruius ait, interpreteris, neceſſe eſt. EX ORACVLO, ad quod Titus,& Aruns Regis filii cuiuſdam anguis in regia viſi cauſa,

vt ſcribit Liuius, vel morbi cuiuſdam, vt ait Dionyſius, miſsi, L. Brutum ſe-
cum duxerãt, vt haberent, quem ridere poſſent: vt tum potiſsimum riſerũt,
quum Apollini baculum obtulit: quòd exiſtimarent, baculum prorſus eſſe: at
ille baculum aureũ incluſum ſambuceo, vt eſt apud autorẽ libelli de Viris il-
luſtribus, vel corneo, vt ſcribit Liuius, cauato ad id baculo donũ Apollini tu
lerat, per ambages tegens effigiem ingenii ſui. APOLLINSS, Apollinis Del-
phici. Delphos enim ad maxime inclytum in terris oraculũ mittere Tarqui-
nius ſtatuit, vt ſcribit Liuius. QVI SVMMAM PRVDENTSAM SIMVLA-
TIONE STVLTITIAE TEXST, iuuenis, inquit Liuius, longe alius ingenio
quàm cuius ſimulationem induerat, factus eſt enim ex induſtria ad ſimilitu-
dinem ſtultitiæ. &, quoniam ſtultitiam ſimulare loco, prudentia ſumma eſt,
eandem Vlyſſes, Solon, & Meſon Aſtrologus, ſed diuerſis temporibus ſimu-
larunt. TEXERIT, vſque ad Lucretiæ mortem. Tunc enim pulcherrimum
iuſiurandum, quod eſt apud Liuium, iurauit. POTENTISSIMVM, poſt La-
tinos, Sabinóſque domitos, Sueſſam Pometiam Hetruſcis ereptam, Gabios
captos, & multa opera Romæ publice facta. REGEM, L. Tarquinium Super
bum. CLARISSIMI, quòd peregrinus quum eſſet, ſua induſtria Rex factus
centum patres in curiam legit, equitum centurias numero duplicauit, La-
tinos bello domuit, Circum maximũ ædificauit, ludos magnos inſtituit, de
Sabinis & priſcis Latinis triumphauit, & murũ lapideum vrbi circundedit.
vt ſcribit autor libelli de Viris illuſtribus. REGIS, L. Tarquinii Priſci Lucu
monis. FILIVM, filium fuiſſe plurimis autoribus credit Liuius: nepotem
ſcribit Dionyſius, L. Piſoni aſſentiens: neque filium, neque nepotem putat
Laurentius Vallenſis, idque longa ſatis epiſtola demonſtrat. nos, ne tam lon
gam diſputationem ingrediamur, Ciceronem, qui filium vel hoc ipſo loco
fuiſſe ſcribit, ſequimur. EXPVLERST, incenſam multitudinem, vt inquit
Liuius, perpulerit, vt imperium Regi abrogaret, exuléſque eſſe iuberet
L. Tarquinium cum coniuge, ac liberis. PERPETVO, non inter-
miſſo, & interrupto, ſed continenti, & continuato, quali Reges vti ſolent:
qui dum viuunt, regnant, niſi expellantur. hinc ſupra regium dominatum vo
cauit. at dominatus, qui fuit à Bruto conſtitutus, non erat perpetuus, ſed in-
termiſſus, & annuus: & iccirco dixit ciuitatem liberatam perpetuo domi-
natu, ſed non omni dominatu. nam Conſules cætera regiam propemodum
poteſtatem obtinebant. Vnde Cicero in Legibus inquit: Regio imperio duo
ſunto. Libertatis enim, vt ait Liuius, originem inde magis, quia annuum
imperium conſulare factum eſt, quàm quòd diminutum quicquam ſit ex re-
gia poteſtate, numeres. MAGISTRATIBVS, omnibus quidem etiam futu-
ris, ſed tum potiſsimum conſulatu. ANNVIS, ἀνύπτον... hac de re ſic loqui-
tur Brutus apud Dionyſium: Ego, quod omnium vtiliſsimum fore puto,
ne multum peccent, qui hunc magiſtratum ſuſcipient, cenſeo, non oporte-
re per omnem vitam eos in magiſtratu eſſe: Grauis enim eſt res omnibus
infinitum imperium, neque vllam rationem exhibens geſtorum: ex quo
tyrannis gignitur: ſed in tempus annuum, vt fit apud Athenienſes, ma-
giſtratus poteſtatem contrahere. Imperare enim aliquem quandoque, &
eundem parere, ac prius, quàm vitientur ſenſus, poteſtate abſiſtere, arro-
gantia ingenia comprimit, nec ſinit inebriari mores licentia. LEGIBVS, vt
de Rege ſacrificulo, de faſcibus, vt eos Conſules alternis menſibus haberent:
de reuocandis legibus de contractibus, quas prius à Tullio latas Tarquinius
ſuſtulerat: vt de victimis immolandis, & concione populo reſtituenda, &
poteſtate ſuffragii, quam prius habuerat. hæc Dionyſius libro quinto.
IVDICIISQVE, quamuis enim his temporibus, vt ait Liuius, nondum
Conſulem

Conſulem iudicem,ſed Prætorem appellari mos fuerit,nos tamen ob id Prætorem appellatũ fuiſſe credimus,quòd iudicaret,quod poſtea proprium fuit Prætoris,pręſertim quũ Cicero in Legibus ita dicat:Regio imperio duo ſunto,iique præeundo,iudicando,conſulendo, Prætores,Iudices,Conſules appellantor:& Quintil. ad hunc modum:ſitne conſul à conſulendo, an à iudicando.nam & hoc cõſulere veteres vocarunt. Vnde adhuc remanet illud:rogat,boni conſulas,id eſt bonum iudices. COLLEGAE SVO, L. Tarquinio Collatino,qui Lucretiæ maritus fuerat,vt omnes hiſtorici ſcribunt. IMPERIVM, conſulare. ABROGARIT, & eodem anno perierit,quod de omnibus, qui ſuis collegis magiſtratum abrogarint, obſeruatum Dion, & Iulius Obſequens teſtantur. REGALIS NOMINIS, nam L.& ipſe Tarquinius dicebatur : & Tarquiniorum,qui Reges fuerant,erat propinquus, vt in hiſtoriis legimus. PERSVASVM, ipſi L. Tarquinio Collatino, vt propemodum factum Liuius oſtendit:vel potius populo,vt Dionyſius refert. Quòd ſi Brutus oratione perſuaſit,fuit orator,cuius finis eſt perſuadere dictione, vt lib. primo de Inuentione ſcribitur. VIDEMVS, in hiſtoria. ſic loquitur in Lælio : videmus Papum Aemilium C. Luſcinio familiarem fuiſſe. PAVCIS ANNIS, ſexdecim,vt nos collegimus, & Cicero in oratione pro Cornelio, Aſconius,& Eutropius docent,quamuis Pomponius lib.primo Digeſtorum ſeptemdecim ſcribat. REGES, L. Tarquinium Superbum, vxorem, & filios : vel Reges,hoc eſt,nomen regium , & poteſtatem regiam. EXACTOS, à L.Iunio Bruto expulſos. & , quum de hac re loquitur Cicero, ferè ſemper hoc verbo vtitur:vt lib. primo de Orat. quid exactis Regibus? tametſi ipſam exactionem mente,non lingua perfectam L.Bruti eſſe cernimus:& lib. ſecundo de Oratore,Reges ex hac ciuitate exigi:& in oratione pro Cornelio,poſt Reges exactos:vbi Aſconius etiam non ſemel exactos Reges dixit.Vnde credimus veteres eo verbo in ea re ſic frequenter vſos fuiſſe, vt notam, quam ponit Probus, fecerint: EX. R. id eſt, exactis Regibus. PLEBES, aliter plebs, rectius , vt opinor. Quamuis enim vtroque modo dicatur,frequentius tamen plebs à Cicerone vſurpatur, niſi de vetuſtiſsimis rebus loquatur: vt quum leges ſcribit , & in his illam : Plebes quos pro ſe contra vim auxilii ergo decem creaſsit, Tribuni eius ſunt:vt plebes verbũ vetus,plebs magis vſitatum eſſe videatur. PROPE RIPAM, iuxta ripam , dixit Valerius Maximus lib.octauo cap. nono,quo modo Cicero non ſæpe,& fortaſſe nunquam eſt locutus,quãuis Cornelius Nepos in Attici vita, & alii æquales ita ſint locuti.& ripam vlteriorem,interpreteris,neceſſe eſt: quando Liuius ſcribit plebem trans Anienem amnẽ ſeceſsiſſe. ANIENIS, fluminis Anienis, vt eſt in Valerio,vel anienis amnis,vt eſt in Liuio.Eſt vero fluuius,qui,vt ſcribit Plinius,in monte Trebanorum ortus,tres lacus in Tiberim defert,quem hodie Teueronem ſcriptores appellant. AD TERTIVM MILLIARIVM, tria ab vrbe millia paſſuum,inquit Liuius. CONSEDISSET, aliter conſcendiſſet, quod,quum de monte loquatur,proprium videri poteſt:Valerius tamen Maximus videtur legiſſe,conſediſſet. MONTEM, collem vocat Val. Maximus. SACER APPELLATVS EST,ex eo,quòd illũ plebs occupaſſet,vt Dionyſius & Appianus ſcribũt,nec cauſam ſatis explicãt: quam nos eſſe credimus quòd in eo leges ſacratæ ſint latæ, & magiſtratus ſacroſancti ſint creati ; vel quòd plebs ipſa montẽ illum Ioui cõſecrauit,vt Sex.Pom.ſcribit, & Cic. in oratione pro Cor. teſtatur. & appellatus eſt poſtea , quàm fuerat occupatus, ne ſit πρόληψις quã Diomedes in Sall. notauit. M. VALERIVM, M.Valeriũ Voleſi filium,& P.Valerii Publicolę fratrẽ, vt Liuius & Dionyſius ſunt autores. VALERIVM, Valerii primũ Voleſii ſunt dicti, vt Quint. lib. primo cap. ſexto,&

Sex. Pompeius affirmant: & patricii fuerunt, vt in Epiſtola ſextadecima libri quarti ad Atticum cognoſces, & apud Liuium ſæpe leges. DICTATOREM, idem ſenſit Oroſius hiſce verbis: M. Valerio Dictatore delectum militum agente, variis populus ſtimulatus iniuriis, Sacrum montem inſedit armatus. Cæterum Liuius, & Dionyſius ſcribunt, M. Valerium prius Dictaturam depoſuiſſe, quàm ſeceſsio facta fuiſſet: quod ſi verum eſt, dictator ſedare diſcordias non potuit. Quare dicere poſſumus, hoc loco loquendum eſſe, dictatorium, quòd veteres ita notis ſcriberent: DICT. hoc eſt, Dictator, vel Dictatorius: quod librarii quum legiſſent, Dictatorem fortaſſe deſcripſerunt: etſi Liuius & Dionyſius non in hoc modo diſſentiunt, ſed in eo etiam, quod ſequitur, de ſedandis diſcordiis, quas non à Valerio, ſed à Menenio Agrippa ſedatas volunt: quamuis orationem M. Valerii Dionyſius etiam ponat. Valerius Maximus cum Cicerone ſentit, ſed illi concedi poteſt, gloriam talem ſuæ genti tribuenti: Ciceronis vero tanta eſt autoritas, vt illi malim ego, quàm Liuio, & Dionyſio credere, præſertim quum fatale videatur fuiſſe, vt M. Valerius hanc ſeditionem ſedarit, & non ita multo poſt L. Valerius plebem mitigarit, vt hic paulo poſt ait. DICENDO, videtur quaſi iocari, quòd Dictator à dicendo ſit appellatus. Dictator enim, vt docet Varro, dictus, quòd à Conſule dicebatur, cuius dicto audientes omnes eſſent. SEDAVISSE, nexis remiſsis, & plebeiis magiſtratibus creatis, vt Dionyſius, & Liuius referunt. DISCORDIAS, inter patres, & plebem propter nexus ob æs alienum prius, vt ſcribit Liuius, excitatas. OB EAM REM, quòd dicendo diſcordias ſedaſſet. HONORES AMPLISSIMOS, qui fuerint iſti honores ampliſsimi, inuenire non potuimus. Illud quidem ſatis conſtat, illum nunquam poſtea neque Conſulem, neque Dictatorem fuiſſe, qui ſolent honores ampliſsimi ferè ſemper appellari. poſſumus exiſtimare, illum poſtea vel ſenatus principem fuiſſe, vel primum ſententiam rogari ſolitum, vel aliquid honoris huiuſcemodi adeptum: niſi, quod ſequitur, ſit ἐπίγημα. PRIMVM, nam Q. Fabius Rutilianus annis poſt minimum centum nonaginta Maximus, quòd omnem forenſem turbam, vt libro nono refert Liuius, excretam in quatuor tribus conieciſſet, eſt appellatus, & quidem primus ex ea familia ita, vt poſtea Fabii omnes deinceps Maximi ſint dicti, quod ex Conſulibus apparet potiſsimum: vt mirer, cur Polybius libro tertio ſcribat, Q. Fabium, qui pugnauit cum Annibale, ob res egregie geſtas, Maximum vocatum fuiſſe, & id cognominis in Fabiorum familia vſque ad ſuam ætatem duraſſe, quum multo ante Fabii Maximi dicerentur, idque res ipſa, & ſcriptores omnes teſtentur. ſed de Fabiis aliàs: nunc ad Maximum cognomen reuertamur. Plutarchus igitur Romanos laudat, qui non eos ſolum, qui foris Remp. manu, ſed qui domi etiam conſilio iuuiſſent, huiuſcemodi cognominibus decorabant, vt hunc M. Valerium, & Q. Fabium Rutilianum quamuis apud illum βύλλιον legamus. atq. ii quidem Maximi, Pompeius vero Magnus eſt appellatus. NE L. VALERIVM QVIDEM POTITVM, ne L. Valerium quidem Potitum. P. Valerii, qui Conſul iterum Ap. Herdonium Capitolium tenentem obſedit, & interfectus fuit, filium: & P. Valerii Publicolæ, qui Reges eiecit, nepotem, vt docet Dionyſius libro vndecimo: vbi ſcribit ille quidem hunc cognomine Potitum dictum fuiſſe, ſed cauſam nec ipſe, nec alius, quem nos viderimus, refert. Fuit igitur, quum putauimus illum ex Potitiis fuiſſe, & ob id Potitum dictum, nunc vero nihil affirmamus. DECEMVIRALEM, excitatam in Decemuiros, qui, vt loquitur Liuius legum ferendarum cauſa creati, nihil iuris in ciuitate reliquerant, & tyrannidem prorſus occuparant. Decemuiralem inuidiam vocat etiam

Liuius,

Liuius, vbi ſcribit, Siccium ſeceſsionis mentionem feciſſe. INVIDIAM, odium quo Decemuiri flagrabant quum propter multas res, tum potiſsimum propter Siccii, & Virginiæ mortem: quorum alter iuſſu Decemuirorum interfectus eſt: altera vero à patre occiſa, ne ad libidinem Appii in ſeruitutem traheretur. PATRES, in omnes quidem Patres, ſed in Decemuiros tamen potiſsimum, qui penè omnes erant Patres. INCITATAM, ita, vt in Auentinum primo, deinde in montem Sacrum ſeceſſerit, quod Liuius, & Dionyſius ſcribunt. LEGIBVS, prima, vt quod Tribuni plebis iuſsiſſent, populus teneret: ſecunda, ne quis vllum magiſtratum ſine prouocatione crearet, qui creaſſet, eum ius, faſque eſſet occidi, neue ea cædes capitalis noxæ haberetur: tertia, vt Tribuni plebis ſacroſancti viderentur ita, vt, qui Tribunis plebis nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet, familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum irent: quæ Liuius libro tertio refert. CONCIONIBVS, quarum nonnullæ apud Liuium, & Dionyſium leguntur. ſed Cicero hoc loco ſcripſit ὕστερον πρότερον. nam prius habitæ ſunt conciones, quàm leges latæ: quando Valerius ipſe & Horatius primum priuati ſunt concionati, deinde Conſules facti leges tulerunt: quamuis Horatium Cicero non ponat, Horatiæ tamen leges ſunt appellatæ, vt apud Liuium libro tertio videbis. Non negarim tamen fieri potuiſſe, vt conſules etiam ſæpe conciones habuerint, ſed quibus tamen plebem potius in patres irritarent, quàm mitigarét, quando ſenatus illis triumphum negauit. MITIGAVERIT, ita, vt cuncti ipſi Valerio, & Horatio permiſerint, vt facerent, vt vellent, quemadmodum loquitur Liuius. Sed quoniam diximus, quot anni à Bruto primo Conſule ad M. Valerium Dictatorem numerentur, dicendum eſt etiam, à M. Valerio dictatore ad hunc L. Valerium Conſulem annos minimum quadraginta quinque numerari.

Poſſumus Appium Claudium ſuſpicari diſertum, quia ſenatum iam iam inclinatum à Pyrrhi pace reuocauerit. Poſſumus C. Fabritium, quia ſit ad Pyrrhum de captiuis recuperandis miſſus orator: T. Coruncanium, quòd ex Pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuiſſe videatur: Mar. Curium, quòd is Tribunus pl. interrege Appio Cæco diſerto homine comitia contra leges habente, cum de plebe Conſulem non accipiebat, patres ante auctores fieri coëgerit: quod fuerit permagnum nondum lege Menia lata.

POSSVMVS, præterit hic Cicero annos circiter centum & triginta ſex, quot à L. Valerii Conſulatu ad Appii Cæci Cenſuram colliguntur, vt nihil de conſulatu, qui poſt fuit, dicam. Quòd ſi ad bellum, quod populus Romanus cum Pyrrho Rege, vel Appio ipſo autore, geſsit, numerum, vt faciendum eſt, extendas, iam centum ſexaginta quinque annos omnino inuenies. APPIVM AP. vel APP. ſcribimus, vt in Conſulibus, in libris veteribus, & apud Probum legimus. Eſt enim prænomen, quo Claudia gens eſt frequenter vſa, quòd autor ipſius gentis Ap. prænomine ſit dictus ab Acteo Sabinorum prænomine, vt quidam volunt: alii ab apii corona, quam L. Appius in ludis Nemeis meruiſſet: quod falſum eſſe tempus oſtendit. Videtur tamen interdum eſſe nomen, vt Philippica tertia, P. Appius: & T. Appius apud Cæſarem libro tertio de Bello ciuili. Quòd ſi quis clamet, libros omneis eſſe male ſcriptos, hic epigramma, quod adhuc Romæ legitur, apponam: OMNI-

BVS OFFICIIS IN CALLIGA FVNCTO CENTVRIONES LEG. TRAIAN. FORTIS OPTIMO ET DILIGENTISSIMO IN CVIVS DED. COL. DEDIT. L.D.D.D.M. APPIO CAPIONI. nemo certe poteſt negare hic nomen eſſe: & ſi nomen eſt interdum, cur libro primo Familiarium T. Appius non retineatur, præſertim quum P. Clodius in oratione pro Domo dicatur Ciliciam ad Prætorem neſcio quem tranſtuliſſe, quem credimus ibi ſignificari. Non dicam cognomen etiam in oratione pro Cornelio Balbo inueniri, quoniam ea de re ſemper dubitaui. APPIVM CLAVDIVM, Ap. Claudium Craſſum, cui Cæco cognomen fuit, vt ait Frontinus. Cenſor enim cum C. Plautio, vt eſt apud Liuium, vel cum C. Fabio, vt in Frontino legimus, factus, quum ſe collega magiſtratu abdicaſſet, & ipſe ſolus Cenſuram obtinens M. Valerio Maximo, & P. Decio Mure Coſs. aquam in Vrbem duxiſſet, & viam à porta Capena vſque ad vrbem Capuam, vt ſcribit Frontinus, muniſſet, vel, vt docet Autor libelli de viris illuſtribus, vſque Brunduſium ſtrauiſſet lapidibus, tandem autor fuit, vt Potitia gens, cuius ad aram maximam Herculis familiare ſacerdotium fuerat, ſeruos publicos miniſterii delegandi cauſa ſolennia eius ſacri doceret. Vnde traditur dictu mirabile, quum duodecim familiæ ea tempeſtate Potitiorum eſſent, puberes ad triginta, omnes intra annum cum ſtirpe extinctos, nec nomen tantum Potitiorum interiiſſe, ſed Cenſorem etiam Appium memori Deûm ira poſt aliquot annos luminibus captum. hæc Liuius libro nono ſcribit. hinc ingenioſus poëta ſic cecinit: Appius eſt autor, Pyrrho qui pace negata, multum animo vidit, lumine captus erat: & Cicero in Catone ſcripſit: ad Appii Claudii ſenectutem accedebat etiam, vt cæcus eſſet, tamen is, quum ſenatus inclinaret ad pacem, & fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitauit dicere illa, quæ verſibus perſecutus eſt Ennius: Quò vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant antehac, dementi ſeſe flexere ruina? & in Tuſculanis quæſtionibus: Appium quidem veterem illum, qui cæcus annos multos fuit, & ex magiſtratibus, & ex rebus geſtis intelligimus in illo ſuo caſu, nec priuato, nec publico muneri defuiſſe. Quòd autem priuato muneri non defuerit, oſtendunt illa verba in Catone: quatuor robuſtos filios; & filias quinque, tãtam domum, tantas clientelas Appius regebat & ſenex, & cæcus. Quòd vero non defuerit publico, ex magiſtratibus, & rebus geſtis, vt hic ait Cicero, intelligimus. Vt enim ſcribitur in Catone, egit hanc orationem ſeptimodecimo anno poſt alterum Conſulatum: quum inter duos Conſulatus anni decem interfuiſſent, Cenſórque ante Conſulatum ſuperiorem fuiſſet. ex quo intelligitur Pyrrhi bello grandem ſanè fuiſſe. Quòd ſi nulli muneri publico defuit, vt docet Cicero, mirari poſſumus, cur Plutarchus, & Liuius ſcribant, eum propter oculorum inualetudinem iandiu à publicis conſiliis abſtinuiſſe: præſertim quum Valerius etiam Maximus teſtetur, eum illo caſu grauatum Remp. fortiſsime rexiſſe: quanquam Valerius potuit errare, arbitratus Ciceronem ita prorſus ſenſiſſe, quum tamen in Philippica prima ita ſcribat: Annibal, credo, erat ad portas: aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam cauſam etiam Appium illum & cæcum, & ſenem delatum eſſe memoriæ proditum eſt. hæc verba oſtendunt, verum eſſe, quod Plutarchus, Liuius, & alii referunt: Appium, quum multos annos propter oculorum inualetudinem à publicis cõſiliis abſtinuiſſet, ac poſtea intellexiſſet de pace Pyrrhi facienda, iuſsiſſe ſe in curiam lectica deferri, ac ea, quæ ſunt apud Plutarchum, dixiſſe. Cicero vero in Tuſculanis quæſtionibus, & in Senectute paulo aliter videtur dixiſſe, vt materiæ, quam ſcribebat, ſeruiret, & ſenectutem præſertim laudaret. quod ipſum tamen ita facit, vt eum nemo poſsit reprehendere. Vt ex rebus geſtis, inquit,

intelligimus:id eſt,vt ego interpretor;ex ea re,quam geſsit præſertim,quum pacem diremit: tanta fuit viri autoritas, & grauitas:cuius perſonam Cicero vt grauiſsimam in oratione pro M. Cælio induxit. CLAVDIVM, de gente Claudia copioſe ſatis ſcribit Suetonius in vita Tiberii Cæſaris. DISERTVM, Appii eloquentiam vt eximiam commendat Liuius libro decimo, eumque conſultum iuris, & eloquentiæ vocat. SENATVM IAM IAM INCLINATVM,quum ſententia ſenatus inclinaret ad pacem,& fœdus faciendum cum Pyrrho,vt loquitur in Catone. PYRRHI, Regis Epirotarum, qui, vt auxilium ferret Tarentinis,in Italiam venerat, ac primo prælio Romanos vicerat,& tamen Cyneam legatum ad pacem petendam Romam miſerat,vt Liuius,Plutarchus,Florus,& alii ſunt autores. PACE, quam Cyneas Pyrrhi legatus precibus, & muneribus petebat ita, vt auxilium Romanis ad ſubigendam Italiam offerret,& nihil Regi niſi populi Romani amicitiam, & Tarentinis ſecuritatem poſtularet,vt ſcribit Plutarchus,& Liuius,qui illud addit,vt componendæ pacis cauſa Rex in vrbem reciperetur. REVOCAVERIT, oratione,de qua dicetur infra. Pacem Pyrrhi diremi,inquit ipſe apud Ciceronem in oratione pro M. Cælio. POSSVMVS, ſuſpicari diſertum, repetitio. C. hæc nota,comitiales, in veterum faſtis ſignificat,vt nos obſeruauimus: vt vero Probus interpretatur,cum,& Caium:inuerſa vero Ɔ. Caiam: quia vt ait Quintil. tam Caias eſſe vocitatas, quàm Caios etiam ex nuptialibus ſacris apparet. Illud addit idem Quintilianus aliter ſcribi,quàm enunciari. nam Caium ſcribimus,& Gaium enunciamus: vnde γάϊον à Græcis ſcribitur: & Caius à gaudio parentum dictus, vel ἀπὸ τοῦ γάειν, vt quidam volunt. Hic igitur,vt infrà,Caium,interpretare. FABRITIVM, Fabricium ſemper apud Plutarchum ſcriptum inuenies. Hic vero eſt C. Fabricius Luſcinus, qui,vt in Quæſtura retulimus,cum Q. Aemilio Papo bis conſul,& Cenſor fuit:cui paupertas,quam negant alii ſe ferre poſſe,vt ait Cicero, tolerabilis fuit,& quidem ita, vt quum Samnites, quos vniuerſos in clientelam habebat,ad eum decem æris,& quinque pondo argenti, totidémque ſeruos miſiſſent, ipſe in Samnium, vt ſcribit Valerius,remiſerit, illud, quod refert Gellius, præfatus; ſibi, dum membris, quæ cupiditate mouentur, obſiſtere, atque imperare poſſet,nunquàm quicquam defuturum. Hinc miſſus ad Pyrrhum Regem, vt de redimendis captiuis ageret, fruſtra, vt patriam deſereret, ab eo tentatus eſt. Eius enim amicitiam, & aurum, atque adeo quartam regni partem, vt ſcribit Eutropius, ſpreuit: vnde quum poſtridie Rex à tergo eius elephantum admouiſſet, inquit ille, nec heri aurum, nec hodie beſtia me mouit. & quum ibi audiſſet à Cynea, quendam Athenis eſſe, qui ſe ſapientem profiteretur, & diceret, omnia, quæ faceremus, ad voluptatem eſſe referenda, vt id Samnitibus, ipſiſque Pyrrho perſuaderetur, optauit, atque id ipſum coram Rege, vt Plutarchus, & Valerius putant: quod mihi veriſimile non videtur, præſertim quum Cicero dicat in Catone, M. Curium, & T. Coruncanium ex eo audientes, id optare ſolitos fuiſſe. Illud etiam Fabricii factum laudatur, de quo Cicero libro tertio de Officiis ita ſcribit. Perfuga à Pyrrho venit in caſtra Fabricii,eique eſt pollicitus, ſi præmiũ ſibi propoſuiſſet,ſe vt clàm veniſſet, ſic clàm in Pyrrhi caſtra rediturum, & eum veneno necaturum. hunc Fabricius reducendum curauit ad Pyrrhum idque eius factum à ſenatu laudatum eſt. Cum Cicerone Liuius,Eutropius, & Frontinus ſentiunt, Quadrigarium, vt arbitror,ſecuti:ſed alii ſcriptores penè omnes diſſentiunt. Nam Valerius Maximus, & A. Gellius Valerium Antiatem ſecuti, dicunt Timocharem Medicum Ambracienſem id Fabricio pollicitum, quòd ipſius filii vinum Regi miſcerent: Fabricium id ſenatui

ſcripſiſſe, & ſenatum legatos ad Regem miſiſſe, eíſque mandaſſe, vt Regem monerent, ab inſidiis cauendum eſſe: neque de Timochare quicquam proderent, ne ei, qui bene mereri voluerat, nocerent. Plutarchus vero ſcribit, Medicum ea de re literas ad Fabricium dediſſe, & Fabricium eas literas ad Pyrrhum remiſiſſe. ſed Aelianus in varia hiſtoria refert, Medicum Cyneam id ad ſenatum ſcripſiſſe. Quid quòd Florus hanc totam laudem M. Curio tribuit? ſed nos Ciceronem ſequimur: ſcripſit etiam Fabricium Romæ talem fuiſſe, qualis Athenis fuit Ariſtides: & refert item, eum P. Cornelio Rufino gratias agenti, quòd ſe conſulem homo inimicus feciſſet, dixiſſe: nihil eſt quòd mihi gratias agas, ſi malui compilari, quàm venire: quamuis aliter dicat Gellius, quo loco ſcribit, eundem Rufinum poſtea bis Conſulatu, & Dictatura functum, ab eodem Fabricio Cenſore ſenatu motum fuiſſe, quòd decem pondo argenti facti haberet: ſic enim putamus legendum ex Liuio libro quartodecimo, & ex ipſius Gellii libro decimo ſeptimo capite vigeſimo primo, non autem, vt nunc legitur, quòd decem pondo argenti factitaret. & ſanè Fabricius bellicoſos Imperatores pluſquam pateram, & ſalinum ex argento habere vetabat, vt ait Plinius. Illud etiam de Fabricio dicitur: quòd quum audiſſet Pyrrhum victoria potitum, dixit, non Epirotæ Romanos, ſed Pyrrhus Albinum vicit: quaſi ſignificaret, Pyrrhum ſummi Imperatoris officio, ſed non item Albinum functum fuiſſe. hoc ſcribit Plutarchus in Pyrrho & Albinum vocat, quem cæteri ſcriptores Leuinum appellant. CAPTIVIS, militibus Romanis in eo prælio captis, in quo Valerius Leuinus Conſul parum proſpere aduerſus Pyrrhum pugnauit, Liuius libro decimotertio. RECVPERANDIS, redimendis, vt eſt in Liuio libro decimotertio, vbi ſunt illa verba: captiui ſine precio remiſi. hinc Pyrrhi de captiuis reddendis illa præclara ſententia eſt libro primo de Officiis: Nec mi aurum poſco, nec mi precium dederitis, & cætera, quæ ſcripſit Ennius, & Cicero repetiuit. Idem Eutropius, & reliqui penè omnes ſcribunt, præter Plutarchum, qui, quòd libenter ab aliis diſſentiat, affirmat captiuos vni Fabricio ea lege ſine precio datos, vt, niſi pax fieret, poſtquam cum parentibus ſaturnalia celebraſſent, remitterentur: idque factum eſſe ſcribit, quoniam pax, prohibente Appio Cæco, non ſit conſecuta: quæ, quod refert Iuſtinus, a Fabricio fuerat compoſita. MISSVS ORATOR, alii etiam ſunt miſsi, ſed Fabricius inter eos principem tenuit locum, vt Plutarchus docet, quod indicat eum diſertum fuiſſe vt hoc loco Cicero ſuſpicatur: De tempore nihil dico, quoniam Appio Cæco ſene C. Fabricius, T. Coruncanius, M. Curius floruiſſe cognoſcuntur. T. Titum. hæc enim nota Titum, vel Titium ſignificat, vt docet Probus, vel Tullium, vt ſcribit Petrus Diaconus: quod falſum eſſe credimus, niſi antecedat M: vt M. T. C. Marcus Tullius Cicero. Quidam etiam Tiberium ſæpe deſcribunt: vnde legas ſæpe Tiberium Coruncanium pro Tito Coruncanio, ſed male, bene vero Tiberium Gracchum, vt infra dicemus. Titos igitur à Tito Sabinos dictos quidam volunt, alii à tuendo, quaſi tuendæ patriæ omen aſſequerentur: hinc Sex. Pompeius ita ſcribit: Tituli milites appellantur quaſi tutuli, quòd patriam tuerentur: vnde & Titi prænomen ortum eſt. hinc etiam Perſius Romanos omnes Titos appellauit, quòd Romani, vt qui maxime, patriam tuerentur. CORVNCANIVM, poſſumus ſuſpicari diſertum. & Coruncanium, non Coruncanum legimus, quoniam ſic apud Plinium, & Caſsiodorum Latine, apud Polybium vero libro ſecundo Græce κορογκάνιον ſcriptum vidimus; & familiarum nomina ſic deſinunt, vt Bartholomæus Riccius, quem honoris cauſa nominamus, eleganter oſtendit. Coruncanios vero Camerino, vt Iulios Alba, & Porcios Tuſculo multi oriun-

dos

dos arbitraotur, quum Cicero in oratione pro Cn. Plancio Tuſculanos fuiſſe videatur ſignificare. Et T. qui Coruncanius hic anno ab Vrbe condita quadringenteſimo ſeptuageſimotertio Conſul cum P. Valerio Leuino fuit: & primus ex plebe Pontifex maximus creatus eſt, vt libro decimo octauo refert Liuius, qui tamen libro decimo ſcripſerat, legem latam fuiſſe multo ante, vt quatuor Pontifices de plebe adlegerentur: ſed illi Pontifices erant minores, hic Pootifex maximus appellabatur. hioc ſunt illa Ciceronis verba in oratiooe pro Domo: Omnia ex Coruncanii ſcientia, qui peritiſsimus Pontifex fuiſſe dicitur, acta eſſe conſtaret. Hunc ſapientem veteres iudicabant, vt in Lælio Cicero teſtatur: vbi illum cum Fabricio, & Curio etiam coniungit. Dubitamus, an hic ſit, quem Plinius libro trigeſimo quarto capite ſexto, Appianus in Illyrio ſcribunt, Florus libro ſecundò capite quinto, & Oroſius libro quarto capite decimotertio ſignificant ab Illyricis interfectum fuiſſe, quum eſſet legatus. nam ſi is eſt, annum octuageſimum octauum agebat, ſed Polybius eum qui legatus eſt interfectus πάτερα, & alio prænomine appellat. PONTIFICVM, quum Cicero ſimpliciter hoc loco de Pontificibus meminerit, non video cauſam, cur ea, quæ de Pontificibus collegimus, huc congeramus. COMMENTARIIS, ſic Liuius libro primo: Ancus looge antiquiſsimum ratus, ſacra publica, vt ab Numa inſtituta erant, facere, omnia ea ex commentariis Regis Pontificem maximum in album relata propooere in publico iubet. Cicero tamen in oratiooe pro Domo & in libris oratoriis libros vocat, in quibus ſacra, cerimoniæ, &, vt vno verbo dicam, ius Pootificium, quod hodie ius canonicum vocamus, continebatur. VIDEATVR, quòd in his commentariis aliquid diceretur, vnde cognoſci poſſet eum iogenio valuiſſe, quamuis Pomponius illum nihil ſcripſiſſe teſtetur. M. Marcum Probus ioterpretatur. Marcum vero dictum volunt quaſi Maſcum, quòd primus, qui fuit eo prænomine, planè maſculus eſſet: alii à marra quaſi Marricum deducunt, quòd à rebus ruſticis Romani ſæpe nomina capiebant: alii Marcum putaot eum eſſe dictum, qui Martio menſe natus eſſet: nec eos mouet, quòd Marcus non Martius ſcribatur: quando Frontinus contrà Martiā aquam à Marco deducit. Nos hac de re nihil affirmamus: oiſi illud, quod ſcribunt Latini autores, propter M. Manlii ſcelus, decretó gentis Manliæ oeminem patricium M. Manlium vocari licuiſſe. Hoc tamen loco legas etiam Ma. non M. Vnde nos putamus legendum Mao. vel M'. id eſt, Manium, vt ſcriptum in multis libris veteribus inuenies. & Nonius Marcellus Manium Curium vocat. Quare quum libri penè omoes veteres Manium retineant, dubitandum nō eſt, quio Manius Curius ſit dictus, præſertim quum μάνιος ὁ κούριος ab Athenæo, & Plutarcho ferè ſemper appelletur. Manios vero Sex. Pompeius dictos putat, quòd mane ſint nati, vt Lucii qui luce, alii ominis cauſa, quaſi bonos, dictos volunt: quod antiqui manum bonum dicebant. hinc Manius, Maximus & Manius Martius à Plinio vocatur. CVRIVM, poſſumus ſuſpicari diſertum. Hic eſt Manius Curius Dentatus appellatus, quòd, vt ait Plinius, cum dētibus ſit natus, vir ab omoibus ſcriptoribus magnopere cōmendatus: qui Conſul cum P. Cornelio Rufino, Samnitibus cæſis, & Sabinis, qui rebellarant, victis, atque, vt Liuius libro vndecimo refert, in deditionem acceptis, bis in eodem magiſtratu triumphauit: ac Conſul iterum factus cum L. Cornelio Lentulo, quum delectum, vt Liuius & Valerius ſcribunt, haberet, eius qui citatus non reſponderat, bona vendidit; Pyrrhum iterum ex Sicilia in Italiam reuerſum vicit, & Italia expulit: atque de illo triumphauit, primus etiam, vt autor eſt Eutropius, Romam quatuor elephantes duxit, Lucas boues tuoc appellatos, quòd in Lucanis tum primum viſi fuiſſent. Extremum

vero tempus ætatis in vita ruſtica conſumpſit ita quidem, vt agrum, quod ait Plutarchus in Catone, foderet: cui ad focum ſedenti magnum auri pondus quum Samnites attuliſſent, repudiati ſunt. Non enim aurũ habere præclarum ſibi videri dixit, ſed iis, qui haberent aurum, imperare. addit Plinius rapum torrentem in foco inuentum fuiſſe: & Athenæus ſcribit ad hunc propemodum: Manius Curius Romanorum Imperator in rapis omne tempus extremum vixit: & Sabinis ipſi multum aurum mittentibus dixit, non eſſe opus auro, donec huiuſcemodi rebus veſci poſſet. Quum vero interuerſæ pecuniæ argueretur, cadum ligneũ, quo vti ad ſacrificia conſueuerat, in mediũ protulit, iurauitq. vt Plin. refert, ſe nihil amplius de prędà hoſtili in domum ſuam conuertiſſe. Cenſor cum L. Papirio Curſore Anienis aquã perducendã in Vrbẽ ex manubiis de Pyrrho captis curauit Sp. Garbilio, L. Papirio Coſs. hoc ſcribit Frontinus in libro de Aquæductibus: ex quo corrigi poteſt autor libelli de Viris illuſtribus, vbi ſcribit, illam aquam manibus hoſtium in Vrbẽ inductam: quum, manubiis hoſtium, nemo non videat legendum eſſe. ſed vt ex Frontino hoc modo corrigitur ille, ſic ex illo, & aliis Frontinus ipſe libro quarto Strategematum corrigendus eſt, vbi C. Curium vocat, ſcribens eum, quum victis Sabinis ex S. C. ampliaretur ei modus agri, quem conſummati milites accipiebant, gregalium portione contentum fuiſſe, quòd diceret, malum ciuem eſſe, cui non eſſet id, quod cæteris, ſatis. Nam ſcribit autor ille libelli de Viris illuſtribus, domum illi apud Tiphatam, & agri iugera quingenta publice data fuiſſe: Valerius vero Maximus, decretis à ſenatu ſeptenis iugeribus agri populo, illi autem quinquaginta, popularis aſsignationis modum non exceſsiſſe: qua in re vt diſſentiant inter ſe de numero, in eo certe non Valerius modo, & autor ille, ſed omnes etiam conſentiunt, eum Marcum, vel potius Manium, vt diximus, non C. Curium vocatum fuiſſe: quem plebeium Tribunatus oſtendit, quem, vt paulo poſt dicitur, geſsit. Quin eum municipem, & nouum hominem fuiſſe docet Cicero, quum in oratione pro Muræna ſcribit: Curios, Catones, Pompeios viros fortiſsimos, ſed nouos tamen fuiſſe: quod idem in oratione pro P. Sylla, niſi fallor, hiſce verbis ſignificauit nemo iſtuc M. illi Catoni, nemo T. Corruncanio, nemo Curio vnquàm obiecit: & ſi male quidam legunt, Curioni. Vir vero vſq. adeo bonus fuit, vt quaſi in prouerbio Iuuenalis illud dicatur: Qui Curios ſimulant, & bacchanalia viuunt. TRIBVNVS PL. T. Manlio Torquato, M. Fuluio Pæto Coſs. vt ex Liuio libro decimo colligi poteſt. Tunc enim fuit interregnum, nec cauſa traditur, vt ait Liuius. Eo tempore fuit Curius cum P. Decio, qui, quod ait Cicero, quinquennio ante eum Conſulem ſe pro Rep. quarto Conſulatu poſtea deuouit. Videntur autem inter ſe familiariter vixiſſe, quòd vterque pro plebe cum Appio Cæco geſsit inimicitias. INTERREGE, quem patricii, vt libro quinto ſcribit Liuius, ſine ſuffragio populi auſpicato prodebant. hinc Cicero in oratione pro Domo ſcripſit: Interregem & ipſum patricium eſſe, & à patricio prodi neceſſe eſſe. Prodebatur autem, vt comitia haberet, quum Reip. cauſa Conſules abeſſent, vel vitio creati fuiſſent, nec Dictator comitiorum cauſa dici potuiſſet. Interrex vero cum inſignibus imperii, & lictoribus erat: & quinque dierum finiebatur imperium: dictus Interrex, quòd eſſet quaſi Rex inter mortuũ & ſucceſſorem, atque id ipſum à principio, quum Reges eſſent: nam poſtea Interrex etiam dictus, qui eſſet quaſi Conſul inter Conſules ſuperiores, & futuros: quem prodere ad III. Calend. Febr. morem fuiſſe ſcribit Aſconius: quod an verum ſit, dubitari poteſt, quum veteres comitia ſæpe diuerſis temporibus haberent: illud fortaſſe verius, quod idem ſcribit: non fuiſſe moris ab eo, qui primus Interrex proditus erat, comitia haberi

haberi: quum plures Interreges ferè ſemper Liuius numeret, niſi forte ſemel atque iterum vnum tantum nominet. Scriptores vero, qui propriè ſunt locuti, dicere Dictatoré, creare Conſulem, prodere Interregem ferè ſemper dixerunt. APPIO CAECO, de quo diximus. DISERTO, ſupra. COMITIA, conſularia. CONTRA LEGES, à C. Licinio, & L. Seſtio Tribunis plebis latas, quibus cauebatur, vt Conſulum vtique alter ex plebe crearetur, vt autor eſt Liuius lib. ſexto. HABENTE, habere volente, ſi Liuium lib. decimo ſequimur, qui ſcribit ita: Interreges fuere Ap. Claudius, dein P. Sulpicius. is comitia conſularia habuit. vel aliud interregnum Cic. ſignificat, quod nos inuenire non potuimus. NON ACCIPIEBAT, vt qui more maiorum ſuorum ſemper plebeiis aduerſaretur. Vnde, quod ait Liuius lib. decimo, inter eum, & P. Decium Murem ſuadenda, diſſuadendáque lege de ſacerdotiis certatum eſt. PATRES, patricios. ſic enim Liuius ad finem libri ſexti de L. Seſtio loqués, quaſi interpretatur: Patricii ſe autores futuros negabát. Tunc enim non gerebat is, qui ceperat, ſi patres non erant facti autores, vt ait Cicero in oratione pro Cn. Plancio: quibus ex verbis, & Liuii ſuperioribus apparet, patres poſt comitia ſolitos fuiſſe autores fieri. Idem tamen Liuius libro primo ſcribit & olim, & ſuo etiam tempore ſeruatum fuiſſe, vt in legibus, magiſtratibúſque rogandis, prius, quàm populus ſuffragium iniret, in incertum comitiorum euentum patres autores fierent: quod ego ſoleo ſic interpretari: in incertum comitiorum euentum patres fiebant autores in re, de qua nulla eſſet diſſenſio: poſt comitia, ſi quid diſſentionis fuiſſet, ſed poſtea conueniſſet, vt de L. Seſtio, quem patres conſulem factum dolebant, & iccirco ne poſt comitia quidem fieri autores volebant. erant vero patres autores centuriatorum, & curiatorum comitiorum, vt Cicero in oratione pro Domo docet. ANTE, ante comitia, prius, quàm populus ſuffragium iniret: atq. hoc ipſum fecit Curius, ne, ſi Appius vtrunque Conſulem patricium renunciaſſet, patres probarent, & ita plebeius excluderetur. AVTORES, duces, comprobatores: id eſt, vt ait Laurentius Vallenſis, qui autoritatem, vt aiunt, ſuam, & decretum interponerent: ratum haberent, atque ratificarent, ſiue comprobarent. FIERI COEGERIT, ſic autor libelli de Viris illuſtribus: Curius Tribunus plebis patres autores fieri coëgit comitiis, quibus plebeius magiſtratus creabatur. coëgit vero, quia patres non libenter magiſtratus plebeios accipiebant. PERMAGNVM, ita, vt, niſi fuiſſet diſertus obtinere non potuerit. LEGE MENIA LATA, in lege Menia ſcriptum fuit, quod Varro, & Nonius obſeruarunt: ne filii parentibus luci claro oculos ſugillanto: ſed quid illud ad hanc rem pertineat, non video: nec aliud quicquam de hac lege memini me legere: vt, quod hoc loco dicam, nihil prorſus habeam, niſi forte placeat legere: lege Gabinia lata: quæ fuit de magiſtratibus mandandis vna de quatuor tabellariis: in qua magnam labem factam Lælius apud Ciceronem queritur, & Cicero ipſe lib. tertio de Legibus affirmat, omnem autoritatem optimatium tabellariam legem abſtuliſſe: vt facile fuerit poſt illam legem patribus perſuadere, vt autores fierent: quando populus tabellam vindicem tacitæ libertatis habebat, vt ait Cicero in oratione ſecunda cōtra Rullum: quam legem, & ferendi ſuffragii rationem, etiam ſæpe latebram vocat. aliter lege Menia data.

Licet aliquid etiam de M. Popilii ingenio ſuſpicari: qui cum Conſul eſſet, eodémque tempore ſacrificium publicum cum læna faceret, quòd erat flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione & ſeditione nunciata, vt erat læna amictus, ita venit

in concionem, ſeditionémque cum auctoritate, tum oratione ſe-
dauit. ſed eos oratores habitos eſſe, aut omnino tum vllum elo-
quentiæ præmium fuiſſe, nihil ſanè mihi legiſſe videor, tantum-
modo coniectura ducor ad ſuſpicandum. Dicitur etiam C. Fla-
minius, is, qui Tribunus pl. legem de agro Gallico & Piceno vi-
ritim diuidendo tulerit, qui conſul apud Traſimenum ſit interfe
ctus, ad populum valuiſſe dicendo. Quintus etiam Maximus Ver
rucoſus orator habitus eſt temporibus illis; & Q. Metellus is,
qui bello Punico ſecundo cum L. Veturio Philone Conſul fuit.

LICET, hic mutat dicendi modum, vt delectet. Dixit enim ſupra: poſſu-
mus Appium diſertum ſuſpicari: nunc vero inquit: licet aliquid de Popilij in-
genio ſuſpicari. & quum Cic. ferè ſemper rebus referendis ordinem tempo-
rum ſequi ſoleat, nunc tamen inuertit, quum à Curio ad M. Popilium reuer
tatur, inter quorum primos Conſulatus anni minimum ſex & ſexaginta nu-
merantur: nec dici poteſt, alium M. Popilium ſignificari: quum inter Curiũ
& Flaminium, quem ſtatim ſubiungit, nullus Popilius Conſul agnoſcatur: &
res ipſa quaſi loquatur, illum demonſtrari: quando Liuius libro ſeptimo ſcri
bit, in eius Conſulatu orientem ſeditionem inter patres, & plebem compreſ
ſam fuiſſe. M. POPILII, qui quater Conſul fuit: & in primo quidem, & ſe
cundo Conſulatu Tyburtes vicit: in tertio vero cum Gallis bellum geſsit, in
quo etiam vulnus accepit, ſed eos tandem quum viciſſet, triumphauit: in
quarto, quum foris pax, & domi concordia eſſet, nihil, quod magni fuerit
momenti, geſsit. Popilii autem erant plebeij, vt Liuius oſtendit, vel de hoc
M. Popilio illa verba ſcribens. M. Popilius Lænas à plebe Conſul, à patribus
L. Cornelius Scipio datus. & Paterculus P. Lænatem Tribunum plebis vo-
cat. Illud etiam dicam, apud Græcos, vt apud Plutarchum in Gracchis, πο-
πίλλιον ſcribi. INGENIO, quod ſæpe, etiamſi induſtria non alitur, valet ta-
men ipſum ſuis viribus: vt ait Cicero in oratione pro Cælio. ſupra in Bru-
to naturam admirabilem appellauit. QVVM CONSVL ESSET, cum Cn.
Manlio Capitolino Imperioſo. Cum eo enim Conſul erat, quando ſeditio
fuit compreſſa. De hac vero compoſitione, quum Conſul, ſupra diximus.
SACRIFICIVM, id credimus eſſe, qud Ouidius libro primo Faſtorum vo-
cat, Arcadiæ ſacrum pontificale Deæ. PVBLICVM, nam ſacra erant & pu-
blica, & priuata: vnde ſcribit Liuius Numam ſacra omnia publica, priua-
táque Pontificis ſcitis ſubiecisse. LAENA, veſtimento, vt docet Nonius,
militari, quod ſupra omnia veſtimenta ſumebatur: χλαῖναν credimus à Græ-
cis vocari: atque adeo cum Sex. Pompeio putamus, Lænam inde literæ
vnius abiectione dici, quamuis à lana Varro deducat, & alii verbum Tu-
ſcum exiſtiment: ſed quoquo modo ſit dicta, Sex. Pompeius, & Seruius ſcri
bunt lænam etiam veſtem auguralem fuiſſe, vt minus mirum videri debeat,
ſi Popilius ea in ſacrificiis vteretur: quòd & ſacrificiis eſſet apta, & illi in
primis placeret: vnde credunt eruditi illum primo, deinde reliquos eiuſdem
familiæ etiam Popilios Lænates appellatos fuiſſe: quanquam M. Popilius à
Liuio Lænas ante ſedatam ſeditionem dicitur, quòd hiſtorici quandoque in
hiſce rebus προλήψει vtantur, vt infra Cicero in Liuio Salinatore. χλαῖναν etiã
quidam vertunt penulam, & prouerbium illud faciunt, penulam æſtate de-
teris. FACERET, hoc verbum & iunctum, & ſeparatum ſæpe ad res ſacras
pertinet: iunctum, vt rem ſacram facere, & hoc loco ſacrificium facere:
ſeparatum,

ſeparatum, vt in oratione pro Muræna, Iuno Soſpita, cui omneis Conſules facere neceſſe eſt: & ad Atticum libro primo quum pro populo fieret. Græci dicunt modo ἀρῆν, modo ῥίζην. FLAMEN, in Legibus Ciceronis ita ſcriptum eſt: Diuis aliis alii ſacerdotes, omnibus Pontifices, ſingulis flamines ſunto. hinc flamen Dialis, de quo tam multa Gellius: flamen Martialis, de quo meminit Cicero in orationibus de Reſponſis, & in Vatinium: Quirinalis, de quo idem in oratione de Reſpōſis. Vnde poſtea ſcripſit in Philippica ſecunda illa verba: Eſt ergo flamen, vt Ioui, vt Marti, vt Quirino, ſic Diuo Iulio M. Antonius. Quid igitur ceſſas? cur non inaugurare? quibus quidem ex verbis apparet, morem fuiſſe, vt flamines etiam inaugurarentur. Varro præterea Vulcanalem, Furinalem, Volturnalem, Palatualem, Floralem, Falacrem, Pomonalem flamines nominat, & flamines à Pompilio inſtitutos affirmat: quicum ſentit etiam Liuius qui ſcribit, Numā flaminem Ioui aſsiduum ſacerdotem creaſſe, & huic duos flamines, Marti vnum, alterum Quirino adieciſſe. Quę verba Liuii quum legiſſet quidā, exiſtimauit, Romanos treis tantum flamines habuiſſe, nec recordatus eſt, plures à Varrone ſcriptos fuiſſe, & hic Carmentalem poni. Liuius vero maiores tantū nominauit. Sex. enim Pompeius ita ſcribit: Maiores flamines patricii generis, minores plebeii. & ſanè plebeios etiā flamines ſolitos fieri, hic Popilius Lænas, qui plebeius erat, & M. Antonius, qui plebeius & ipſe fuit, & Cæſaris flamen eſſe volebat, oſtēdunt: & contrà Cic. in oratione pro Domo docet, flamines patricios fuiſſe, vbi flamines maiores interpreteris neceſſe eſt. Non dicam, quàm ſecum pugnet neſcio quis Feneſtella, qui flamines quatuor ſolum fuiſſe ſcribit, & poſtea quicquid à Varrone de pluribus flaminibus eſt dictū, congerit. Flamines idē Varro, & Seruius docent, à filo dictos, quo caput cinctū habebant: quamuis Dionyſius videatur affirmare, à pileo dictos, & ob id à Græcis πιλοφόρους appellatos CARMENTALIS, à Carmente, quæ nympha fuit Arcadię, vt Dionyſius, & Strabo teſtantur. Quare miror Seruium, quum vtrunque horum legere potuiſſet, exiſtimaſſe nympham non fuiſſe, quum carmen illud Summi poëtæ interpretaretur: Carmentis nymphæ monita, & Deus autor Apollo. Illa vero nympha fuit, & primo Nicoſtrata Strabone, & Plutarcho authoribus, deinde Carmentis dicta, quaſi mente careret, quum diuino ſpiritu eſſet afflata: quamuis Ingenioſus poëta putet à carmine dictam, quum lib. primo Faſtorum ita ſcribit: Ipſa mone, quæ nomen habes à carmine ductum: quam non ita multo poſt Carmentem vocat, dicens: Iamque ratem monitu Carmentis in amnē egerat. Dicitur & à Summo poëta Carmentis, Carmenta tamen à Liuio vocatur: quæ quum multa de filio Euandro, multa de Hercule, multa de Aeneæ aduētu, ac alia prædixiſſet, à Romanis poſtea tanquam Dea culta eſt: & illi flamē, & ſacra inſtituta, quæ Carmentalia dicebātur, & III. Id. Ianuar. celebrabantur, vt apud Ouid. lib. primo Faſtorum legimus. Ab hac multi putant literas in Italiā allatas: quod ſi verū eſt, næ illi Romani diuinos honores habēdos merito cenſuerunt. Illā vero fœminæ ſanctiſsime colebant quòd ei templū ipſę feciſſent, quo tēpore vehiculis receptis, multos filios procrearunt, vt autor eſt Plutarchus in Problematis, qui tamē in vita Romuli videtur à ſeipſo paulū diſſentire. PLEBIS, aliter plebeii. SEDITIONE, quare ſeditio iſta fuerit concitata, ne Liuius quidem, quantum videre potui, ſcribit, ſed eam tantum orientem metu belli propinqui compreſſam fuiſſe teſtatur. Videtur tamē commota, quòd plebs & patres eo tempore de Conſulatu contendebant. QVVM AVTORITATE, TVM ORATIONE, eſt quædam quaſi περίφρασις oratoris, qui à M. Catone definiebatur, vir bonus dicendi peritus. autoritas enim potiſſimū ex bonitate, oratio ex vſu dicēdi, & ſcientia compa

ratur. Et autoritate audientiam, oratione vero, quod petimus, aſſequimur. Talem nobis ſummus poëta deſcripſit: Tum pietate grauem, ac meritis ſi forte virum quem Conſpexere, ſilent, arrectiſq. auribus aſtant: hęc enim ad autoritatem pertinent, ſed quæ ſequuntur ad orationē: ille regit dictis animos, et pectora mulcet. ſic Cicero ſeditionem propter legem Roſciam cōmotam ſedauit. EOS, quos ſupra nominaui. eſt vero quaſi epilogus. AVT OMNINO TVM VLLVM ELOQVENTIAE PRAEMIVM FVISSE, videtur cōtrarium quod lib. primo de Orat. ſcribit ad hunc modū: Ac ne illud quidem vere dici poteſt, aut plures cæteris artibus inſeruire, aut maiore delectatione, aut ſpe vberiore, aut præmiis ad perdiſcendū amplioribus cōmoueri. Pugnant enim inter ſe, nulla præmia eloquētiæ erant propoſita: & ampliſsima præmia erant propoſita: quod ita eſt explicandum: Temporibus Ciceronis hæc ampliſsima præmia erant propoſita, maiorū vero temporibus nulla: ſiquidem ſatis cōſtat vt ait Suetonius, Rhetoricam nonnunquam etiā prohibitam exerceri & quidem Cenſorio edicto, quod factum ſit C. Fannio Strabone, M. Valerio Meſſala Conſulibus, quo anno Terētii Eunuchus acta dicatur. Quin Cn. Domitius Aenobarbus, & L. Licinius Craſſus, qui tamen orator fuit, Cenſores idē propemodum edixerūt. recte igitur Cic. hoc loco ſcribit, ſe nihil legiſſe, tum vllum eloquentiæ præmium fuiſſe. CONIECTVRA, qualis illa, exempli cauſa, Appium Cæcum diſertum fuiſſe, quia ſenatū iam iam inclinatum à Pyrrhi pace reuocauit. AD SVSPICANDVM, eos, quos ſupra dixi, diſertos fuiſſe. DICITVR, à Manii Curii Conſulatu tertio ad C. Flaminiū ſecundum Conſulatum anni quinquaginta octo numerantur. C. Caius, ſupra. FLAMINIVS, C. Quintius Flaminius. Fuit enim ex Quintiis; quos ſcribit Liuius à Tullo Rege in patres lectos, quum inter Albanorum principes eſſent: vnde poſtea ſemper ea gens patricia fuit: in qua, quod refert Plinius, aurum ne fœminas quidem habere mos fuit: tantum aberat, vt viri haberent. Quintia gens, inquam, fuit patricia, ſed quum Flaminius hic dicatur Tribunus plebis, apparet vel eam duplicem patriciam, & plebeiam, vel eum ex alia gente potius fuiſſe. Flamminius à multis ſcribitur, quaſi à flamma deducatur, vt verum videatur eſſe, quod nonnulli dicunt: Flamminiis proprium fuiſſe, ne flammā, id eſt ignem è domo ſua, niſi ſacrorum cauſa, efferri paterentur. Quia tamen ſæpius in veteribus libris Flaminius ſimplici m, & à Græcis ſemper φλαμίνιος ſcribitur, à flamine potius deduci videretur: quòd Flaminius Camillus puer, autore Sex. Pompeio, dicebatur, qui flamini Diali ad ſacrificia præminiſtrabat: & flaminius lictor, qui flamini Diali ſacrorum cauſa præſto erat. atque ita ſcribi oportere, oſtendit illud etiam, quòd Flaminius circus, & Flaminia via ſemper ita ſcribuntur, quum tamen ab hoc Flaminio, vt Sex. Pompeius putat, dicantur: de quo cætera deinceps dicemus. TRIBVNVS PLEBIS, μάρκυ λεπίδυ ϛρατηγοῦντος vt ait Polybius lib. ſecundo: vel potius Q. Fabio Maximo Verrucoſo, Sp. Caruilio Cōſulibus, id eſt annis decem ante bellum Punicum ſecundum, vt cognoſces ex libro ſecundo Academicarum quæſtionum, & ex lib. de Senectute, vbi Cic. Conſules ipſos nominat, & ob id ipſum Flaminium lib. tertio de Legibus inter priſcos numerat: vbi tu C. Flaminiū non autem Cn. Flaminium, meo periculo leges. LEGEM, Legem agrariam libro ſecundo de Inuentione, & libro ſecundo Academicarum quæſtionum vocat, Polybius vero libro ſecundo δημαγωγίαν καὶ πολιτείαν videtur appellare. GALLICO, ET PICENO, in libro de Senectute Picenum Gallico præponit, ordinem fortaſſe rei ſecutus: quando Roma venienti Picenus prior occurrit: Valerius Maximus Picenum omittit: Polybius vero ita coniungit, κατεκληρούχησαν οἱ γαλατίας ῥωμαῖοι τὴν πικεντίνην προσαγορευομένην χώραν: & Co-

lumella lib. tertio ſic ait: in agro Gallico, qui nunc Piceno cõtribuitur. Itaq; videtur hic eſſe quædam ἐπεξήγησις, Gallico, id eſt Piceno. VIRITIM, poſuit hoc aduerbium etiam in Catone, & Valerius illum imitatus. TVLERIT, inuito ſenatu, inquit lib. ſecundo Academicarum quæſtionum: contra ſenatus autoritatem, in Catone: inuito ſenatu, & omnino contra voluntatem omnium optimatium lib. ſecundo de Inuent. inuito, & repugnante ſenatu, vt ait Valerius. & tulerit, dixit, etiam Cicero lib. ſecundo Academicarum quæſtionũ, alibi non prorſus affirmat tuliſſe. ferebat, inquit, lib. ſecundo de Inuent.: & in Catone, Flaminio diuidenti Fabius, quoad potuit, reſtitit. Valerius itẽ ſcribit eum legem tantum promulgaſſe. Et ſanè non videtur tuliſſe, ſi verum eſt, quod ipſe Cicero, & Valerius referunt, eum concilium plebis habentem à patre de templo deductum fuiſſe, vt inter pios erga parẽtes meruerit à Valerio numerari: quòd vt ait idẽ Valerius, ne exercitu quidẽ aduerſus ſe cõſcripto, ſi in eadem ſententia perſeueraret, abſterritus, poſtquàm pro roſtris ei legẽ iam referenti pater manum iniecit, priuato fractus imperio è roſtris deſcenderit. Nos tamẽ eam tuliſſe credimus, quòd in Catone Cicero ſcribat, illi Fabium, quoad potuit, reſtitiſſe, perinde ac ſi dicat, quum amplius nõ poſſet ceſsiſſe. & Polybius lib. ſecundo teſtatur, eam tuliſſe, & ob id bellum Gallicũ ortum fuiſſe. CONSVL, iterum. Nam Cic. lib. ſecundo Academicarũ quęſtionum bis illum Conſulẽ factum ſcribit, & res ipſa docet. Fuit enim primum conſul anno ab Vrbe cõdita quingẽteſimo trigeſimo cum P. Furio Philo, vt leges apud Polybiũ lib. ſecundo, nõ autem Fuluio, vt ex Plutarcho male vertunt interpretes: quo quidẽ tempore quum literas, quibus à bello Gallico tanquam vitio creatus reuocabatur, accepiſſet, non prius eas reſignauit, quàm, contemptis auſpiciis, aduerſus Gallos, vt loquitur Oroſius, conflixit, & vicit. in quo bello nouẽ millia Gallorum cæſa, decẽ & ſeptem millia capta ſunt. Romã igitur quũ reuerteretur populus, vt autor eſt Plutarchus obuiã nõ proceſsit: & iuſſus ille ſe magiſtratu abdicare, triumphũ vix tandem obtinuit, quem priuatus egiſſe dicitur. Conſul iterũ cum Cn. Seruilio deſignatus ne auſpiciis, Latinarumq. feriarum mora, & conſularib. aliis impedimẽtis in Vrbe retineretur, ſimulato itinere, priuatus clàm in Prouinciã abiit: ne & reuocãtibus vniuerſis, miſsis etiã legatis, parere voluit, ſed Arimini magiſtratũ iniit: nec ita multo poſt conſul, vt ait Cic. lib. ſecundo de Inuent. Remp. male geſsit. Nec conſul iterũ inauſpicato creatus fuit, vt lib. primo cap. ſexto putauit Valerius Maximus, qui verba Liuii ex lib. vigeſimoprimo non ſatis accurate conſiderauit: quum Liuius de primo Conſulatu, non de ſecundo loquatur. Cætera vero cõſentiunt ſcriptores, quòd ipſe, & equus eius ſine cauſa repente conciderit: & ſignũ moueri non potuerit. Addit illa Cic. ante ſignum Iouis Statoris concidiſſe, ſigniferum primi haſtati ſignum mouere nõ potuiſſe: & quum Flaminius tripudio auſpicaretur, pullarium diem prælii committendi differre voluiſſe: tum Flaminium ex eo quæſiuiſſe: ſi ne poſtea quidem pulli paſcerentur, quid faciẽdum cenſeret: & quum ille quieſcendum reſpondiſſet, Flaminium dixiſſe: præclara vero auſpicia, ſi eſurientibus pullis res geri poterit, ſaturis nihil geretur: itaque ſigna conuelli, & ſequi iuſsiſſe. Hanc vero temeritatẽ inſitam ingenio eius fortuna proſpero ciuilibus, bellicisq. rebus ſucceſſu aluerat, vt ait Liuius. nam quia primo conſulatu neglectis auſpiciis rem feliciter geſſerat, idẽ ſecundo ſe facturũ ſperabat. mitto, quòd magiſter equitum, & Cenſor poſt primũ Conſulatũ fuiſſe dicatur: quod obſcure apud Liuium lib. vigeſimo ſignificatur. APVD TRASIMENVM, vbi maxime montes Cortonenſes, vt ait Liuius, Traſimenus ipſe ſubit: quem Peruſinum lacum ſcriptores hodie vocant. INTERFECTVS, ab Inſubre quodam, cui

nomē erat Ducario, vt autor eſt Liuius, à Gallis quibuſdam, vt legitur apud Polybium. Interfectus vero fuit IX. Cal. Quintil: quem diem vitandum docet Ouidius libro ſexto Faſtorum. POPVLVM, cui ſemper ſtuduit Flaminius ita, vt ſcribat Polybius in eo magnam cupiditatem fuiſſe populi ſibi cōciliandi. & Cicero libro ſecundo Academicarum quæſtionum illum inter populares ponat: quæ res ei, quod ait Liuius, alterum Conſulatum peperit. INVALVISSE, quum præter alia & legem tulit ipſe, vt diximus, & eam ſuaſit, quam Q. Claudius Tribunus plebis, vt Liuius libro vigeſimo primo refert, aduerſus ſenatum tulit, ne quis ſenator, quiue ſenatoris pater fuiſſet, maritimam nauem, quæ plus, quàm trecentarum amphorarum eſſet, haberet. Atque ex his omnibus, quæ de Flaminio retulimus, quiuis facile intelliget, quare Liuius libro vigeſimoprimo dicat, Flaminium certamina cum patribus habuiſſe, & ea, quæ Tribunus plebis, & quæ poſtea Conſul prius de Conſulatu, qui abrogabatur: deinde de triumpho habuit. cur itē ſcribat, eum Conſulem ante inauſpicato factum. cur etiam libro vigeſimo ſecundo illa verba ponat: Conuerſus Flaminius ad nuncium, num literas, inquit, ab ſenatu affers quoque, quæ me rem gerere vetent? QVINTVS, iiſdem temporibus fuerunt Q. Fabius Maximus hic, & C. Flaminius. Quippe quum Flaminius tribunus plebis Q. ipſo Fabio iterum Conſule, & poſtea eiuſdem Fabii Dictatoris etiam magiſter equitum fuiſſe dicatur. & Q. per notam de more ſcribi debet. Quintus vero à principio is dictus videtur, qui loco natus eſſet quinto, quod poſtea in fœminis eſt ſeruatum, vt Claudia Quinta: poſtea tamen Quintus cœpit eſſe prænomen eius etiam quandoque, qui ſecundo, vel tertio, atque adeo primo loco natus eſſet, vt in Metellis, Catulis, & aliis licet reperire. MAXIMVS, Q. Fabius Maximus Verrucoſus, Ouicula, Cunctator. is enim, quem Cicero ſignificat hoc loco, his modis appellatus eſt, & Quintus quidem, vt dictum eſt: Fabius, quòd eſſet ex gente Fabiorum; qui ſunt dicti Fabii, quaſi Fouii, vt Sex. Pompeius, & Plutarchus ſcribunt: quòd princeps eius gentis ex ea ſit natus, cum qua Hercules in fouea concubuit: alii putant eum primum oſtendiſſe, quemadmodum vrſi, & lupi foueis caperentur: Plinius tamen tam Fabios à fabis ſerendis, quàm Lentulos à lente, & Cicerones à cicere dictos exiſtimat. Fabios vero patricios fuiſſe quum veterum monimenta penè omnia, tum Liuius libro ſecundo ſæpe teſtatur. Municipes etiam videtur oſtendere Cicero in oratione pro Cn. Plancio hiſce verbis: Num aliquando vides Tuſculanum aliquem de M. Catone illo in omni virtute principe, num de T. Corruncanio municipe ſuo, num de tot Fabiis gloriari? de Maximo cognomine ſupra diximus. Verrucoſus autem à verruca in labris, vt ait autor libelli de Viris illuſtribus: à Plutarcho vero ſcribitur Βερρούκωσος, quòd in ſuperiore labro carunculam haberet. Ouicula dictus à clemētia, inquit idem autor libelli de Viris illuſtribus, & Plutarchus ita: ὁ δὲ ὀβικόλας σημαίνει τὸ προβάτιον: ἐτέθη δὲ πρὸς τὴν πρᾳότητα καὶ βραδυτῆτα τοῦ ἤθους ἔτι παιδὸς ὄντος. Cunctator etiam, quòd, vt inquit Ennius, vnus homo nobis cunctando reſtituit rem: cuius vitam quoniam autor libelli de Viris illuſtribus paucis, & Plutarchus pluribus eſt perſecutus, nihil addam, præſertim quum Plinius, Cicero, Liuius, & reliqui ſcriptores multa dicant. ORATOR, hinc Liuius libro vigeſimo octauo illum orantem induxit, id fortaſſe non facturus, niſi & ipſe putaſſet oratorem fuiſſe. HABITVS EST, quamuis fortaſſe re vera non fuerit. TEMPORIBVS ILLIS, quibus etiam fuit Flaminius, de quo dictum eſt. Q. METELLVS, Quintus Cæcilius Metellus. Cæculus enim Præneſte condidit: vnde putant Cæcilios ortos: quorum erat nobilis apud Romanos familia. alii appellatos eos dicunt à Cæcade Troiano Ae-

neæ comite. hæc Sex. Pompeius libro tertio: qui tamen libro vndecimo à Caculis militum ſeruis deducit: atque adeo Metellos etiam à Metellis, qui lege militari mercenarii appellabantur, dictos putat. Quòd ſi à Caculis deducuntur Cecilii ſine diphthongo ſcribendi ſunt, vt Cecilium ſcriptorem ferè ſemper ſcribit Plutarchus. eà vero gens fuit plebeia, vt Tribunatus oſtendunt. Hic autem Q. Cæcilius Metellus Aedilis cum C. Seruilio, legatus cum L. Veturio M. Liuii, & C. Claudii Conſulum, Magiſter equitum eiuſdem M. Liuii Dictatoris, Conſul cum eodem L. Veturio, Dictator comitiorum cauſa, ac tandem Decemuir apud Liuium cognoſcitur. Plura inuenire non potuimus, quamuis etiam diligenter quæſiuerimus. Itaque ne ſcire quidem potuimus, quare orator ſit habitus. BELLO, anno tertiodecimo eius belli, vt Liuius oſtendit libro vigeſimo octauo. PVNICO, Carthaginenſi. Carthaginenſes enim Phœnicum colonia fuerunt: vnde poſtea Romani Iones, qui φ in π, & Atticos, qui α in ου mutant, imitati, Pœnum, & Punicum dixerunt: quod in aliis etiam verbis ſeruarunt; & contrà ſæpe pro v poſuerunt œ, vt mœri pro muri apud poëtam. Et Punicum quidem bellum dixerunt Romani, quoniam à victis ferè ſemper bella nominabant, vt bellum Tarentinum, bellum Samniticum, bellum Gallicum, & reliqua. SECVNDO, nam & primum fuit, cui finem Lutatius Conſul impoſuit; & tertium, quod Africanus Minor, vt ſecundum Maior finiuit. VETVRIO, Veturii patricii fuiſſe vel ex eo cognoſcuntur, quòd ex iis multi Conſules fuerunt ante, quàm plebeii conſules crearentur. Sunt etiam, qui Veturiam tribum Romæ fuiſſe velint, cuius eſſet prærogatiua ſuffragiorum. nos ea dere nihil affirmamus. PHILONE, hoc cognomen inuenitur in Curiatiis, Furiis, & Veturiis: quanquam in Curiatiis raro, & in Furiis dubitatur, an Philus potius, quàm Philo legi debeat, preſertim quum Cicero L. Furium Philum tam ſæpe nominet, vt infra dicetur. De L. vero Veturio Philone eadem penè omnia, quæ de Q. Cecilio Metello diximus, leguntur: niſi quòd Dictator, quod ego ſciam, non fuit. Illud addit Liuius, eum Scipionis victoriam nunciaſſe. CONSVL FVIT, an. ab V. C. DXLVII.

Quem vero extet, & de quo ſit memoriæ proditum eloquentem fuiſſe & ita eſſe habitum, primus eſt M. Cornelius Cethegus: cuius eloquentiæ eſt auctor, & idoneus quidem mea ſententia, Q. Ennius, præſertim cum & ipſe eum audiuerit, & ſcribat de mortuo: ex quo nulla ſuſpicio eſt, amicitiæ cauſa eſſe mentitum. eſt igitur ſic apud illum in nono, vt opinor, annali:

Additur orator Cornelius ſuauiloquenti
Ore Cethegus Marcus, Tuditano, collega
Marci filius, - - & oratorem appellat, & ſuauiloquentiam tribuit: quæ nunc quidem non tam eſt in pleriſque: latrant enim iam quidam oratores, non loquuntur: ſed eſt ea laus eloquentiæ certe maxima,

- dictus ollis popularibus olim,
Qui tum viuebant homines, atque æuum agitabant,
Flos delibutus populi, -

Probe vero: vt enim hominis decus ingenium, ſic ingenii ipſius lumen eſt eloquentia, qua virum excellentem præclare

tum illi homines florem populi eſſe dixerunt:

– Suadæque medulla.

πειθὼ quam vocant Græci, cuius effector eſt orator. hanc ſuadam appellauit Ennius. eius autem Cethegum medullam fuiſſe vult, vt, quam deam in Periclis labris ſcripſit Eupolis ſeſſitauiſſe huius hic medullam noſtrum oratorem fuiſſe dixerit. At hic Cethegus Conſul cum P. Tuditano fuit bello Punico ſecundo, Quæſtórque his Conſulibus M. Cato, modo planè, annis C X L. ante me Conſulem: & id ipſum niſi vnius eſſet Ennij teſtimonio cognitum, hunc vetuſtas, vt alios fortaſſe multos, obliuione obruiſſet. illius autem ætatis qui ſermo fuerit, ex Næuianis ſcriptis intelligi poteſt. his enim Conſulibus, vt in veteribus commentariis ſcriptum eſt, Næuius eſt mortuus. quanquam Varro noſter diligentiſsimus inueſtigator antiquitatis, putat in hoc erratum, vitámque Næuii producit longius. nam Plautus P. Claudio, L. Porcio, viginti annis poſt illos, quos ante dixi, Conſulibus mortuus eſt, Catone Cenſore.

EXTET, dictum vt illud libro primo de Oratore: apparet, atque extat, vtrum ſimus earum rerum rudes, an didicerimus. ELOQVENTEM FVISSE, ET ITA ESSE HABITVM, nam multi ſæpe ſunt, & non habentur, & contrà, vt in hoc dialogo videre poterimus. CORNELIVS, Cornelios patricios fuiſſe, nemo in hiſtoriis Romanis mediocriter verſatus, ignorat, præſertim quum Plutarchus in Scipione, & Sylla teſtetur, & Liuius libro ſeptimo ita ſcribat: M. Popilius à plebe Conſul, à patribus L. Cornelius Scipio datus. Et Cornelii appellati ſunt Scipiones, Lentuli, Syllæ, Cinnæ, Labeones, Celſi, Taciti, Rufini, Nepotes, Coſsi, Aſinæ, Naſicæ, Cethegi, & alii, de quibus ſuo loco dicetur. CETHEGVS, is eſt M. Cornelius Cethegus, qui Cenſor ante Conſulatum fuit, deinde Conſul Ethruriam prouinciam ſortitus eſt, poſtremo Proconſul in Gallia cum Magone collatis ſignis feliciter pugnauit: quæ quidem omnia tú apud Liuium libro vigeſimoſeptimo, vigeſimonono, & trigeſimo inuenies. Horatius poëta Cethegos cinctutos appellat, quòd is mos eſſet Cethegis, vt cincti, & penè nudi in bellum proficiſcerentur: vnde Lucanus, & Silius eos nudos, & exertos vocarunt. AVTOR, quaſi teſtis hoc loco, vt ſupra Thucydides locuples autor. IDONEVS QVIDEM MEA SENTENTIA, aliter idoneus mea quidem ſententia. Q. ENNIVS, Quintus Ennius, quem Cicero ſummum poëtam ſolet appellare, & infra Quintum etiam vocat, vbi de Q. Nobiliore loquitur. PRAESERTIM, ἀξιολογίη, quòd ſit idoneus autor. EVM, M. Cornelium Cethegum orantem fortaſſe in contentione, quam cum Tuditano collega de lectione ſenatús habuit, vt Liuius libro vigeſimoſeptimo ſcribit. AVDIVERIT, audire potuerit, vt penè æqualis, & ita de eo teſtari. SCRIBAT, ſcripſit, quum annos ſexagintaſeptē ageret. MORTVO, M. Cornelio Cethego, qui ſi de more, quum eſſet annorū quadraginta trium, Conſul eſt creatus, annis minimū ſex Ennio maior natu fuit, vt veriſimile ſit, eum prius obiiſſe, præſertim quum legamus Ennium, vt infra dicetur, ad ſummam ſenectutem perueniſſe. ESSE MENTITVM, vt ſæpe multi mentiuntur, vt viuis aſſententur, præſertim poëtæ. EST IGITVR, ſcriptum. APVD ILLVM,

Ennium

Ennium. NONO, nam duodecimum annalem addidit, quum ſeptimum & ſexageſimum annum ageret: quod Varro poſtea retulit. VT OPINOR, uſus eſt hac παρενθέσει, vt in dialogo, ne meditatus veniſſe, ſed eos verſus memoria tenere videretur. ANNALI, ſic enim inſcripſit libros, vt librum primum, annalem primum, librum ſecundum, annalem ſecundum, & ſic deinceps appellaret: vnde nonum hic annalem dixit Cicero, & olim rogatus, vt diceret, ſi quid poſſet, de Sexto Annali, ex Ennii ſexto annali cœpit verſus recitare: Qui potes ingentis cauſas euoluere belli. Scriptores tamen annales, quaſi libros omneis complectentes, dicunt, vt Suetonius in Grammaticis: Q. Vargunteius annales Ennii certis diebus in magna frequentia pronunciabat. ADDITVR, verſus Ennii de M. Cornelio Cethego. & additur, verbum eſt, quo frequenter veteres in huiuſmodi rebus vtebantur. vt Liuius libro vigeſimo ſeptimo, Marcellum Conſulem centuriæ creant: additur collega T. Quintius Criſpinus: & libro vigeſimo octauo, centuriæ ingenti fauore P. Scipionem Conſulem dixerunt: collega additur ei P. Licinius Craſſus Pontifex Max. CORNELIVS, abiicitur s veteri more. SVAVILOQVENTI, ſuauiloquente, legit Ianus Parrhaſius. Vtrunque recte, vt Grammatici dicunt, & docent. huiuſcemodi vero voces, ſuauiloquenti, Hippocoontis, & Thermodoontis, verſus tenorem ſuſtentant, vt in Actio Pontanus ait. ORE, oratione, ſermone. denominatio. MARCVS, s abiicitur, vt paulo ante. TVDITANO, P. Sempronio Tuditano, quicum Cethegus Cenſor, & Conſul fuit, vt Liuius libro vigeſimoſeptimo, & vigeſimonono refert. Quare Ianus Parrhaſius male legit hoc loco, Veturio collega Philoni, quum Cethegus nuſquam legatur collega Veturii Philonis fuiſſe. atque P. Sempronius Tuditanus hic ſemper appellatur: vnde nos animaduertimus apud Liuium libro trigeſimoſexto male ſcriptum eſſe, T. Tuditano, quum legendum ſit: M. Cornelio, P. Sempronio Tuditano Coſs. Tuditeſ, inquit Sex. Pompeius, mallei à tundendo dicti: inde & cuidam cognomen Tuditano fuit, quod caput malleo ſimile habuerit. COLLEGA, in Conſulatu, quamuis etiam in Cenſura fuerit. MARCI FILIVS, integer eſt verſus hoc modo: Marci filius dictus ollis popularibus olim: qui tamen verſus non conſtat, niſi M. vt eſt in veteribus libris, ſcribas, & literam tantum, non etiam ſyllabam pronuncies, atque ita legas: M. filius is dictus ollis popularibus olim: quod neſcio, an inueniri poſſit: vel potius ſyllabam vs abiicias in verbo, dictus: quod fieri poſſe Seruius, & alii Grammatici docent, vt in illo verſu, qui legitur apud Gellium libro duodecimo capite quarto: Contentus, ſcitus, atque beatus, ſecunda loquens in: & apud ſummum poëtam, vt aliqui putant: Inter ſe coiiſſe viros, & decernere ferro. Ex monimentis autem veterum licèt cognoſcere, morem fuiſſe, vt patris prænomen ferè ſemper poneretur: quem quidem morem vel in verſu Ennius omnino voluit ſeruare. SVAVILOQVENTIAM, neque ſuauiloquens, neque ſuauiloquentiam Cicero, vt opinor, dixiſſet, niſi nunc Ennium imitari, & quaſi exprimere voluiſſet. NVNC, his temporibus. nam Ciceronis temporibus fuerunt P. Antronius, Octauius Reatinus, C. Stalenus, Cæpaſii, Coſconius, & Arrius, quos infra vocales oratores vocat. LATRANT, vt proclamatores, & rabulæ, vt in libris oratoriis appellat: vel potius vt canes, vt in oratione pro Sex. Roſcio Amerino vocat. clamant autem, & quaſi latrant more canum, vt ſe aliquid eſſe oſtendant clamore, præſertim quum eloquentiam in clamore, & in verborum curſu poſitam putent, vt libro tertio de Oratore L. Craſſus queritur. Hoſce oratores Cicero claudis ſimiles eſſe dicebat, quòd ad clamorem, vt claudi ad equos confugiant. Sic olim latrare Catulum Philippus dixit, quum illum interro-

grauit, ad eius cognomen reſpiciens, quid latraret? & ille furem ſe videre reſpondit. & eſt αἰλολογία, quare in plerisque non ſit ſuauiloquentia: quia latrant potius, quàm loquuntur, quod eſt hominis proprium. EA, ſuauiloquentia. LAVS, vt fuit in Catulis, in quibus ſuauitas infra commendatur; vt in Demetrio Phalereo, qui ſuauis videri maluit, quàm grauis, vt ſupra dictum eſt, & cæteris in eo genere præſtitit, vt in Oratore ſcribitur. MAXIMA, non ita magna tamen, vt non poſsit eſſe maior, quando graues oratores, vt Pericles, & Demoſthenes magis laudantur: nec Ennius quum Cethego ſuauiloquentiam tribuit, eum perfectum oratorem iudicauit, ſed tum, quum Suadæ medullam addidit: quod tum demum efficeret, quod de Pericle ſupra dictũ eſt, vt cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, à quibus eſſet auditus. Potes etiam ſic interpretari: ea laus, quæ ſequitur, flos delibatus populi, eſt maxima. OLLIS, illis. nam veteres ollum pro illo dicebant, vt Varro, & Donatus docent. Hinc Cicero quum ſcriberet leges, quaſi res veteres referret, ita ſæpe locutus eſt, & Summus poëta eo modo vnice eſt vſus, vt ſcribit Quintilianus: vt olli ſubridens: & alibi ſæpe. In ollis vero & olim Pontanus alliterationem, autor libri ad Herennium annominationem eſſe diceret. POPVLARIBVS, ciuibus, vt docet etiam Donatus: vel, vt interpretatur Nonius, de populo amicis, vt amicus ſummus meus, & popularis Geta, apud Terentium. TVM, apud Gellium libro duodecimo capite ſecundo tam in manu ſcriptis, quàm aliis libris legimus ſemper; cum, ſed mihi non placet. FLOS, vt flos equitum in oratione pro Plancio, flos legatorum in oratione pro Flacco. DELIBVTVS, aliter delibatus: & ſanè delibare floſculos, dixit etiam Cicero in oratione pro Seſtio. Quare credimus male legi hic, & apud Gellium, delibutus. POPVLI, male legitur in Gellio, populis, quum paulo poſt, florem populi, Cicero dicat. PROBE VERO, dictus eſt flos delibatus populi. VT ENIM, κατὰ γνώμην, καὶ ὁμοίωσιν αἰλολογία, quare probe ſit ille flos delibatus appellatus. HOMINIS DECVS INGENIVM, hinc Zeno ſummum bonum ponebat in ingenii præſtantia, quam virtutem vocamus, vt ait Cicero libro quarto de Finibus. & libro quinto ſcribit idem docilitatem, & memoriam vno ingenii nomine appellari. LVMEN EST ELOQVENTIA, oſtendimus enim eloquentia potiſsimum, quantum ingenio valeamus. hinc Socrates dixit, loquere, vt te videam. QVA, qua, & in qua dici ſciunt, qui locutionum Ciceronis ſunt ſtudioſi. VIRVM, M. Cornelium Cethegum. ILLI HOMINES, populares. FLOREM POPVLI, & quidem delibatum. SVADAEQVE MEDVLLA, ex his verbis, & Ciceronis quaſi interpretatione, quæ ſequitur, nemo non videt, in quibuſdam libris apud Gellium male legi, & ſuada medulla, quum verſus hic, & ibi ſic integer legi debeat: flos delibatus populi, Suadæq. medulla, apud Quintilianum libro ſecundo capite decimoſexto legitur, ſuadai medulla. ΠΕΙΘΩ, quartus eſt apud Græcos caſus. Et πειθὼ Ennius Suadam, vt hic oſtendit Cicero, appellauit: Horatius vero Suadelam videtur vertiſſe: Quintilianus certe Deam perſuadendi, & Cicero ipſe leporem verterunt. πειθὼ vero, vt inquit Suidas ἱερωσύνη, cui nihil aliud ſacrum, quàm oratio: quam Græci etiam ψυχαγωγὸν vocant, quòd animum, quò velit, ducat: hinc Galli credebant, vt ſcribit Lucianus, Herculem ea cuncta perficere. CVIVS, πειθοῦς, vel Suadæ. CVIVS EFFECTOR EST ORATOR, videtur quaſi deſcribere officium, vel finem Rhetoricæ, de quibus ita libro primo de Inuentione ſcribit: officium eius facultatis videtur eſſe, dicere apposite ad perſuaſionem: finis perſuadere dictione: & Græci, vt docet Victorinus, officium, & finem oratoris definierunt, πιθανῶς πρὸς πίστιν λέγειν. & hic orator dicitur effector perſuaſionis, id eſt

πειθοῦς

πειθοῦς. EIVS, Suadæ, quæ reddit πειθώ. MEDVLLAM, μυελὸν, vt μέλιτος μυελὸς mellis medulla, quod dici ſolet de re admodum ſuaui: quòd natura, quod optimum ſit, interius ſoleat recondere. Hinc eruditi recte Theodorum Gazam reprehendunt, qui Suadæ medullam apud Ciceronem in libello de Senectute vnum verbum eſſe arbitratus, μυελάγρειν vertit, quum duo ſint verba. DEAM, πειθὼ, quam Græci vt Deam colebant, vt Pauſanias, & Lilius meus oſtendunt. PERICLIS, aliter Pericli. vtrunque recte, vt ſupra diximus. LABRIS, χείλεσιν. SCRIPSIT, ἐν τοῖς δήμοις, vt ait Ariſtophanis Interpres in Acharn. EVPOLIS, poëta, de quo diximus. SESSITAVISSE, ἐπικαθίζειν. Vertit enim verbum Eupolidis, ἐπικάθιζεν, quod ſupra in verſibus eſt poſitum. Vnde videntur decepti, qui hôc loco legunt, ſitam eſſe, vt is, qui Cornucopiæ ſcripſit. HVIVS, Deæ πειθοῦς, vel Suadæ. NOSTRVM, Romanum, vt Pericles Athenienſis orator fuit. ORATOREM, M. Cornelium Cethegum. HIC CETHEGVS CONSVL CVM P. TVDITANO FVIT, id ſupra diximus. BELLO PVNICO SECVNDO, anno belli Punici ſecundi quintodecimo, vt ſcribit Liuius, an. ab V. C. DXLIX. QVAESTORQVE, M. Catonem M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Conſulibus Quęſtorem fuiſſe, Cicero hic, & Liuius libro vigeſimonono teſtantur, nec ab iis Plutarchus diſſentit: ſed Cicero ipſe à ſe ipſo videtur diſſentire, qui in Catone ita ſcribit: Cum Fabio quartum Conſule adoleſcentulus miles ad Capuã profectus ſum: quintóque anno poſt ad Tarentum Quæſtor: deinde Aedilis, quadriennio poſt factus ſum Prætor, quem magiſtratum geſſi Conſulibus Tuditano, & Cethego. Nam duo ſunt, quæ maximè pugnent: quòd Quæſtor ad Tarentum fuerit cum Fabio, & Quæſtor fuerit Cethego, & Tuditano Coſs. & cum Scipione, quod etiã ſcribit Liuius, Quæſtor in Africam ſit profectus: item quòd Quæſtor Cethego, & Tuditano Coſs. fuerit, & Præturam geſſerit, quum tamen ſemel tantum Conſules fuerint. Quare nos illa verba ſic legenda cenſemus: Cum Fabio quartum Conſule adoleſcentulus miles ad Capuam profectus ſum: quintóque anno poſt ad Tarentum: Quæſtor deinde (deinde Aedilis, quadriennio poſt factus ſum Prætor) quem magiſtratum geſſi &c. vt quem magiſtratum Quæſturam, non Præturam interpreteris. Ego libenter etiam cum eo ſentiam, quæ verba quædam inſerta eſſe putet, & ita legat: Cum Fabio quartum Conſule adoleſcentulus miles ad Capuam profectus ſum: quintóque anno poſt ad Tarentum: Quæſtor deinde factus ſum, quem magiſtratum geſſi &c. & eo libentius ſentiam, quòd Cato tum Fabium viuum, licet ſenem, fuiſſe oſtendit, quum poſt mortem Fabii annis quatuor minimum Prætor Cato ſit factus. Fabius enim Cn. Seruilio Cæpione, C. Seruilio Coſs. an. ab V. C. DL. deceſsit: Cato vero T. Quintio Flaminio, Sex. Aelio Pæto Coſs. an. ab V. C. DLV. Prætor fuit, quæ tu quidem omnia poteris apud Liuium libro trigeſimo, & trigeſimoſecundo inuenire. HIS CONSVLIBVS, M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Coſs. an. ab V. C. DXLIX. M. CATO MODO PLANE, hunc locum corruptum eſſe multi putant, & nos eo magis arbitramur, quòd in veteri libro ita ſcriptum inuenimus: is M. Catone noſtro planè: ex quibus verbis nullum ſenſum elici poſſe credimus: niſi forte legas: M. Cato maior, plane. Is enim eſt Cato, qui Cenſorius, & maior appellatur: vel, modo, ſic interpreteris, vt ad ornatum potius, quàm ad ſententiam exprimendam poſitum eſſe videatur, vt ſupra, modo primum. Græci, vt opinor dicunt, ἄρτι, vt apud Diuum Lucam: δυνάμαι ἄρτι παρακαλέσαι τὸν πατέρα μου. Vnde ἀπ' ἄρτι quidam vertunt amodo. Poſſemus etiam fortaſſe legere M. Cato, more noſtro planè. CXL. centum quadraginta. tot enim inter Catonis

Quæſturam, & Ciceronis Conſulatum numerantur. ME CONSVLEM, cum C. Antonio an. ab V.C. DCXC. ID IPSVM, M. Cornelium Cethegum oratorem fuiſſe. FORTASSE, ita locutus eſt cum dubitatione, ne, quod certo neſciebat, in hiſtoria pro certo affirmaret. OBRVISSET, dichoreus loco poſitus. nam quod primo loco quaſi obruit, id inde ſuſtinet, & quaſi è fluctibus educit. ILLIVS AVTEM AETATIS, qua vixit M. Cornelius Cethegus, qui fuit antiquus: vnde dixit Horatius: Fingere cinctutis nō exaudita Cethegis. SCRIPTIS, vt bello Punico, quo Næuius ipſe delectabatur, vt ait in Catone Cicero: vt tragœdiis, & comœdiis, quarum multas Varro, Gellius, Nonius, Sex. Pompeius, & alii nominarunt. INTELLIGI POTEST, quod ita ſcriberent, vt loquebantur. Hinc L. Craſſus quum audiebat ſocrum ſuam Læliam, Plautum ſibi, aut Næuium videbatur audire, vt ipſe libro tertio de Oratore teſtatur. HIS ENIM CONSVLIBVS, M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Coſs. id eſt olympiade centeſima quadrageſima quarta, vt etiam ſcribit Euſebius. NAEVIVS, Cn. Næuius poëta, cuius vitam Petrus Crinitus, & Gregorius Lilius, quàm diligētiſsime fieri potuit in tantis tenebris, ſunt perſecuti. Illud quod ad vitæ inſtitutionem pertineat, refert Gellius, eum, quòd multos principes ciuitatis ſuis carminibus more poëtarum Græcorū læſiſſet, à Triumuiris in carcerem coniectum fuiſſe: vbi quū duas fabulas ſcripſiſſet, quibus παλινῳδίαν canebat, à Tribunis plebis fuit liberatus. EST MORTVVS, Vticæ, Roma, quod ait Euſebius pulſus factione nobilium, ac præcipue Metelli. QVANQVAM, ἐπανόρθωσις & πρόληψις. VARRO, M. Terentius Varro. NOSTER, ſic infra. Quàm vero Ciceronis, & Attici Varro eſſet amicus, quum ex aliis ſcriptis, tum ex libro tertiodecimo Epiſtolarum ad Atticum, & primo Academicarum quæſtionum cognoſci poteſt. Qui vero vtriuſque illorum erat amicus, non poterat non & Bruti eſſe, qui vtrique tam charus erat. DILIGENTISSIMVS INVESTIGATOR ANTIQVITATIS, L. Aelium imitatus, vt infra dicetur. PVTAT, in libris antiquitatum, quos, vt autor eſt Diuus Auguſtinus, quadraginta, & vnum ſcripſit: vel in libris de poëtis. De poëtis enim illum ſcripſiſſe quum Grammatici, tum Cicero teſtatur: & libro de poëtis primo, ſtipendia feciſſe Næuium bello punico primo, ipſe Varro ſcripſit, vt Gellius refert. IN HOC, quod in veteribus commentariis ſcriptum eſt, Næuium M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Coſs. mortuum eſſe. VITAMQVE NAEVII PRODVCIT LONGIVS, Næuium diutius vixiſſe ſcribit. NAM, αἰτιολογία, quæ probaret, Næuii vitam longius producendam, ſi haberet hoc modo: Næuius mortuus eſt poſt mortem Plauti, & Plautus annis viginti poſt illos Conſules, quos dixi, mortuus eſt: ergo Næuii vita longius eſt producenda: ſed quum ſatis conſtet, Næuium multo maiorem natu Plauto fuiſſe, & ante Plautum etiam mortuum, dubitari poteſt, an hæc ratio probet, quod Cicero vult probare: niſi rem ita interpreteris: Plautus annis viginti poſt illos Conſules, quos diximus, eſt mortuus, & inter mortem Næuii, & mortem Plauti anni ſummum quatuor, vt Euſebius etiam docet, interſunt: ergo Næuii vita longius id eſt circiter annos ſexdecim eſt producenda, quando vita Plauti multo longius etiam producitur. PLAVTVS, M. Accius Plautus poëta, de cuius vita niſi Petrus Crinitus, & Gregorius Lilius omnia penè, quæ poſſunt inueniri, collegiſſent, nos aliquid diceremus, & fortaſſe probaremus ex autoritate Horatii cōtrà, quàm ſentiant alii, cæteris poëtis comicis illum eſſe præferendum. P. CLAVDIO, L. PORCIO, P. Claudius Pulcher, & L. Portius Licinus Conſules fuerunt an. ab V.C. DLXIX. nec domi, nec militiæ memorabile quicquam egerunt, vt ait Liuius libro trigeſimonono.

VIGINTI

VIGINTI ANNIS, tot enim poſt illos Conſules, quos diximus, numerantur. ILLOS, M. Cornelium Cethegum, & P. Sempronium Tuditanum. CONSVLIBVS, an. ab V. C. DLXIX. vt diximus. aliter conſules. MORTVVS EST, anno tertio olympiadis centeſimę quadrageſimæ nonæ, quamuis Euſebius olympiadis centeſimæ quadrageſimæ quintæ anno primo mortuum ſcribat. CATONE, M. Porcio Catone, de quo dictum eſt, & dicetur. CENSORE, vnde Cenſorius eſt appellatus. Fuit vero Cenſor cum L. Valerio Flacco, quicum fuerat etiam Conſul. ſed de Cenſura plura ſunt à Liuio, & à Plutarcho ſcripta.

Huncigitur Cethegum conſecutus eſt ætate Cato, qui annis IX. poſt eum fuit Conſul. eum nos vt peruetere m habemus, qui L. Marcio, M. Manilio Coſs. mortuus eſt, annis. LXXXVI. ipſis ante me Conſulem. Nec vero habeo quenquã antiquiorem, cuius quidem ſcripta proferenda putem. niſi ſi quem Appii Cæci oratio hæc ipſa de Pyrrho, & nonnullæ mortuorum laudationes forte delectant. & hercules hæ quidem extant. ipſæ enim familiæ ſua quaſi ornamenta ac monimenta ſeruabant, & ad vſum ſi quis eiuſdem generis occidiſſet, & ad memoriam laudum domeſticarum, & ad illuſtrandam nobilitatem ſuam. quanquam his laudationibus hiſtoria rerum noſtrarum eſt facta mendoſior. multa enim ſcripta ſunt in eis, quæ facta non ſunt; falſi triumphi, plures Conſulatus, genera etiam falſa, & à plebe tranſitiones, cum homines humiliores in alienum eiuſdem nominis infunderentur genus; vt, ſi ego me à M. Tullio eſſe dicerem, qui patritius cum Ser. Sulpicio Conſul anno. X. poſt exactos reges fuit.

HVNC IGITVR, quaſi paulum vagatus, ad rem nunc reuertitur. CETHEGVM, de quo tam multa diximus. CONSECVTVS EST AETATE CATO, nam Cato M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Conſulibus annũ trigeſimum agebat, vt ex lib. de Senectute collegimus, vbi Cato ipſe ita loquitur: Vidi etiã ſenem Liuium, qui quum ſeptem annis ante, quàm natus ſum, fabulam docuiſſet Centone, & Tuditano Conſulibus, vſq. ad adoleſcẽtiam meam proceſsit ætate. Item, M. Cethegum, quem recte Suadę medullã dixit Ennius, quanto ſtudio exerceri in dicendo videbamus etiam ſenem? Quanquam grandior tũ videtur fuiſſe, ſi poſtea ſuo anno Conſul eſt factus. ANNIS IX. an. vero ab V. C. DLVIII. POST EVM, poſt ipſum M. Corneliũ Cethegum. FVIT CONSVL, cum L. Valerio Flacco, vt apud Liu. lib. trigeſimo tertio videre poteris. EVM, M. Porcium Catonem. PERVETEREM, oratorem. L. MARCIO, L. Marcio Cenſorino. nam ſic eum vocant Cicero, Oroſius, Appianus, & Eutropius, apud quem tamen leges L. Marcio Cenſorino, non autem, vt nunc legitur, L. Manlio Cenſorino. Ad hunc L. Marcium Cenſorinum Clitomachus ſcripſit librum, quem Cicero libro ſecundo Academicarum quæſtionum nominat. Marcii patricii fuerunt, vt Liuius, Dionyſius, Valerius Maximus, & Plutarchus de Coriolano loquentes, oſtendunt: ſed & idem Liuius lib. primo ita ſcribit: Pontificẽ deinde Numa Marcium M. filium ex patribus legit. Duplex tamẽ videtur fuiſſe familia, quãdo plebeii aliqui etiã inueniuntur, vt infra de L. Marcio Philippo dicemus. Marcium vero ſcribi oportere docent veterũ monimenta, & Plutarchus, qui græce μάρκιον ſemper

in Coriolano ſcribit. M. Marco, Titum tamen vocat antor libelli de Viris illuſtribus vel ſuo, vel librariorum errore. nam cæteri omnes Marcum vocant. ſed hinc naſcitur dubitatio ex eo, quòd hiſtorici penè omnes, & Cicero Philippica prima ſcribit ad hunc modum: propter vnius M. Manlii ſcelus, decreto gentis Manliæ neminem patricium M. Manlium vocari licet: quo pacto M. Manlius hic poſtea ſit vocatus: vt fortaſſe quidam malint autorem libelli de Viris illuſtribus ſequi, & T. hic, & alibi legere, niſi ſciant Romæ duas familias Manilias, ſiue Manlias, alteram patriciam, alteram plebeiam fuiſſe. Et ſanè de patricia nemo poteſt dubitare, quum res ipſa de ſe quaſi loquatur, & Cicero in oratione pro Sylla id ipſum teſtetur. Plebeiam etiam fuiſſe oſtendunt Tribuni plebis, qui ex ea fuerunt, vt C. Manilius, qui legem tulit illam pro qua extat Ciceronis oratio: vt Q. Manlius, quem Cicero Verrina ſecunda Tribunum plebis vocat: vt Manilius quidam, quem Tribunum plebis Aſconius in oratione pro Cornelio agnoſcit: vnde poſſet aliquis etiam ſuſpicari, Manilios plebeios, Manlios vero patricios fuiſſe, vt vna tantum litera differrent, niſi confundi videremus. nam quem Manilium hic dici videmus, is libro duodecimo epiſtolarum ad Atticum Manlius ſcribitur: vt item alibi ſæpe variatum videbis. ſi quis tamen M. Manium velit interpretari, non repugnem; nec ſi quis velit omnino credere Manilios fuiſſe plebeios, Manlios vero patricios, quum lex Manilia certe à Manilio Tribuno plebis dicatur; & is, qui fuit Cos. biennio ante Ciceronem, qui certe Patricius in oratione pro Sylla dicitur, ab Horatio libro tertio ode vigeſimaprima Manlius appelletur. MANILIO, Manilia familia, inquit Sex. Pompeius lib. vndecimo, progenita fuit à Manilia filia Telegoni, quam Tuſculi procreauit, quum id oppidum ipſe condidiſſet. Hic vero Manilius is eſt, quo conſule in Africam ſe veniſſe Scipio apud Ciceronem lib. ſexto de Rep. teſtatur: vbi nunc ita legitur: Quum in Africam veniſſem à Manilio Conſule ductus: quàm bene, viderint alii: quãquam locutio eſt, qualis illa P. Ouidii Miſſus in hanc vrbẽ venio: libri tamen veteres penè omnes ita habent: Quum in Africam veniſſem Antio Manilio Cos. vbi verbum illud ductus prorſus omittitur, vnde legi fortaſſe poſſit: Quum in Africam veniſſem Marcio, Manilio Coſs. quamuis ego libentius ita legam: Quum in Africam veniſſem M. Manilio Cos. quòd autor libelli de Viris illuſtrib. ita ſcribat: Scipio Tribunus in Africa ſub T. Manilio Imperatore cohortes octo ſeruauit: quod idem Plin. lib. vigeſimoſecundo cap. ſexto dicat: & Oroſius referat Cenſorinum Romã rediiſſe, & Maniliũ in Africa remãſiſſe. Hic Manilius infra ſuo loco ponitur. COSS. Conſulibus an. ab V. C. DCIIII. MORTVVS EST, quum annos quinq. & octuaginta minimũ vixiſſet, vt infra dicitur, & ex Conſulibus colligitur. Natus eſt enim M. Aemilio Lepido, M. Poblicio Mallcolo Coſs. an. ab V. C. DXXI. & poſt annos octuaginta filium genuit, vt autor libelli de Viris illuſtribus ſcribit. ANNIS LXXXVI. annis octuaginta ſex. Tot enim numerãtur, ſi Ciceronis Conſulatum comprehendas: ſed quum addit, ipſis, videtur excludere ſuum Conſulatum, vt, quod in veteribus libris legitur, LXXXIII. poſſis retinere, vel LXXXV. reponere. IPSIS, quaſi integris, vt libro tertio epiſtolarum ad Atticum: Triginta dies erant ipſi: & lib. quinto ad eundem: Athenis decem dies ipſos fui: quod & libro ſecundo Familiarium dixit; ſic Lucianus in Hermotimo: εἴκοσιν ἔτη ταῦτ᾽ ἐστί. ANTIQVIOREM, M. Porcio Catone, quem paulo antè peruetere m vocauit. PROFERENDA PVTEM, digna putem, quæ nunc à me, vel ab aliis vnquam proferantur. NISI, πρόδηλον. APPII CAECI, de quo ſuprà dictum eſt: quique Catone ipſo fuit antiquior annis minimum quadraginta quinque, id eſt quadraginta quinque annis ante deceſſit, quàm Cato naſceretur. HAEC

IPSA,

IPSA, quam nunc in manibus habeo : vel potius, qua paulo ante dixi ſenatum à Pyrrhi pace reuocatum : quamque verſibus Ennius deſcripſit, vt in Catone legimus. hanc, vt opinor Plutarchus in Græcam linguam poſtea vertit, vt apud illum in Pyrrhi vita cognoſci poteſt : Scripſit Appius etiam carmen, quod Panætius valde laudabat, vt Cicero in Tuſculanis quæſtionibus refert. DE PYRRHO, de pace cum Pyrrho non facienda. MORTVORVM LAVDATIONES, hac de re Cicero ſic libro ſecundo de Legibns ſcribit : Honoratorum virorum laudes in concione memoranto, eáſque etiam ad cantus, ad tibicinem proſequantor : cui nomen næniæ : quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant. Hæc vero lex, vel conſuetudo laudandi mortuos ex eo nata eſt, quod P. Valerins Publicola Brutum collegam in concione laudauit : quæ landatio fuit omnium prima, niſi, inquit Plutarchus, hoc ipſum Solon primus inſtituit : ſed Dionyſius negat, id quenquam prius inſtituiſſe. Quamuis enim poëtæ certamina quædam, & ludos in magnorum virorum funere factos dicant, vt ab Achille in funere Patrocli, ab Hercule in funere Pelopis, ab Aenea ad patris tumulum, laudationes tamen dictas non ſcribunt. Quin Græci poſtea, quum & ipſi laudationes, quas ἐπιταφίους vocant, inſtituiſſent, nunquam tamen eas niſi de viris, qui bello periiſſent, habebant, vt apud Platonem, Thucydidem, & Demoſthenem videre poſſumus. Romani autem omnes, qui viri fuiſſent clari quocunque genere virtutis, laudabant : atque adeo, quod ſcribit Quintilianus, ſæpe S. C. id ipſum magiſtratibus mandabatur. Quin ea res etiam poſtea ad fœminas eſt tranſlata : & prima omnium Popilia mater à Catulo, vt in libris oratoriis dicitur, eſt laudata. Quamuis enim tempore Furii Camilli inſtitutum fuiſſet, vt fœminæ laudarentur, atque id ipſum propter aurum collatum, videtur tamen id vſque ad Popiliam non fuiſſe ſeruatum, quod poſtea frequenter eſt vſurpatum, & quidem ita, vt propinqui ſæpius orationes haberent, quod in Fabio Plutarchus teſtatur. hinc apud Suetonium Cæſar Quæſtor Iuliam amitam, vxorémque Corneliam defunctas è more pro roſtris laudaſſe dicitur. eas, inquam, propinqui habebant, quamuis alii ſcripſiſſent, vt Cicero laudationem Porciæ ſe ſcripſiſſe in epiſtolis ad Atticum non ſemel affirmat. FORTE, hoc dixit, quia ſciebat multos eſſe, qui glandibus etiam poſt inuentas fruges delectentur, vt hodie licet videre. DELECTANT, vt Popiliæ laudatio M. Antonium oratorem delectauit, vt in libris oratoriis legimus. Quòd ſi laudationes huiuſcemodi delectabant, arbitrari poſſumus, eas neque flebiles, neque lugubres fuiſſe, quales multas noſtris temporibus audiuimus : quanquam dicitur Cæſar à M. Antonio miſerabiliter eſſe laudatus : vel delectabant vt bene dictæ, vel docte ſcriptæ. HERCVLES, libentius, inquit in Oratore Cicero, dixerim mehercule, quàm mehercules : hic tamen hercules fortaſſe propter vocalium ſimilium concurſum, hercule hæ, & alibi ſæpe dixit. quanquam de hoc verbo hic ego dubito, quòd neſciam, an alibi Cicero, hercules quidem, vt hoc loco, coniunxerit : & neſcio quid videtur deeſſe, vt, hæ quidem extant, hæredes, monimenta, vel tale quid. HAE, laudationes. IPSAE ENIM, εὐλογία, quare laudationes extent potiſsimum. FAMILIAE, Romanæ. QVASI, particula, qua mollit tranſlationem, quæ quibuſdam duriuſcula videri poterat, quum laudationes ornamenta familiarū dicebat, quòd à corporis cultu ad animi virtutes fiat tranſlatio : & ſi videri poteſt particula, quaſi, cum ſuperiori verbo coniungi debere, ſua quaſi, quum verum ſit illud Ouidii : & genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra puto : multi tamen ſua putant. MONIMENTA, ſic enim in laudationi-

bus ſuum genus, vt Cæſar apud Suetonium, commemorabant, vt ex illis tanquam monimentis familias cognoſcere poſſent: vt Gellius libro decimo tertio capite decimonono Catonum familiam cognouit. AD VSVM, SE QVIS EIVSDEM GENERIS OCCIDISSET, vt iis laudationibus, ſi quis forte periiſſet, ad eum laudandum vti poſſent. Solemus enim ex arte laudare homines ex attributis perſonæ: inter quæ Cicero libro primo de Inuentione cognationem numerat: quum conſideratur, quibus maioribus, quibus conſanguineis ſit natus aliquis; quod ex iis laudationibus facile peti poterat. AD MEMORIAM LAVDVM DOMESTICARVM, ob eam cauſam etiam maiorum imagines domi habebant, vt ex Cicerone, Plinio, & aliis cognoſcimus. AD ILLVSTRANDAM NOBILITATEM SVAM, ſi ex his poſſent oſtendere maiores ſuos nobiles rebus geſtis olim fuiſſe. NOSTRARVM, Romanarum. MVLTA ENIM, ψευδολογία, quare historia ſit facta his laudationibus mendoſior: qua de re libro octauo Liuius ita ſcribit: vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falsíſque imaginum titulis: dum familia ad ſe quæque famam rerum geſtarum, honorúmque fallente mendacio trahunt. inde certe & ſingulorum geſta, & publica monimenta rerum confuſa: nec quiſquam æqualis temporibus illis ſcriptor extat, quo ſatis certo autore ſtetur. EIS, laudationibus. A PLEBE TRANSITIONES, ita legendum eſſe cognoſcimus ex his, quæ ſequuntur: in quibus oſtenditur, plebeios homines, & humiliores in alienum genus tranſiiſſe, vt nobiliores viderentur. & ſanè veriſimile eſt, humiles hoc modo voluiſſe nobilitari, non autem nobiles voluiſſe ad plebem tranſire præſertim à principio ante, quàm patricii Tribuni plebis, vt poſtea Clodius, fieri cuperent. Prius tamen hic ad plebem tranſitiones, ſcriptum videbamus. EIVSDEM NOMINIS, nam Romæ ſæpe erant duæ familiæ eiuſdem nominis, quarum altera patricia, altera plebeia erat, vt Claudiæ, vt Maniliæ, de quibus ſupra diximus. INFVNDERENTVR, translatio. EGO, ego M. Tullius Cicero, qui loco equeſtri ſum ortus: cuique de maioribus dicenda facultas non datur. Sic enim loquitur ipſe in orationibus contra Rullum: quamuis Euſebius, & Silius ſcribant, nec Plutarchus neget, eum à Tullio Volſcorum Rege originem duxiſſe: quod ſi verum fuiſſet, vt fuit gloriæ cupidus, nunquam nec in Epiſtolis ad Atticum ſuam παλλιγγενεσίαν appellaſſet, nec quum ſcriberet contra Salluſtium, ſi modo vnquam ſcripſit, hoc ipſum tacuiſſet: niſi forte tacuit, vt videretur ſuis præluxiſſe, & ſibi ſua virtute, non maiorum gloria nobilitatem comparaſſe: vel ne Romanos, quibus regium nomen inuiſum eſſe ſciebat, offenderet. Torquatus certe, & Clodius ob id illum Regem videntur appellaſſe. quin ipſe libro ſecundo de Legibus, ſe, & Quintum fratrem Arpini ſtirpe antiquiſsima ortos eſſe teſtatur.

M. TVLLIO, M. Manlio Tullio Longo. ſic enim vocatur etiam à Dionyſio libro quinto, vbi ſcribit, coniurationem quandam Catilinariæ perſimilem factam fuiſſe: vt quaſi fatale videatur, duobus Marcis Tulliis Coſs, tam diuerſis temporibus coniurationes factas, & extinctas fuiſſe. De illa tamen coniuratione Liuius nihil ſcribit: ſed illo Conſule nihil memoria dignum actum dicit. Dionyſius vero illud etiam addit, hunc M. Tullium ex ſacro curru decidiſſe, & ante finitum Conſulatum obiiſſe. Apud Liuiũ Tullus, non Tullius legitur. Vnde viri etiam docti dubitant, vtro modo ſit legendum, quaſi vero non poſsint intelligere vel ex hoc ipſo loco, & ex Dionyſio, Tullium, ſcribi oportere. Tullios porrò Tullus Rex ex Albanis principibus in patres legit, vt ſcribit Liuius lib. primo, quamuis, Iulios, ibi libentius legamus.

gamus. Tullios, vt ait Sex. Pompeius, alii dixere eſſe ſilanos, alii riuos, alii vehementes proiectiones ſanguinis artuatim fluentis: à quibus Tullii dicti poſſunt videri. alii tamen Tullios ominis cauſa dictos volunt, quaſi tollendos. ESSE, oriundum eſſe, vt in oratione pro P. Seſtio, ex qua hic eſt puer: quamuis paulo aliter loquatur. PATRICIVS, patricius quum eſſet. aliter enim Conſul eo tempore fieri non potuiſſet. SER. Seruius, Seruilius, Sergius, & ſeruus à Probo interpretatur: quæ res apud ſcriptores multos errores peperit præſertim in Seruio, & Sergio, quòd alterum pro altero ſæpe deſcribatur: quod ne amplius accidat, ſciendum eſt, Seruium eſſe prænomen, & Sergium familiæ nomen & quidem patriciæ, vt oſtendit Liuius libro quarto ita ſcribens: Tribuni militum Conſulari poteſtate omnes patricii creati ſunt, M. Fabius Vibulanus, M. Folius, L. Sergius Fidenàs. ex ea familia videtur natus Catilina, quem Salluſtius nobili genere natum ſcribat, & Aſconius L. Sergium Catilinam patricium vocet. Seruius vero prænomen eſt & quidem quaſi proprium Sulpiciorum, vt Ser. Sulpicius Galba: vt, quoties aliter ſcriptum inuenio, erratum putem. non negamus tamen alias etiam familias hoc prænomen interdum habuiſſe. In conſulibus enim inuenimus, Ser. Cornelium Maluginenſem, Ser. Cornelium Rufum, Ser. Fuluium Nobiliorem, Ser. Fuluium Flaccum: quamuis in Liuio legamus, Serg. Cornelium Maluginenſem, ſed Dionyſius oſtendit, Ser. id eſt Seruium ſcribendum eſſe. ex hac diuiſione libri omnes, in quibus male ſcriptum fuerit, corrigi poterunt. SVLPICIO, Ser. Sulpicio Camerino, vt Dionyſius vocat, ex hoc porrò loco cognoſcimus Sulpicios patricios fuiſſe, quòd eo tempore nondum plebeii Conſules fiebant: ſed & Liuius inter Tribunos militum Conſulari poteſtate, qui patricii eſſent, Sulpicios ponit: idem Cicero in oratione pro Muræna teſtatur, qui tamen Ser. Sulpicium Iuriſconſultum equitis Romani filium vocat. & ſanè vel ea familia degenerauit, vel duæ fuere altera patricia, altera plebeia, quando Tribunos plebis multos ex Sulpiciis legimus, & in his P. Sulpicium apud Liuium libro ſeptuageſimo ſeptimo. ANNO X. anno decimo. in libro tamen manu ſcripto vidimus, annos X. hoc eſt, annos decem, fortaſſe rectius, quòd veteres ita frequentius ſcriberent. EXACTOS, à L. Bruto præſertim, vt ſupra dictum eſt. REGES, Romanos, præſertim Tarquinium Superbum, vt ſupra diximus. FVIT, an. ab V. C. ducenteſimo quinquageſimo quarto.

Catonis autem orationes non minus multæ ferè ſunt, quàm Attici Lyſiæ, cuius arbitror plurimas eſſe; eſt enim Atticus, quoniam certe Athenis eſt & natus, & mortuus, & functus omni ciuium munere: quanquam Timæus eum quaſi Licinia & Mutia lege repetit Syracuſas: & quodam modo eſt nõ nulla in iis etiam inter ipſos ſimilitudo. acuti ſunt, elegantes, faceti, breues: ſed ille Græcus ab omni laude felicior: habet enim certos ſui ſtudioſos, qui non tam habitus corporis opimos, quàm gracilitates conſectentur: quos valetudo modo bona ſit, tenuitas ipſa delectat. quanquam in Lyſia ſunt ſæpe etiam lacerti, ſic vt eo fieri nihil poſſit valentius, verum eſt certe genere toto ſtrigoſior: ſed habet tamen ſuos laudatores, qui hac ipſa eius ſubtilitate admo-

dum gaudeant. Catonem vero quis noſtrorum oratorum, qui quidem nunc ſunt, legit? aut quis nouit omnino? at quem virum dii boni. mitto ciuem, aut ſenatorem, aut imperatorem: oratorem enim hoc loco quærimus. quis illo grauior in laudando? acerbior in vituperando? in ſententiis argutior? in docendo ediſſerendóque ſubtilior? refertæ ſunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc inuenerim & legerim, & verbis, & rebus illuſtribus. licet ex iis eligant ea, quæ notatione & laude digna ſint: omnes oratoriæ virtutes in eis reperientur. iam vero Origines eius quem florem, aut quod lumen eloquentiæ non habent? amatores huic deſunt, ſicuti multis iam ante ſeculis & Philiſto Syracuſio & ipſi Thucydidi. nam vt horum conciſis ſententiis, interdum etiam non ſatis apertis cum breuitate, tum nimio acumine, officit Theopompus elatione atque altitudine orationis ſuæ, quod idem Lyſiæ Demoſthenes: ſic Catonis luminibus obſtruxit hæc poſteriorum quaſi exaggerata altius oratio. ſed & in noſtris inſcitia eſt, quòd ii ipſi, qui in Græcis antiquitate delectantur, eáque ſubtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone non nouerunt quidem. Hyperidæ volunt eſſe, & Lyſiæ. laudo: ſed cur nolunt Catonis? Attico genere dicendi ſe gaudere dicunt. ſapienter id quidem: atque vtinam imitarentur, nec oſſa ſolum, ſed etiam ſanguinem: gratum eſt tamen, quòd volunt. cur igitur Lyſias, & Hyperides amatur, cùm penitus ignoretur Cato? antiquior eſt huius ſermo, & quædam horridiora verba. ita enim tum loquebantur. id muta: quod tum ille non potuit: & adde numeros; & aptior ſit oratio: ipſa verba compone, & quaſi coagmenta, quod ne Græci quidem veteres factitauerunt: iam neminem antepones Catoni. ornari orationem Græci putant, ſi verborum immutationibus vtantur, quos appellant τρόπους, & ſententiarum orationiſque formis, quæ vocant σχήματα: non veriſimile eſt, quàm ſit in vtroque genere & creber, & diſtinctus Cato. nec vero ignoro, nondum eſſe ſatis politum hunc oratorem, & quærendum eſſe aliquid perfectius; quippe cum ita ſit ad noſtrorum temporum rationem vetus, vt nullius ſcriptum extet dignum quidem lectione, quod ſit antiquius: ſed maiore honore in omnibus artibus, quàm in hac vna dicendi, verſatur antiquitas.

CATONIS, de quo dicere cœperamus. ORATIONES, orationes & pro ſe multas, & pro aliis, & in alios, inquit Liuius libro trigeſimonono. NON MINVS MVLTAE, quater quidem, & quadragies cauſam dixiſſe ſcribit Plinius, ſed quot orationes ſcripſerit, nemo, quantum videre potui, dicit, præterquam Cicero ipſe, qui paulo poſt amplius centum quinquaginta ſe legiſſe teſtatur.

teſtatur. ATTICI LYSIAE, de quo diximus. PLVRIMAS ESSE, trecentas viginti quinque, vt ait Plutarchus, vltra trecẽtas, vt ſcribit Suidas, quod nos ſupra retulimus. EST ENIM, αἰϑλογία, quare Lyſiam Atticum vocarit: & πρόληψιν, ne quis, Syracuſanum eſſe, poſsit dicere. ATHENIS EST NATVS, Prætore Philocle, vt refert Plutarchus, quum pater eò multo prius immigraſſet, vt ante diximus. ciues vero alii naſcuntur, alii fiunt, vt ait Cicero in oratione ſecunda in Catilinam. MORTVVS, ἐτελεύτησεν αὐτόϑι, vt inquit Plutarchus, & quidem quum annum octuageſimum tertium, vel, vt alii volunt, ſeptuageſimum ſextum, vel octuageſimum ageret, & Demoſthenem tunc adoleſcentulum vidiſſet. Sed quoniam ſequitur, & functus omni munere, ita, vt Cicero non videatur ordinem ſeruare, ſed ὕστερον πρότερον loqui, quod raro facit, quamuis libro ſecundo de Oratore dicat, dicendum, & cogitandum: & in libro manu ſcripto legitur, altus, non mortuus, eum librũ libentius ſequor, præſertim quum Cicero ita loqui ſoleat, vt ſupra: eloquentia nata, & alta. & ſanè quidem Lyſias Athenis altus eſt vſque ad annum decimum quintum. nam poſtea in coloniam fuit miſſus, vt ſupra retulimus. Si tamen hoc loco tollatur ita coniunctio mortuus, functus omni ciuium munere: tollatur etiam ſimul hæc noſtra dubitatio. FVNCTVS OMNI CIVIVM MVNERE, annis ſummum tredecim fungi potuit. nam colonus ad annum ætatis ſexageſimum tertium abfuit, & tempore triginta tyrannorum ſeptem annos exulauit. quin multum temporis ἰσοτελὴς, quaſi nec prorſus ciuis, nec peregrinus Athenis à Plutarcho dicitur habitaſſe, vix vt verum videatur, quod hoc loco ſcribit Cicero, eum omni ciuium munere functum fuiſſe: niſi forte ſcriptores alii, quos Cicero vidit, aliter hac de re ſcripſerunt. TIMAEVS, Timæus Andromachi filius Tauromitanus, non autem Locrenſis, vt quidam volunt, Philiſci Mileſii diſcipulus, qui pulſus ab Agathocle ex Sicilia, venit Athenas, vbi res Italicas, & Siculas libris viginti complexus, res item Græcas, & Siculas, ac argumenta Rhetorica libris ſexaginta octo collegit: olympionicas, & rerum annales ſcripſit. & in ſcriptis quidem ſuis Agathoclem vt hoſtem ſemper eſt inſectatus, & iccirco de illo etiam multa mentitus: vbi vero ſuperiores eoarguit ſcriptores, veritatem quidem viſus eſt eſſe ſecutus, ſed tamen ob id ab Iſtro Callimachio, vel ab Athenienſibus ἐπιτίμαιος, vt eſt apud Strabonem, vel potius, ἐπιτίμαιος, vt Suidas, & Athenæus ſcribunt, eſt appellatus. Videntur enim Athenienſes, vt erant faceti, in nomine iocari voluiſſe. Hinc Aemilius Probus illum ſcriptorem maledicentiſsimum vocat: & Plutarchus eius hiſtoriã nunquam penè probat: Dionyſius vero non tam probat, quàm docet, eum Pyrrhi bellum, vt Cicero ſcribens ad Luceium refert, ſeparatim ſcripſiſſe. Vnde apparet illum illis temporibus vixiſſe. Siquidem ipſe fuit ab Agathocle pulſus, & poſt Agathoclis mortem Pyrrhus in Italiam, deinde in Siciliam venit, vt Trogus ſcripſit: vt vere Cicero libro ſecundo de Oratore dixerit eum Herodoti, Thucydidis, Philiſti, Theopompi, Ephori, Xenophontis, & Calliſthenis minimum natu fuiſſe: quo loco illum longe eruditiſsimum, & rerum copia, & ſententiarum varietate abundantiſsimum, & ipſa compoſitione non impolitum vocat: infra vero talem, quales erant Aſiatici: quin affirmat eum ſententias non tam graues, & ſeueras, quàm concinnas, & venuſtas habuiſſe: quamuis à Plutarcho ἀμαθής, & μειρακιώδης in Nicia dicatur. EVM, Lyſiam. QVASI, dixit quaſi, vt ſupra de Iſocrate loquens, quaſi contra legem committere: quia id eſſe non poterat: quum Timæus eſſet Siculus, nec Romana lege, quales erat Licinia, & Mucia, Siculi tunc vterentur. quin lex Licinia, & Mucia multis poſt annis eſt lata, tantum abfuit, vt ea Timæus vti vnquam potuerit. LI-

CINIA, ET MVCIA LEGE, de ciuibus regundis: quam, vt ait Cicero in libris de Officiis, & in oratione pro Cornelio, duo Conſules omnium ſapientiſsimi tulerunt. Quæ quidem verba ſic Aſconius interpretatur: L. Licinium Craſſum oratorem, & Q. Mucium Scæuolam Pontificem Maximum ſignificat. hi enim legem eam, de qua loquitur, de regendis in ſua ciuitate ſociis, in ſuo Conſulatu tulerunt. hanc legem Cicero libro ſecundo de Oratore in illis verbis ſignificauit: ex quo ſunt nonnulli, qui tuam legem de ciuitate natam Craſſe dicant. Quum lex igitur ea eſſet de ciuibus regendis in ſua ciuitate, ea quaſi lege Timæus videri poterat contendere, Lyſiam Syracuſanũ eſſe. LEGE, quamuis duo nomina ponat, Liciniam & Muciam, ſemper tamẽ Cic. hic, & in orationibus pro Cornelio, & pro Cornelio Balbo legem, non leges dixit, vel quia ſic eam tulerunt, vt vna eſſet: vel quia in ea ferenda ita concordes fuerunt, vt vna debeat videri. ſic lex Aelia & Fuſia ſæpe ſolet appellari. REPETIT, in hiſtoriis ſuis quaſi vendicat. & repetit ab Athenienſibus, quaſi qui abſtulerint. Eſt autem verbum, quo frequenter hiſtorici in hiſce rebus vtuntur. Liuius vero libro primo repetendi formulam deſcribit. SYRACVSAS, vnde Lyſias ipſe fuerat oriundus. & Syracuſas Timæus ipſe vt Siculus magnopere laudabat, vt in eius vita ſcribit Suidas. ET QVODAM MODO, ſic verborum ordo conſequi debuit: Catonis autem orationes non minus multæ ferè ſunt, quàm Attici Lyſiæ, cuius arbitror plurimas eſſe: & quodam modo, &c. reliqua, quæ ſunt interpoſita, videntur dicta κατὰ παρένθεσιν. IN IIS, Lyſia, & M. Catone. SIMILITVDO, hic εἰρωνείαν eſſe putauit Atticus, vt infra videbitur, vbi non exiſtimat ille Catonem Lyſiæ prorſus eſſe ſimilem. ACVTI, ſubtiles paulo poſt vocat. & ſanè Cicero parum ſeiungit acutum à ſubtili, quum libro ſecundo de Oratore dicendi genus acutiſsimum, & ſubtiliſsimum vocet, & infra Stoicorum genus dicendi peracutum, quod libro tertio de Finibus ſubtile dicat. ELEGANTES, Lyſias etiam ſupra elegans eſt appellatus, & Cato quàm fuerit elegans, paulo poſt dicitur. FACETI, Lyſiam facetum ſatis in Oratore vocat, & Catonẽ facetum item fuiſſe, dicta, quæ ſunt à Cicerone, Plinio, Plutarcho, Macrobio, & aliis collecta demonſtrant. BREVES, ex ſcriptis vtriuſque, quæ pauca extant, eos breues fuiſſe, cognoſci poteſt. ILLE GRAECVS, Lyſias. AB OMNI LAVDE FELICIOR, in eo felicior, vt laudaretur. HABET ENIM, αἰτιολογία, quòd ab omni laude fuerit felicior. CERTOS, vt olim Chariſium, qui Lyſiam ipſum videbatur imitari, quod infra dicitur: vt Hegeſiam, qui volebat illum item imitari, quod in Oratore ſcriptum videbis. HABITVS CORPORIS, ἕξιν τοῦ σώματος, id eſt neruos quoſdam orationis μεταφορικῶς. OPIMOS, qui legunt apud Ciceronem in oratione pro Cælio optimum habitum, & à Græcis εὐεξίαν bonum habitum, & contrà καχεξίαν malum habitum dici, poſſunt illi dubitare, an hic quoque optimos legere debeamus: niſi ἀναλύτῳ cognoſcant opimos legi oportere. nam gracilem hic oppoſuit opimo: quamuis Cornelius Celſus obeſo potius opponat. ſed obeſus fortaſſe non ſignificaſſet, quod Cicero volebat, qui orationem plenam roboris, & neruorum, aut certe tale quid cupiebat ſignificare. nec locutio hæc ipſa eſt inſolens, quando in Verrinis hominem præda opimum dixit. GRACILITATES, aliter gracilitatem. VALETVDO MODO BONA SIT, modo ſit quædam orationis ſanitas, vt infra, & in libello de Optimo genere oratorum loquitur μεταφορικῶς, vt hic item, vbi verbis ad tranſlationem accõmodatis vtitur: quam quidem tranſlationem in libello de Optimo genere oratorum ſic explicat: qui carent omni vitio, non ſunt contenti quaſi bona valetudine, ſed vires, lacertos, ſanguinem quærunt, quandam etiam ſuauitatem coloris. TENVITAS, quæ

fuit

fuit in Lyſia, vt in libello de Optimo genere oratorum Cicero teſtatur. QVANQVAM, correctio, ne Lyſiam nimis quaſi deprimere videatur. LACERTI, oratio fortis, robuſta, vires, lacertos, & neruos habens. ſic enim ſæpe loquitur Cicero, vt ſupra oſtendimus. SIC VT EO FIERI NIHIL POSSIT VALENTIVS, in libro manu ſcripto ſic legimus: ſic vt fieri valentius nihil poſsit. GENERE TOTO, dicendi. STRIGOSIOR, tenuior, ſubtilior, vt ipſe quaſi interpretatur, hac ſubtilitate. & tranſlatio eſt ab equis potiſsimum, qui ſtrigoſi dicuntur, quum morbus eós ita ſtringit, vt, quod ait poëta, vix oſsibus hæreant, lege Nonium Marcellum. HABET, ipſe Lyſias. SVOS LAVDATORES, certos ſui ſtudioſos: paulo ante. SVBTILITATE, hinc ſupra egregie ſubtilis ſcriptor eſt appellatus. NOSTRORVM, Romanorũ. QVI QVIDEM NVNC SVNT, nam maióres legebant. AVT QVIS NOVIT OMNINO? tantum abeſt, vt eum legat. CIVEM, ciuem Romanum, & quidem ciuium ita ſtudioſum, vt ipſe, niſi fallor, legem Porciam tulerit: quæ, vt ſcribit Liuius, graui pœna, ſi quis verberaſſet, necaſſetúe ciuem Romanum, ſanxit. hinc vox illa Ciceronis in Verrinis: ò lex Porcia: de qua alibi quoque meminit. SENATOREM, nemo enim Catone melior ſenator fuit, vt ait libro tertio de Oratore. IMPERATOREM, idem facile optimus imperator dicitur libro tertio de Oratore: de quo Plinius ita libro ſeptimo ſcribit: Cato fuit optimus orator, optimus imperator, optimus ſenator. ORATOREM, non ciuem, non ſenatorem, non imperatorem. ENIM, αἰτιολογία, quare ciuem, ſenatorem, & imperatorem nunc mittat. GRAVIOR IN LAVDANDO? grauitas enim in laudatione requiritur vt credatur. hinc grauiſsima laudatio dicitur in oratione pro Cælio. Cato vero non poterat non grauiter laudare, qui grauiſsimus orator etiam præſens à L. Valerio apud Liuium dicatur. ACERBIOR IN VITVPERANDO? accuſationes enim, & vituperationes acerbitatem quandam videntur poſtulare, ne, ſi ſecus fiat, dici poſsit, quod Cicero Callidio dixit: Tu iſtuc M. Callidi, niſi fingeres, ſic ageres? Cato vero id potuit præſtare, quem Liuius virum linguæ acerbæ, & oratorem non ſolum grauem, ſed interdum etiam trucem vocat. SENTENTIIS, γνώμας vt vocant Græci, & quidem tam morum, quàm orationis. In vtriſque enim præſtitit Cato: & de ſententiis quidem orationis dubitari non poteſt, quum tantopere à Cicerone, Liuio, Plinio, & Gellio vt optimus orator commendetur. ſententias vero, quæ ad vitæ inſtitutionem pertinerent, eas dixit, quæ non ſolum viri ſapientis, qualis & ipſe fuit, ſed Apollinis etiam eſſe viderentur: quarum multæ ſunt à Plutarcho, & ab aliis, vtcunque collectæ. ARGVTIOR? in ſententiis enim, & dictis ſpectatur argutia: vnde ſententiæ argutæ, & dicta argutiſsima dicuntur à Cicerone. Porrò paulo ante Cato facetus eſt dictus, vt non poſſet non argutus eſſe. SVBTILIOR? acutus enim paulo ante dictus eſt. & qui bene vult docere, & diſſerere, debet ille ſubtiliter, & acute docere, & diſſerere. atque hoc quidém loco Cicero treis dicendi figuras, ſublimem, mediam, & attenuatam complectitur. nam grauior, & acerbior ad ſublimem, argutior ad mediam, ſubtilior ad attenuatam refertur. eſt enim ſublimis in flectendo, media in delectando, ſubtilis in probando, vt ait in Oratore: in libello vero de Optimo genere oratorum ſcribit ad hunc modum: ſunt ſententiæ, commouendi graues: delectandi quaſi argutæ: docendi acutæ. ORATIONES, quas pro ſe, & pro aliis, & in alios dixit, vt ſupra retulimus. VERBIS, ET REBVS, nam, vt ait Quintilianus libro decimo, capite primo, non eſt dubium, quin oratori velut opes ſint quædam parandæ, quibus vti, vbicunque deſiderandum erit, poſsit: eæ conſtant copia rerum, ac verborum: & Cicero

ab

libro tertio de Oratore; rerum copia verborum copiam gignit. & ſanè res prius inuentæ ſunt, quàm verba. neque vero quicquam, vt ſcribit Cicero in oratione pro Cecinna, opus ſit verbis, quum ea res, cuius cauſa verba quæſita ſint, intelligatur. Quare mirari quiſpiam poſsit, cur hoc loco Cicero verba rebus proponat, niſi ſciat, in coniunctis verbis ex præcepto ipſius Ciceronis in Partitionibus, ordinem poſſe mutari: & à Quintiliano ſcribi, illud eſſe nimiæ ſuperſtitionis, vt quæque ſint tempore, ea etiam facere ſemper ordine priora. Accedit, quod oratio creſcit, quum verba res ipſæ, quæ plus ſignificant, ſequuntur. ſic ſupra partus & fontes, & infra non ſemel verba & ſententias dixit, quamuis libro primo de Oratore docens potius quàm ſcribens ſententias, & verba dixerit. ILLVSTRIBVS, per res illuſtres ſignificat cauſas, de quibus in libello de Senectute ſic ipſe loquitur: cauſarum illuſtrium, quaſcunque defendi, nunc quàm maxime conficio orationes. Verba illuſtria dicuntur à Cicerone libro tertio de Oratore, in quibus plenum quiddam, & ſonans ineſſe videatur. Quin, vt eodem libro ſcribit, ſi eſt honeſtas in rebus ipſis, de quibus dicitur, exiſtit ex rei natura quidam ſplendor in verbis. Quin vero hæc omnia fuerint in Catone, nemo dubitat, quum de cauſis & rebus conſtet: & verba ipſius illuſtria fuiſſe hoc loco Cicero teſtetur, ac pauca quædam, quæ extant, ſcripta demonſtrent, præſertim quod Gellius libro decimo, capite tertio repetit. EX IIS, orationibus. NOTATIONE, non ea notatione, qua vertit ἐτυμολογίαν in Topicis, ſed animaduerſione quadam, & conſideratione. OMNES, nedum paucæ. VIRTVTES, δυνάμεων, bonitates, facultates, ornamenta, vires, vt virtus mercis, & virtus formę apud Plautum, virtus ordinis apud Horatium, virtus equi apud alios, quamuis non proprie. ſic ἀρετὴν γῆς apud Platonem in Alcibiade primo, & ἀρετὴν σώματος in Gorgia. ſic virtutes dicendi Ciceronis infra dixit: & hac ipſa de re loquens item infra laudes vocauit. ORIGINES, Originum libri, de quibus in libello de Senectute ſic ipſe Cato loquitur: ſeptimus mihi Originum liber eſt in manibus: omnia antiquitatis monimenta colligo. origines vero, quæ nunc circunferuntur, non videntur Catonem referre. FLOREM, ſic in Paradoxis florem orationis dixit. ſed videtur Cicero ſibi aduerſari, quum ſcribat hic, in Originibus Catònis nullum florem deſiderari, infra vero illa verba dicat: intelliges nihil Catonis lineamentis, niſi eorum pigmentorum, quæ inuenta nondum erant, florem, & colorem defuiſſe. pugnant inter ſe, flos eſt, flos non eſt. Defendetur fortaſſe hoc modo: priore loco affirmat, florem eſſe in Catonis ſcriptis, ſecundo, quaſi reprehenſus ab Attico, negat: vel hoc modo: priore lòco de Originibus tantum, ſecundo de cæteris etiam libris loquitur: vel ita, flos eſt quidem, ſed non eſt flos pigmentorum: quaſi dicat, elegãs eſt Cato, vt dictum eſt, ita, vt nihil illi deſit præter politiſsimam doctrinam tranſmarinam, vt ait libro tertio de Oratore. negat item libro ſecundo de Oratore, Catonem tenere, quibus rebus ornetur oratio: quòd nondum iſta Romam eſſent importata. Itaque Cato habebat florem eloquentiæ, vt hic ait, ſed non habebat florem pigmentorum, vt infra loquitur. LVMEN, ornamentum, orationis forma, σχῆμα. vt enim ingenii lumen eſt eloquentia, ſic eloquentiæ lumina ſunt σχήματα, quæ lumina vertit etiam ipſe Cicero in Oratore. HVIC, Catoni. SICVTI, defuerunt. MVLTIS IAM ANTE SECVLIS, tribus ſeculis, & annis triginta, vel annis trecentis triginta. tot enim numerantur anni à Platone, cuius æqualis fuit Philiſtus, ad id tempus, quo Cicero hoc ſcripſit. PHILISTO, Philiſtus Archonidæ filius, & Eueni poëtæ elegiaci diſcipulus fuit: qui primus hiſtoriam rhetorice compoſuit: artem porrò Rhetoricam, de rebus Aegyptiacis libros duodecim,

de

de rebus Siculis libros vndecim, ad Tricaranum orationem de Naucrate, de Dionyſio tyranno libros ſex, de Aegyptiorum theologia libros tres, conciones, & alia quædam de Libya, & Syria ſcripſit. hæc propemodum Suidas. Hic Philiſtus, vt in Nicia refert Plutarchus, ſe præclare geſſit in eo bello, quod Athenienſes cum Syracuſanis geſſerunt: deinde Dionyſio ſeniori in conſtituendo principatu fauit, & ab eo arci præfectus fuit, cum matre, cuius, ipſo etiam ſciente, conſuetudinem dicitur habuiſſe. poſtea tamen quum Leptinæ, qui frater erat Dionyſii, filiam vxorem, ipſo Dionyſio inſcio, duxiſſet, ab eo pulſus eſt ex Sicilia: qui quum Adriam ad hoſpites quoſdam ſuos veniſſet, otium nactus, maiorem hiſtoriæ ſuæ partem conſcripſit. Nec poſtea, niſi poſt Dionyſii ſenioris mortem, reuocatus eſt. Tunc enim, qui Dioni aduerſabantur, quum ſcirent Philiſtum ſemper tyrannorum fuiſſe ſtudioſum, vt is Platoni opponeretur, monuerunt Dionyſiū iuniorem, vt eum reuocaret. Reuocatus igitur, & Platoni ſemper eſt aduerſatus, & Dionem eiiciendum curauit. Dion vero non ita multo poſt Dionyſio bellum intulit, & victum in arce obſedit: cui quum Philiſtus tum claſſis præfectus opem ferre vellet, ſuperatus, mortem ſibi conſciuit, vt Diodorus Siculus, & Gemiſtus Ephorum ſecuti, referunt, quamuis alii, vt Thimonides, & Timæus, eum viuum in manus hoſtium veniſſe, & ab iis crudeliter interfectum ſcripſerint. Diodorus etiam inſepultum proiectum teſtatur. Ex his apparet, quare Cicero libro primo de Diuinatione dicat, apud Philiſtum de ſomnio matris Dionyſii ſcriptum eſſe, & eum æqualem temporum illorum: & cur item libro ſecundo de Oratore Dionyſii familiariſſimum vocet: & cur Marcellinus in vita Thucydidis illa verba ſcribat: φίλιστος τῷ νέῳ διονυσίῳ τοῖς λόγοις πολεμεῖ. quem Cicero doctum, & diligentem appellat, putátq. illum voluiſſe Thucydidem imitari, vt libro ſecundo de Oratore refert: hinc Quintilianus ait: Philiſtus imitator Thucydidis, & vt multo infirmior, ita aliquatenus lucidior. SYRACVSIO, græce. nam Syracuſanus Latine dicitur, vt ait Seruius. Cicero igitur hic, & libro ſecundo de Oratore Philiſtum Syracuſium vocat, & cæteri ſcriptores conſentiunt, vt ego mirer, cur Suidas ita ſcribat: φίλιστος ναυκρατίτης ἢ συρακούσιος. IPSI, ἔμφασις, perinde, ac ſi dicat, ipſi, qui omnes, vt libro ſecundo de Oratore ſcriptum eſt, artificio dicendi facile vicit: quenque tunc ipſe Philiſtus imitatus eſt, & tam multi nunc imitantur, vt infra dicetur. THVCYDIDI, de quo diximus. NAM, αἰτιολογία, cur amatores illi defuerint. HORVM, Philiſti, & Thucydidis. CONCISIS SENTENTIIS, ex quibus aliqua ſint omiſſa, & quaſi amputata: qua de re Dionyſius Halicarnaſſeus de Thucydide loquens, ita ſcribit: ἐνδηλότατα δὲ αὐτοῦ καὶ χαρακτηριστικώτατα ἐστὶ τὸ πειρᾶσθαι δι' ἐλαχίστων ὀνομάτων, πλεῖστα σημαίνειν πράγματα, εἰς ἃ καὶ ἔτι προσδεχόμενόν τι τὸν ἀκροατὴν ἀκούσεσθαι, καταλείπειν ὑφ' ὧν ἀσαφὲς γίγνεται τὸ βραχύ. Hinc Thucydides ἀσαφὴς τὴν διάνοιαν eſt à Græcis appellatus, vt ſupra etiam diximus. Idem de Philiſto, qui illum eſt imitatus, dici poteſt. NON SATIS APERTIS, obſcuris, λιτότης. Thucydidis enim conciones ita multas habent obſcuras, abditáſque ſententias, vix vt intelligantur, vt ſupra etiam ex Oratore retulimus. BREVITATE, breuis enim Thucydides à Quintiliano vocatur, vt eſt etiam ſupra dictum, vt mittam, quod Cicero ad Q. fratrem ſcribit. ACVMINE, hinc Thucydides acutus à Cicerone in epiſtola quadam ad Q. fratrem vocatur. ſunt tamen, qui cenſent hæc verba eſſe tollenda; quum breuitate, tum nimio acumine. OFFICIT, quòd ipſe clarius ſcribat: & ob id multi malint illum, quàm Thucydidem, & Philiſtum, qui ſunt obſcuri, legere. THEOPOMPVS, Theopompus Chius Damaſiſtrati filius, & Iſocratis diſcipulus fuit: natus circiter olympiada nonageſimam tertiam: qui epitomen

hiſtoriarum Herodoti duobus libris eſt complexus: res Philippi Regis geſtas libris quinquaginta octo, vt Diodorus Siculus refert, vel vt alii volunt, ſeptuaginta duobus: res Græcas libris vndecim: συμβουλὰς ad Alexandrum, orationem κατὰ τῆς πλάτωνος διατριβῆς: epiſtolam Chiam: orationem de pecuniis ex Delphis ablatis: ea, quæ omiſit Thucydides, quæque poſt illum ſunt geſta, ac alia plurima ſcripſit. Hæc nos ex Suida, Athenæo, Marcellino, & aliis collegimus, & vidimus, male legi apud Suidam, φιλικὰ, quum φιλιππικὰ ſcribere oporteat: intelleximus item, cur Cicero libro duodecimo ad Atticum illa ſcribat verba: mecum habeo & ἀριστοτέλους, & θεοπόμπου πρὸς ἀλέξανδρον. pulſus enim è patria quum ſupplex in Dianæ Epheſiæ templum confugiſſet, multa contra Chios ſcripſit ad Alexandrum, in quibus illum laudauit: ſed poſtea παλινῳδίαν cecinit. nam dicitur in eundem poſtea ſcripſiſſe: quamuis, quod ſcripſit, in manus hominum non videatur veniſſe. Eum maledicum ſcriptorem fuiſſe Lucianus, Aemilius Probus, & Dionyſius Halicarnaſſeus teſtantur. à Suida dicitur difficilis, & moroſus fuiſſe, ſed in dicendo multus, ſpiſſus, & abundans, & ob id frenis indiguiſſe, vt dixit Iſocrates, præſertim quòd impetu quodam, quam φορὰν Suidas vocat, ferebatur. Hinc infra Cicero acerrimum ingenium Theopompi vocat, & libro tertio de Oratore ſcribit, eum exultantem verborum audacia ab Iſocrate repreſſum fuiſſe. Fuit vero Theopompus veritatis ſtudioſus vſque adeo, vt à Suida φιλαλήθης vocetur, & ab Athenæo, qui addit, eum multas pecunias veritatis inueſtigandæ cauſa conſumpſiſſe. In eius tamen ſcriptis innumerabiles erant fabulæ, vt autor eſt Cicero libro primo de Legibus. Quare nonnulli dicunt, eum diuinitus eſſe multatum, quòd ſuis ſcriptis, & illis fabulis ſacras Moſis hiſtorias miſcuiſſet. Illud vltimo loco addimus, quod Gellius & Suidas referunt, illum in certamine, quod Artemiſia de laudibus Mauſoli conſtituit, viciſſe. ELATIONE, ATQVE ALTITVDINE ORATIONIS SVAE, graui, & grandi genere dicendi, in quo verſatus eſt. & commode Cicero ſic locutus eſt, quum quia dixit alibi, elata verba, elate dicere, altámq. orationem, tum quia verba videtur accommodare ad tranſlationem, quæ ſequitur, luminibus obſtruxit, quod in primis res ſublimes, & altæ faciunt. Theopompus vero in primis elegantiæ ſtuduit ita quidem, vt eum quidam, quod in Oratore ſcribit Cicero, reprehenderint, quòd literas quaſdam tantopere fugerit. ob id fortaſſe ῥήτωρ à Suida dicitur: à Quintiliano certe oratori ſimilis appellatur, vt qui ante, quàm eſt ad hiſtoriam ſolicitatus, diu fuerit orator. Cicero certe quidem libro ſecundo de Oratore ſcribit, eum ab Iſocrate impulſum ſe ad hiſtoriam contuliſſe, ſed cauſas omnino nunquam attigiſſe. QVOD IDEM, facit, id eſt officit elationè, atque altitudine orationis, & verborum granditate. LYSIAE, quem iam propè audias oratorem perfectum dicere DEMOSTHENES, orator perfectus, & cui nihil admodum deſit ita, vt Demoſthenes elate, & ſummiſſe poſsit dicere, Lyſias elate non poſsit. hæc ſupra, & in libello de Optimo genere oratorum dicuntur. CATONIS LVMINIBVS OBSTRVXIT, impedimento fuit, ne Catonianæ orationis lumina videri poſſent. & loco poſita eſt tranſlatio. nam & orationis lumina dicimus: & quum hic de altitudine loqueretur, ad feneſtrarum lumina, quæ ex alto recipi ſolent, accommodauit: quibus obſtruere ſolent vicini, id eſt murum, parietem, tectum, vel tale quid contra ſtruere, & ita lumen impedire: quod Græci dicunt, ἐμποδίζειν τῇ ἀπόψει. Iuriſconſulti, officere luminibus, dicunt, ſed Cicero hic vtrunque videtur dicere: Theopompus officit, & oratio obſtruxit. ſic etiã in oratione pro Domo dixit, vt cætera, quæ referri poſſent, nunc mittamus. HAEC POSTERIORVM, hæc oratio, qua nos poſteri vtimur,

qui

qui nuper agnouimus, quàm apte verbis debeat eſſe comprehenſa ſententia, quum apud Græcos iam anni propè quadringenti ſint, quum hoc probatur vt in Oratore ſcribit: & infra refert hæc pigmenta modo importata eſſe. QVASI, hac particula mollit tranſlationem, quæ durior eſſe videbatur, exaggerata altius oratio pro eo, quod eſt graui genere dicendi, & verbis grandibus confecta. IN NOSTRIS, vt in Caluo, de quo dicetur infra. QVOD, αἰτιολογία. IN GRAECIS, quod ad Græcos oratores pertineat. ANTIQVITATE, quia Græcorum ſunt antiquiſsima quæque ſcripta vel optima, vt inquit Horatius ad Auguſtum ſcribens. & antiquus fuit Lyſias, quem magnopere ſequebantur. EAQVE SVBTILITATE, qualis in Lyſia fuit, quem ſuprà ſubtilem Cicero vocauit. QVAM ATTICAM APPELLANT, iſti, qui volunt Attici videri, quos infra Cicero confutat, vbi concedit minutæ ſubtilitati locum eſſe poſſe. HANC, antiquitatem, vel potius ſubtilitatem. IN CATONE, qui antiquus, & ſubtilis fuit, vt paulo ante dictum eſt. NON NOVERVNT QVIDEM, quòd noſtrorum oratorum, qui quidem nunc ſunt, nemo illum legat, vt ſupra dixit. ſed quoniam hæc locutio, non nouerunt quidem, eſt admodum rara, libenter legerem, non nouerunt quidam: vel, vt in manu ſcripto vidimus, ne nouerunt quidẽ. alii legunt, nouerunt. quid enim? HYPERIDAE VOLVNT ESSE, ET LYSIAE, videtur dictum, vt illud, me totum Pompeii eſſe ſcis: & illud item, Cæſar me ſuum numerat: vel illud, ſum χρήσει μὲν tuus: κτήσει δὲ Attici noſtri: ſed quoniam hic nullam neque factionem, neque poſſeſsionem, ſed ſimilitudinem ſignificat, vereor, ne legere oporteat, Hyperidæ volunt eſſe ſimiles, & Lyſiæ, prȩſertim quum infra ita dicat: Atticorum ſimiles eſſe volumus idque dicat ſub perſona illorum, qui volebant Attici videri. Vel Hyperidæ, & Lyſiæ numero multitudinis cenſeantur, & paulo poſt, Catones, legatur, vt ſit locutio, & modus, qualis ille in Lȩlio: numeremus Paulos, Catones, Caios, Scipiones, Philos, id eſt tales, quales illi fuerunt. LAVDO, laudo conſiliũ eorum, qui volunt eſſe tales, quales Hyperides, & Lyſias fuerunt. ſic infra: Atticorum ſimiles eſſe volumus: optime. CVR NOLVNT ESSE CATONIS? quum tanta ſimilitudo ſit inter Lyſiam, & Catonem, quanta ſupra dicta eſt? ATTICO GENERE DICENDI, genere dicendi, quod ipſi vocant Atticum, vt infra dicetur. SAPIENTER ID QVIDEM, dicunt illi. ATQVE VTINAM, εὐχῇ, qua Cicero ſolet vti hoc modo: atque vtinam quidem. OSSA, tenuitatem, ſubtilitatem, & exilitatem. ſic enim, de his hominibus loquens, ſæpe vocat. & eſt tranſlatio ab animantibus macris, & quæ vix oſsibus hæreant, vt ait Poëta. hinc Plautus in Captiuis dixit: oſſa, atque pellis ſum, miſera macritudine. atque hoc quidem loco, oſſa ſolum, Pontanus alliterationem eſſe dixiſſet. SANGVINEM, orationem fortem, robuſtam, vires, lacertos, & neruos habentem, vt etiam ſupra ſumus interpretati. GRATVM EST TAMEN, QVOD VOLVNT, quòd Hyperidæ, & Lyſiæ volunt eſſe, id eſt Attici laudo: quando in magnis & voluiſſe ſatis eſt. CVR IGITVR, quum tam Cato, quàm Lyſias, & Hyperides in eo genere dicendi, quo delectantur iſti, ſit verſatus. AMATVR, vterque ſui ſtudioſos, & ſuos laudatores habet, vt ſupra de Lyſia dixit. aliter amantur, rectius. IGNORETVR CATO? ita, vt illum nunc nemo legat? ANTIQVIOR, ἀνθυποφορά, qua proponit, quod ab aduerſariis dici poterat. HVIVS, Catonis. HORRIDIORA, quòd priora illa incompta, & breuia, & nõ operoſa eſſent, vt ait Gellius lib. decimo cap. tertio. ITA ENIM, ἀνθυποφορᾷ cum ratione reſpondet. ſunt illa horridiora. tunc enim ita loquebãtur. ID, quod ad verba horridiora pertinet. ILLE, Cato. NON POTVIT, quãuis

tentarit.nam,qui conſideret,inquit Gellius,Catonis orationem,intelliget, illum contentum eloquentia ætatis ſuæ non fuiſſe, & id iam tum facere voluiſſe, quod Cicero poſtea perfecit. NVMEROS, qui tunc apud Latinos nulli ſeruabantur,licet oratio ſæpe caſu,aut natura numeroſe caderet:& numeri apud Græcos quadringentis ante annis inuenti fuiſſent, vt ait in Oratore. ET APTIOR, vt aptior,legitur in vetere libro,idque rectius. QVASI COAGMENTA, mollit translationem,vt etiam in Oratore:verba etiam verbis quaſi coagmentare negligat. QVOD, addere numeros, verba componere,& quaſi coagmentare. NE GRAECI QVIDEM, quamuis Græcia ſemper eloquentię princeps eſſe voluerit,vt lib.primo de Orat.ſcribitur. VETERES, qui fuerunt ante Iſocratem,qui primus, vt ſupra dictum eſt, intellexit, etiam in ſoluta oratione,dum verſum effugeres,modum tamē, & numerum quendam oportere ſeruari. FACTITAVERVNT, nam ante Iſocratē verborum quaſi ſtructura,& quædā ad numerum concluſio nulla erat. ORNARI ORATIONEM, vſque adeo, vt autor Rhetoricæ ad Herennium, verborum, & ſententiarum exornationes ſoleat vocare. GRAECI, vt Hermagoras,& alii qui de Rhetorica ſcripſerunt. PVTANT, vt qui exornationes haſce dicantur inueniſſe. Nam Gorgias,vt ſcribit Suidas,τροπαῖς τε, καὶ μεταφοραῖς, καὶ ἀλληγορίαις καὶ ὑπαλλαγαῖς, καὶ καταχρήσεσι, καὶ ὑπερβάσεσι, καὶ ἀναδιπλώσεσι, καὶ ἐπαναλήψεσι καὶ ἀποστροφαῖς, καὶ παρισώσεσι ἐχρήσατο:quem Thucydides in multis eſt imitatus, vt in eius vita legimus. VERBORVM IMMVTATIONIBVS, verba, inquit Cicero in Orat.dico,mutata,in quibus pro verbo proprio ſubiicitur aliud, quod idem ſignificet, ſumptum re aliqua conſequenti:vt quum Ennius pro Afris immutat Africam. Idem penè Cicero in Partitionibus, & lib. tertio de Orat.docet:vt illa definitio τοῦ τρόπου, quæ eſt apud Quintilianum lib.nono capite primo cum his verbis conueniat: τρόπος eſt dictio ab eo loco, in quo propria eſt,tranſlata in eum,in quo propria nō eſt. QVOS,aliter quas. τρόπους, mores Aquila Romanus vertere videtur,Cicero modos,autor Rhetoricę ad Herennium exornationes:Quint. verbum Græcum retinet : Aquila Romanus pro tropis σχήματα λέξεως,opinor, dixit. ad verba certe pertinet, vt hic Cicero verborum exornationes ſententiarum exornationibus præponat,vt item in Oratore facit, quum libro tertio de Oratore contrà ſententias verbis præpoſuerit. ſed tunc docebat: & qui docet,vt melius præcepta tradat, naturæ ordinem, quoad poteſt, imitari debet: quod intellexit etiam Aquila Romanus, quum dixit: percurramus igitur ſententiarum figuras. naturæ eſt enim prius ſentire, quàm eloqui. Idem dicit Quintilianus. Hic vero Cicero,& in Oratore vt orator ſcribit, non docet vt Rhetor: & icciroo hunc ordinem ſequitur, vt oratio creſcat, vt etiam ſupra de verbis & rebus diximus. Hæc autor Rhetoricæ ad Herennium videtur ignoraſſe, qui quum doceret, non ſcriberet, verba tamen ſententiis præpoſuit. SENTENTIARVM, διανοίας σχήματα dixit Aquila Romanus, dixit & Quintilianus, qui poſtea vertit: mentis, vel ſenſus, vel ſententiarum figuras: autor Rhetoricæ ad Herennium ſententiarum exornationes appellauit: Cicero ſententiarum formas hoc loco, alibi vero ſententiarum ornamenta, & lumina, & conformationes vocauit, ORATIONISQVE, ſi hoc loco eſt ἐπεξήγησις, ſententiarum, id eſt orationis, quòd ſententiæ, vt ait Quintilianus, adeo ſint virtutes orationis, vt ſine iis nulla intelligi vere poſsit oratio: videtur Cicero verba excludere, ex quibus tamen ita conſtat oratio, vt orationem pro verbis ſæpe dicamus, & Quintilianus orationis & ſententiarum figuras vocet. Sin pro orationem verba, & ſententias vouit complecti, cur eam potius cum ſententiarum formis, quàm cum

verborum

verborum tropis coniunxit? fortaſſe ita poſuit, vt orationem à verbis, & ſententiis quodam modo ſeiungeret tanquam genus à formis, quòd eam ſciret formas quaſdam proprias habere, quæ Græci quaſi aliquos geſtus orationis σχήματα appellant, vt ait in Oratore: de quibus Hermogenes libro quarto περὶ τῆς εὑρέσεως ita ſcribit: ἀναγκαῖον εἰπεῖν καὶ περὶ τῶν τοῦ λόγου σχημάτων. deinde præcepta ea de re tradit, quæ inde ſunt petenda. & niſi Cicero hic dixiſſet, quæ vocant σχήματα, potuiſſet aliquis exiſtimare, hic orationis formas eas ſeptem ſignificari, quas Hermogenes τὰς ἰδέας τοῦ λόγου vocat. FORMIS, quamuis formam, & figuram Cicero ita ſæpe confundat, vt altera pro altera recte poni poſſe videatur: exiſtimauit tamen hoc loco formam magis accommodatam: quod et ſi figuras ſententiarum dicimus, frequentius tamen, & melius formas orationis, quàm figuras dicere ſolemus: & orationi vt verbo viciniori, quàm ſententiis maluit accommodare. ΣΧΗΜΑΤΑ, figuras omnes vertunt, præſertim quum de rebus hiſce loquuntur. NON VERISIMILE EST, ſic, non credibile eſt. IN VTROQVE GENERE, in verborum immutationibus, & ſententiarum, orationiſque formis. quamuis enim orationem à verbis, & ſententiis quodam modo, vt diximus, ſeiungat, duobus tamen nominibus tantum immutationibus, & formis ita complectitur, vt recte in vtroque genere dicat. CREBER, ad verborum immutationes refertur. Vt enim ſupra Thucydides, & eius æquales crebri ſententiis dicantur, in Oratore tamen Cicero Phalereum laudat, quod verborum exornationes ita frequentet, vt immutationes ipſæ nuſquam ſint crebriores. & libro tertio de Oratore hiſce de rebus loquens, orationem luminibus verborum frequentandam docet. DISTINCTVS, ad ſententiarum, & orationis formas refertur. Vnde Cicero libro de Oratore de ſententiis ita ſcribit: omnis oratio quaſi luminibus ſententiarum eſt diſtinguenda. nec ita multo ante dixerat, orationem formandam, & membris diſtinguendam: Hermogenes vero de formis orationis, quæ σχήματα vocat, loquens, eam periodis potiſſimum efferendam præcipit. NEC VERO, πρόληψις. NEC VERO IGNORO, λιτότης. NONDVM, nondum à Romanis cognito numero, quē nuper agnouimus, vt ait in Oratore. ALIQVID PERFECTIVS, quale fuit, quod ipſe Cicero præſtitit. nam Cato voluit, quod Cicero poſtea perfecit, vt ſcribit Gellius libro decimo capite tertio. QVIPPE QVVM, αἰτιολογία, quare nondum ſit ſatis politus, quòd ſit nimis vetus. NOSTRORVM TEMPORVM, quibus viuimus ipſi. VETVS, quippe qui mortuus ſit annis octuaginta ſex ipſis ante me Conſulem, vt ſupra dictū eſt. NVLLIVS, niſi quem Appii Cæci oratio, & nōnullæ laudationes delectant, quod ſupra dixit. ANTIQVIVS, nam ſupra dixit: nec vero habeo quenquam antiquiorem, cuius quidē ſcripta proferenda putem. SED MAIORE, eſt quædā quaſi αἰτιολογία αἰτιολογίας κατὰ πρόληψιν ne quis priorem αἰτιολογίαν ita poſſet confutare: quid dicis Cic. Catonem nondum ſatis eſſe politum, quòd vetus ſit, quum quæ ſunt vetera, & antiqua ita ſoleant laudari, vt antiquum pro bono ſæpe ponamus? verum illud quidem eſt, inquit Cicero, in cæteris artibus, ſed in arte dicendi non itē in qua loquendum ſit verbis præſentibus, vt apud Gellium Phauorinus oſtēdit. & quum Cicero dicit, ſed maiore honore in omnibus artibus, quàm in hac vna dicendi verſatur antiquitas, ita videtur quaſi κατ' ὑπαλλαγὴν interpretandum: antiquitas in omnibus artibus minus, quàm in arte dicendi contemnitur. ſic vero interpretandum eſſe, ratio ipſa, & ea, quæ ſequuntur, docent. Quis enim non intelligit, ne in reliquis quidem artibus ea, quæ ſint prius facta rudia, his, quæ poſtea ſint perfecta, præferri ſolere? exempla, quæ ponit Cicero, id demonſtrant. In reliquis tamen artibus antiqua plus

habent laudis, quàm in arte dicendi. OMNIBVS ARTIBVS, non ſolum ingenuis, ſed his etiam, quæ ſordidæ vocantur. Quin Cicero de ingenuis nulla ponit exempla, tanquam res ipſa loquatur: de ſtatuaria vero, pictura, & poëtica ponit, quæ inter liberales non ſolent numerari, quamuis de pictura, & poëtica poſsit dubitari. IN HAC VNA DICENDI, in hac vna arte dicendi. atque hic artem vocat, quum à principio, vt ibi diximus, dubitarit.

Quis enim eorum, qui hæc minora animaduertunt, non intelligit Canachi ſigna rigidiora eſſe, quàm vt imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, ſed tamen molliora, quàm Canachi. nondum Myronis ſatis ad veritatem adducta, iam tamen quæ non dubites pulchra dicere. pulchriora etiam Polycleti, & iam planè perfecta, vt mihi quidem videri ſolent. Similis in pictura ratio eſt, in qua Zeuxim, & Polygnotum, & Timantem, & eorum, qui non ſunt vſi plus quàm quatuor coloribus, formas, & lineamenta laudamus. at in Aëtione, Nicomacho, Protogene, Apelle iam perfecta ſunt omnia: & neſcio an reliquis in rebus omnibus idem eueniat. nihil eſt enim ſimul & inuentum & perfectum.

QVIS ENIM, αἰτιολογία, quòd antiquitas minus in reliquis artibus, quàm in arte dicendi contemnatur. HAEC MINORA, nam ſi conferantur cum rebus, quæ in Rhetorica, & reliquis artibus ingenuis tractantur, minima debent iudicari. ANIMADVERTVNT, ita vt ſciant iudicare, quanti vna quęque ſtatua, & vnum quodque ſignum ſit æſtimandum: quòd oculos habeant eruditos: quod dictum Cælius Rhodiginus libro decimoſexto capite vigeſimotertio pluribus explicat. Tunc vero multi erant harum rerum ſtudioſi, vt apud Ciceronem in Verrinis, & Paradoxis, & apud Plinium multis in locis cognoſcitur: nec hodie deſunt, qui rebus huiuſcemodi vſque ad inſaniã delectentur. CANACHI, de quo quidem nos nihil præter ea, quæ ſcribit Plinius, inuenire potuimus. Eſt autem digreſsio quædam, qua Cicero non aberret à propoſito, ſed ea confirmet, quæ dixit: & auditores, atque lectores perpetua illa relatione defeſſos quaſi recreet, ac delectet: id quod non oratores modo, ſed poëtæ etiam faciunt: imo vero poëtæ frequenter, & interdum oratores facere ſolent. Cicero certe in hoc dialogo ſæpe facit. SIGNA, ſimulachra ex ære, & marmore facta, vt ex Plinio libro trigeſimoquarto capite octauo, & libro trigeſimo-ſexto capite quinto cognoſcimus. RIGIDIORA, aſperiora, duriora, quibus paulo poſt opponit molliora. QVA'M VT IMITENTVR VERITATEM, nam quum ita ſint rigida, non videntur vere homines, qui natura ſunt molles, referre: quum ſtatuæ commendari tum maxime ſoleant, quum ad veritatem proxime accedunt, vt Praxitelis Venus: cuius amore captum quendam ferunt, quum delituiſſet noctu, ſimulachro cohæſiſſe, eiúſque cupiditatis fuiſſe indicem maculam. lege Valerium Maximum libro octauo capite vndecimo, vt nunc res alias & alios ſcriptores mittamus. CALAMIDIS, de quo Plinius, Lucianus, & Quintilianus ſcribunt. DVRA ILLA QVIDEM, minus rigida vt ait Quintilianus libro duodecimo capite decimo. MOLLIORA, minus rigida, dicerent Grammatici. CANACHI, ſigna. MYRONIS, vide Plinium, & Quintilianum. PVLCHRA, nam molliora, quàm

ſuperiores

ſuperiores fecit, vt ait Quintilianus. PVLCHRIORA, ſigna. POLYCLETI, inuenies apud Plinium, & Quintilianum. IAM PLANÈ PERFECTA, ſic ait Quintilianus: diligentia, ac decor in Polycleto ſupra cæteros, cui quanquam à pleriſque tribuitur palma, tamen ne nihil detrahatur, deeſſe pondus putant. hic conſumaſſe hanc ſcientiam iudicatur, vt ait Plinius lib. trigeſimo quarto capite octauo: Strabo quoque illum in arte valde commendat. MIHI, quem Verres olim inter alios, vt harum rerum rudem, idiotam vocabat. hoc ait Cicero Verrina ſexta, in epiſtolis item quæ Familiares vocantur, ſcribit, ſe omne genus ſignorum non magni æſtimare: idem Paradoxo quinto teſtatur. Illa tamen ſunt in epiſtolis ad Atticum verba: in hoc genere ſic ſtudio efferimur, vt abs te adiuuandi, ab aliis propè reprehendendi ſimus. ſed ibi vel iocatur, vel potius Attico vt amiciſſimo vere oſtendit, ſe quoque harum rerum ſtudioſum eſſe, quum alibi id neget, vt, qui in alios dixerat, vitio carere videretur. SIMILIS, quod ad antiquitatem pertineat. PICTVRA, quam Plinius, & Philoſtratus magnopere commendant: nec deſunt, qui dicant, olim inter artes liberales habitam fuiſſe. Plutarchus certe in L. Aemilio Paulo ſcribit, Romæ morem fuiſſe, vt eam nobiles etiam diſcerent: hinc, vt refert Plinius, Fabii Pictoris cognomen natum. ZEVXIN, Zeuxis fuit Heracleotes, qui ſuis temporibus longe cæteris excellere pictoribus, vt ſcribit Cicero, exiſtimatus eſt. Hic floruit olympiade ſeptuageſima octaua, vt apud Euſebium legimus: Plinius vero ſcribit, eum ab Apollodoro artis fores apertas intraſſe olympiadis nonageſimæ quintæ anno quarto: at Suidas ex Ariſtotele refert, eum κατὰ τὸν ἰσοκράτους χρόνον vixiſſe. eum certe Plato in Gorgia nominat. Vnde facile apparet, illum etiam Socrate, qui fuit natu multo maior Iſocrate, ſenioré fuiſſe. Hunc olim Agrigentini, vt putat Plinius, vel potius Crotoniatæ, vt Cicero docet, magno pretio conductum adhibuerunt, vt templum Iunonis egregiis picturis ornaret: quod vt melius poſſet efficere, Helenæ ſe pingere ſimulachrum velle dixit: quod Crotoniatæ, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis præſtare ſæpe accepiſſent, libenter audierunt. Illis igitur permittentibus, quinque virgines formoſiſsimas delegit, vt mutum in ſimulachrum ex animali exemplo veritas transferretur. Ambigitur, inquit Plinius, Demophilí ne Himerei an Neſeæ Thaſii diſcipulus fuerit: de quibus Apollodorus verſus fecit, arté ipſis ablatam Zeuxin ferre ſecum. Hic opes tantas, vt idem Plinius ſcribit, acquiſiuit, vt in oſtentatione earum, olympiæ aureis literis in palliorum teſſeris intextum nomen ſuum oſtentarit. poſtea vero donare opera ſua inſtituit, quòd ea nullo ſatis digno pretio permutari poſſe diceret, ſicuti Alcmenam Agrigentinis, Pana Archelao. Fecit & Penelopen, in qua pinxiſſe mores videbatur: quamuis Ariſtoteles neget, eum mores expreſſiſſe. fecit & athletam, adeóque ſibi in illo placuit, vt verſum ſubſcriberet, celebrem ex eo: inuiſurum aliquem facilius, quàm imitaturum. Magnificus fuit Iupiter eius in throno aſtantibus Diis: & Hercules infans dracones ſtrangulans, Alcmena matre coràm pauente, & Amphitryone. Deprehenſus eſt tamen Zeuxis grandior in capitibus, articuliſque. Deſcendiſſe Parrhaſius cum Zeuxide in certamen traditur: & quum ille detuliſſet vuas tanto ſucceſſu pictas, vt in ſcenam aues aduolarent: ipſe detuliſſe linteum pictum traditur, ita veritate repræſentata, vt Zeuxis alitum iudicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo oſtendi picturam: atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore: quoniam ipſe aues feſelliſſet, Parrhaſius autem ſe artificem. Fertur etiam poſtea Zeuxis pinxiſſe puerum vuas ferentem, ad quas quum aduolarent aues, eadem ingenuitate proceſsit iratus operi,

& dixit: vuas melius pinxi, quàm puerum. nam ſi & hoc conſumaſſem, aues timere debuerant. Pinxit & Marſyam religatum, & fecit opera figlina. Hæc Plinius. Hic Athenis in templo Veneris Amorem admodum puerum roſis coronatum pinxit, quod Suidas, & Ariſtophanis Interpres teſtantur. Quum Agatharcus gloriaretur, quòd celeriter, & facile pingeret, ego vero, inquit Zeuxis, tarde. quin quibuſdam quærentibus, cur tarde pingeret, ὁμολογῶ ἐν πολλῷ χρόνῳ γράφειν. Hoc ſcribit Plutarchus, ſed plura Lucianus, quibus quantum ſit credendum, eruditi iudicabunt. Quintilianus hoc modo: Zeuxis plus membris corporis dedit id amplius, atque auguſtius atque, vt exiſtimant, Homerum ſecutus, cui validiſsima quæque forma etiã in fœminis placet. Ille vero ita circunſcripſit omnia, vt eum legum latorem vocent, quia Deorum, atque heroum effigies, quales ab eo ſunt, cæteri, tanquam ita ſit neceſſe, ſequuntur. Hinc, vt ſcribit Valerius Maximus, Zeuxis quum Helenam pinxiſſet, quid de eo opere homines ſenſuri eſſent, expectandum non putauit, ſed protinus hos verſus Græcos adiecit: οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν, αἰνῶς ἀθανάτῃσι θεῇς εἰς ὦπα ἔοικεν. De Zeuxide item ita ſcribit Aelianus: Quum Megabyzus olim picturas viles, nec artificioſe factas laudaret: alias vero ſtudioſe elaboratas vituperaret, Zeuxidis pueri colores terentes, eum deridebant: quare Zeuxis dixit: quando taces ò Megabyze, iſti pueri te admirantur, tuam veſtem, & ſeruos, qui te ſequuntur, videntes: quando vero aliquid de arte vis dicere, te contemnunt. cuſtodi igitur te ipſe, vt lauderis, linguæ parcens, & nihil ex his, quæ tibi minus cõueniunt, ſtudioſe loquens. hæc Plinius de Apelle, & Alexandro refert. Idem Zeuxis, vt idem Aelianus ait, quum Helenam pinxiſſet, ex ea magnum lucrum fecit. non enim temere, & vtcunque volentes, ad eam ſpectandam admittebat: ſed oportebat argentum conſtitutum deferre, & poſtea ſpectare. Vt igitur illo mercedem pro pictura capiente, Græci illam Helenam meretricem vocabant. Politianus olim, quum librum Aeliani nondum, vt videtur, haberet, vertit. Nuper vero liber Aeliani eſt emiſſus, in quo illud etiam ſcribitur: Socrates dixit, Archelaum in domum quadraginta minas erogaſſe, quibus Zeuxin Heracleoten conduxerat, vt eam depingeret: in ſeipſum vero nihil: & iccirco procul ſummo ſtudio profectos, vt eam ſpectarent: propter ipſum vero Archelaum ad Macedonas neminem veniſſe, niſi ſi quem ipſe pecuniis induxiſſet. Zeuxidis Helenam Nicoſtratus pictor quum olim admiraretur, ac palàm quaſi obſtupeſceret: eum quidã interrogauit: quid paſſus, ſic afficeretur: non interrogaſſes, inquit, ſi meos oculos habuiſſes, & merito ſane. is enim fuit Zeuxis, qui, vt autor eſt Philoſtratus, vmbras etiam, atque anhelitus quum emiſſos, tum etiam attractos arte ſua expreſſerit: qui mortuus eſt ridendo, dum ſine fine anum à ſe pictam ridet. POLYGNOTVM, is Thaſius fuit, Aglaophontis filius, & diſcipulus: qui ciuis Athenienſis eſt factus, quum gratis porticum, quæ ποικίλη dicebatur, vel, vt alii volunt, quum in ærario, & templo Caſtoris ac Pollucis res quaſdam, & in his nuptias filiarum Leucippi depinxiſſet: vt Plato, Pauſanias & Suidas teſtantur. hinc poëta Melanthius ita de Polygnoto ſcripſit: αὐτοῦ γὰρ δαπάναισι θεῶν ναοὺς ἀγοράν τε κεκροπίαν κόσμησ', ἡμιθέων ἀρεταῖς. Ferunt eum, quum porticu in ipſa Troianas pingeret, Laodices perſonam effinxiſſe ex imagine Elpenicæ: quæ et ſi ſoror erat Cimonis, cum Polygnoto tamen conſuetudinem habere dicebatur. Hic vt ait Plinius, primus mulieres lucida veſte pinxit, capita earum mitris verſicoloribus operuit, plurimúmque picturæ primus contulit: ſiquidem inſtituit os adaperire, dentes oſtendere, vultũ ab antiquo rigore variare: & optime mores, quod eſt apud Ariſtotelem, ex-

preſſit

preſsit? Hic Delphis ædem pinxit, & in ea bellum, vt opinor, Troianum. Philoſtratus certe in Apollonii vita id videtur ſignificare, & Lucianus autor eſt eum Caſſandram ibi pinxiſſe : cui Amphictyones, quod erat publicum Græciæ concilium, hoſpitia gratuita decreuerunt. Hunc Plinius non modo inter nobiliſsimos pictores, ſed etiam inter argenti cælatores numerat : ſcribítque illum, & Myconem primo ſile pingere inſtituiſſe, atramentúmque ex vinaceis feciſſe. Quin ceris illum pinxiſſe, ac picturam inuſsiſſe teſtatur. Quantum in pictura valuerit, oſtendit Pamphilus, qui vocatus, vt parietes Thebis, qui reficerentur, quondam ab ipſo Polygnoto picti, pingeret, multum comparatione ſuperatus exiſtimatur: vt ait Plinius. & ſanè ſcribit etiam Aelianus, illum magna pinxiſſe, & præmia maxima conſecutum. Fuit vero ante olympiada nonageſimam: quod vt verum videatur, facit etiam Quintilianus, qui Zeuxide illum multo ſeniorem facit. Quare Cicero hic ordinem non ſeruauit. De vmbris, & anhelitu idem præſtitiſſe, quod poſtea Zeuxis, ſcribit Philoſtratus. In pingendo ſuperciliorum interuallo, malarum rubore, amictu, qui ſit tenuis ita, vt pars corpori quàm decentiſsime accommodetur, pars ventis mouenda relinquatur, eum plurimum valuiſſe ſignificat Lucianus, vbi ſcribit, Caſſandram Delphis ita pictam fuiſſe. TIMANTEM, Timanthes (ſic enim ſcribendum Plutarchus, & Suidas oſtendunt) pictor fuit, de quo ſic ait Quintilianus : in oratione operienda ſunt quædam, ſiue oſtendi non debent : ſiue exprimi pro dignitate non poſſunt : vt fecit Timanthes, vt opinor, Cithnius in ea tabula, qua Colotem Teium vicit. Nam quum in Iphigeniæ immolatione pinxiſſet triſtem Calchantem, triſtiorem Vlyſſem, addidiſſet Menelao quem ſummum poterat ars efficere, mœrorem, conſumptis affectibus, non reperiens, quo digne modo patris vultum poſſet exprimere, velauit eius caput, & ſuo cuiuſque animo dedit æſtimandum. Idem propemodum ſcribit Valerius Maximus, & Plinius, qui illa etiam addit: Parrhaſius magnis ſuffragiis ſuperatus à Timanthe Sami in Aiace, armorúmque iudicio, herois nomine id ſe moleſte ferre dicebat : quòd iterum ab indigno victus eſſet. Pinxit & minoribus tabellis libidines, eo genere petulãtis ioci ſe reficiens. Erant & alia ingenii eius exemplaria præter Iphigeniam, veluti Cyclops dormiens in paruula tabula : cuius & ſic magnitudinem exprimere cupiens, pinxit iuxtà Satyros, thyrſo pollicem eius metientes ; atque in omnibus eius operibus intelligebatur plus ſemper, quàm pingebatur: & quuum ars ſumma eſſet, ingenium tamen vltra artem erat. Pinxit & heroa abſolutiſsimi operis, artem ipſam complexus, viros pingendi. Eam quoque pugnam, quæ inter Agidem & Aratum in capienda Pellena facta eſt, ἐμφαντικῶς τῇ διαθέσει ἔχουσαν, vt ait Plutarchus, pinxit : quanquam nos credimus vel alterum Timanthen fuiſſe, vel Plutarchum erraſſe : quando Plinius ſcribit, Timanthem Zeuxidis æqualem, & æmulum fuiſſe, & Zeuxin olympiade nonageſima quinta floruiſſe. atqui Plutarchus idem eſt autor, Aratum quamuis ſenem vixiſſe iuuene adhuc Philippo, qui poſtea fuit à Romanis victus : ad quod tempus à Zeuxide anni minimum du centi & viginti numerantur : tantum abeſt, vt eodem tempore Timanthes ille, & Aratus fuerint. EORVM, vt Apellis, Echionis, Melanthii, & Nicomachi, vt oſtendit Plinius libro trigeſimoquinto capite ſeptimo: quos etiã poſteriores vocat Philoſtratus in Apollonio, vbi ſcribit, veteribus vnum colorem ſatis fuiſſe. QVATVOR, ex albis melino, ex ſilaceis Attico, ex rubris Sinopide Pontica, ex nigris atramento, vt docet Plinius libro trigeſimoquinto capite ſeptimo : hinc Philoſtratus in Apollonio ita Latine ſcribit : poſteriores quatuor colores adhibuere : inde paulatim pluribus, ac pluribus ſunt

vſi, vt res ipſa docet, & Plinius etiam teſtatur. Cicero igitur in Oratore picturam illam paucorum colorum vocat. FORMAS, ET LINEAMENTA, membrorum compoſitiones, & conformationes lineamentorum libro primo de Natura Deorum dixit: Græci σχήματα, & πέρατα, niſi fallor, appellant. Plutarchus certe libro primo de Placitis Philoſophorum ita ſcribit: σχῆμα ἐϛὶν ἐπιφάνεια, καὶ περιγραφὴ, καὶ πέρας σώματος. LAVDAMVS, hinc apparet verum eſſe, quod ſcribit Quintilianus: Veterum pictorum ſimplex color tam ſui ſtudioſos adhuc habet, vt illa propè rudia, ac velut futuræ mox artis primordia, maximis, qui poſt eos extiterunt autoribus, præferantur proprio quodam intelligendi, vt mea opinio fert, ambitu. AT, hac particula, quæ aduerſatiua ſolet à Grammaticis appellari, oſtendit, eos, quos ſtatim nominat, pluſquam quatuor coloribus vſos fuiſſe, quum tamen Plinius, vt diximus, Apellem, & Nicomachum inter eos ponat, qui tantum quatuor vſi dicuntur. ſed forte à principio quatuor, deinde pluribus vſi dici poſſunt. AETIONE, Aetion pictor fuit, qui quum Rhoxanes, & Alexandri nuptias in tabula pictas in Olympiam ſpectandas detuliſſet, eius artis præſtantia Proxenides, quem certaminum iudicem Græci tunc conſtituerant delectatus, illum ſibi quamuis peregrinum generum aſciuit. hæc Lucianus in Herodoto, vel Aetione, vbi totam imaginem pluribus verbis deſcribit. Dubitant eruditi, an apud Ciceronem paradoxo quinto, Aetionis, an Echionis, legi debeat, quum ſatis conſtet, vtrunque pictorem fuiſſe: & Actæonis, vt quidam legunt, vt pictoris mentio nulla reperitur, quantum nos legere potuimus. NICOMACHO, vide Plinium. PROTOGENE, Protogenes pictor fuit Xanthius ex Lycia, vt ait Suidas. ſed eum falli Plinius, Plutarchus, & Pauſanias oſtēdunt qui Caunium ex gente Rhodiis ſubiecta fuiſſe teſtantur. Nec defendi poteſt, vel quòd duo fuerint: vel quòd Xanthus, & Caunus eadem ſit ciuitas: quando de eodem ſcribunt omnes: & Xanthus in Lycia, Caunus vero in Caria non ſolum à Pomponio Mela, ſed à reliquis etiam ſcriptoribus collocatur. Hic cura præſtantiſſimus à Quintiliano vocatur. hinc ita ſcribit Plinius: Apelles quum Protogenis opus immenſi laboris, ac curæ ſupra modū anxiæ miraretur, dixit, omnia ſibi cum illo paria eſſe, aut illi meliora, ſed vno ſe præſtare, quòd manū ille de tabula neſciret tollere: memorabili præcepto, nocere ſæpe nimiam diligentiam. Ea vero tanta in illo fuit, vt, quum Ialyſum (Ialyſum Suidas Dionyſium vocat, alii Liberi patris imaginem interpretantur, Pindarus Apollinis nepotem fuiſſe putat) quum Ialyſum igitur pingeret, tradatur, vt ait Plinius, madidis lupinis vixiſſe: quoniam ſimul famem ſuſtineret, & ſitim, ne ſenſus nimia dulcedine obſtrueret. huic picturæ quater colorem induxit ſubſidio iniuriæ, & vetuſtatis, vt decedente ſuperiore, inferior ſuccederet. Erat in ea canis mire factus, vt quem pariter caſus, & ars pinxerit. Non iudicabat, ſe exprimere in eo ſpumam anhelantis poſſe, quum in reliqua omni parte, quod difficillimū erat, ſibi ipſe ſatisfeciſſet. Diſplicebat autem ars ipſa, nec minui poterat, & videbatur nimia, ac longius à veritate diſcedere, ſpumáque illa pingi, non ex ore naſci, anxio animi cruciatu, quum in pictura verum eſſe, non veriſimile vellet: abſterſerat ſæpius, mutaueratque penicillum, nullo modo approbans. poſtremo iratus arti quod intelligeretur, ſpongiam eam impegit inuiſo loco tabulæ, ex illáque repoſuit ablatos colores, qualiter cura optauerat, fecítque in pictura fortuna naturam. Eam vero picturam ſeptem annis, vt Plutarchus, & Aelianus ſcribunt, abſoluit: quam quidē quum Apelles vidiſſet, dicitur obſtupuiſſe, deinde conuerſus, dixiſſe: magnus labor, & artifex: ſed gratia deeſt, quam ſi vir aſſequatur, labor eius cœlum tangat. propter hunc Ialyſum, ne cremaret tabulas

bulas Demetrius Rex,quum ab ea parte ſola poſſet Rhodum capere, non incendit:parcentémque picturæ fugit occaſio victoriæ:quanquam Plutarchus & Gellius ſcribunt, Demetrium à Rhodiis rogatum Ialyſo peperciſſe. Sed dum Demetrius Rhodum obſidebat, Protogenes, quamuis eum iam tum mortuum fuiſſe dicat Gellius, erat in ſuburbano hortulo ſuo,hoc eſt,Demetrii caſtris: neque interpellatus præliis, inchoata opera intermiſit omnino, ſed accitus à Rege,interrogatuſque,qua fiducia extra muros ageret,reſpondit,ſcire, ſe, illi cum Rhodiis bellum eſſe,non cum artibus. Diſpoſuit ergo Rex in tutelam eius ſtationes, gaudens, quòd poſſet manus ſeruare, quibus iam pepercerat: & ne ſæpius auocaret,vltro ad eum venit hoſtis, relictíſque victoriæ ſuæ votis inter arma, & murorum ictus ſpectauit artificem: ſequitúrque tabulam eius temporis hæc fama, quòd eam Protogenes ſub gladio pinxerit. Satyrus hic eſt, quem ἀναπαυόμενον vocant, ne quid deſit temporis eius ſecuritati,tibias tenens. Hic eſt Satyrus niſi fallor, qui, vt ſcribit Strabo, ſtabat prope columnam, ſuper qua Protogenes pinxerat perdicem, ad quam ita homines hiantes aſpiciebant, quum tabula paulo ante fuiſſet poſita, vt illam ſolam admirarentur, Satyrum vero contemnerent, qoamuis opus eſſet perfectiſſimum. Augebant admirationem perdices manſuetæ, quæ à nutritoribus allatæ,& contra pictam poſitæ, canebant ad picturam,& congredi geſtiebant. Protogenes videns, rem præter opinionem eueniſſe, æditnos rogauit, vt ſe delere permitterent: quod & ita factum eſt. Fecit & Cydippen, Tlepolemum, Cyliſcum tragœdiarum ſcriptorem meditantem, & athletam, & Antigonum Regem, & imaginem matris Ariſtotelis Philoſophi,qui ei etiam ſuadebat, vt Alexandri Magni opera pingeret propter æternitatem rerum. Nouiſſime pinxit Alexandrum, & Pana: fecit & ſigna ex ære.fuit enim in arte cælandi etiam clariſſimus.Summa eius paupertas initio,artíſque ſumma intentio, & ideo minor fertilitas. Quis eum docuerit, non putant conſtare. Quidam credunt & naues pinxiſſe vſque ad annum quinquageſimum:argumentum eſſe, quòd quum Athenis celeberrimo loco Mineruæ delubro propyleon pingeret, vbi fecit nobilem paralum, & Hemionida, quam quidam Nauſicam vocant, adiecerit paruulas naues longas in his,quæ pictores parerga appellant,vt appareret,à quibus initiis ad arcem oſtentationis opera ſua perueniſſent. Pinxit & eos qui θεσμοθέται dicebantur,vt autor eſt Pauſanias. De congreſſu Protogenis, & Apellis, atque vt Apelles Protogenis famam auxerit,paulo poſt dicetur, vbi de Apelle loquemur. Scribit Porphyrio Grammaticus illum decem annis lutum finxiſſe. ſed quid velit dicere,vix intelligi poteſt. Nam ſi Ialyſum ſignificat,de ſeptẽ annis,vt diximus,conſtat: ſin totum tempus, ad annos quinquaginta & vltra,vt dictum eſt, pinxit. APELLE, Apelles,inquit Suidas, Colophonius, ſed adoptione Epheſius, pictor fuit, diſcipulus Pamphili Amphipolitani,& prius Ephoris Epheſii,Pythii filius,& Cteſiochi,qui pictor & ipſe fuit, frater. Cum Suida ſentiunt etiam alii ſcriptores, & in iis Lucianus, Ouidius tamen eum Coum vocat. Hic igitur à Pamphilo didicit Sicyone talento,vt in Arato Plutarchus eſt autor, & quidem annis decem, vt nos apud Plinium legendum putamus, quicquid alii dicant. Omneis igitur, vt ait Plinius, prius genitos,futuróſque poſtea ſuperauit Apelles,eouſque olympiade centeſima duodecima in pictura prouectus, vt plura ſolus propè, quàm cæteri omnes, contulerit, voluminibus editis, quæ doctrinam eam continerent. Præcipua eius in arte venuſtas fuit: quum eadem ætate maximi pictores eſſent: quorum opera quum admiraretur, collaudatis omnibus,deeſſe iis vnã illam Venerem dicebat,quam Græci χάριτα vocant: cætera omnia cõtigiſſe:

ſed hac ſoli ſibi neminem parem. Quum Protogenem, vt diximus, quaſi præferret ſibi, dicebat tamen, illum neſcire manum de tabula tollere. Fuit vero non minoris ſimplicitatis, quàm artis. nam cedebat Amphioni de diſpoſitione, Aſclepiodoro de menſuris, hoc eſt, quanto quid à quo diſtare deberet. Scitum eſt, inter Protogenem, & eum quod accidit. Protogenes, vt dictum eſt, Rhodi viuebat: quò quum Apelles adnauigaſſet, auidus cognoſcendi opera eius fama tantum ſibi cogniti, continuo officinam petiit. aberat ipſe, ſed tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ anus vna cuſtodiebat. hæc Protogenem foris eſſe reſpondit, interrogauítque, à quo quæſitum diceret: ab hoc, inquit Apelles: arreptóque peniculo, lineam ex colore duxit ſummæ tenuitatis per tabulam. Reuerſo Protogeni, quæ geſta erant, anus indicauit. Feruntartificem protinus, contemplatum ſubtilitatem, dixiſſe, Apellem veniſſe: non enim cadere in alium tam abſolutum opus: ipſum tunc alio colore tenuiorem lineam in ipſa illa duxiſſe, præcepiſſéque abeuntem, ſi rediſſet ille, oſtenderet, adiiceréteque, hunc eſſe quem quæreret. atque ita euenit. Reuertitur enim Apelles, ſed vinci erubeſcens, tertio colore lineas ſecuit, nullum relinquens amplius ſubtilitati locum. At Protegenes victum ſe confeſſus, in portum deuolauit, hoſpitem quærens: cui poſtea dignationem primus Apelles conſtituit. ſordebat ille ſuis, vt plerunque domeſtica: percontantíque, quanti licitaretur opera effecta, parum neſcio quid dixerat: at ille quinquagenis talentis popoſcit, famámque diſperſit, ſe emere, vt pro ſuis venderet. Ea res concitauit Rhodios ad intelligendum artificem: nec niſi augentibus pretium ceſſit. Apelli fuit perpetua conſuetudo, nunquam tam occupatam diem agendi, vt non lineam ducendo exerceret artem, quod ab eo in prouerbium venit. Idem perfecta opera proponebat in pergula tranſeuntibus, atque poſt ipſam tabulam latens, vitia, quæ notarentur, auſcultabat, vulgum diligentiorem iudicem, quàm ſe, præferens: feruntque à ſutore reprehẽſum, quòd in crepidis vna intus pauciores feciſſet anſas: eodem poſtero die emẽdatione priſtinæ admonitionis cauillante circa crus, indignatum proſpexiſſe, denunciantem, ne ſupra crepidam ſutor iudicaret: quod & ipſum in prouerbium venit. Fuit enim & comitas illi, propter quam gratior Alexandro Magno erat frequenter in officinam ventitanti: qui ab alio ſe pingi vetuit edicto. ſed in officina illi imperite multa diſſerenti ſilentium comiter ſuadebat, rideri eum dicens à pueris, qui colores tererent: tantum erat autoritati iuris in Regem alioqui iracundum. Hoc Aelianus de Zeuxide, & Megabyzo, vt ſupra diximus, refert. Plutarchus vero pictorem quidem Apellem, ſed Megabyzum & ipſe regem vocat. Alexander porrò Apelli honorem clariſsimo præbuit exemplo. nam quum dilectam ſibi amicam nomine Campaſpen nudam pingi ob admirationem formæ ab Apelle iuſsiſſet, eumque tum pari captum amore ſenſiſſet, dono dedit eam. Pancaſte dicitur ab Aeliano: quæ fuit Lariſſæa, qua cum prima fertur Alexander conſuetudinem habuiſſe. ſunt, qui Venerem Anadyomenen illo pictam exemplari putent: quamuis Athenæus exemplo Phrynes pictam ſcribat. Apelles imagines adeo ſimilitudinis indiſcretæ pinxit, vt incredibile dictu Appion Grammaticus ſcriptum reliquerit, quendam ex facie hominum adiuinantem, quos metopoſcopos vocant, ex iis dixiſſe, aut futuræ mortis annos, aut præteritæ. Non fuerat ei gratia in comitatu Alexandri cum Ptolemæo: quo poſtea regnante, Alexãdriam vi tempeſtatis expulſus Apelles, ſub ornato, fraude æmulorum, plano regio, inuitatus, ad Regis cœnam venit: indignantíque Ptolemæo, & vocatores ſuos oſtendenti, vt diceret, à quo eorum inuitatus eſſet, arrepto carbone extincto è foculo, imaginem in pariete delineauit,

delineauit, agnoſcente vultum plani Rege ex inchoato protinus. hinc fortaſſe Lucianus nactus occaſionem, dia logum finxit, in quo docet, non eſſe temere calumniæ credendum. Pinxit Apelles & Antigoni Regis imaginem altero lumine, & primus excogitauit rationem vitia condendi. obliquam nanque fecit, vt quod corpori deerat, picturę potius deeſſe videretur: tantumque ea in parte è facie oſtendit, quam totam poterat oſtendere. Inter opera eius expirantium erant imagines. Inchoauerat aliam Venerem Cois, ſuperaturus etiam ſuam illam priorem. Inuidit mors peracta parte: nec qui ſuccederet operi ad præſcripta lineamenta inuentus eſt. hinc Cicero ad Lentulum ita ſcripſit: Apelles Veneris caput, & ſumma pectoris politiſsima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit. Pinxit & Alexandrum Magnum fulmen tenentem in templo Epheſiæ Dianæ viginti talentis. Digiti eminere videbantur, & fulmen extra tabulam eſſe. ſic enim, vt Plutarchus ait, expreſsit, vt vulgo dicerent, duos Alexandros eſſe, Philippi, quem nemo vincere, Apellis, quem nemo poſſet imitari. Immane pretium tabulę accepit aureos menſura, non numero. Pinxit & Megabyzi ſacerdotis Dianæ Epheſiæ pompam: Clytum equum ad bellum feſtinantem, & ei galeam poſcenti armigerum porrigentem. Alexandrum, & Philippum quoties pinxerit, enumerare ſuperuacuum eſt. Mirabantur eius Abronem Samii, & Menandrum Cariæ Regem Rhodii: item Ancæum: Alexandriæ Gorgoſthenem tragœdum, Romæ Caſtorem, & Pollucem cum victoria, & Alexandro Magno: item belli imaginem, reſtrictis à tergo manibus, Alexandro in curru triumphante. Pinxit Herculem ita auerſum, vt, quod eſt difficilimum, faciem eius oſtendat verius pictura, quàm promittat. Pinxit & heroa nudum eáque pictura naturam ipſam prouocauit. Fuit & equus eius ſine fine dictus in certamine, quod iudicium ad mutas quadrupedes prouocauit ab hominibus. Namque ambitu æmulos præualere ſentiens, ſingulorum picturas inductis equis oſtendit: Appellis tantum equo adhinniuere, idque poſtea ſemper illius experimentum artis oſtentatur. Fecit & Neoptolemum ex equo aduerſus Perſas, Archelaum cum vxore, & filia, Antigonum thoracatum cum equo incedentem. Peritiores artis præferebant omnibus eius operibus eundem Regem ſedentem in equo: Dianam ſacrificantium virginum choro mixtam, quibus viciſſe Homeri verſus videtur id ipſum ſcribentis. pinxit & quæ pingi non poſſunt, tonitrua, fulgetra, fulguráque: bronten, aſtrapen, ceraunobolon appellant. Inuenta eius & cæteris profuere in arte. Vnum imitari nemo potuit, quòd abſoluta opera atramento illinebat ita tenui, vt id ipſum repercuſſu claritates oculorum excitaret, cuſtodiretq; à puluere, & ſordibus, ad manum intuenti demum appareret: ſed & tum ratione magna, ne colorum claritas oculorum aciem offenderet, veluti per lapidem ſpecularem intuentibus è longinquo: & eadem res nimis floridis coloribus auſteritatem occulte daret. Hæc omnia penè Plinius, qui ſcribit item illum atramentum ex ebore combuſto facere commentum, & quatuor coloribus tantum vſum fuiſſe, nec vllam in tectoriis picturam habuiſſe: ac ſolitum vti titulo pendenti hoc modo: Apelles faciebat: ne quis iure poſſet reprehendere: tanquàm nondum opera eſſent abſoluta: tria tantum inſcripſiſſe, ille fecit. Pictor quidam, vt refert Plutarchus, quum Apelli imaginem oſtenderet, hãc modo pinxi, dixit: cui Apelles, & ſi taceas, inquit, iſtam ſubito pictam intelligo, miror autẽ, cur non plures huiuſcemodi depinxeris. Apelles quum Laidem adhuc virginem vidiſſet aquam ferentem, admiratus inſignem formam, duxit illam in conuiuium ſodalium. ſed irriſus ab illis, quòd pro meretrice virginem adduxiſſet in conuiuium, ne miremini, inquit, ego eam alo, vt ali-

quando fruar. nam prius, quàm totum exceſſerit triennium, eam formoſam oſtendam. hoc ſcribit Athenæus. Apellem Quintilianus ingenio, & gratia, quam in ſe iactauit, præſtantiſsimum fuiſſe teſtatur. Apelles alios fuiſſe Diogenes, Strabo, & Plutarchus docent, ſed Philoſophos, non pictores. PERFECTA SVNT OMNIA, videmus tamen poſt Apellem plures colores, & alia quædam fuiſſe inuenta, vt Plinius docet: qui tamen ſcribit, vt ſupra retulimus, Apellem omnes, qui fuerant, & futuri erant, longe ſuperaſſe. IN REBVS OMNIBVS, nedum in artibus, quas diximus. & ſic à formis ad genus creſcit oratio. IDEM EVENIAT, vt à principio ſint rudes, deinde paulatim perficiantur. NIHIL ENIM, γνώμη, & αἰτιολογία, quæ per ſe vera eſſe cognoſcitur.

Nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum poëtæ: quod ex eis carminibus intelligi poteſt, quæ apud illum & in Phæacum, & in procorum epulis canuntur. quid, noſtri veteres verſus vbi ſunt?

Quos olim Fauni, vatéſque canebant,
Cum neque muſarum ſcopulos quiſquam ſuperarat,
Nec dicti ſtudioſus erat.
Ante hunc.

Ait ipſe de ſe, nec mentitur in gloriando. ſic enim ſeſe res habet: nam & Odyſſea Latina eſt, ſic, tanquam opus aliquod Dædali, & Liuianæ fabulæ, non ſatis dignæ, quæ iterum legantur. atque hic Liuius qui primus fabulam C. Clodio Cæci filio & M. Tuditano Coſs. docuit anno ipſo ante quàm natus eſt Ennius, poſt Romam conditam autem quartodecimo & quingenteſimo, vt hic ait, quem nos ſequimur: eſt enim inter ſcriptores de numero annorum controuerſia. Accius autem à Q. Maximo quintum Conſule captum Tarento ſcripſit Liuium, annis XXX. poſt, quàm eum fabulam docuiſſe & Atticus ſcribit, & nos in antiquis commentariis inuenimus: docuiſſe autem fabulam annis poſt XI. Cn. Cornelio, Q. Minutio Coſs. ludis Iuuentatis quos Salinator Senenſi prælio vouerat. in quo tantus error Accii fuit, vt his Conſulibus XL. annos natus Ennius fuerit: cui ſi æqualis fuerit Liuius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quàm ii qui multas docuerant ante hos Conſules, & Plautus, & Næuius. Hæc ſi minus apta videntur huic ſermoni Brute, Attico aſsigna, qui me inflammauit ſtudio illuſtrium hominum ætates & tempora perſequendi.

NEC DVBITARI DEBET, poſtquam à rebus non admodum ſimilibus, quod volebat, probauit, à ſimili tandem probat, id eſt à poëtica, quæ multis in rebus Rhetoricæ ſimilis eſſe dicitur. hinc à Cicerone in libris Oratoriis oratori poëta finitimus appellatur. FVERVNT, ſed nondum perfecti. hoc enim agit Cicero. HOMERVM, poëtam perfectum. POETAE, vt Linus Asbolus, Eueclus, Orpheus, Muſæus, Epimenides, & alii, quos Lilius diligentes

genter collegit. QVOD, αἰτιολογία. EX EIS, aliter ex his. ILLVM, Homerum. PHAEACVM, de quibus, & Rege ipſorum plura ſcribit Homerus libro ſexto Odyſs. PROCORVM, de quibus præter ea, quæ ſcribit Homerus, ſic apud Ouidiũ loquitur Penelope: Turba ruunt in me luxurioſa proci. EPVLIS, δαίτας μετὰ δαίτας, inquit Homerus libro vigeſimo ſecũdo Odyſs. & libro primo ita: μολπή τε ὀρχηστύς τε· τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός. CANVNTVR, à Demodoco in Phæacum, & à Phemio in procorum epulis. QVID, poſtquàm exemplo Græcorum probauit, nũc probat exemplo Latinorum. NOSTRI, Latini. VETERES, ita, vt Ennius contemneret, vt dicitur in Oratore. VBI SVNT? quaſi dicat: nónne inueniuntur verſus veteres, ex quibus intelligimus, poëtas quidem, ſed nondũ perfectos fuiſſe? QVOS, verſus integer in Oratore, & libro primo de Diuinatione ita legitur: verſibu', quos olim Fauni, vatéſq. canebant: vel, vt legitur apud M. Varronem: verſus, quos olim Fauni, vatéſq. canebant. Quin & Cicero hoc loco videtur oſtendere ita ſcriptũ fuiſſe, quũ paulo ante dixerit, verſus: quãquam alibi, verſibus, ſcribat, locutione ita poſtulãte. FAVNI, Fauni, inquit Varro, Dei Latinorum ita, vt Faunus, & Fauna ſint in his verſibus, quos vocant Saturnios. in ſylueſtribus locis traditũ eſt ſolitos fari: quo fando Faunos dictos: quãuis Seruius ἀπὸ φωνῆς dictos ſcribat, quòd voce, nõ ſignis futura oſtenderẽt. hinc ſummus poëta fingit Faunũ Latino verſibus eſſe vaticinatũ. VATES, antiquos poëtas, inquit Varro, vates appellabãt à verſibus viẽdis: quo in genere Martios quoſdã fratres nobili loco natos, apud maiores noſtros fuiſſe, ſcriptũ videmus. hoc ait Cicero libro primo de Diuinatione: & Liuius libro vigeſimo quinto oſtẽdit Martiũ ita obſcure vaticinatum fuiſſe, vt carmẽ intelligi non poſſet. hinc Horatius dixit: annoſa volumina vatum. CANEBANT, canunt, qui vaticinantur, & qui verſibus vtuntur: illi igitur vtrunque faciebant. QVVM NEQVE MVSARVM SCOPVLOS QVISQVAM SVPERARAT, quo tempore nondum homines montes illos, quos muſæ incolebant, vt poëtæ dicunt, aſcendebant, vt poëtæ fierent: vt apud Catullum: Mentula conatur Pimpleũ ſcandere montem, muſæ furcillis præcipitẽ eiiciunt: & apud Virgilium: Aonas in montes vt duxerit vna ſororũ. DICTI, dictionis, & elegantiæ poëticæ. nec dicti ſtudioſus erat, eſt verſus imperfectus. HVNC, Enniũ, vt in Oratore intelliges. IPSE, Ennius, qui verſus hoſce ſcripſit. NEC MENTITVR, vt ratio, quæ ſequitur, oſtendit GLORIANDO, & vetera cõtemnendo, vt ait in Oratore, vbi Cicero illud addit: nos auſi reſerare. SIC, vt Ennius dixit. ENIM, αἰτιολογία. NAM, αἰτιολογία αἰτιολογίας. ODYSSEA, quam de Vlyſſe Græce ſcripſit Homerus. LATINA EST, à Liuio Andronico, vt veteres Grammatici teſtantur, facta. OPVS ALIQVOD DAEDALI, opus aliquod antiquũ nimis, & obſoletũ, qualia videbantur opera Dędali etiã tẽpore Platonis, qui ſcripſit in Hippia maiore, fore, vt, ſi Dædalus viueret, & ea faceret, ex quibus olim ſibi nomẽ pararat, qui ſtatuas tũc faciebãt, eum deriderẽt. aliter tamẽ etiã dicitur opus Dędali, vt prouerbiũ docet. LIVIANAE, ab eodem Liuio Andronico ſcriptæ. Odyſſea enim verſa eſt potius, quàm ſcripta. FABVLAE, comœdiæ, & tragœdiæ. nã Latinæ fabulę primo à Liuio Andronico ſcriptæ ſunt ad cũctas res, vt ait Donatus, cuius illa ſunt etiã verba: comœdiã, & tragœdiã togatã primo Liuius Andronicus reperit. NON SATIS DIGNAE, vt nimis antiquæ. ATQVE HIC, eſt. LIVIVS, Liuius Andronicus poëta, cuius vitã Crinitus, & Lilius ſcripſerũt. PRIMVS, ſic Gellius libro decimo ſeptimo capite vigeſimo primo, primus omniũ L. Liuius poëta fabulas docere Romæ cœpit. FABVLAM, ſic infra ſemper, apud Gelliũ tñ fabulas, nõ fabulã legimus. C. CLODIO CAECI FILIO, C. Claudio Cẽtone Appii Cęci filio, vt eſt apud Gelliũ lib. decimo ſeptimo capite vigeſimo primo: vnde quiuis

m

videre poteſt in Catone Ciceronis ita legendum eſſe: Vidi etiam ſenem Liuium, qui quum ſeptem annis ante, quàm natus ſum, fabulam docuiſſet Centone & Tuditano Coſs. vſq. ad adoleſcentiam meam proceſsit ætate. ſic etiã in veteri libro legitur. CAECI FILIO, ſic dixit, quia notius erat hoc cognomen, quàm pronomẽ. nam dicere debuit, Ap. F. Appii filio. M. TVDITANO, M. Sempronio Tuditano. Vide Gellium lib. decimoſeptimo capite vigeſimo primo. COSS. Conſulibus an. ab V. C. quingenteſimo decimo tertio. DOCVIT, ἐδίδαξε, vt Græci ſcriptores loquuntur, quos hic, in Catone, atque alibi in hac re voluit imitari: paulo poſt tamen, & Tuſculana prima dixit, Liuius fabulam dedit. Dedit vero ludis Romanis, vt in Conſulibus refert Caſſiodorus. ANNO IPSO ANTE, QVAM NATVS EST ENNIVS, anno ante natum Ennium, ut ait Tuſculana prima. POST ROMAM CONDITAM AVTEM, aliter poſt Romam autem conditam. QVARTODECIMO, ET QVINGENTESIMO, aliter quadringenteſimo decimo, vt etiam Tuſculana prima in libro manu ſcripto legitur: quamuis per notas CCCCX. deſcriptũ ſit: vnde quidam ita legunt: CCCCCX. id eſt quingenteſimo decimo. HIC, Atticus, paulo poſt. AIT, in libro, de quo ſupra dictum eſt. EST ENIM, αἰτιολογία, quare Cicero hac ipſa de re dubitet. ACCIVS, poeta, & hiſtoricus, vt infra dicetur. Q. MAXIMO, Q. Fabio Maximo, qui vnus nobis cunctando reſtituit rem: de quo ſupra diximus. QVINTVM CONSVLE, quintum Conſulatum gerente cum Q Fuluio Flacco. CAPTVM, Liuium ipſum Andronicum. TARENTO, vt illud Terentii: mercator hoc addebat, captã è Sunio. Sic enim legit Cicero in epiſtolis ad Atticum. hic tamen alii, Tarenti, alii, Tarentum reponunt. SCRIPSIT, in ſuis hiſtoriis. LIVIVM, Liuium ipſum Andronicum. ANNIS XXX. annis triginta. anni tamen vnus & triginta numerantur. EVM, Liuium Andronicum. DOCVISSE, διδάξαι. ATTICVS, T. Pomponius Atticus, qui hic adeſt. SCRIBIT, in ſuo libro, de quo dictum eſt. DOCVISSE AVTEM, ſcripſit Accius. ANNIS POST XI. annis poſt vndecim. tot enim numerantur à quinto Conſulatu Fabii Maximi ad COSS. qui ſequuntur. CN. CORNELIO, Q. MINVTIO, Cn. Cornelio Cethego, Q. Minutio Rufo, vt apud Liuium libro trigeſimo ſecundo videbis. COSS. an. ab V. C. quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. IVVENTATIS, iuuentutis Deæ, de qua Liuius libro quinto ita ſcribit: Iuuentas, terminúſque maximo gaudio patrum noſtrorum moueri ſe non ſunt paſsi. Iuuentatis hic reſtituit Petrus Victorius V. C. quum, Luctatiis, ante male legeretur. Iuuentutis ædem, vt libro trigeſimo ſexto ſcribit Liuius, C. Licinius Lucullus Duumuir dedicauit P. Cornelio Scipione Naſica, & M. Acilio Glabrione COSS. quam vouerat ſexdecim annis ante M. Liuius COS. quo die Aſdrubalem, exercitúmque eius cecidit: quamque cenſor ipſe M. Cornelio Cethego, & P. Sempronio Tuditano COSS. faciendã locarat, & Liuius quidem addit, huius ædis dedicãdæ cauſa ludos factos fuiſſe, ſed de tempore, id eſt de Conſulibus à Cicerone diſſentit: niſi diuerſos ludos ſignificat: quanquam videtur eoſdem ſignificare, quum ædes tum demum dicatur dedicata. Non enim videtur veriſimile, æde nondum dedicata, ludos factos fuiſſe. ſed in re tam veteri, & obſcura nihil poſſumus affirmare. SALINATOR, M. Liuius Salinator & eſt πρόληψις. nam quum ludos vouit, nondum Salinator dicebatur, ſi credimus Liuio, qui ſcribit eum, quũ cenſor eſſet, id eſt annis tribus poſt, quàm COS. ludos vouerat, Salinatorẽ appellatum fuiſſe: cuius hæc ſunt verba: vectigal ſalis commentum alterum ex cenſoribus ſatis credebant, populo iratum, quòd iniquo iudicio quondam damnatus eſſet: & in pretio ſalis maxime oneratas tribus, quorum opera damnatus

mnatus erat, credebant: inde Salinatori inditum cognomen. ſic Tarquinium libro primo de Legibus dicitur, qui nondum Tarquinius appellabatur. SENENSI, ad Senam oppidum geſto, vt Liuius libro vigeſimoſeptimo, & autor libri de Viris illuſtribus teſtantur: quibus & Silius Italicus aſſentitur, apud quem Latiæ telluris imago ſic loquitur: fulgentibus armis Pœnus inundauit campos, qua Sena relictum Gallorum à populis ſeruat per ſecula nomen. Deinde Neronem hortatur, vt eò properet. De Sena ita Lucanus libro ſecundo meminit: Senáque, & Adriacas qui verberat Aufidus vndas. Hæc vrbs à Senonibus Gallis eſt dicta, vt libro ſecundo autor eſt Polybius, qui ſcribit, eam in littore maris Adriatici ſitam eſſe, vt hodie Senogalliam videmus, quam nos eandem eſſe credimus, & Blondus, cæteríque docti affirmant. Hæc quum legiſſet Petrus Victorius, vt eſt Vir multæ lectionis, & ſummæ eruditionis, non eſt tamen, vt homo, recordatus, & iccirco, Senonẽſi hoc loco legendum putauit. PRAELIO, in quo Aſdrubal cecidit, & quinquaginta ſex milia hoſtium occiſa, capta quinq. milia, & quadringenti dicuntur: quod ſcribit Liuius lib. vigeſimoſeptimo. VOVERAT, tunc Coſ. IN QVO, in qua re. ERROR, in quem poſtea incidit etiam Euſebius, qui poſt Plauti mortẽ Liuium Andronicum agnouit. ACCII, hiſtorici, & poetæ. HIS Coſs. Cn. Cornelio, & Q. Minutio. XL. quadraginta minimũ. nam ſi quis accurate numeret, plures etiã inueniat annos inter C. Manliũ, Q. Valeriũ Flaccum Coſs. quibus natus eſt Ennius, & hos, quos hic Cic. ponit, interfuiſſe. NATVS ENNIVS FVERIT, & vere fuerit. CVI, Ennio. AEQVALIS FVERIT LIVIVS, vt ex Accii hiſtoria hoc modo colligitur. Ennius Cn. Cornelio, Q. Minutio Coſs. natus erat annos quadraginta: iiſdem Coſs. Liuius fabulam docuit, & id facere nõ potuit, niſi iam grãdis; igitur Ennio fuit æqualis. at id falſum eſt, vt docet Cic. ita colligẽs: ſi fuiſſet Liuius æqualis Ennio, fuiſſet etiã minor Plauto, & Næuio, vt Ennius, quod paulo poſt oſtẽditur: ii tamen ante Coſs. iſtos fabulas docuerunt. Liuius igitur ante Coſs. iſtos fabulã docuit: quando conſtat eum primũ fabulam docuiſſe, vt dictum eſt. MINOR FVIT, vt minor etiã fuit Ennius, quod paulo poſt oſtẽditur. IS, Liuius Andronicus. PRIMVS, vt Accius quoque ſcribebat, nec ſuum errorem cognoſcebat. DEDIT, ſic Teren. ſæpe, & in Hecyrę prologo: hæc quum data eſt noua: vbi Donatus hoc modo ſcribit: ita dicitur, data eſt fabula, vt data eſt cœna, datum eſt prandium. & dari dicitur fabula, quum agitur: ſtare quum placet. Tragœdia, & comœdia, à L. Liuio ad ſcenam data, inquit Caſsiodorus in Coſs. hac de re loquens. Cicero tamen docere verbum frequentius vſurpat. MVLTAS, fabulas. DOCVERANT, Næuius enim an. ab V. C. quingenteſimo decimonono fabulas dedit, vt Gellius lib. decimoſeptimo capite vigeſimo primo docet: & ante Coſs. iſtos deceſsit, vt ſupra demõſtratum eſt: Plautus vero poſt eoſdẽ Coſs. non amplius annis duodecim vixit. HOS CONSVLES, Cn. Corneliũ, & Q. Minutium. HAEC, quæ nos à re propoſita digreſsi diximus. excuſat enim, & culpã in Att. transfert, ſed iocãs, vel potius Att. laudans, qui poſsit hominès inflammare. MINVS APTA, quum diuerſa videãtur. ILLVSTRIVM HOMINVM, clarorũ Virorum, vt à principio diximus. Att. vero, vt ait Nepos, ſic familiarũ originẽ ſubtexuit, vt ex eo clarorũ virorũ propagines poſsimus cognoſcere. AETATES, ET TEMPORA, creſcit oratio. nam tempus plus, quàm ætas ſignificat: id oſtendit Cicero in Oratore, vbi ſic loquitur, vt dicat ætatem in tempora, quaſi ſpeciem in genus, incidiſſe. PERSEQVENDI, vt perſecutus eſt Atticus, qui conſeruatis, notatíſque temporibus, nihil quum illuſtre pretermitteret, annorum ſeptingentorum memoriam vno lib. colligauit, vt ſupra retulimus.

Ego vero,inquit Brutus, & delector iſta quaſi notatione temporum, & ad id, quod inſtituiſti, oratorum genera diſtinguere ætatibus, iſtam diligentiam eſſe accommodatam puto. Recte, inquam,Brute intelligis.atque vtinam extarent illa carmina,quæ multis ſeclis ante ſuam ætatem in epulis eſſe cantitata à ſingulis conuiuis de clarorum virorum laudibus in Originibus ſcriptum reliquit Cato.tamen illius,quem in vatibus, & Faunis enumerat Ennius, bellum Punicum quaſi Myronis opus delectat. Sit Ennius ſanè,vt eſt certe,perfectior: qui ſi illum, vt ſimulat,cõtemneret, non, omnia bella perſequens, primum illud Punicum acerrimum bellum reliquiſſet.ſed ipſe dicit,cur id faciat: Scripſere,inquit,alii rem Verſibu'.: & luculente quidem ſcripſerunt etiam ſi minus, quàm tu, polite.nec vero tibi aliter videri debet: qui à Næuio vel ſumpſiſti multa,ſi fateris;vel ſi negas,ſurripuiſti.

ET DELECTOR, & delector,inquit Brutus,iſta notatione,& iſtam diligentiam ad rem eſſe accommodatam puto,tantũ abeſt, vt exiſtimem ea quæ nunc refers,huic ſermoni minus apta eſſe. QVASI NOTATIONE, mollit hac particula,quaſi,ne, notatio temporum, non ſatis prorie poſita videatur, quum in Topicis aliter explicetur.notare tamẽ tempora,& ipſe Cic.in Orat. & Nepos in Att.vita,hac de re loquẽtes,dixerunt. INSTITVISTI, in Tuſculano primũ,deinde hic à nobis rogatus,vt ſupra dictum eſt:vel potius in orationis curſu, quaſi à re ipſa admonitus .à principio enim Cic. tria propoſuit, quãdo eſſe cœpiſſent oratores,qui etiam, & quales fuiſſent. nunc vero videtur hoc ipſum addere: inſtituiſti oratorũ genera diſtinguere ætatibus:quamuis videatur ſub prima propoſitionis parte poſſe contineri:nec Brutus certo ſcire poterat,quid Cic. inſtituiſſet, niſi ex eo,quod faciebat. ORATORVM GENERA, lib. ſecundo de Oratore ita ſcribit: ætates extulerunt ſingulæ ſingula propè genera dicendi:& lib.primo ita multa ſunt, & varia genera dicendi:& lib.tertio hoc modo: quot oratores, totidem penè reperiuntur genera dicendi. Ego vero haud equidẽ ſcio, an ita cõuerti poſsit:quot genera dicendi reperiuntur,tot oratorũ genera eſſe dicũtur. Hic certe Cic.plura oratorũ genera facit,qui tamẽ infra duo tantum,& in libello de Opt.orat.gen.vnum genus eſſe cõtendit,idque ita docet,vt facile probet: ſed dum probat,ſecũ videtur pugnare,niſi ſic interpretemur: Optimorũ genus eſt vnum, bonorum duo,aliorũ plura. In illo enim lib. genus optimũ quærit: infra manifeſte patet,bonorũ duo genera poni,& in hoc toto dialogo tam bonorũ, quàm malorum genera deſcribi. Vel dicamus verũ eſſe quod Victorinus lib. primo de Inuen.ſcribit:genus ſępe qualitate multiplex fieri,vt vnũ quidẽ ſit genus oratorũ quaſi ἔσχατον, id eſt vltimum,vt vertit Cic.quod vel temporũ,vel aliarum rerũ qualitate quaſi multiplex fiat:vt ſingulis ętatibus ſingula oratorum genera ob eam rem fuiſſe dicantur. Vel genera ſpecies interpreteris, præſertim quum Cicero pro parte,& ſpecie,vt ſupra diximus,ſæpe ponat. AETATIBVS, per ætates. ISTAM DILIGENTIAM, qua in notandis temporibus vteris. ATQVE VTINAM, recte intelligis Brute, quum putas hanc diligentiam eſſe accõmodatam ad diſtinguenda oratorum genera ætatibus.ſed multo melius intelligeres,ſi extarent verſus illi veteres, de quibus ſupra dicebam,& præſettim illa carmina,quib. in epulis vtebantur:Ex his enim melius

poſſemus

poſſemus iudicare, quo modo tum ſcriberent. & iccirco dixit, vtinam extarent. CARMINA, perſpicuũ eſt enim iam tum & cantus fuiſſe reſcriptos vocum ſonis, & carmina: quanquam id quidẽ etiam XII. tabulę declarant, condi iam tunc ſolitũ eſſe carmen, quod ne liceret fieri ad alterius iniuriã, leges ſanxerunt, vt dicitur Tuſculana quarta. SECLIS, συγκοπὴ, quę vſque adeo eſt rara in hoc verbo apud Ciceronem, vt penè putẽ, vel eſſe verbum de Catonis ipſius Originibus ſumptũ. vel, ſeculis, legendum: quanquam lib. primo de Legibus etiã, ſeclis, & Tuſculana ſecũda, vinclis, ſcriptũ vidimus. ANTE SVAM AETATEM, apud maiores, vt ait Tuſculana quarta. CANTITATA, credimus itẽ hoc verbum Catonis eſſe. nam canere, dicere Cic. ſolet Canebant vero ad Tibicinẽ, vel ad tibiã. Vtrunq. enim legitur in Tuſculanis quæſtionib. A' SINGVLIS CONVIVIS, ſcripſit enim Cato, morem apud maiores hunc epularũ fuiſſe, vt deinceps qui accumberẽt, canerent ad Tibiã clarorum virorũ laudes, atq. virtutes: quod Tuſculana prima, & quarta refertur. Videtur & hic mos, vel nõ admodũ diſsimilis apud Græcos fuiſſe: quando Themiſtocles, quum in epulis, vt ait Cic. lyrã recuſaret, eſt habitus indoctior. apud ſummum quoq. Poëtã cythera crinitus Ioppas perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas. ORIGINIBVS, de quibus ſupra diximus. SCRIPTVM RELIQVIT, dixit, vt ait Cicero Tuſculana quarta. CATO, ſupra. TAMEN, quamuis non extent illa carmina, extat tamen bellum Punicum verſibus à Næuio ſcriptum, ex quo cognoſci poteſt, quod tum genus eſſet dicendi. ILLIVS, Næuii, qui bellum Punicum ſcripſit, vt paulo poſt, in Catone, in Suetonii Grammaticis, & in Gellio lib. decimoſeptimo cap. vigeſimoprimo legimus. VATIBVS, ET FAVNIS, ſupra. ENVMERAT ENNIVS, ſcribẽs illa carmina ſuperiora, in quibus cõplectitur omnes, qui ante ſe ſcripſerãt, & in his Næuium, qui bellũ Punicum ſcripſerat. hinc paulo poſt, ſcripſere, inquit, alii rem verſibus: & ſignificat Næuium: à quo concludit Cicero Ennium multa vel ſumpſiſſe, vel ſurripuiſſe: ex quibus apparet, Ennium Næuio minorem natu fuiſſe, & quidem ita clare, vt ſuſpicari liceat, mendum eſſe in prima Tuſculana, vbi dicitur Ennius maior natu, quàm Plautus, & Næuius, præſertim quum ibi in libris manu ſcriptis varie legatur: niſi libet interpretari, Næuium quidem Ennio iuniorem fuiſſe ſed prius ſcripſiſſe: vel dicere, Ciceronem diuerſos autores eſſe ſecutum: quum paulo ante ipſemet dixerit, de Næuio aliter in veteribus commentariis eſſe ſcriptum, aliter à Varrone, qui vitam illius longius produxit. Gellius certe libro decimoſeptimo capite vigeſimoprimo Næuium Ennio ſeniorem demonſtrat. ob id Terentius, opinor, Næuium, Plautum, Ennium deinceps collocauit. BELLVM PVNICVM, bellum Punicum primum, vt paulo poſt ait: quod ſcripſit Næuius, & eo, vt in Catone legimus, gaudebat: quod vnico volumine, & continenti ſcriptura expoſitam C. Octauius Lampadio Grammaticus in ſeptem libros poſtea diuiſit, vt Suetonius in Grãmaticis refert. MYRONIS OPVS, opus nondum ſatis ad veritatem adductum, qualia erant Myronis opera, vt ſupra dictum eſt. ſic ſupra Dædali opus. SIT, συγχώρησις. VT EST CERTE, quippe qui ſit optimus epicus poëta, vt in libello de Opt. genere oratorum, ait Cicero, qui illum ſummam etiam poëtam vocat. PERFECTIOR, Næuio potiſsimum. ILLVM, Næuium. VT SIMVLAT, quum ante ſe neminem dicti ſtudioſum fuiſſe ſcribit. CONTEMNERET, vt vetera contemnebat, quod eſt in Oratore ſcriptum. OMNIA BELLA, quę Romani geſſerãt. PERSEQVENS, in ſuis Annalibus. ACERRIMVM, acerrime per viginti duos annos terra, maríq. geſtũ. & ſic appellauit, vt quaſi ita diceret: Ennius omnia bella etiã non magna perſecutus eſt: quanto magis bellum Punicum primum

acerrimum eſſet perſecutus, ſi Næuium contempſiſſet, & indignum putaſſet, cuius bellum Punicum legeretur? Reliquit igitur Ennius illud vt à Næuio ſatis bene, & ſatis diligenter ſcriptum. ID FACIAT, id bellum relinquat. SCRIPSERE, alii rem verſibus, verba ſunt Ennii, vt in Oratore poteris videre. INQVIT, Ennius fortaſſe in Annalibus. ALII, Næuius. illum enim voluit ſignificare. REM, bellum Punicum primum. &, rem, etiam in Oratore legas oportet, vbi nunc in multis libris ſcriptum eſt item. VERSIBV', aliter verſibus: ſed, niſi verbum, quod ſequebatur, inuenias, neſcias, vtro modo ſit legendum: niſi forte ille ſit verſus finis, ſcripſere alii rem: deinde ſequatur integer verſus ille: Verſibu', quos olim Fauni, vatéſque canebant. ET, nunc loquitur Cicero, qui affirmat Næuium luculente eam rem ſcripſiſſe. LVCVLENTE, plane, vt ait libro tertio de Oratore. SCRIPSERVNT, in Oratore ſic ait: nec vero reprehenderim, ſcripſere alii rem, & ſcripſerunt eſſe verius ſentio, ſed conſuetudini auribus indulgenti libenter obſequor. ſic poëtę ſæpe loquuntur: conticuere omnes: deuenere locos: conſedere duces. Vnde quidam δυϊκὸν eſſe crediderunt, quos Quintilianus libro primo capite decimo confutauit. QVÀM TV, Quàm tu Enni, qui à communi more verborum non diſcedis, vt in Oratore dicitur. Ennius tamen ab Ouidio lib. ſecundo de Triſtibus dicitur ingenio maximus, arte rudis. POLITE, ornate, libro tertio de Oratore. TIBI, tibi Enni. SVMPSISTI, ſumimus, quæ poſita ſunt, inquit Cornelius Fróto. λῆμμα eſt. FATERIS, quòd benignum ſit, vt ait Plinius, & plenum ingenui pudoris, fateri, per quos profeceris. NEGAS, vt negare ſolent, qui ſurripiunt, & furantur. SVRRIPVISTI, clàm abſtuliſti. ſurripere enim clàm, id eſt furtiue auferre, vt ait Fronto.

Cum hoc Catone grandiores natu fuerunt C. Flaminius, C. Varro, Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus, P. Craſſus, qui cum ſuperiore Africano Conſul fuit. Ipſum Scipionem accepimus non infantem fuiſſe. filius quidem eius, is qui hunc minorem Scipionem à Paulo adoptauit, ſi corpore valuiſſet, in primis habitus eſſet diſertus. indicant cum oratiunculæ, tum hiſtoria quædam Græca ſcripta dulciſsimè. Numeróque eodem fuit Sex. Aelius, iuris quidem ciuilis omnium peritiſsimus, ſed etiam ad dicendum paratus. De minoribus autem C. Sulpitius Gallus, qui maxime omnium nobilium Græcis literis ſtuduit, íſque & oratorum in numero eſt habitus, & fuit reliquis rebus ornatus, atque elegans. iam enim erat vnctior quædam ſplendidiórque conſuetudo loquendi. nam hoc Prætore ludos Apollini faciente, cum Thyeſtem fabulam docuiſſet, Q. Marcio, Cn. Seruilio Coſs. mortem obiit Ennius.

CVM HOC CATONE, de quo tam multa diximus. & ad rem reuertitur: atque adeo ad eos regreditur, qui Catone maiores natu fuerunt, quorum nonnullos ſupra omiſerat. GRANDIORES, maiores, quibus paulo poſt quaſi κατ' ἀντίθετον opponit minores ita, vt Catonem medium collocet. C. FLAMINIVS, de quo ſupra quidem dixit, ſed nunc quaſi κατ' ἐπίλογον illum, Q. Maximum, & Q. Metellum repetit, & duos addit, vt ætates, & tempora melius

lius coniungat. C. VARRO, C. Terentius Varro, qui, vt ait Liuius, loco non humili ſolum, ſed etiam ſordido ortus eſt: patrem lanium fuiſſe ferunt, ipſum inſtitoré mercis, filióque hoc ipſo in ſeruili eius artis miniſterio vſum. Is iuuenis vbi ex eo genere quæſtus pecunia à patre relicta, animum ad ſpem liberalioris fortunæ adiecit: togáque, & forum placuere, proclamando pro ſordidis hominibus cauſíſque aduerſus rem, & famam bonorum, primum in notitiam populi, deinde ad honorem peruenit. Quæſtura quoque, & duabus Aedilitatibus plebeia, & Curuli, poſtremo & Prætura perfunctus, iam ad Conſulatus ſpem quum attolleret animos, legem de æquando magiſtri equitum, & Dictatoris iure ſuaſit: nec ita multo poſt Conſul cum L. Aemilio Paulo factus, apud Cannas culpa ſua vires populi Romani, vt ait Valerius Maximus exhauſit: cui tamen poſtea Romam redeunti obuiam itum frequenter ab omnibus ordinibus eſt, & gratiæ actæ, quòd de Rep. non deſperaſſet. Quin addit idem Valerius ei Dictaturam eſſe delatam: ſed eum præ pudore illam recipere non ſuſtinuiſſe. Creditum eſt, inquit idem Valerius, eum apud Cannas cum Carthaginenſibus tam infeliciter dimicaſſe ob iram Iunonis: quòd quum ludos circenſes Aedilis faceret, in Iouis optimi Maximi templo eximia facie puerum hiſtrionem ad excubias tenendas poſuiſſet. Miſſus eſt poſtea in Africam legatus: nec ita multo poſt Triumuir deducendæ coloniæ cauſa creatus eſt, vt autor eſt Liuius. Q. MAXIMVS, de quo diximus: qui M. Catone multo maior natu fuit. hinc Cato in Senectute apud Ciceronem ſe cum eo quartũ conſule adoleſcentulum militem ad Capuam profectum teſtatur. Q. METELLVS, qui cum Philone Conſul fuit, vt diximus. P. LENTVLVS, P. Cornelius Lentulus Caudinus, qui cum C. Licinio Varo an. ab V. C. quingenteſimo decimoſeptimo Conſul fuit. Nullus enim præter eum fuit his temporibus, qui Conſul, maior natu Catone fuerit, & P. Lentulus ſit dictus. Duos quidem Publios Lentulos apud Liuium, ſed Prætores agnoſcimus. an vero Cicero inter tot cõſulares hic prætorium nominarit, dubitari vt poteſt, ita veriſimile non videtur. P. CRASSVS, P. Licinius Craſſus, Diues, Pontifex Maximus: qui quum ante nec Prætor, nec Conſul fuiſſet, Magiſter tamen equitum, & Cenſor eſt factus. Ex Aedilitate enim gradum ad Cenſuram fecit: ſed quum L. Veturius collega deceſsiſſet, Cenſura ſe abdicauit: cui poſtea Prætori facto prouincia peregrina euenit, & quæ ſenatus cenſuiſſet, vt ait Liuius. Deinde Conſul creatus Siciliam extra ſortem Scipioni collegæ conceſsit, & ipſe Brutios obtinuit, quia ſacrorum cura illum vt Pontificem Maximum in Italia retinebat. hunc Cicero in Catone Pontificii, & ciuilis iuris peritiſsimum fuiſſe oſtendit. Quin vero Diues hic etiam ſit appellatus, qui veterum monimenta viderit, dubitare non poterit. SVPERIORE AFRICANO, nam poſtea fuit inferior, de quo dicetur. CONSVL FVIT, an. ab V. C. quingenteſimo quadrageſimo nono: qua de re ſic in veterum monimentis eſt ſcriptum. P. CORNELIVS P. F. P. N. SCIPIO, QVI POSTEA AFRICAN. APPELL. EST. P. LICINIVS P. F. P. N. CRASS. DIVES. IPSVM, quem Africanum dixi. SCIPIONEM, P. Cornelium Scipionem, qui Africanus primus eſt appellatus: cuius res geſtas, & totam denique vitam, præter alios, Liuius, & Plutarchus ſcripſerunt, ſi modo Plutarchus vnquàm ſcripſit eam, quæ circunfertur. ACCEPIMVS, à maioribus, & hiſtoria. NON INFANTEM, ſatis diſertum, λιτότης. Diſertum voluit illum Liuius ſignificare, quum tot orationes tanquam ab eo habitas ſcripſit. Quin idem Liuius libro trigeſimo octauo, & Gellius libro quarto capite decimo octauo Scipionis orationes nominant, eáſque ſe vidiſſe teſtantur. Scipionem vero ipſum Catone anno maiorem

fuiſſe ex Liuio libro vigeſimoſexto collegimus: vbi ſcribit illum quatuor & viginti annorum fuiſſe P. Sulpicio Galba,& Cn. Fuluio Coſs. Quod ſi ita eſt,eius filius multo minor Catone fuit: quem tamen hoc loco Cicero inter maiores Catone ponit,quaſi à patre inuitatus.tale quid etiam infra de Libone facit,vt dicemus. FILIVS, qui Cn.Scipio à Valerio Maximo vocatur & inter eos etiam numeratur, qui à parentibus degenerarunt: atque in eo potiſsimum accuſatur, quòd in tanta domeſtica gloria ortus, à paruulo admodum Regis Antiochi pręſidio capi ſuſtinuit.& captum quidem Liuius,Iuſtinus,Plutarchus,& alii conſentiunt, ſed de tempore, & cauſa diſſentiunt. alii iam inde ab initio belli à Chalcide Coricum petentem:alii paruo nauigio traiicientem: quidam proficiſcentem exploratum conſilia hoſtium captum fuiſſe tradunt, & poſtea patri Eleæ ægrotanti remiſſum. Ab omnibus diſſentit Appianus, qui ſcribit, hunc fuiſſe illum, qui poſtea Scipio Africanus inferior eſt appellatus. Hic filius,vt ait idem Valerius,Præturæ petitor candidam togam adeo turpitudinis maculis obſolefactam in campum detulit, vt,niſi gratia Cicerei,qui patris eius ſcriba fuerat,adiutus eſſet, honorem à populo impetraturus non videretur: quanquam quid interfuit, vtrum repulſam, an ſic adeptam præturam domum referret? Eam quum propinqui ab eo pollui animaduerterēt,id egerunt,ne aut ſellam ponere, aut ius dicere auderet: inſupérque è manu eius annulum, in quo caput Africani ſculptum erat, detraxerunt. Cicero tamen hoc loco,libro primo de Officiis,& in Catone ita laudat,vt dicat,eum alterum ciuitatis lumen futurum fuiſſe, niſi tenui,aut nulla potius valetudine fuiſſet. hæc ego quum video ſic inter ſe diſcrepare,in eam venio ſententiam, vt putem, non vnum tantum, ſed duos, aut plures etiam filios Africano fuiſſe.nam & mos erat, vt primus filius patris prænomen ſequeretur, & hic, qui degenerauit, Cneus à Valerio vocatur,quum pater Publius diceretur.proferrem,quæ Plutarchi nomine dicuntur, ſi putarem illis eſſe credendum. ſed Cicero ipſe verbis, quæ ſequuntur, hoc ipſum,quod dicimus,oſtendit, vt interpretabimur. IS, ſic in Catone: P. Africani filius,is,qui te adoptauit,perinde,ac ſi dicat,is,qui laudatus eſt, non ille,qui male audiuit: hoc eſt,P.Cornelius P.F.Scipio:non autem, Cn. Cornelius P.F. Scipio.& ita,quod contrarium videtur, prorſus tolletur,& error Appiani, atque adeo autoris libelli de Viris illuſtribus apparebit, qui ſcribunt eum,qui poſtea P. Cornelius Scipio Aemilianus, & Africanus minor eſt dictus, à Scipione Africano adoptatum fuiſſe:quum ſatis conſtet, à filio,non à patre adoptatum fuiſſe, & ita Publium patris adoptātis habuiſſe, quod magis etiam,quæ paulo ante de filiis pluribus diximus,confirmat. Si quis tamen velit Appianum,& autorem libelli de Viris illuſtribus defendere dicere poſsit, illum filium,qui adoptauit, ipſum quoque iure quaſi hæreditario P. Cornelium Scipionem Africanum dictum fuiſſe, vt Scæuolæ, vt Torquati,vt alii ſunt patrum, & maiorum cognomina conſecuti: vt Scipio ipſe Aemilianus adoptatus hoc cognomen habuit hæreditarium, & in Somnio Cicero docet. Itaque in veterum Conſulibus, & apud Liuium libro quadrageſimo octauo prius etiam, quàm in Africam iret,Africanus appellatur. hinc ex comparatione maiorum poteſt argumentari, multo magis filium, quàm nepotem id iuris hæreditarii creuiſſe: & ita recte ſcripſiſſe, qui dixerunt, Aemilianum à Scipione Africano adoptatum fuiſſe. Nec Plutarchus ea ratione reprehendi poſſet, ſi, vt interpretes verterunt, ſcripſiſſet: ſed ille græce hoc modo ſcripſit: τὸν κάτιρον, ἀφρικανοῦ σκηπίωνος υἱὸς ἀνεψιὸν ὄντα θέμενος, σκηπίωνα προσηγόρευσεν. HVNC MINOREM SCIPIONEM, hunc P. Cornelium Scipionem Africanum Aemilianū, qui dicitur minor, maiori, vel ſuperiori

comparatus: de quo ſuo loco dicetur. PAVLO, L. Aemilio Paulo, cuius illa ſunt apud Liuium verba: neque ex tanta ſtirpe liberum ſuperet, qui L. Aemilii Pauli nomen ferat. Duos enim tanquam ex magna progenie liberorũ in adoptionem datos Cornelia, & Fabia gens habent. ADOPTAVIT, idem libro primo de Officiis, & in Catone ſcribit. SI CORPORE VALVISSET, niſi imbecillis, & tenui, aut nulla potius valetudine fuiſſet, vt ait in Catone Vnde apparet illum animo ſatis valuiſſe. HABITVS ESSET DISERTVS. alterum enim ille extitiſſet lumen ciuitatis, vt ait in Catone. INDICANT, αἰδολογία, quòd habitus eſſet diſertus. QVVM ORATIVNCVLAE, TVM HISTORIAE, quæ ad nos non peruenerunt. EODEM, quo fuerunt ſuperiores, hoc eſt ſupra nominati, non autem Scipio filius. Aelius enim cum maioribus numeratur: quo quidem Conſule Cato Prætor fuit an. ab V. C. quingenteſimo quinquageſimoſexto, vt ex Liuio libro trigeſimo, & ex Coſs. cognoſces. SEX. Sextus. Sextus vero dicebatur, qui ſexto loco natus eſſet.

SEX. AELIVS, Sextus Aelius Pætus, Catus. nam gentis cognomine Pætus à Liuio, & ſuo Catus ab Ennio illo carmine fuit appellatus: egregie cordatus homo, Catus Aeliu' Sextus: quod apud Ciceronem Tuſculana prima, & libro primo de Oratore inuenies. Hic Conſul cum T. Quintio Flaminio, Galliam prouinciam ſortitus eſt, ſed nihil memorabilis rei geſsit, vt Liuius loquitur. Cenſuram vero cum C. Cornelio Cethego præclarè adminiſtrauit, quod Liuius libro trigeſimoquarto refert. Aelii plebeii fuerunt, quod quum multa oſtendunt, tum P. Aelius, qui fuit Aedilis plebis, & Q. Aelius Tubero, qui fuit Tribunus plebis, vt Liuius libro trigeſimo, & trigeſimo quarto ſcribit. Scriptores eos laudant, quòd nobiles, & pauperes fuerint.

IVRIS QVIDEM CIVILIS OMNIVM PERITISSIMVS, nam propter iuris ciuilis ſcientiam ſic appellatus à ſummo poëta eſt: egregie cordatus homo Catus Aeliu' Sextus, vt paulo ante retulimus. hinc Pomponius Iuriſconſultus ita ſcripſit: Sex. Aelium etiam Ennius laudauit: & extat illius liber, qui inſcribitur tripartita: qui liber veluti iuris cunabula continet. Tripartita autem dicitur, quod lege duodecim tabularum præpoſita, iungitur interpretatio, deinde ſubtexitur legis actio. Eiuſdem eſſe tres alii libri referuntur: quos tamen quidam negant eiuſdem eſſe. Ex his cognoſcitur, quare Cicero libro ſecundo de Legibus, Sex. Aelium veterem iuris interpretem vocet. PARATVS, nos adhuc nihil inuenimus, quod hoc oſtendat. DE MINORIBVS, de his, qui M. Catone natu minores fuerunt, vt ii, quos dixit, erant maiores. vel de his, qui ſuperioribus erant minores. C. SVLPICIVS GALLVS, hunc, & L. Aemilium Paulum patronos populi vlterioris Hiſpaniæ olim ſumpſerunt, vt Liuius libro quadrageſimo tertio ſcribit: qui teſtatur etiam illum non ita multo poſt Prætorem factum fuiſſe: quamuis ibi M. Sulpicius male legatur. Ab eo tum quatuor legiones ſunt ſcriptæ, intráque vndecim dies delectus eſt perfectus: cui iuriſdictio vrbana obtigit. Poſt vero Præturam quum eſſet in Macedonia Tribunus militum ſecundæ legionis, vel, vt ait Valerius Maximus, legatus, L. Pauli Conſulis permiſſu ad concionem militibus vocatis, pronunciauit: nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora ſecunda vſque ad quartam horam noctis Lunam defecturam eſſe. Id quum accidiſſet, ipſius ſapientia militibus propè diuina cœpit videri. Hæc Liuius, illa vero Plinius: rationem quidem defectus Solis, & Lunę primus Romani generis in vulgus extulit Sulpicius Gallus qui Conſul cum Marcello fuit, ſed tum Tribunus militum, ſolicitudine exercitu liberato, pridie, quàm Perſes Rex ſuperatus à Paulo eſt, in concionem ab imperatore productus ad prædicendam eclipſin, mox & compoſito volumine. Idem

propemodum ſcribit Frontinus, niſi quòd L. Sulpicium Gallum pro C. Sulpicio Gallo male vocat. Ex his apparet, quare Cato ſic apud Ciceronem loquatur: Videbamus in ſtudio dimetiendi cœli, atque terræ mori penè C. Galium familiarem patris tui Scipio. Quoties illum lux noctu aliquid deſcribere ingreſſum, quoties nox oppreſsit, quum mane cœpiſſet? quàm delectabatur, quum defectiones Solis, & Lunæ multo ante nobis prædiceret? eundem Cicero libro primo de Officiis ea de re commendat. is igitur Conſul cum M. Claudio Marcello anno ab Vrbe condita quingenteſimo octuageſimo octauo fuit, & Ligures ſubegit, vt Liuius libro quadrageſimo ſexto ſcripſit. eo anno Terentii Andria dicitur acta. Quin ipſius Galli opera in ſcribendo vſum Terentium quidam ſunt ſuſpicati, quod Donatus retulit. Hic eſt Sulpicius Gallus, cuius Q. Pupillum filium Sulpicius Galba, vt libro primo de Oratore ſcribitur, ipſe penè in humeros extulit: qui clariſsimi patris recordatione, & memoria fletum populo moueret. Hunc C. Sulpicium Gallum in Lælio Cicero ſignificauit his verbis: memineram Paulum, videram Caium: & paulo poſt: numeremus Paulos, Catones, Caios, Scipiones, Philos. Per Caium, & Caios, C. Sulpicium Gallum ſignificari, olim nos in Quæſtura retulimus; nec rationem illam, aut ſententiam nunc mutamus, quamuis quidam malint legere, Gallum, & Gallos, quòd putent dubitari poſſe ex ſolo prænomine, quis potiſsimum ſignificetur. Nos, vt paucis reſpondeamus, dicimus, in omnibus libris manu ſcriptis, quotquot videre potuimus, vidimus autem plurimos, in his Caium, & Caios legi: deinde contendimus veteres aliquando, & Ciceronem frequenter prænomina, quibus auriculæ molles, vt ait Iuuenalis, gauderent, pro nominibus poſuiſſe nec timuiſſe tum, ne res ea dubitationem, quæ nunc quidem naſci poteſt, pareret. Id exemplis multis poſſemus probare, ſed paucis contenti erimus, & his quidem literarum ordine repetitis. Auli filius igitur dicitur à Cicerone libro primo ad Atticum pro Afranio: & lib. ſexto, Auli lex, pro lege ab Aul. Gabinio lata. vtrobique prænomen ſimpliciter ponit Cicero: qui libro primo Familiarium ita loquitur: Appius in ſermonibus dictitabat: Appius, id eſt Ap. Claudius Pulcher, vt conſtat: & tamen Appius eſt prænomen, quo frequenter alibi Cicero ſimpliciter vtitur. Caium quum dicit Plinius, ferè ſemper C. Caligulam ſignificat. Cneum penè frequentius, quàm Pompeium Cicero dicit: & in oratione pro Domo quum Decimos dicit, notat Decimum neſcio quem deſignatorem, vt appellat libro quarto ad Atticũ: quamuis proprium nomen nuſquàm ponat: conſtat tamen Decimum prænomen eſſe. Nam Decimum in epiſtolis ad Atticum pro D. Bruto ponit. Iam in Verrinis, & in epiſtolis ad Atticum Lucium fratrem quum dicit, L. Tullium Ciceronem ſignificat: & libro decimotertio ad Atticum per Lucium, L. Mummium: in libris de Legibus per Marcum, ſeipſum: in epiſtolis ad Atticum per Publium, ſæpe Clodium: in libris de Legibus per Quintum, Q. Tullium Ciceronem fratrem. in epiſtolis ad Atticum per Sextum, non ſemel Sex. Pompeium Magni F. per Seruium, Ser. Sulpicium: & per Titum, T. Pomponium Atticum, vt in libris item de Legibus, & in Catone, vocat. mitto, quum Titum dicimus, T. Veſpaſianum etiam ſignificari, & alia, quæ longum eſſet referre, & ad rem reuertor: ac illud affirmo, hunc C. Sulpicium Gallum ſignificari lib. quarto Familiarium, vbi ſcribitur: Veſter Gallus. ſcribit enim ad Ser. Sulpicium, qui fuit ex eadem gente Sulpicia, quæ duplex videtur fuiſſe, vt ſupra diximus. Accedit, quòd Gallus filium amiſerat, vt ibi & in Lælio Cicero ſignificat, & nos ex eo cognoſcimus, quòd eius filium Q. Pupillum videmus libro primo de Oratore nominari: quod oſtendit eum

primum

primum non fuiſſe. Nam primus de more debuit C. Sulpicius Gallus appellari: vt nos eum credimus appellatum fuiſſe, ſed obiiſſe. NOBILIVM, nobilibus opponit nouos in oratione pro. P. Seſtio, vbi ſunt illa verba: vos adoleſcentes, & qui nobiles eſtis, ad maiorum veſtrorum imitationem excitabo: & qui ingenio, & virtute nobilitatem poteſtis conſequi, ad eam rationem, in qua multi homines noui & honore, & gloria floruerunt, cohortabor. Vnde apparet, eundem penè morem, qui nunc eſt, fuiſſe, vt pauci nobiles literis ſtuderent: & iccirco dixit: maxime omnium nobilium Gallus ſtuduit. GRAECIS LITERIS STVDVIT, nam doctrina Græcia Romanos, & omni literarum genere ſuperabat, vt dicitur Tuſculana prima: & oratio Græca infra dicitur plura ornamenta ſuppeditare. ORATORVM IN NVMERO EST HABITVS, hinc ait Quintilianus libro primo capite decimo octauo: an, quũ Sulpicius ille Gallus in exercitu L. Pauli de Lunę defectione diſſeruit, non videtur eſſe vſus oratoris officio? ſed & Liuius, vt ſupra retulimus, inter patronos nominauit. RELIQVIS REBVS, vt arte militari, qua Ligures, vt dictum eſt, ſubegit: quamuis in ea illum prius à L. Paulo reprehenſum conſtet, quum caſtris eum præpoſuiſſet, quòd ille Perſea procul à ſe vagari per prouinciam paſſus eſſet: & milites nudare tegulis muros vrbis ad hibernacula tegenda: quę Liuius libro quadrageſimo quinto ſcribit. In Aſtrologia Cicero libro primo de Officiis commendatum fuiſſe teſtatur. IAM ENIM, αἰλιολογία, quare reliquis rebus ornatus fuerit & præſertim elegans, quoniam illo viuente, & floreſcente, conſuetudo loquēdi erat ſplendidior. VNCTIOR QVAEDAM, SPLENDIDIORQVE, ἐπιξίγνοσ, id eſt nitidior, hinc libro primo de Oratore ita ſcribit: nitidum quoddam genus eſt verborum, & lætum, ſed palæſtræ magis, & olei, quàm huius ciuilis turbæ, ac fori: & eſt tranſlatio à palęſtris, quas ſupra diximus, vnctas à poëtis appellari. LOQVENDI, aliter dicendi. NAM, αἰλιολογία αἰλιολογίας. HOC, C. Sulpicio Gallo. PRAETORE, Prætore vrbano, vt diximus. LVDOS APOLLINI, hæc ſunt verba ex carminibus Martii vatis à Liuio libro vigeſimo quinto relata: Apollini vouendos cenſeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant, quum populus dederit ex publico partem: priuati vti conferant pro ſe, ſuíſque iis ludis faciendis præerit prætor is, qui ius populo, plebíque dabit ſummum. Q. igitur Fuluio Flacco, & Ap. Claudio Pulchro COSS. id eſt an. ab V.C. quingenteſimo quadrageſimo ſecundo ludi Apollinares à P. Cornelio Sulla prętore vrbis primũ facti ſunt: inde omnes deinceps prætores vrbani fecerunt: ſed in vnum annũ vouebant, diéque incerto faciebant. Conſulibus vero M. Claudio Marcello, & T. Quintio Criſpino, id eſt an. ab V.C. quingēteſimo quadrageſimo ſexto P. Licinius Varus prætor vrbis legem ferre ad populum iuſſus eſt, vt hi ludi in perpetuum in ſtatum diem vouerentur. Itaque ipſe primus ita vouit, fecítque ante diem tertium Non. Quintil. is dies deinde ſolennis ſeruatus eſt: quamuis in epiſtolis ad Atticum admonuimus, dies paulo aliter ſcribi. Et Liuius quidem à principio dixit, facere ludos Apollini, deinde vero ferè ſemper, ludos Apollinares, vt Cicero quoque ferè ſemper loquitur: & Probus in notis, LVD. AP. ludos Apollinares interpretatur; vt ſuſpicari liceat, hic quoque ita ſcriptum fuiſſe. FACIENTE, vt Prætore vrbano. Prætor enim vrbanus, vt retulimus, his ludis faciendis præerat. hinc Cicero in epiſtolis ad Atticum ſcribit, nihil fœdius eſſe, quàm Brutum, & Caſſium, qui Prætores erant, ludos non facere, & Apollinares ſignificat, vt ibi nos oſtendimus. THYESTEM FABVLAM, quam ſcripſit ipſe Ennius de Thyeſte, fortaſſe Chæremontem Græcum poetam, qui fabulam illam edidit, vt Athenæus, & Suidas teſtantur, imitatus, vt poſtea Varius, & Seneca vtrunq. videntur imi-

tari,

tati. Hæc Ennii fabulam Cicero ſignificat in oratione in Piſ.& in Oratore his verbis:velut ille in Thyeſte:cuius etiam verſus quoſdam ponit Tuſculana prima. Q. MARCIO, CN. SERVILIO, Q. Marcium Philippum, & Q. Seruilium Cæpionem Liuius libro quadrageſimo tertio vocat. Caſsiodorus vero in Conſulibus L. Marcium Philippū, & Q. Seruilium nominat: ſed hic Cicero Cn.Seruilium, cui poſtea Liuius libro quadrageſimo quarto aſſentitur. Verum quum hic Seruilius Cæpio diceretur, recte viri docti putant in Catone legendum eſſe:Cæpione,Philippo iterum Coſs. non autem. Scipione,Philippo iterum Coſs. vt in libris etiam manu ſcriptis legitur. COSS. an. ab V.C. quingenteſimo octuageſimo quinto. OBIT, annos ſeptuaginta natus, vt in Catone legimus. ENNIVS, Ennius poëta, qui ſcripſerat, ante ſe neminem dicti ſtudioſum fuiſſe, vt ipſe videatur primus dicendi elegantiam ſecutus: & ita probetur, quod Cicero dixit, eo tempore ſplendidiorem fuiſſe dicendi conſuetudinem.

Erat iiſdem temporibus T.Gracchus P. F. qui bis Conſul, & Cenſor fuit: cuius eſt oratio Græca apud Rhodios: quem ciuem cum grauem, tum etiam eloquentem conſtat fuiſſe. P.etiam Scipionem Naſicam, qui eſt Corculum appellatus, qui item bis Conſul, & Cenſor fuit, habitum eloquentem aiunt, illius, qui ſacra acceperit, filium. dicūt etiam L.Lentulum, qui cum C.Figulo Conſul fuit; Q. Nobiliorem M. filium iam patrio inſtituto deditum ſtudio literarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre eius in Aetolia militauerat, ciuitate donauit, cum Triumuir coloniam deduxiſſet. & T. Annium Luſcum, huius Q. Fuluii collegam, non indiſertum dicunt fuiſſe.

IISDEM, ſic iiſdem temporibus hic Gracchus fuit, vt iiſdem Coſs. quos paulo ante diximus, Cenſor fuerit, vt Liuius libro quadrageſimo tertio docet. T. alibi Titus interpretatur, vt ſupra diximus: hic Tiberius, quod fuit prænomen frequens in gente Sempronia, & Claudia: & interdum ſcribitur, TI. vel TIB. vt vero ſcriptum eſt in quodam libro, qui Valerio Maximo aſcribitur, Tiberii vocitari cœperunt, qui ad flumen Tiberim naſcebantur. Gens porrò Sempronia plebeia fuit: quod hic ipſe Sempronius Gracchus, & eius filii oſtendunt, qui Tribuni plebis fuerunt. GRACCHVS, mater, vt ex Varrone refert præceptor meus Egnatius, illius, qui primus dictus eſt Gracchus, duodecim menſes ipſum filium geſtauit: quare à geſtando Gracchum nominarunt. & ob id putat, Graccum, non Gracchum ſcribi oportere: qua de re Quintilianus ita loquitur: Diu reſeruatum, ne conſonantibus aſpiraretur, vt in Graccis, & triumpis: quod è Ciceronis Oratore ſumptū videtur. Videmus tamen in omnibus penè libris veteribus ſemper Gracchum, & triumphum ſcribi & ſanè γράγχος à Plutarcho ſcribitur. Hic eſt igitur Tiberius Sempronius Gracchus, qui magnā laudem eſt adeptus, quòd Tribunus pl. ſolus ex toto illo collegio L.Scipioni fuit auxilio, inimiciſsimus & ipſius, & fratris eius Africani: iurauitque in concione, ſe in gratiam nō rediiſſe, ſed alienum ſibi videri dignitate imperii, quò duces eſſent hoſtium, Scipione triumphāte, ducti, eōdem ipſum duci, qui triumphaſſet. ſic ait Cicero in oratione de Prouinciis Conſularibus. hinc, inquit Liuius, Graccho minorem ex duabus Africani filiabus (nam maior P. Cornelio Naſicæ haud dubie à

patre

patre collocata erat) nuptam fuiſſe cõuenit. Illud parum cõſtat, vtrum poſt mortem patris & deſponſa ſit, & nupſerit, an viuo adhuc patre. Poſt mortem patris nupſiſſe ſcribit Plutarchus, fortaſſe Valerium Antiatem ſecutus: qui, vt refert Gellius, poſt Africani mortem, interceſsionem illam pro Scipione Aſiatico factam eſſe à Tiberio Graccho ſcripſit. Liuius tamen illam refert opinionem: ſenatum eo die, quo facta eſt interceſsio, forte cœnantem in Capitolio conſurrexiſſe, & petiiſſe, vt inter epulas Graccho filiam Africanus deſponderet. quibus ita in publicum ſolenne ſponſalibus rite factis, quum ſe domum recepiſſet, Scipionẽ Aemiliæ vxori dixiſſe, filiam ſe minorẽ deſpondiſſe: quum illa muliebriter indignabunda, nihil de cõmuni filia ſecũ conſultatum: adieciſſet: non, ſi Tiberio Graccho daret, expertem conſilii debuiſſe matrem eſſe: lætum Scipionẽ tam concordi iudicio, & ipſi deſponſam, reſpõdiſſe. Hæc fuit Cornelia, ex qua poſtea Gracchus duodecim filios ſuſtulit, & moriẽs, vt ſcribit Plutarchus, viuos omnes reliquit. Duobus enim anguibus domi cõprehenſis, aruſpices conuocauit: qui quũ reſpondiſſent, ſi marẽ emiſiſſet, vxori breui tempore eſſe moriendum: ſi fœminam, ipſi, æquius eſſe cenſuit, ſe maturã oppetere mortẽ, quàm P. Africani filiam adoleſcentẽ: fœminã emiſit, ipſe paucis poſt diebus eſt mortuus. Hæc Cicero in libris de Diuinatione ex ſcriptis C. Gracchi filii refert: quem Valerius Maximus, Plinius, & Plutarchus ſunt imitati. Quòd ſi Tiberius Gracchus tot filios ſuperſtites reliquit, illi non ſunt audiendi, qui pro Caio Gracchum in Lælio reponunt, & Gracchum inter eos numerãt, qui filiorũ mortes fortiter tulerunt: quod nos etiam in Quæſtura cõfutauimus. P. Publii, quo de nos nihil adhuc videmur legiſſe, niſi quod idem Cicero in libris de Officiis, & de Diuinatione Tiberium Gracchum P. filium item vocat: & illud ſcimus, ſi modo ſcribentibus eſt credendum, Publios eſſe dictos, qui prius pupilli facti erant, quàm prænomina haberent: vel ex pube, vel ex eo, quòd populo grati eſſent, appellatos fuiſſe. F. Filium: nota, quam Romani frequenter apponebant, ne confunderentur nomina: neq. hanc ſolum, ſed illam etiam N. id eſt nepotem: vt P. Cornelius P. F. L. N. Scipio. Græci ſic loquebantur: Δημοσθένης Δημοσθένους, Demoſthenes Demoſthenis, vt hodie Veneti, & Florentini potiſsimum loquũtur. BIS, ſemel cum C. Claudio Pulchro, iterũ cum M. Iuuentio Helua. bis Conſulem Cicero vocat item lib. ſecũdo de Natura Deorum, & libro primo de Diuinatione. & in primo quidem Conſulatu Sardiniam prouinciam obtinuit: quam quum perdomuiſſet, & ſupplicationẽ obtinuiſſet, iuſſus eſt Proconſul in Sardinia manere, de qua tandem triumphauit, vt Liuius libro quadrageſimo primo his verbis oſtendit: eodem anno tabula in æde matris Matutæ cum indice hoc poſita eſt. T. Sempronii Gracchi Conſulis imperio, auſpicióque legio, exercitus P. R. Sardiniam ſubegit. in ea prouincia hoſtium cæſa, aut capta ſupra LXXX. millia. Rep. feliciſsime geſta, atq. liberatis vectigalibus, reſtitutis, exercitum ſaluom, atque incolumem, pleniſsimum præda reportauit: iterum triumphans in Vrbẽ rediit: cuius rei ergò hanc tabulam dono Ioui dedit. hoſce triumphos Cicero in oratione pro Plancio nominat. Ex his apparet error autoris libelli de Viris illuſtribus: qui ſcribit Hiſpaniam ab eo Conſule domitam: quum ſatis conſtet, ei Prætori Hiſpaniam citeriorem obtigiſſe, deinde prorogatum imperium ita, vt poſtea Proprætor de ea triumpharit. & ſanè Liuius, & Oroſius eum primum Prætorẽ, deinde Liuius etiam Proprætorẽ vocat: vt mirari quis poſsit, quare, qui ſcripſit epitomas in Liuium, ab eo diſſentiat, quũ Proconſulem appellet, niſi ſciat, eundem Prætorem, & Proconſulem à ſcriptoribus dici, vt alibi ex autoritate Aſconii potiſsimũ oſtendimus. Quin vero idem ſit T. Sempronius Gracchus, nemo po-

teſt dubitare, qui ſeriem hiſtoriæ apud Liuium legerit, & viderit, eundem
Gracchorũ patrem à Cicerone, & Floro vocari. Ex eo enim, & Cornelia Sci
pionis filia nati ſunt Gracchi, qui poſtea Remp. vt dicetur, vexauerunt: quos
Cicero libro primo de Inuẽtione Africani nepotes appellat. Quæ verò Grac
chus hic in altero Conſulatu geſſerit, nõ ita facile ſciri poſſunt, quòd hiſtoria
Liuii deſideretur. Autor quidem libelli de Viris illuſtribus ita ſcribit: T. Sem
pronius Gracchus in altero Conſulatu Sardiniam domuit, tantúmq. captiuo
rum adduxit, vt longa venditione res in prouerbium veniret, Sardi venales.
Id vt verum eſſe credam, facit ipſe Cicero, qui ſcribens ad Q. fratrẽ, qui tunc
erat in Sardinia, ſic ait: habet profectò quiddam Sardinia appoſitũ ad recorda
tionẽ præteritę memoriæ. nam, vt ille Gracchus augur, poſteà, quàm in iſtam
prouinciam venit, recordatus eſt, quid ſibi in campo Martio accidiſſet, ſic tu
mihi videris in Sardinia recogitaſſe. eam rem Cicero libro ſecũdo de Natura
Deorũ, & libro primo de Diuinatione, Valerius Maximus libro primo capi-
te primo, & Plutarchus in Marcello pluribus verbis explicarũt. ἑαυτὸν τιμωρούμε-
νος Terentii tũc tertia acta dicitur. CONSVL, an. ab V. C. quingenteſimo
ſeptuageſimo ſeptimo, & quingenteſimo nonageſimo primo. CENSOR, cũ
C. Claudio Pulchro, cum quo Cenſurã ſumma concordia adminiſtrauit. nã,
quũ iuniores in delectu nõ reſponderent, ipſi delectum adiuuarunt, ſenatum
legerunt: ſed, quũ in adimendis equis equeſtrem ordinẽ offendiſſent, à Ruti
lio, vel, vt ait Valerius Maximus, à M. Pompilio Tribuno pl. ſunt accuſati:
quumq. C. Claudius condemnaretur, Gracchus conceptis verbis iurauit, ſi
collega damnatus eſſet, nõ expectato de ſe iudicio, comitẽ exilii eius futurũ.
ſed eo abſoluto Tribunus ple. negauit, ſe Gracchũ morari. Poſtea vero quũ
cõtrouerſiæ neſcioquid inter ipſos Cenſores de tribubus eſſet natũ, tandem
Gracchus, vt Cicero libro primo de Oratore ſcribit, libertinos in vrbanas tri
bus tranſtulit: quæ res Reip. ſaluti fuit. Quare, inquit Liuius, gratiæ actæ &
Sempronio, qui in bene cœpto perſeueraſſet, & Claudio, qui nõ impediſſet.
ab iis nõ valde diſſentit Valerius Maximus: ſed autor libelli de Viris illuſtri-
bus, rem multo aliter narrat: Claudium reum factum, quòd Gracchus liberti
nos, qui ruſticas tribus occuparent, in quatuor vrbanas diuiſiſſet: & Claudiũ
quidem reũ factum, quoniam Gracchũ autoritas tuebatur. Id quàm verum,
vel potius quàm veriſimile ſit, ipſe viderit. FVIT, his, quos ſupra diximus,
Q. Marcio Philippo, Cn. Seruilio Cæpione Coſſ. id eſt an. ab V.C. quingẽte-
ſimo octuageſimo quinto inter duos Conſulatus. Fuit vero præterea Grac-
chus hic etiã ſummus augur, vt Cicero libro ſecundo ad Q. fratrẽ, libro ſecũ-
do de Natura Deorũ, & lib. primo de Diuinatione ſcribit. ORATIO, de qua
nos nihil legimus. CIVEM QVVM GRAVEM, ſic libro primo de Diuina-
tione, vir ſapiens, ciuiſq. præſtans: libro ſecũdo de Natura Deorũ, vir ſapien
tiſsimus, atq. omnium pręſtãtiſsimus: & libro primo de Oratore, homo pru-
dens, & grauis appellatur. ELOQVENTEM, libro primo de Oratore inquit
haud quaquàm eloquẽs: hic tamen eloquentẽ vocat, vt rem ſuã agat, id eſt vt,
quos hic numerat, oſtendat eloquentes vtcunq fuiſſe, vt Catonẽ hic ſummũ
facit oratorẽ, quem tamẽ alibi in eloquentia tantopere nõ commendat. Ac-
cedit, quòd in libris oratoriis oratorem perfectiorẽ quærebat, hic quemlibet
oratorem nominat. Atq. hic quidem Gracchũ Naſicæ, in Lælio vero Naſicã
Graccho præponit: ſed ibi Cicero vel generis nobilitatẽ, vel vxorũ ætates ſe-
cutus videri poteſt. Naſica enim patricius, Gracchus vero plebeius fuit: et Na
ſica Corneliam maiorẽ, Gracchus vero minorẽ vxorem duxit, vt Liuius li-
bro trigeſimo nono eſt autor. Hoc vero loco Cicero, vbi ætates oratorũ, &
tempora, vt ſupra dixit, perſequitur, eo ponit ordine, quo Conſules fuerũt:

vnde cognoſci etiã poteſt, Naſicã Graccho minorẽ natu fuiſſe:qui poſt ſecũdum Gracchi Cõſulatũ Cõſul ipſe primũ fuerit. Quòd ſi ſuo anno id eſt quadrageſimo tertio ætatis vterq. primũ Conſulatũ eſt adeptus, Naſica, quando duxit vxorem, annos circiter viginti natus erat, Gracchus triginta tres minimum. Hinc apud Liuiũ Naſica hic, niſi fallor, L. Aemilio Paulo iterũ, C. Licinio Craſſo Cõſulibus, adoleſcẽs appellatur: quãuis eo tempore annũ trigeſimum ſextũ egiſſe videatur. P. ETIAM SCIPIONEM NASICAM, P. Cornelium Scipionẽ Naſicã, de quo deinceps dicemus. Hic eſt P. Cornelius Scipio Naſica, qui, vt refert Liuius, L. Paulum, quũ de pugnãdo conſiliũ mutaſſet, vnus ex omnibus auſus eſt monere, ne hoſtẽ Perſea è manibus emitteret: cui Cõſul, nihil offenſus libera admonitione tã clari adoleſcẽtis, reſpõdit: & ego animũ iſtũ habui Naſica, quem tu nũc habes: & quem ego nũc habeo, tu habebis. multis belli caſibus didici, quãdo pugnandũ, quãdo abſtinendũ pugna ſit. Non operæ ſit ſtanti nũc in acie docere, quibus de cauſis hodie quieſſe melius ſit: rationes aliàs repoſcito: nũc autoritate veteris imperatoris cõtentus eris. Cõticuit adoleſcens, haud dubie credens, videre aliqua impedimẽta pugnæ Conſulẽ, quæ ſibi nõ apparerent. Itaq. poſtero die egregius adoleſcẽs à L. Paulo fuit appellatus: de cuius Prætura nihil memini me legere. Hic eſt, cuius iocũ de ancilla cũ Ennio refert Cicero lib. ſecundo de Oratore. nec enim alius videtur eſſe poſſe. nam pater eo tempore vir erat grauior, quàm qui ad Enniũ, opinor, veniret. Hic vero viuo Ennio annũ trigeſimũ tertiũ, vel circiter, agebat: vt veriſimile ſit, eũ ſolitũ fuiſſe ad Enniũ itare. NASICAM, Naſicas ab adunco naſo, ſiue à maioribus naribus appellatos volunt. QVI EST CORCVLVM APPELLATVS, ſic infra: qui eſt corculum dictus: & Tuſculana prima, aliis cor ipſum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, cõcordeſq. dicuntur, & Naſica ille prudens bis Conſul corculũ appellatus. ITEM, vt T. Sempronius Gracchus. BIS, primum cum C. Marcio Figulo, iterum cũ M. Claudio Marcello. & in primo quidem Cõſulatu nihil memoria, quod ego ſciam, dignũ geſsit, nec ipſe, nec collega: quòd T. Sempronius Gracchus ſcripſiſſet, eos vitio creatos eſſe. Augures igitur, vt ait Cicero, rẽ ad ſenatũ: ſenatus, vt abdicarent Coſs. abdicarũntq., & quidem Figulus è Gallia, Naſica vero è Corſica reuocati, vt Valerius Maximus ſcribit. In ſecũdo vero Cõſulatu Naſica Dalmatas domuit, vt Liuius libro quadrageſimo ſeptimo ſcripſit. Cos. an. ab V. C. quingenteſimo nonageſimo ſecundo, & quingẽteſimo nonageſimo nono. CENSOR, cum M. Popilio Lænate, vt Plinius oſtendit. FVIT, quinquennium, vt arbitror, de more: ſed agnoſcitur potiſsimũ an. ab V. C. quingenteſimo nonageſimo M. Aemilio Lepido, C. Popilio Lænate Coſs. ſic enim Plinius libro trigeſimo quarto capite ſexto ſcribit. L. Piſo prodidit M. Aemilio, C. Popilio Lænate Coſs. à Cenſoribus P. Cornelio Scipione, & M. Popilio ſtatuas circa forũ eorũ, qui magiſtratus geſſerant, ſublatas omnes, præter eas, quæ populi, aut ſenatus ſententia ſtatutæ eſſent: eam vero, quã apud ædem Telluris ſtatuiſſet ſibi Sp. Caſsius, qui regnum affectauerat, etiam conflatã à Cenſoribus. Libro vero ſeptimo capite ſexageſimo ſic idem ait: Tunc Scipio Naſica, collega Lænati, primus aqua diuiſit horas æque noctium, ac dierũ: idq. horologium ſub tecto dicauit anno vrbis quingenteſimo nonageſimo quinto. Fuit etiã hic Naſica Pontifex Maximus, quod hic omittit Cicero, ſed ita in Catone teſtatur: quid de P. Craſsi & Põtificii, & ciuilis iuris ſtudio loquar? aut de hujus Scipionis, qui his paucis diebus Põtifex Maximus factus eſt? hũc vero ſignificari, quũ tẽpora oſtẽdũt, tũ Craſſus lib. tertio de Oratore his verbis: hæc fuit P. Craſsi illius veteris, hæc T. Corũcanii, hæc proaui generi mei Scipionis prudẽtiſsimi hominis ſapiẽtia: qui omnes Ponti

fices Maximi fuerűt. hic vero, quẽ Craſſus proauű ſui generi vocat, fuit Naſica, de quo loquimur, vt infra in hoc dialogo ibi cognoſcitur: iam duorum abauorum quàm eſt illuſtre nomen, P. Scipionis, qui bis Conſul fuit, qui eſt Corculum dictus: alterius omnium ſapientiſsimi C. Lælii? Fuit igitur etiam Iuriſconſultus ita quidem, vt, quod ſcriptum inuenies, huic publice domus in via ſacra data ſit, quo facilius cõſuli poſſet. ab autore certe libelli de Viris illuſtribus dicitur iuris ſcientia cõſultiſsimus. Quum locatum à Cenſoribus theatrum extrueretur, hoc autore & quidem, vt credimus, priuato, tãquam inutile, & nociturum publicis moribus ex S.C. deſtructum eſt, populúſq. aliquandiu ſtans ludos ſpectauit. hoc Liuius libro quadrageſimo octauo, Valerius Maximus ſecundo, & Oroſius quarto ſcribűt, & ob id ipſum Naſicã magnopere commendant. ELOQVENTEM, ita quidem, vt, quod Liuius libro quadrageſimo octauo ſcripſit, ter, etiã M. Catone aduerſante, peruicerit, nõ eſſe bellum Carthaginenſibus inferendum: quamuis ad extremum victus, ceſſerit, teſtatus, Carthaginem ſeruandam fuiſſe: ne metu, vt ait Florus, ablato æmulæ Vrbis, luxuriari felicitas Vrbis inciperet. hoc tamẽ totum Cicero Tuſculana tertia L. Lentulo tribuere videtur: niſi forte vterq. Naſica & Lentulus in ea re Catoni ſunt aduerſati, ſed Cicero Lẽtulum ſolum nominauit. AIVNT, aliter M. Alium. aliter M. Aulium: quæ verba quid ſignificent, credimus neminẽ poſſe diuinare. Quãuis enim Caſsiodorus in Conſulibus Naſicã, qui pater huius fuit, M. vocet ita, vt aliquis poſsit ſuſpicari hic legẽdum eſſe: M. illius, vel Marci illius: ipſe tamẽ Cicero in oratione de Reſpõſis aruſpicum, Liuius, & alii P. nõ M. ſcribűt. Quare vel, aiunt, vt nűc deſcriptum eſt, retinendum putamus: vel, illa verba, M. alium, ſiue M. Aulium, delenda cenſemus. QVI SACRA ACCEPERIT, ſic in oratione de Reſponſis aruſpicű: hac igitur vate ſuadente quondam, defeſſa Italia Punico bello, atq. Annibale vexata, ſacra iſta maiores noſtri aſcita ex Phrygia Romæ collocauerűt: quæ viris accepit, qui eſt optimus à populo Romano iudicatus, P. Scipio. Vt vero illa ipſa matris Idææ ſacra ſint ab eo accepta, Liuius libro vigeſimo nono pluribus verbis ſcribit, & quidem P. Sempronio, M. Cornelio Coſs. hoc eſt an. ab V. C. quingenteſimo quinquageſimo: ex quo tẽpore ad Conſulatű P. Scipionis Naſicæ, qui Iugurthæ bellum indixit, anni minimű nonaginta duo numerantur. vnde facile apparet error Valerii Maximi, qui libro ſeptimo capite quinto Naſicã eundem fuiſſe credidit, & qui ſacra accepit, & bellű Iugurthæ indixit, & repulſam paſſus eſt, quòd in manű ruſtici iocatus eſſet: quẽ tamen errorẽ ne Plinius quidem diligẽs ſcriptor vitauit, Valerium Maximű fortaſſe imitatus. Is vero, qui epitomas in Liuium ſcripſit libro quadrageſimo nono, autórq. libelli de Viris illuſtribus, & ipſi putarunt, Naſicã & qui vir optimus, & qui Corculum eſt appellatus, eundem fuiſſe. Vnus Paterculus, quod apud Valerium Maximű etiam indicauimus, recte diſtinxit, vt nos deinceps in hoc dialogo ſuis locis faciemus. L. LENTVLVM, L. Cornelium Lentulum Lupum Cn. F. L. N. vt in veteribus Coſs. ſcriptum vidimus: is mihi videtur eſſe, qui M. Catoni, vt Cicero Tuſculana tertia refert, de bello Punico eſt aduerſatus: de quo quidem præterea nihil dicere poſſumus: niſi, quod omnes ſciunt, Lentulos à ſerendis lentibus appellatos fuiſſe. C. FIGVLO, C. Marcio Figulo, qui bis Conſul fuit, & aduerſus Dalmatas parum proſpere primű, deinde feliciter pugnauit, vt Liuius libro quadrageſimo ſeptimo, & Appianus in libro Illyrico ſcribunt. CONSVL FVIT, an. ab V. C. quingenteſimo nonageſimo octauo. Q. NOBILIOREM, Q. Fuluium Nobiliorem, qui cű T. Annio Conſul, vt paulo poſt dicitur, fuit an. ab V. C. ſexcenteſimo primo: qui bellű in Hiſpania nõ ſatis feliciter geſsit: quod Appianus in libro de

rebus

rebus Hiſpaniæ ſcribit. M. M. Fuluii Nobilioris, qui Conſul cum Cn. Manlio Volſone fuit an. ab V. C. quingenteſimo ſexageſimo quinto, & de Aetolis triumphauit, vt Cicero in oratione pro Muræna, & Liuius libro trigeſimo nono teſtantur: qué autor libelli de Viris illuſtribus male Quintum vocat. PATRIO, aliter patris. DEDITVM, ita quidem, vt Catoni pro Galba reſpóderit, quod Liuius libro quadrageſimo nono ſcripſit. Q. ENNIVM, etiam ſupra Q. Ennium vocauit, autor tamen ille libelli de Viris illuſtribus, M. Ennium male vocat. IN AETOLIA MILITAVERAT, ſic in oratione pro Archia: iam vero ille, qui cum Aetolis Ennio comite bellauit Fuluius, non dubitauit Martis manubias Muſis conſecrare: & Tuſculana prima: honorem tamen huic generi non fuiſſe, declarat oratio Catonis, in qua obiecit vt probrum M. Nobiliori, quòd is in prouinciam poëtas duxiſſet. duxerat autem Conſul ille in Aetoliam, vt ſcimus, Ennium. autor auté libelli de Viris illuſtribus ad hunc modum: quam victoriam per ſe magnificam Marcus Ennius amicus eius inſigni laude celebrauit. ſed autor ille, vt admonuimus, prænomina permutauit. CIVITATE DONAVIT, QVVM TRIVMVIR COLONIAM DEDVXISSET, hanc hiſtoriam quærimus. T. ANNIVM LVSCVM, ita Liuius etiam libro quadrageſimo ſecundo vocat, quum inter legatos, qui in Macedoniam ad res repetendas miſsi ſunt, numerat, & quidem annis duodeuiginti ante Conſulatum. viderint igitur, qui in Conſulibus T. Annium Fuſium ſcribunt, an recte faciant. Anniorum gentem plebeiam fuiſſe cognoſcimus ex eo potiſsimum, quòd T. Annius Milo apud Ciceronem, & L. Annius apud Salluſtium Tribuni plebis leguntur. HVIVS Q. FVLVII, huius Q. Fuluii Nobilioris, quem paulo ante nominaui. aliter huius Q. Filii, fortaſſe non male, vt ſit: huius Nobilioris filii, non patris. & hoc prænomine melius refertur, quod ante poſitum fuit, quàm quod intelligitur. nam ſupra de his loquens, nuſquàm Fuluium poſuit ita, vt nunc dicere recte poſsit, huius Fuluii, quamuis ſignificarit, vt ſemper familiæ nòmen ſignificatur. COLLEGAM, in Conſulatu an. ab V. C. ſexcenteſimo primo. NON INDISERTVM, quippe qui inter legatos in Macedoniam ſit miſſus, vt paulo ante ex libro quadrageſimo ſecundo Liuii retulimus. ΑΠΟΤΩΝ.

Atque etiam L. Paulus, Africani pater, perſonam principis ciuis facile dicendo tuebatur. At vero etiam tum Catone viuo, qui annos quinq. & LXXX. natus exceſsit è vita, cũ quidem eo ipſo anno cõtra Ser. Galbam ad populum ſumma contentione dixiſſet, quam etiam orationé ſcriptã reliquit; ſed viuo Catone minores natu multi vno tempore oratores floruerunt. nam & A. Albinus, is qui Græce ſcripſit hiſtoriam, qui Conſul cũ L. Lucullo fuit, & literatus, & diſertus fuit: & tenuit cum hoc locum quédam etiam Ser. Fuluius, & vnà Ser. Fabius Pictor, & iuris, & literarũ, & antiquitatis bene peritus. Quintúſque Fabius Labeo fuit ornatus iiſdem ferè laudibus.

L. PAVLVS, L. Aemilius Paulus, cuius res geſtæ notiores ſunt, quàm vt ſit neceſſe nunc quicquam de illis dicere, præſertim quum Liuius, Plutarchus, Florus, & alii res illas diligentiſsime ſint perſecuti. Quare illud tantum, quod hodie quoque Romæ in tabula ærea

legitur, huc transferemus: Paulus Aemilius imp. Macedoniam terrarum imperio poſitam cepit, cuius vno die LXXII. vrbes vendidit, etiam Indiæ victor per veſtigia Liberi patris, atque Herculis Romana ſigna circuntulit. AFRICANI, P. Cornelii Scipionis Africani Aemiliani, de quo dictum eſt, & dicetur. PATER, pater naturalis, vt Cicero Philippica tertia loquitur. ab hoc enim L. Paulo Scipionis filius illum adoptauit, vt paulo ante dictum eſt. PRINCIPIS CIVIS, ſic principem dixit libro ſecundo de Natura Deorum, & in epiſtolis ad Lentulum, eſſe in principibus. Principes enim Cicero Conſulares videtur appellare, vel potius optimates, quos in oratione pro Seſtio ſic deſcribit: optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti. horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda Repub. ſeruiunt, defenſores optimatum, ipſiq. optimates grauiſsimi, & clariſsimi ciues nominantur, & principes ciuitatis. Erat is etiam, qui princeps ſenatus dicebatur: qui, meo quidem iudicio, hoc loco ſignificari non poteſt: ſiquidem illis temporibus ſemper ferè princeps ſenatus fuit M. Aemilius Lepidus vſque adeo, vt à ſextis Cenſoribus princeps ſenatus ſit lectus, vt Liuius libro quadrageſimo octauo ſcripſit. DICENDO, nam & græce ſciuit, vt qui dicatur à Liuio libro quadrageſimo quinto græce cum Perſeo locutus: & à Plutarcho filios Græcas artes ipſe docuiſſe: & ad cauſas latine orandas aptus fuiſſe, ſi orare voluiſſet: Valerius verò Maximus libro quinto capite decimo teſtis eſt, eius orationem ſuis tẽporibus extitiſſe: vt mittam Liuium, qui non ſemel eum vt oratorem loquentem inducit: Cicero tamen libro primo de Officiis ita ſcribit: quidam ad eas laudes, quas à patribus acceperunt, etiam ſuam addunt, vt Africanus eloquẽtia cumulauit bellicam gloriam. ex quibus verbis colligimus, L. Paulum patrem minus eloquentem, quando Africanus ad eas laudes, quas ab eo acceperat, eloquentiã addidit: quod ego tamen intepretarer, addidit maiorẽ eloquentiam, ne Paulum prorſus ea priuet, quam dicat hoc loco, perſonam principis dicendo tueri potuiſſe. TVEBATVR, quod magnum eſt, vt ait Cicero Philippica octaua. ETIAM TVM CATONE VIVO, quum adhuc etiam M. Porcius Cato viueret, quamuis admodum ſenex. nam Cicero ſic notat tempora per Catonem: cum Catone primum fuerunt grandiores natu, deinde minores, poſtremo illis etiam minores: vel ſic, grandiores primum, deinde illis minores, & quaſi Catonis æquales, poſtremo minores ipſo Catone. QVI ANNOS QVINQVE, ET LXXX. NATVS EXCESSIT E VITA, natus eſt enim M. Aemilio Lepido, & M. Poblicio Malleollo Coſs. an. ab V. C. quingenteſimo vigeſimo primo, vt ex libro de Senectute cognoſcitur: & L. Marcio, M. Manilio Coſs. an. ab V. C. ſexcenteſimo quinto mortuus eſt, vt ſupra dictum eſt. Itaq. vixit annos octuoginta quinque, quamuis Plutarchus ſcribat ὀγδοήκοντα, more ſuo diſſentiens. nam quòd alii etiam dicãt, credimus eos à principio recte ſcripſiſſe, ſed poſtea vel librariorum negligentia, vel imperitorum arrogantia factum eſſe, vt nunc in eorum libris aliter ſcriptum legamus. EO IPSO ANNO, quo exceſsit è vita: paucis ante, quàm mortuus eſt, an diebus, an menſibus? vt infra loquitur. SER. GALBAM, Seruium Sulpicium Galbã, de quò ſuo loco dicetur. AD POPVLVM, quem Libo Tribunus plebis, rogationẽ in Galbam priuilegii ſimilem ferens, incitabat, vt infra dicitur. DIXISSET, legem ſuadens in Galba. multa dixiſſet. infra. SCRIPTAM RELIQVIT, in Origines ſuas retulit: infra: in Originibus ſuis expoſuit, libro primo de Oratore: in annalibus ſuis incluſit: Liuius ait libro quadrageſimo nono. SED VIVO CATONE, hic eſt ἐπανάληψις. MINORES, Catone, & his, quos diximus. FLORVERVNT, dichoreus eſt. A. Aulus. Auli vero dicti, qui Diis alẽtibus naſce

naſcerentur, vt in libello, qui Valerio Maximo attribuitur, inuenies. ALBINVS, A. Poſthumius Albinus, qui P. Scipione, & M. Marcello Coſſ. Prætor fuit, vt legimus apud Ciceronem libro ſecundo Academicarum quæſtionũ. Poſthumis vero patricii fuerunt, quũ à principio multi ex his Conſules fuerint. & Poſthumos ſcribi ſemper in veterum monimentis, & Græcis autoribus videbis. IS, nam plures fuerunt. GRAECE SCRIPSIT HISTORIAM, in cuius principio veniam petiit, ſi Romanus homo minus eleganter græce ſcripſiſſet: quam quum legiſſet M. Cato, nę tu, inquit, Aule nimium nugator es, qui maluiſti culpam deprecari, quàm culpa vacare. hoc apud Gellium libro vndecimo capite octauo, & apud Macrobium libro primo Saturnalium leges: Plutarchus vero, præterquam quòd Poſthumium Labienum vocat, ſic etiam rem ſcribit: ποσουμίε λαβίνου γράψαντος ἱσορίαν ἑλληνιστὶ, καὶ συγγνώμην παρὰ τῶν ἀκροωμένων αἰτοῦντος, εἰρωνευόμενος ὁ κάτων, ἔφη, δοτέαν εἶναι συγγνώμην, εἰ τῶν ἀμφικτυόνων ψηφισαμένων ἀναγκασθεὶς ἔγραψε. L. LVCVLLO, qui fuit auus L. Luculli eius, qui Ciceronis amicus fuit, vt libro ſecundo Academicarum quæſtionum ſcribitur. FVIT, an. ab V. C. ſexcenteſimo, vt eſt apud Oroſium, vel ſexcenteſimo tertio, vt eſt in Conſulibus. quo quidem tempore quum ipſe A. Poſtumius Albinus, & L. Lucullus collega delectum ſeuere agerent, nec quenquã gratia dimitterent, à Tribunis plebis, qui pro amicis ſuis vacationem impetrare non potuerunt, in carcerem coniecti ſunt, vt Liuius libro quadrageſimo octauo ſcripſit. Hic eſt Albinus, quem Cicero libro decimo tertio ad Atticum Conſularem vocat, & inter decem legatos Mummio numerat. ET LITERATVS, ET DISERTVS FVIT, niſi enim fuiſſet, ſcribere non potuiſſet hiſtoriam, quæ doctum illum ſanè hominem indicabat, quod libro ſecundo Academicarum quæſtionum legitur. HOC, A. Poſtumio Albino. SER. Seruius. Seruius vero is dicebatur, qui, mortua matre, in vtero ſeruatus eſſet: quod prænonen poſtea frequens in gente Sulpicia fuit. FVLVIVS, Ser. Fuluius Flaccus. is enim mihi videtur eſſe, qui cum Calphurnio Piſone an. ab V. C. ſexcenteſimo decimo nono Conſul fuit, & de Vardæis triumphaſſe dicitur. is etiam fortaſſe fuit, quem C. Curio defendit: qua de re tempore Ciceronis extabat oratio, vt infra dicitur. aliter. S. Seruilius, male, niſi fallor. nam Ser. Fuluius Flaccus etiam ab Oroſio libro quinto capite quinto is vocatur. VNA SER. FABIVS PICTOR, aliter, vnà Fabricius Pictor: quæ res facit, vt dubitem, an, Ser. deleri debeat: quando in Fabiorum gente prænomen hoc raro, aut fortaſſe nunquàm, quod nos ſciamus, inuenitur. Si tamen libet hanc notam retinere, fortaſſe, quamuis præponatur, interpretandum ſit Seruilianus, vt ſit hic Q. Fabius Maximus Seruilianus, qui Conſul cum L. Metello Caluo fuit an. ab V. C. ſexcenteſimo & duodecimo: qui forte Pictor eſt dictus, quòd eſſet de gente illius Fabii, qui primus Pictor eſt appellatus: quòd, vt ait Plinius, ædem Salutis pinxiſſet anno Vrbis cõditæ CCCCL. annis ante tempus, quod hic Cicero deſcribit, & notat, minimum centum ſexaginta. Nec Cicero poteſt hic illum ſignificare Pictorem, qui ſcripſit annales, quem Liuius ſcriptorum antiquiſſimum, & temporibus belli Punici ſecundi æqualem vocet. Hic igitur Q. Fabius Maximus Seruilianus Proconſul rebus in Hiſpania proſpere geſtis labem impoſuit, pace cum Viriato æquis conditionibus facta: quod Liuius, Oroſius, Florus, & Appianus ſcribunt: quanquàm Appianus Aemilianum pro Seruiliano ponere videatur. Nos quidem putamus, ſed affirmare nõ audemus, eum eſſe, quem Valerius Maximus libro ſexto capite primo ſcribit, pœnas à filio dubiæ caſtitatis exegiſſe. PERITVS, vt maiorum ſuorum, & præſertim Fabii Pictoris, qui ſcripſit Annales, imitator. quin de rebus hiſce videtur ſcripſiſſe: certe apud Macrobium libro

primo Saturnalium ita ſcriptum videbis: Fabius Maximus Seruilianus Pontifex in libro vndecimo negat, oportere atro die parentare. QVINTVSQVE FABIVS LABEO, dubitamus, an is ſit, quem Cicero libro primo de Officiis, & Valerius Maximus ſcribunt, à ſenatu Nolanis, & Neapolitanis arbitrum de finibus datum, ita terminaſſe, vt multum agri, quod in medio eſſet relictum, populo Romano adiudicarit. cęteras res eius deſideramus: niſi forte Cicero regreditur ad eum, qui Conſul cum M. Claudio Marcello an. ab V. C. quingenteſimo ſeptuageſimo primo fuit: quem Donatus etiam poëtam vocat. LABEO, à labris Bronci, & Labeones dicti, inquit Plinius. IISDEM FERE LAVDIBVS, quòd & ipſe iuris, & literarum & antiquitatis bene peritus eſſet, vt Fabius Pictor. NAM, nam incipiendi vim habet, vt ait Donatus, & hic, & libro primo de Legibus cognoſcitur.

Nam Q. Metellus, is, cuius quatuor filii conſulares fuerunt, in primis eſt habitus eloquens: qui pro L. Cotta dixit, accuſante Africano; cuius & aliæ ſunt orationes, & contra Ti. Gracchum expoſita eſt in C. Fannii annalibus. Tum ipſe L. Cotta veterator habitus, ſed C. Lælius & P. Africanus in primis eloquentes, quorum extãt orationes, ex quibus exiſtimari de ingeniis oratorum poteſt. ſed inter hos ætate paulum his antecedens ſine controuerſia Ser. Galba eloquentia præſtitit: & nimirũ is princeps ex Latinis illa oratorum propria, & quaſi legitima opera tractauit, vt egrederetur à propoſito ornandi cauſa, vt delectaret animos, vt permoueret, vt augeret rem, vt miſerationibus, vt communibus locis vteretur: ſed neſcio quo modo huius, quem cõſtat eloquentia præſtitiſſe, exiliores orationes ſunt, & redolentes magis antiquitatem, quàm aut Lælii, aut Scipionis, aut etiam ipſius Catonis: itaque exaruerunt, vix iam vt appareant. De ipſius Lælii & Scipionis ingenio, quanquam ea eſt iam, vt plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus eſt in Lælio illuſtrior. at oratio Lælii de collegiis non melior, quàm de multis quam voles Scipionis non quo illa Lælii quidquam ſit dulcius, aut quòd de religione dici poſſit auguſtius: ſed multo tamen vetuſtior, & horridior ille, quàm Scipio: & cum ſint in dicendo variæ voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur, & lubenter verbis etiam vti paulo magis priſcis Lælius. ſed eſt mos hominum, vt nolint eundem pluribus rebus excellere. nam vt ex bellica laude aſpirare ad Africanum nemo poteſt, in qua ipſa egregium Viriati bello reperimus fuiſſe Lælium: ſic ingenii, literarũ, eloquentiæ, ſapientiæ denique, etſi vtrique primas, priores tamen libenter deferunt Lælio. nec mihi cæterorũ iudicio ſolum videtur, ſed etiam ipſorum inter ipſos conceſſu ita tributum fuiſſe. erat omnino tum mos, vt in reliquis rebus melior, ſic in hoc ipſo humanior, vt faciles eſſent in ſuum cuique tribuendo.

Q. METEL

Q. METELLVS, Q. Cæcilius Metellus, qui Andriſcum Pſeudophilippum vo
catum vicit, Macedoniam domuit, Achæos prælio fudit, & de Andriſco, ſi-
ue Macedonia triumphauit, vt oſtendit Cicero in oratione in Piſonem: atq.
hæc quidem omnia fecit, quum Prætor eſſet, vt Liuius, Paterculus, & autor
libelli de Viris illuſtribus ſcribunt: vnde cognoſcitur error Flori, & aliorũ,
qui credunt, Metellum tunc Conſulem fuiſſe, quum Macedoniam domuit, à
qua Macedonicus eſt appellatus. Quòd ſi nullus ſcriptor nominatim dicat,
eum tunc Prætorem fuiſſe, ex ordine tamen hiſtoriæ, & temporum id ipſum
cognoſcimus. Vicit enim certe Andriſcum ante Scipionem Aemilianũ Con-
ſulem, vt libro quinquageſimo, & quinquageſimo primo Liuius oſtendit. at
poſt Scipionem Aemilianum Conſulem anno tertio Cõſul ipſe fuit, & qui-
dem, vt refert autor libelli de Viris illuſtribus, propter nimiam ſeueritaté in-
uiſus plebi factus cum Ap. Claudio Pulchro an. ab V. C. ſexcenteſimo vnde-
cimo. Poſt Conſulatum vero Proconſul Celtiberos cecidit: vnde Celtiberi-
cus, vt ait Florus, eſt appellatus. Eius conſilium, & conſilii diſsimulatio, qui-
bus in vincendis Celtiberis eſt vſus, atq. humanitas eius erga filios Rethoge
nis à Valerio Maximo lib. ſeptimo capite quarto, & lib. quinto capite primo
laudantur. Quantopere vero diſciplinam militarem ſeruarit, idem Valerius
Maximus libro ſecundo capite ſecundo docet. Hic Metellus, & Q. Pompeius
primum vterque ex plebe Cenſores facti, vt autor eſt Liuius libro quinqua-
geſimo nono, Ap. Claudio Pulchro, M. Perpenna Coſs. anno poſt Conſula-
tum ipſius Metelli vndecimo, ab V. C. Sexcenteſimo vigeſimo quarto, quo
tempore cenſuit Metellus, vt ducere vxores omnes omnino cogerentur li-
berorum creandorum cauſa: qua de re Liuii ætate extabat oratio: quam Cæ-
ſar Auguſtus, quum de maritandis ordinibus ageret, velut eo tempore ſcri-
ptam, in ſenatu recitauit, vt teſtatur etiam Suetonius in Auguſto: quo tamé
loco interpretes putant orationem Metelli Numidici, nõ Macedonici, ſigni-
ficari, Gellium ſecuti: qui libro primo capite ſexto multa tanquàm ex oratio
ne Metelli Numidici recitat. Sed vel Gellius errauit: vel male deſcriptus eſt
liber, & oratio Metelli Macedonici legi debet: vel dicendũ, Metellum quoq;
Numidicum ea de re orationem reliquiſſe: præſertim quum ſatis cõſtet, eum
quoque Cenſorem fuiſſe, ſed annis ferè triginta poſt hoc tépus: à quo ad eius
Conſulatum, in quo Numidicus ille vocatus eſt, vnus & viginti anni nume-
rantur. Hunc Metellum Macedonicum C. Attilius Labeo Tribunus plebis
adhuc Cenſorem, à quo in ſenatu legendo præteritus erat, de ſaxo deiici iuſ
ſit: quod ne fieret, cæteri Tribuni plebis auxilio quàm maxime fuerunt, vt ait
Liuius libro quinquageſimo nono: Plinius vero libro ſeptimo capite quadra
geſimo quarto Tribunum Catinium Labeonem Macerionem vocat: vbi ta-
men facile, vel C. Attilium ex Liuio, vel potius, C. Atinium, ex oratione Ci
ceronis pro Domo, poſsis reponere: ſed & alia quædam diuerſa ſcribit: vt
ipſum prius è ſenatu eiectum, & ob id ab eo Metellum reuertentem è campo
meridiano tempore, vacuo foro, & capitolio, ad Tarpeium raptum, vt præci
pitaretur: conuolante quidem tam numeroſa illa cohorte, quæ patrem eum
appellabat, ſed parum proficiente, quum reſiſtendi ſacroſanctæ poteſtati ius
non haberet, ægre Tribuno, qui intercederet, reperto, à limine ipſo mortis
reuocatum fuiſſe, quũ tamen illi fauces intortæ, & ſanguis per aures expreſ-
ſus fuiſſet. Illud etiam refert Cicero in oratione pro Domo, hunc Tribunum
plebis eius bona conſecraſſe. Fuit etiam Metellus hic Augur, vt illud Cice-
ronis elogium libro quinto de Finibus docet: Quũ ipſe Conſul, Cenſor fuiſ-
ſet, Augur eſſet, triumphaſſet, vt vir ſapiens, & beatus deceſsit. nam Valerius
Maximus inter felices ponit ob eas res, quas longum eſſet referre: quarúmq;

non nullæ tamen infra dicentur: ſed à Valerio Maximo Plinius diſſentit: qui putat infelicem vel ob id fuiſſe, quòd ad arbitrium ſui inimici ſit raptus, & cum Africano inimicitias geſſerit, vt geſſit: quod indicant illa Ciceronis in Lælio verba: Scipio propter diſſenſionem, quę erat in Rep. alienatus eſt à collega noſtro Metello: vbi Lælius collegã vocat, quod ipſe quoque augur erat. Valerii vero Maximi hæc ſunt verba libro quarto capite primo: acerrime cũ Scipione Africano Macedonicus diſſenſerat, eorúmque ab æmulatione virtutis profecta contentio, ad graues, teſtatáſque inimicitias progreſſa fuerat: ſed tamen, quum interemptum Scipionem conclamari audiſſet, in publicum ſe proripuit, mœſtóq. vultu, & voce confuſa, concurrite, concurrite, inquit, ciues: mœnia noſtræ vrbis euerſa ſunt. Scipioni enim Africano intra ſuos penates quieſcenti nefaria vis allata eſt. Idem filios ſuos monuit, vt funebri eius lecto humeros ſubiicerent: atque huic exequiarum, illum honorem vocis adiecit: non fore, vt poſtea id officium ab illis maiori viro præſtari poſſet. hoc idem propemodum Plinius ſcribit. Hinc M. Antonius libro primo de Oratore, quum Reip. rectorem definit, hunc Metellum, & Africanum potiſſimum nominat, & coniungit. Mitto, quæ pluribus verbis à Paterculo de hoc Metello dicuntur. IS, nam multi Metelli fuerunt. QVATVOR, Quintus, Lucius, Marcus, & Caius Metelli, vt ex Conſulibus diſces. CONSVLARES, Quintus enim cum T. Quintio Flaminio Conſul an. ab V. C. ſexcenteſimo trigeſimo primo fuit, & Baleares vicit: vnde Balearicus eſt appellatus, vt Liuius libro ſexageſimo, & Florus libro tertio capite octauo docent. Balearici filiam Cæciliam Cicero libro primo, & ſecundo de Diuinatione nominat: quamuis libro primo, Baleanici, male legatur. In oratione vero pro Sex. Roſcio Amerino modo Nepotis filiam, modo Balearis filiam, & Nepotis ſororem vocat, vt error videri poſsit, niſi forte pater, & frater Nepotes dicebantur. Lucius, qui, quòd frontem vlceris cauſa faſcia colligaſſet, Diadema, vel, vt quidam volunt, Diadematus eſt dictus, an. ab V. C. ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo cũ Q. Mucio Scæuola Conſul fuit, & Dalmatas domuit, ob idque Dalmaticus eſt dictus, & à Cicerone in oratione Poſt reditum ad Quirites L. Dalmaticus Conſularis appellatus. lege Aſconium, & Liuium libro ſexageſimo ſecundo, vbi ſcribit etiam illum cum Cn. Domitio Aenobarbo Cenſorem fuiſſe: ſed nos modo non iudicamus, ibi legi oportere, Q. non L. Quum quòd veriſimile non ſit, illum eodem penè tempore, certe parum diuerſo, fuiſſe Conſulem, & Cenſorem, vt ibi videtur: tum quòd Cicero in oratione Poſt reditum ad Quirites, Quintum Cenſorium vocat. at vnus tantum ex filiis Macedonici Cenſor fuiſſe dicitur à Cicerone libro quinto de Finibus, & à Paterculo, qui videtur indicare, primum filium Cenſorem fuiſſe. Hinc in oratione Poſt reditum in ſenatu ita legendum putamus: L. & Q. Metelli Conſulares, non autem, vt nũc legitur, L. & C. Metelli Conſulares. cur enim vocet Caium, quem in oratione Poſt reditum ad Quirites Quintum vocarat? Hæc miror non animaduerſa fuiſſe ab his, qui familiarum tabulas ſcripſerunt. Marcus an. ab V. C. ſexcenteſimo trigeſimo nono cum M. Aemilio Scauro Conſul fuit: qui videtur is eſſe, quem Plinius Creticum vocat: quanquàm dubito, quàm bene, quum videre neſciam, qua ratione hunc Creticum poſsit vocare. quum ſcriptores penè omnes, & potiſsimum Liuius libro centeſimo ſcribat, Q. Metellum domitis Cretenſibus, liberæ in id tempus inſulę, legem tuliſſe. Id vero factum eſt ab eo Metello, qui tunc erat Proconſul, certe qui fuit Conſul an. ab V. C. ſexcenteſimo octuageſimo quinto, vel ſequenti, annis poſt hunc M. Metellum Conſulem minimum quadraginta quinque. at multo ante omnes filii Macedonici deceſſerant, tantum abeſt,

vt aliquis

vt aliquis ipſorum à Creta domita ſit Creticus appellatus, quæ tãto pòſt fuerit deuicta. Quare credere quis poteſt, Plinium erraſſe, vel male deſcriptum eſſe, niſi libeat dicere, Creticum à Creta Sardiniæ appellatum, quum ſatis conſtet, autore Eutropio, duos fratres Metellos eodem die alterum ex Thracia, alterum ex Sardinia triumphum egiſſe. hinc Paterculus ita ſcribit: circa ea tempora M. Metelli fratres vno die triumphauerunt: vbi legas licet vel, II. Metelli fratres, hoc eſt, duo Metelli fratres: vel, M. C. Metelli fratres, Marcus, Caius Metelli fratres. Caius enim Metellus Caprarius minimus filiorũ Macedonici Conſul cum C. Papirio Carbone an. ab V. C. ſexcenteſimo quadrageſimo primo fuit: cuius collega cum toto exercitu fuſus à Cimbris fuiſſe dicitur à Liuio libro ſexageſimo tertio. De hoc Metello nihil memoria dignum inuenimus, niſi, quòd Cicero libro ſecundo de Oratore ita ſcribit: Scipio apud Numantiam quum ſtomacharetur cum C. Metello, dixiſſe dicitur, ſi quintum pareret mater eius, aſinum fuiſſe parituram. FVERVNT, fuerunt illi quidem Conſulares, vt ait Philippica octaua, & nos oſtendimus, ſed non omnes ante patris mortem: ſiquidem Cicero libro quinto de Finibus ita ſcribit: Q. Metellus tres filios Conſules vidit, è quibus vnũ etiam & Cenſorem, & triumphantem, quartum autem Prætorem. quæ verba Valerius Maximus libro ſeptimo capite primo videtur ita male deſcripſiſſe: fecit, vt eodem tempore tres filios Conſulares, vnum etiam Cenſorium, duos triumphales, & quartum Prętorium videret. Reliquit etiam tres filias nuptas: hinc Cicero Tuſculana prima ſic ait: Metellum multi filii, filiæ, nepotes, neptes in rogum impoſuerunt. Idem propemodum Valerius Maximus, & Plinius teſtantur. EST HABITVS, aliter eſt habendus. QVI, αἰτιολογία. L. COTTA, L. Aurelio Cotta, qui cum Ser. Sulpicio Galba Conſul an. ab V. C. ſexcenteſimo decimo fuit: qui quum in ſenatu contenderent, vter aduerſus Viriatum in Hiſpaniam mitteretur, Scipio dicto, vt neuter in prouinciam mitteretur, obtinuit, vt Valerius Maximus libro ſexto capite quarto refert. DIXIT, illum defendens, orationem habuit. & oratores in fine oratſonis hoc verbum, dixi, vſurpabant, vt docet Aſconius. ACCVSANTE, poſt ſecundum Conſulatum, & Cenſurã, vt ait Verrina prima: quæ res L. Cottæ plurimum profuit. Noluerunt enim Romani ita quenquam in iudicio cadere, vt nimiis aduerſarii viribus abiectus videretur: quod in oratione pro Muræna ſcribitur. ſepties ampliata cauſa, & ad vltimum octauo iudicio eſt abſolutus, vt apud Valerium Maximum libro octauo capite primo ſcriptum videbis. AFRICANO, P. Cornelio Scipione Africano Aemiliano. CVIVS, Q. Metelli. ALIAE, vt oratio de Prole augenda, de qua Liuius libro quinquageſimo nono, & Suetonius in Auguſto, meminerunt. T. GRACCHVM, Tiberium Sempronium Gracchum, de quo dicetur infra ſuo loco. EXPOSITA EST, vt expoſita eſt oratio M. Catonis apud Salluſtium. C. FANNII, de quo dicetur infra. aliter C. Fabii, male. ANNALIBVS, hiſtoriam vocat infra, vt ibi dicemus. IPSE, pro quo dixit Q. Metellus. VETERATOR, veteratores, inquit Sex. Pompeius, callidi, dicti à multa rerum agendarum vetuſtate. ob id hunc eum eſſe credimus, qui nihil habebat, vt Africanus ait apud Valerium Maximum lihro ſexto capite quarto: quumque Tribunus plebis eſſet, fiducia ſacroſanctæ poteſtatis creditoribus ſuis ſatisfacere nolebat, niſi à collegis fuiſſet coactus, vt Valerius Maximus libro ſexto capite quinto ſcribit. Vnde cognoſcimus Aureliam gentem plebeiam fuiſſe: in qua fuit cognomen Cotta, ductum, vt quidam volunt, ἀπὸ τοῦ κότου, quòd iracundus, & oris torui fuerst is, qui primus Cotta fuit appellatus: quãquàm κότος ſimplici τ, & Cotta duplici ſcribatur: apud Athenæum tamen κόττος etiam

ſcribitur. C. LAELIVS, hic, vt Cicero Philippica vndecima refert, fuit filius illius C. Lælii, qui maioris Africani in Hiſpania, & in Africa ſemper comes fuit ita, vt à multis Africanus ipſe quoque ſit appellatus. certe cum Africano maiore arctiſsima familiaritate iunctus fuit, vt Liuius ſæpe, & Valerius Maximus libro quinto capite quinto teſtantur: vt Lælius hic, & Africanus amicitiam, tanquàm hæreditatem quandam creuiſſe, & poſtea ſic auxiſſe videantur, vt ea maxime illuſtris habeatur, quod Lælius Ciceronis oſtendit. Fuit igitur hic Lælius Prætor: fuit Conſul cum Q. Seruilio Cæpione an. ab V.C. ſexcẽteſimo decimo quarto: fuit augur, & ſapiens eſt appellatus, vt deinceps oſtendemus. hic ante Scipionem ponitur, quia maior natu fuit, vt paulo poſt dicetur. P. AFRICANVS, P. Cornelius Scipio Africanus Aemilianus, de quo præſtat ſilere, quàm pauca dicere. Diximus tamen ſupra quædam, & infra dicemus ea, quæ res ipſa poſtulabit. ELOQVENTES, vt oratores, paulo poſt. EXTANT., at hodie non extant. ORATIONES, vt oratio Lælii de Collegiis, vt Africani laudatio, quam Tuberoni Lælius ſcripſit, vt eſt in libro ſecundo de Oratore, vt aliæ, quæ tunc extabant. EX QVIBVS EXISTIMARI DE INGENIIS ORATORVM POTEST, ſic infra de Curione. ORATORVM, Lælii, & Scipionis vt oratorum: qui omnia ſermone conficerent paulo intentiore, nunquàm, vt Ser. Galba, lateribus, aut clamore contenderent, quod libro primo de Oratore ſcribitur. HOS, Metellum, Cottam, Lælium, & Africanum. HIS iiſdem, quos modo diximus. ANTECEDENS, quamuis difficile ſit, & penè ἀδύνατον diuinare, quantum antecederet, ex Conſulibus tamen ita licet colligere. Africanus vixit annos quinquaginta ſex, vt ex Ciceronis libro ſexto de Rep. & ex Paterculi hiſtoria didicimus, quamuis Plutarchus ἔτη πεντήκοντα καὶ τέσσαρα vixiſſe dicat. is quum eſſet annorum triginta ſex, vt autor eſt Paterculus, primum Cõſul eſt factus tribus annis ante Galbam Conſulem. Itaque Galba Conſule annum trigeſimum nonum agebat: quum Galba natus eſſet annos quadraginta tres minimum, quòd ea eſſet ætas Conſularis, vt in Philippicis Cicero docet. Galba igitur Africano quatuor annis natu maior erat, Metello anno, Cottæ æqualis, vel paulo maior, cuius eſſet collega: Lælio annis quatuor item maior, ſi Lælii Conſulatum ſequimur: ſin Præturam, ſummum duobus annis. & ſanè Præturam potius ſequi debemus, quæ fuit quinquennio ante, quàm Conſul eſt factus: & tamen inter Præturam, & Conſulatum biennium tãtum ſolebat intereſſe, vt de Ciceronis honoribus conſtat ex orationibus, quas aduerſus Rullum ſcripſit. hinc apparet Lælii Conſulatum vltra ſuum annum dilatum fuiſſe. Ita cognoſcitur Lælius tribus, vel certe duobus annis Africano maior: vt ipſe vere dicat apud Ciceronem, ſe prius in vitam introiiſſe. Quòd ſi Conſulatum, vel etiam quoſdam ſequaris, æqualem prorſus putes. SER. GALBA, Seruius Sulpicius Galba, qui Prætor male aduerſus Luſitanos pugnauit, vt Liuius libro quadrageſimo octauo ſcripſit: deinde cum L. Aurelio Cotta an. ab V.C. ſexcenteſimo decimo fuit: de quo deinceps dicemus: nunc ſciẽdum eſt, quod etiam ante diximus: prænomen Seruium frequenter in gente Sulpicia inueniri, vt Ser. Sulpicius Galba, Ser. Sulpicius, qui fuit Iuriſconſultus Ciceronis æqualis, vt poſtea dicetur. Itaq. nunc Paulus Manutius libro primo de Oratore recte ſic deſcribendum curauit: idémque Ser. Galbá: quum prius omnes legerent: idem Quintum Seruium Galbam. Male igitur faciunt, qui deſcribunt, vel legunt vſquàm, Sergium Galbam: quum Sergius ſit nomen gentis, non autem prænomen, vt ſatis cõſtat. animaduertendum eſt igitur, quoties fit Sulpiciorum mentio, aut alterius gentis, & præponitur Ser. vel Sergius, ſemper deſcribendum eſſe, Seruium. Ser. enim nota peperit errorem. Quare

non dubitamus affirmare legendum eſſe Seruium Galbam apud Suetonium in Galbæ vita, vbi docet, quare Sulpicii Galbæ ſint appellati. Male igitur Plutarchus in Catone hunc στρουμίλιον γάλβαν vocat. ELOQVENTIA PRAESTITIT, dicendi gloria præſtitit, vt ait libro primo de Oratore, vbi diuinum hominem in dicendo vocat: in hoc vero dialogo ſummum oratorē, virum eloquentiſſimum, & inter tot ſuos æquales vnum excellentem vocari videbis. ET NIMIRVM, εὐλογία. PRINCEPS, primus: quamuis infra princeps illius ætatis dicatur. QVASI LEGITIMA, quum videret, ſe non ſatis proprie loqui, ſi diceret, legitima opera oratorum, quæ nullis legibus omnino præcipiantur, cum venia locutus eſt. OPERA, ἔργα. nam & Ariſtoteles libro primo Rhetoricæ τέχνης ἔργον dixit. TRACTAVIT, in ſuis orationibus. VT, repetitio. EGREDERETVR, hinc egreſſio dicitur à Quintiliano lib. quarto capite tertio: digredi verbo Cicero libro ſecundo de Oratore, & alibi frequenter vtitur: vnde libro primo de Inuentione digreſſionem vocat.: quæ παρέκβασις à Græcis appellatur. quę ſit, vt ait Quintilianus, alienæ rei, ſed ad vtilitatem cauſæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio: cui Hermagoras locum ante perorationem dabat, vt Cicero lib. primo de Inuentione docet, & Antonius libro ſecundo de Oratore ſignificat: Quintilianus vero ſcribit, quoſdam putaſſe, poſt narrationem collocari oportere: quod ille negat, quum certum locum non videatur habere: quod ex Verrinis licet cognoſcere, vbi eſt Siciliæ laus, Proſerpinæ raptus, & alia quædam per egreſſionem, nec ſemper eodem loco dicta. Trapezuntius autē in omnibus orationis partibus præterquàm in exordio, & peroratione fieri poſſe cōtendit. A PROPOSITO, à cauſa, vt dixit libro ſecundo de Oratore: & libro primo de Inuentione vocat orationem à cauſa, atq. à iudicatione remotam. nec propoſitum hic θέσιν ſignificat, vt ipſe in Partitionibus interpretatur, ſed potius ὑπόθεσιν, quam dixit ipſe cauſam. ORNANDI CAVSA, ſic lib. ſecundo de Oratore, ornandi, aut augendi cauſa. hac de re plura refert lib. primo de Inuentione, & Quintilianus lib. quarto capite tertio, vbi ſic etiam ſcribit: quicquid dicitur præter illas quinq. partes, egreſſio eſt, indignatio, miſeratio, inuidia, conuitium, excuſatio, cōciliatio, maledictorū refutatio, ſimilia iis, quæ non ſunt in quæſtione, omnis amplificatio, minutio, omne affectus genus, atq. ea maxime iucundam, & ornatá faciunt orationē, de Luxuria, de Auaritia, de Religione, de Officiis, quæ quum ſint argumentis ſubiecta ſimilium rerum, quia cohærent, egredi non videntur. Sed plurima ſunt, quæ rebus nihil ſecum cohærētibus inſeruntur, quibus iudex reficitur, admonetur, placatur, rogatur, laudatur. Ex his patet Ciceronē, quū dixit, egrederetur, genere quodā vſum fuiſſe, quum illa, quæ ſequuntur, formis, quæ ſpecies appellantur: ſed omiſit, docere, quod orator debet efficere, & in egreſſione Quintilianus ponit, quū ait, iudex admonetur. Cicero igitur hic omiſit, quòd, vt orator in tota oratione docere debeat, nō cogitur tamen id in egreſſione, ſi nolit, facere: vel Cicero, quum dixit, egrederetur, quaſi in ipſo genere cōplexus eſt: vel potius tacuit, quia Seruius Galba laude ſubtiliter diſputandi ad docendum caruit, vt infra dicitur. DELECTARET, vt Demetrius Phalereus, de quo diximus, qui delectabat, quod eſt ſuauitatis, vt ait in Oratore: qua de re infra etiam loquetur. ANIMOS, auditorum. PERMOVERET, flecteret, quod eſt victoriæ, vt ait in Oratore: qua de re infra item loquetur. AVGERET REM, per amplificationem quandam, vt loquitur libro primo de Inuentione, vbi de Digreſſione diſputat, ad quam pertinet augere, quum fiat ea, vt dictum eſt, ornandi, aut augendi cauſa. Amplificatio vero quanquàm, vt in Partitionibus oſtendit, habet proprium locum ſæpe

etiam primum, poſtremum quidem ferè ſemper, tamen reliquo in curſu orationis adhibenda eſt, maximéque quum aliquid aut confirmatum eſt, aut reprehenſum. MISERATIONIBVS, commiſerationibus. miſericordia vero quo loco mouenda ſit, & vnde naſcatur, autor Rhetoricæ ad Herennium libro ſecundo, Cicero autem in Partitionibus, & libro ſecundo de Oratore docent. COMMVNIBVS LOCIS, de quibus ſupra diximus: & hic eos ſignificat, qui habēt deprecationem, vt libro tertio de Oratore docet. NESCIO QVO MODO, ſic loquitur quaſi nunc ignoret rationem, quā tamen poſtea reddet. QVEM CONSTAT ELOQVENTIA PRAESTITISSE, quem conſtat dicendi gloria præſtitiſſe, vt ait libro primo de Oratore. EXILIORES, Ser. enim Galba melius dicebat, quàm ſcribebat, quòd eius flacceſceret oratio, vt infra dicetur. Hinc Atticus eius orationes non probat, vt videbimus. ORATIONES, tres enim, vt oſtendit Liuius libro quadrageſimo nono, extabant eius orationes. ANTIQVITATEM, quæ maiore honore in omnibus artibus, quàm in hac vna dicendi, verſatur, vt ſupra dixit. IPSIVS CATONIS, de quo tam multa diximus. EXARVERVNT, vt exiliores. nam quod eſt exile, citius, & facilius exareſcit. loquitur autem μεταφορικῶς. VIX IAM VT APPAREANT, hinc Atticus de his orationibus loquens, ait: ſunt enim: quod aliquis ea de re potuiſſet dubitare. EA EST IAM, ea eſt iam laus. ſic enim particula, tamen, quæ ſequitur, videtur poſtulare: in aliis tamē libris ita legitur: ea eſt iam opinio. PLVRIMVM TRIBVATVR, in omniū penè rerū cognitione: quum vterq. Reip. adminiſtrandæ peritus eſſet: vterq. doctus: vterq. in re militari excellens: atq. Lælius ſapiens, & Scipio præſtantiſsimus imperator eſſet. DICENDI TAMEN LAVS, eloquentia, quam laudem, vt ſupra diximus, ſæpe vocat. LAELIO, quem cum Galba conſtat dicendi gloria præſtitiſſe, vt libro primo de Oratore teſtatur. ILLVSTRIOR, opinione præſertim. AT, πρόληψις. ORATIO, quæ nobilis, & aureola oratiuncula libro tertio de Natura Deorum dicitur, vt opinor. COLLEGIIS, in Lælio ſic eſt ſcriptum: meminiſtis Q. Maximo, & L. Mancino Coſs. quàm popularis lex de Sacerdotiis C. Licinii Craſsi videbatur. Cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur: tamen illius vendibilem orationē religio Deorū immortalium, nobis defendentibus, vincebat. atq. id actum eſt, Prætore me, quinquennio ante, quàm Conſul ſim factus. QVA'M DE MVLTIS QVAM VOLES SCIPIONIS, quàm quælibet ex multis, quas Scipio fecit: vt ea, qua legem Papiriam diſſuaſit, vt Cicero in Lælio, & Liuius libro quinquageſimo nono meminerunt. DVLCIVS, habuit enim Lælius lenitatem, vt Africanus grauitatē, quod libro tertio de Oratore ſcriptum videbis. RELIGIONE, quę, defendente Lælio, vendibilem C. Licinii Craſsi orationem vincebat, vt paulo antè nos ex Lælio Ciceronis retulimus. Hinc lib. tertio de Natura Deorū ita ſcribitur: Docebo meliora me didiciſſe de colendis Diis immortalibus iure pōtificio, & more maiorū, capedunculis, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiūcula dicit Lælius, quàm rationibus Stoicorum. VETVSTIOR, vetuſtior eſt, verbis vetuſtioribus, & magis priſcis vtitur, vt ait paulo poſt, quum præceptum ſit Rhetoricum libro tertio de Oratore, ne verbis inuſitatis vtamur. Inuſitata vero ſunt priſca ferè, ac vetuſta, & ab vſu quotidiani ſermonis iandiu intermiſſa: vide præterea, quod Gellius libro primo capite decimo hac ipſa de re ſcribat. HORRIDIOR, verbis horridioribus vtens. Sic ſupra de Catone: antiquior eſt huius ſermo, & quædam horridiora verba. ILLE, Lælius. IN DICENDO VARIAE VOLVNTATES, & naturæ variæ, & voluntates multum inter ſe diſtantia effecerunt genera dicendi, vt libro

libro primo de Oratore, & in Oratore ſcribit. MIHI, non aliis fortaſſe, qui priores illi deferunt. SED, aduerſatur hæc particula hoc modo: oratio Lælii non eſt melior, quàm Scipionis oratio: quin mihi Lęlii oratio vetuſtior, & horridior, quàm Scipionis oratio videtur: ſed alii aliter ſentiunt de Scipione: quoniam mos eſt hominum, vt nolint eundem pluribus rebus excellere, vt excelleret Scipio, ſi Lælio eloquentia etiam pręſtare diceretur. NOLINT, vel quòd ſint maleuoli, & inuidi: vel quòd credant, quód libro ſecundo de Inuentione ſcribit Cicero, naturam non habituram, quod cęteris largiatur, ſi vni cuncta concesſerit. & nolint, interpretor, non ferant, non patiantur, non concedant. quamuis enim nolint, poteſt tamen aliquis excellere. NAM, αἰτιολογία BELLICA LAVDE, re militari, quam bellicam laudem vocat, vt eloquentiam dicendi laudem vocare ſolet. hanc artem vero Scipio, maxima ætatis partem in bellis verſatus, didicit, & ex libris item, præſertim ex Cyro Xenophontis, quem de manibus ille ponere non ſolebat: quod Cicero epiſtola prima ad Q. fratrem, & Tuſculana ſecunda teſtatur. AFRICANVM, quem Metellus etiam inimicus ita laudauit, vt, quod ſcribit Valerius Maximus, dixerit filiis, non fore, vt officium maiori viro poſſent præſtare: vel, quod Plutarchus refert, Diis gratias egerit, quòd ille apud alios non fuiſſet natus: quod tamen Cicero in oratione pro Muræna Q. Maximo hiſce verbis tribuit: Africanum quum ſupremo eius die Q. Maximus laudaret, gratias egit Diis immortalibus, quòd ille vir in hac Rep. potiſsimum natus eſſet. neceſſe enim fuiſſe, ibi eſſe terrarũ imperium, vbi ille eſſet. certe, inquit Paterculus, vitam digniſsimam egit, quæ nullius ad id temporis, præterquàm auito fulgore vinceretur. Talis enim fuit, qualis nemo vnquàm, vt Lęlius ait apud Ciceronem, erit: nemo certe fuit. ſic etiam ſcribit Cicero lib. ſecũdo de Oratore: non tulit vllum hæc ciuitas Africano clariorẽ. NEMO POTEST, aſpirauit tamẽ Cæſar ita, vt illum etiam viciſſe credatur: aſpirauit & Pompeius ita, vt ab ipſo Cicerone in epiſtolis olim multo maior Africano ſit appellatus. Sed hic Cicero fortaſſe de Cæſare maligne ſentiebat, & Pompeio tunc aſſentabatur. QVA IPSA, bellica laude. VIRIATI, Viriatus ex paſtore venator, ex venatore latro, mox iuſti quoque exercitus dux factus, vniuerſam Luſitaniam occupauit, & bellum cum Romanis per quatuordecim annos, vt Florus, & Oroſius ſcribũt, vel octo cõtinuos, vt placet Appiano, geſsit, multóſq. Romanos duces vicit: ac tandem à ſuis, quos Seruilius Cæpio corruperat, eſt interfectus. hiſtoria eſt apud Liuium lib. quinquageſimo ſecundo, & quinquageſimo quarto, apud Valerium Maximum, Oroſium, Eutropium, & Appianũ in libro, quem de Rebus in Hiſpania geſtis ſcripſit. aliter Viriatico, fortaſſe recte, vt bellum Viriaticũ dicatur, vt bellum Mithridaticũ: quanquã Suetonius bellum Viriatinũ vocat. REPERIMVS, nos vero nihil, niſi hoc ipſum, & quod idem Cicero lib. ſecundo de Officiis ſcribit, reperire potuimus: Viriatũ magnas opes habuiſſe: quẽ C. Lęlius Prętor fregit, & cõminuit, ferocitatemq. eius ita repreſsit, vt facile bellũ reliquis traderet. INGENII, quod ſummũ in vtroq. fuit. nam Cicero Africanum hominẽ diuinũ, & autor Rhetoricæ ad Herennium lib. quarto Lælium ingenioſum vocat. nos enim credimus eum eſſe. LITERARVM, vterq. enim fuit doctus, & doctos homines ſecum ſemper habuit: nam Panætius vixit cũ Africano, vt Cicero lib. nono ad Atticũ, & Tuſculana prima refert: in oratione vero pro Muræna ita ſcribit: Huiuſcemodi Scipio ille fuit, quẽ nõ pœnitebat facere idem, quod tu, habere eruditiſsimum hominem, & penè diuinũ domi. hinc lib. tertio de Oratore dicitur operam Philoſopho dediſſe, ſed ita, vt vix intelligeretur id agere, quũ ageret. Plutarchus quoq., & Paterculus Polybiũ eius comitẽ, ac

planè præceptoré fuiſſe teſtantur. Lælius vero doctus ab autore Rhetoricæ ad Herennium vocatur: qui Diogenem Stoicũ adoleſcens, poſt autem Panætium audierat, vt lib. ſecundo de Finibus oſtenditur. Illud eſt vtriq. cõmune, quod lib. primo de Oratore ita ſcriptũ eſt: non tulit vllos hæc ciuitas aut gloria clariores, aut autoritate grauiores, aut humanitate politiores P. Africano, & C. Lælio, qui ſecũ eruditiſsimos homines ex Græcia palàm ſemper habuerunt. ELOQVENTIAE, qua Scipio bellicã gloriam cumulauit, vt lib. primo de Officiis ſcribitur: Lælius vero præſtitit, vt ſupra retulimus. SAPIENTIAE, Scipio quãuis ſapiens non vſurparetur, vt Lælius, quia tamẽ eloquentiam, quæ nihil aliud eſt, niſi copioſe loquẽs ſapientia, vt ait Cicero, & Philoſophiam, quæ certe ſtudium ſapientiæ interpretatur, eſſet aſſecutus, nõ poterat nõ ſapiens eſſe. Lælium vero ſapientem vocatũ Cicero lib. ſecundo de Finibus, Tuſculana quinta, lib. tertio de Natura Deorum, lib. ſecundo de Officiis, & in ipſo Lælio potiſsimũ teſtatur, & quidem non ſolum natura, & moribus, verumetiam ſtudio, & doctrina fuiſſe ſapientẽ, vel ob id potiſsimum, quòd omnia ſua in ſe poſita eſſe duceret, humanóſq. caſus virtute inferiores putaret: quamuis Plutarchus in Gracchis dicat, ſapientẽ vocatũ fuiſſe: quòd quum eandem rem, quã poſtea Tib. Gracchus de agris tentauit, eſſet aggreſſus, veritus, ne ſeditio excitaretur, ſapienter ab incœpto deſtitit, ob id vero, quòd ſapiens eſſet, omnia æquo ferebat animo. hinc in eo multa hilaritas à Cicerone lib. primo de Officiis celebratur: hinc ab eodem ſic in oratione pro Muræna ſcribitur: quis C. Lælio comior? quis iucũdior? quis grauior, ſapientior? PRIMAS, inter omneis æquales. PRIORES, inter ipſos duos. DEFERVNT, Romani, qui Lælium potiſsimũ ſapientem appellant, & exiſtimant, vt in Lælio dicitur. & deferunt alii, quãuis ego ſupra dixerim, Galbam præſtitiſſe: vel deferunt primas harũ rerũ, quas modo dixi, quas in Galba fortaſſe nõ inuenias omnes. IPSORVM, Scipionis, & Lælii. CONCESSV, nam Scipio quãuis eſſet omnium maximus, nunquàm tamen, vt in Lælio legimus, ſe ille Philo, nunquàm Rutilio, nunquàm Mummio antepoſuit, nunquàm inferioris ordinis amicis, nedũ Lælio, quẽ vt maiorem natu, opinor, coluit ita, vt illi, quæ ad literas pertinerẽt, facile cõcederet, quòd ab eo fortaſſe multa didiciſſet, quod oſtendit etiã Cicero, qui lib. primo de Inuẽtione Africanũ Lælii diſcipulũ vocat. Lælius vero tantũ Scipioni tribuebat, vt crederet, neminem vnquàm talẽ futurũ, certe neminẽ talem fuiſſe, vt paulo ante ex Lelio retulimus. ITA, vt diximus. TRIBVTVM, datũ, & quaſi diuiſum, quemadmodũ homines putabãt, qui exiſtimabãt, neminẽ in bellica laude ad Africanũ aſpirare poſſe in reliquis rebus, quas diximus, primas vtrique, ſed priores tamen Lælio deferendas. ERAT OMNINO, quædã αἰτιολογία. TVM, quũ viri ita boni erãt, vt ne inimicus quidem Metellus Scipioni detraxerit, vt ſupra retulimus. RELIQVIS REBVS, præter bellicã laudẽ, & literas. MELIOR, quàm nunc. & melior à Cicerone dicitur, quum refertur ad reliquas res, in quibus etiam melius iuſtitia ſpectatur: ex qua viri boni nominãtur, vt ait lib. primo de Officiis: bonus vero, & iuſtus, vt diſputant docti, cõuertuntur. humanior autẽ appellatur, quũ ad literas refertur, quæ humanos reddant homines illæ quidem, ſed tamen illarum officiis officia iuſtitiæ à Cicerone præponuntur. HOC IPSO, quod ad literas præſertim pertinet. IN SVVM CVIQVE TRIBVENDO, eſt quædam iuſtitiæ definitio. nam iuſtitia ſuum cuique diſtribuit, vt ait Cicero libro ſecundo de Natura Deorum: & libro quinto de Finibus: iuſtitia in ſuo cuique tribuendo cernitur: & libro ſecundo de Inuentione: iuſtitia eſt habitus animi communi vtilitate conſeruata, ſuam cuique tribuẽs dignitatem. Vlpianus vero libro primo Digeſtorum ſic eam

definit.

definit : iuſtitia eſt conſtans,& perpetua voluntas,ius ſuum cuique tribuendi:mitto multa, quæ poſſent huc afferri,ſed ad rem mihi nunc non videntur pertinere. Huiuſcemodi locutionem,faciles erant in ſuum cuique tribuendo quidam reiiciunt , & malunt dicere, vt alibi Cicero dixit:faciles erant in ſuo cuiq. tribuẽdo:quaſi Cicero nõ ſoleat Græcos imitari,qui ſępe ſic loquũtur, & hoc loco fortaſſe diceret: ἐν τῷ ὃν ἑκάστῳ θλζειν:aut quaſi ipſe non ita ſæpe ſit locutus,vt hic,& Tuſculana tertia: hoc verbum ductũ à nimis intuendo fortunam alterius:& in Oratore, in narrãdo aliquid:& infra, in capiendo aduerſarios:& libro primo de Legibus , à ſuum cuiq. tribuendo:quamuis aliter ibi legatur:ſed & alii ſic loquebantur , vt Hircius de bello Africo , Cæſar in circumeundo exercitum animaduertit : & Liuius libro trigeſimo, hæc Syphaci animum dederunt in alloquendo victorem.

Memoria teneo, Smyrnæ me ex P. Rutilio Rufo audiſſe,cum diceret adoleſcentulo ſe accidiſſe,vt ex S.C.P. Scipio & D. Brutus, vt opinor,Coſs.de re atroci magnáque quærerent.nam cum in ſilua Scantia facta cædes eſſet, notique homines interfecti ; inſimularetúrque familia , partim etiam liberi ſocietatis eius , quæ picarias de P.Cornelio,L. Mummio Ceſs.redemiſſet; decreuiſſe ſenatum,vt de ea re cognoſcerent & ſtatuerẽt Conſules : cauſam pro publicanis accurate, vt ſemper ſolitus eſſet, elegantérque dixiſſe Lælium : cum Conſules re audita , Amplius, de conſilii ſententia pronunciauiſſent, paucis interpoſitis diebus iterum Læliũ multo diligentius meliúſque dixiſſe ; iterúmque eodem modo à Conſulibus rem eſſe prolatam : tum Lælium, cum eum ſocii domum reduxiſſent,egiſſéntque gratias, &,ne defatigaretur, orauiſſent , locutum eſſe ita, ſe, quæ feciſſet honoris eorum cauſa , ſtudioſe accuratéque feciſſe,ſed ſe arbitrari cauſam illam à Ser. Galba, quòd is in dicendo fortior, acriorque eſſet, grauius, & vehementius poſſe defendi : itaq. auctoritate C. Lælii publicanos cauſam detuliſſe ad Galbam:illum autem , quòd ei viro ſuccedendũ eſſet,verecunde, & dubitanter recepiſſe: vnum,quaſi comperẽdi natus, medium diem fuiſſe,quem totum Galbam in conſiderãda cauſa cõponendaq. poſuiſſe:& cum cognitionis dies eſſet, & ipſe Rutilius rogatu ſociorum domum ad Galbam mane veniſſet, vt eum admoneret, & ad dicendi tempus adduceret, vſque illum, quoad ei nunciatum eſſet Conſules deſcendiſſe , omnibus excluſis commentatum in quadam teſtudine cum ſeruis literatis fuiſſe , quorum aliud alii dictare eodem tempore ſolitus eſſet : interim cum eſſet ei nunciatum tempus eſſe,exiſſe in ædes eo colore, & iis oculis , vt egiſſe cauſam,non commentatum putares. addebat etiam , idque ad rem pertinere putabát, ſcriptores illos male multatos exiſſe cum Galba.ex quo ſignificabat illum nõ in agendo ſolum,ſed etiam in meditando vehementem atque incenſum

fuiſſe. quid multa? magna expectatione, plurimis audientibus, coràm ipſo Lælio ſic illam cauſam, tanta vi, tantáque grauitate dixiſſe Galbam, vt nulla ferè pars orationis ſilentio præteriretur: itaque multis querelis, multaque miſeratione adhibita, ſocios, omnibus approbantibus, illa die quæſtione liberatos eſſe.

MEMORIA TENEO, αἰτιολογία αἰτιολογίαν. nam probat illum morem fuiſſe, idque digreſsione. SMYRNAE, vbi quum exularet Rutilius, eius ciuitatis ciuis eſt factus, vt in oratione pro Cornelio Balbo ſcribitur. Smyrna vero vrbs eſt Aſiæ, Homeri, vt multi volunt, patria, quam alii inter Aeolicas vrbes, alii inter Ionias referunt. ME, qui, vt conſuetudinem dicendi mutarẽ, in Aſiam fueram profectus, vt infra dicetur. P. RVTILIO RVFO, de quo ſuo loco infra dicetur. ADOLESCENTVLO SE, ſic in Lælio, & libro quarto ad Atticum, adoleſcentẽ vocat, quòd Scipione, & Lælio multo eſſet adoleſcentior. nam quum Scipio deceſsit, videtur annorum vndeuiginti fuiſſe, vt ex Conſulibus colligi poteſt. EX S. C. ex Senatuſconſulto. P. SCIPIO, P. Cornelius Scipio Naſica Serapion, de quo infra. D. BRVTVS, D. Iunius Brutus, de quo infra dicetur. VT OPINOR, nõ obſtringit fidem, de re audita loquens. COSS. an. ab V.C. ſexcenteſimo decimo ſexto, vt Liuius lib. quinquageſimo quinto ſcripſit. DE REIS quæ ſequitur. ATROCI, MAGNAQVE, poteſt enim res etiam parua atrox eſſe. QVAERERENT, iudiciũ, ſiue quæſtionẽ exercerẽt. SYLVA SCANTIA, quã Rullus Cicerone Cõſule vendere volebat, vt in oratione prima, & tertia contra Rullum dicitur. Scantiana poma, & vuas Scantianas Cato, Varro, & Plinius celebrant. aliter ſylua ſua ita. aliter æſtiuis ita, vt forte legi ſic debeat: quum in æſtiuis facta cædes eſſet: quod paulo poſt explicabimus. FAMILIA, ſerui. nam familia ex pluribus ſeruis conſtat, vt Cicero in orationibus pro Cæcinna, & pro lege Manilia docet. familiæ autem appellatione hic ſeruilem familiam contineri ſciendum eſt, vt ait Vlpianus libro trigeſimo nono Digeſtorum. LIBERI, liberti, nos legimus. per ſeruos enim, & libertos negotia ſua publicani, & alii negotiatores adminiſtrabant, Hinc in epiſtolis Cicero ſæpe familias, & libertos amicorum magiſtratibus prouincialibus præſertim commendat. SOCIETATIS, nam publicanorum erant ſocietates, quæ vectigalia redimebant, vt ſæpe apud Ciceronem leges. PICARIAS, fortaſſe loca, vbi pix fieret: cuius apud veteres magnus fuit vſus quum ad alias res, tum ad vina condienda. Italiæ enim, vt ait Plinius, in parte aliqua Rabulana pice, ac reſina condere muſta vulgare fuit ei, prouinciíſque finitimis. & fortaſſe tum Cenſores huiuſcemodi picarias locabant: quod nos tamen adhuc non legimus: illud legimus, quod ſcribit Plinius, in tabulis cenſoriis paſcua dicta fuiſſe omnia, ex quibus populus reditus haberet: quia diu hoc ſolum vectigal fuerat: hoc ſignificat Cicero, quum in oratione prima contra Rullum ita ſcribit: veniat, inquit, ſylua Scantia: vtrum tandem hanc ſyluam in relictis poſſeſsionibus, an in Cenſorum paſcuis inueniſti? ex his exiſtimamus legi oportere, vel, pecuaria, vt hic etiam ſcriptum vidimus: vel, pecuarias, præſertim quum in aliis libris picarias, in aliis piarias hoc loco legamus. & pecuaria, loca, vbi pecora nutriantur, id eſt paſcua interpretamur: pecuarias vero eodem penè modo, quòd Varro libro ſecundo de Re ruſtica ita ſcribat: facilius faciam, quòd & ipſe pecuarias habui grandes, in Apulia ouiarias, & Reatino equarias. Itaq. rem ſic explicare poſſumus: ſylua Scantia erat in paſcuis Cenſorum: pecuaria item, ſiue pecuariæ erant in iiſdem paſcuis. quum igitur publicani redemiſſent has

pecuarias,ſiue pecuaria,in ſylua Scãtia,quæ in his erat,facta eſt cædes. Quòd ſi paulo ante legas,æſtiuis,idem erit.nam Varro libro primo de Re ruſtica ſic ait : æſtiua montanis locis commodiora, quòd ibi tum & pabulum multum, quod in campis aret, & cultura arborum aptior, quòd tum illic frigidior aër. item libro ſecundo : greges ouium longe abiguntur ex Apulia in Samnium æſtiuatum, atque ad publicanum profitentur : ne, ſi inſcriptum pecus pauerint, lege Cenſoria committant. in æſtiuis igitur interpretari poteris, in paſcuis, in quibus æſtate pecora paſcuntur. P. CORNELIO, L. MVMMIO, P. Cornelio Scipione Africano Aemiliano, L. Mummio Achaico, qui ſimul Cenſores fuerunt, vt Valerius Maximus, autor libelli de Viris illuſtribus, & Cicero ipſe libro decimo ſexto ad Atticum, & libro ſecundo de Officiis teſtantur. CESS. Cenſoribus: à Cenſoribus vero publicani vectigalia conducebant, vt inuenies epiſtola decima quarta libri primi ad Atticum: his tamen locare, niſi in conſpectu populi Romani non licebat, quod in oratione prima contra Rullum dicitur. REDEMISSET, conduxiſſet. DECREVISSE, ſenatuſconſultum, quod dictum eſt, feciſſe. EA RE, ea cæde. COGNOSCERENT, quærentes, vt paulo ante dictum eſt. STATVERENT, ſententiam ferrent. PVBLICANIS, quorum familia, & liberti inſimulabantur. SOLITVS ESSET, videtur mos hic Lælii fuiſſe, vt omnia diligenter, & accurate faceret. ſic in Lælio: diligentiſſime ſemper illum diem, & illud munus ſolitus eſſes obire: & ibidem paulo poſt: pergratum mihi feceris, ſpero item Scæuolæ, ſi, quemadmodum ſoles de cæteris rebus, ſic de amicitia diſputaris. ELEGANTERQVE, eleganter enim dicebat Lælius. hinc paulo poſt in Lælio elegantiam agnoſcit, & libro ſeptimo ad Atticum ſic ait : ſecutus ſum Terentium, cuius fabellæ propter elegantiam ſermonis putabantur à C. Lælio ſcribi. hinc infra Læliam patris elegantia tinctam vocat. QVVM CONSVLES, de hac compoſitione ſupra diximus. AMPLIVS, amplius pronunciaſſent, id eſt ampliaſſent, ampliandi ſignum N. L. dediſſent, quo ſignificabant, non liquere: vnde ampliatio naſcebatur: qua de re plura ſcribit Aſconius. CONSILII, ſenatus. ſenatus enim conſilium erat Conſulum : vnde L. Philippus Conſul olim dixit, videndum ſibi aliud eſſe cõſilium, illo ſenatu ſe Remp. gerere non poſſe, quod libro tertio de Oratore ſcriptum inuenies. Quin Cicero Senatum non modo Conſulum, ſed orbis etiam terrarum conſilium vocare ſolet: hic ego tamen ita malo interpretari, conſilii, id eſt hominum, quibus tanquàm conſiliariis vterentur Conſules. nam ſenatus decreuerat, vt Conſules quærerent, & ita ſe iam illa cura liberauerat, atque Conſulibus ipſis onus illud impoſuerat. Itaque neceſſe non erat, vt Conſules amplius ea de re ſenatum conſulerent, quæ ipſis eſſet delegata. Conſules igitur homines peritos aduocabant, de quorum ſententia pronunciabant. ſic Philippica ſecunda: placuerat, vt ex Cal. Iun. de Cæſaris actis cum conſilio cognoſceretis. quod fuit conſilium? quem vnquàm aduocaſti? & libro decimo ſexto ad Atticum. ſenatus Conſulibus cognitionem dedit. Conſules igitur de Conſilii ſentẽtia decreuerunt ſecundum Buthrotios. Sic Lælii conſilio Conſules vſi dicuntur apud Valerium Maximum libro quarto capite ſeptimo. Nec mirũ ſanè Conſules huiuſcemodi conſilium habuiſſe, quũ iudices etiam dicerentur, & cauſas multas cognoſcerent, vt Prætores, qui & ipſi conſilium habebant. hinc ſæpe dicuntur à ſcriptoribus in conſilium mittere. neque Romæ modo, ſed in prouinciis etiam conſilium habebant: vt Verrina ſeptima Verres cũ Conſilio cauſam Mamertinorum cognoſcit, & de conſilii ſententia, Mamertinis ſe frumentum non imperare, pronunciat. ſic epiſtola decima ſexta libri ſecundi ad Atticum, Q. Frater Prætor Aſiæ ait ſe de conſilii ſententia rem ad ſena

tum reieciſſe. PRONVNCIAVSSSENT, iudices,& magiſtratus ſæpe dicuntur pronunciare. DILIGENTIVS, MELIVSQVE, aliter melius, elegantiúſque. PROLATAM, ampliatam. SOCII, publicani eius ſocietatis. SE ARBITRARI, hinc potiſsimum apparet, quod vult probare, tum morem fuiſſe, vt faciles eſſent in ſuum cuique tribuendo: quando Lælius orator & ipſe tam facile tamen Ser. Galbæ concedebat. SER. GALBA, de quo adoleſcente neſcio quid apud Liuium libro quadrageſimo quinto ſcriptum videbis. IS, Ser. Galba. FORTIOR, ſic L. Lentulus infra fortis orator appellatur,& oratio fortis à Cicerone ſæpe dicitur. aliter ornatior. aliter ardentior, rectius. Vt enim oratio fortis, & ornata ſæpe dicatur, non dicitur tamen ita ſæpe fortis orator, aut ornatus: ardens vero ſæpe, vt Antonius affirmat libro ſecundo de Oratore, Craſſum videri ſibi ardere. Talis erat item Ser. Galba, qui, vt libro primo de Oratore ſcribitur, lateribus, aut clamore contendebat: vnde paulo poſt vehemens, & incenſus merito vocatur. GRAVIVS, ET VEHEMENTSVS, hinc paulo poſt ait, tanta vi, tantáque grauitate Galbam dixiſſe. ILLVM, Ser. Galbam. EI, tali, Lælio. RECEPSSSE, cauſam. VNVM, QVASI COMPERENDINATVS, MEDIVM DIEM FVISSE, vnũ trium dierum medium fuiſſe. nam, vt inter alia ſcribit Aſconius, comperendinatio eſt ab vtriſque litigatoribus inuicem ſibi denuntiatio in perendinum diem. Itaque ſequor eorum ſententiam, qui ſcribunt ampliationem non habuiſſe certum numerum actionum, aut dierum: comperendinationem vero iteratam actionem in tertium diem, id eſt perendinũ ſignificare. Quare paulo ante Cicero dixit de Ampliatione, paucis interpoſitis diebus: nunc eam quaſi comperendinatum vocat, quòd fortaſſe tum breuior fuerit: certe ex quo cauſa delata eſt ad Galbam, tres tantum dies numerantur, primus, quo defertur cauſa: ſecundus, quo Galba cauſam componit: tertius, quo cauſam dicit. Diem igitur medium inter duos dies, quaſi medium comperendinatus, totum poſuit in conſideranda, componẽdáque cauſa. aliter vnum quaſi comperendinatum medium diem fuiſſe. CONSIDERANDA CAVSA, ſic M. Antonius orator cauſas conſiderabat, idque faciendum præcipit libro ſecundo de Oratore. nam, inquit, ita aſſequor, vt alio tempore cogitem, alio dicam. COMPONENDAQVE, ita, vt vnum quodque argumentum potiſsimum ſuo loco diſponeretur: quod etiam faciebat Antonius, vt infra dicitur. COGNITIONSS, Conſulibus à ſenatu datæ. DIES, dies quidem cognitionis, ſed per ampliationem conſtitutus. IPSE RVTILIVS, qui hæc ipſa narrauit. SOCIORVM, publicanorum. EVM, Galbam. SLLVM, Galbam. DESCENDISSE, in forum ad rem illam cognoſcendam. SERVIS LITERATIS, & ſeruos multos literatos fuiſſe ſcribit Macrobius, & iis veteres in erudiendis filiis, in ſtudiis ſuis,& cæteris rebus ad literas pertinentibus, ex hiſtoriis, comœdiis,& epiſtolis Ciceronis apparet, vſos fuiſſe. QVORVM ALIVD ALII DICTARE EODEM TEMPORE SOLITVS ESSET, in hac re Cæſar ab omnibus commendatur. TEMPVS ESSE, exeundi. EXISSE IN AEDES, ex illa teſtudine, quæ forte fuit ab ædibus aliquo modo ſeparata, in ædes ipſas veniſſe. aliter exiſſe ædes, hoc eſt, exiſſe ex ædibus. ſic enim locutos veteres & Grammatici docent,& Ouidius oſtendit libro nono Metamorphoſeos, quum dixit, exire limen, & exire modum. Neſcio vero, an reſpiciat ad illud dictum, quod eſt libro ſecundo de Oratore: quando tandem Galba de triclinio tuo exibis? EO COLORE, ET IIS OCVLIS, facie, & oculis rubentibus, vt ego interpretor. Iraſcentibus enim, vt docet Alexander in Quæſtionibus, oculi fiunt ignei,& facies rubens apparet: quod etiam ſcripſit Ariſtoteles:& poëtæ ſæpe oſtendunt, quum ardentia lumina,& oculos ardentes

in iratis appellant. Galba vero ita vehemens, & incenſus erat in meditando vt domo egrediens, cauſam videretur egiſſe. nam qui cauſas agunt, debent vt Craſſus, ardere, tanquàm ſint irati, quibus, vt diximus, ardent oculi. hinc Cicero Verrina ſexta ſic ait: ſpumas agebat ore: ardebāt oculi. quin idē oſtendit in oratione pro Cluentio, crebram fieri coloris mutationem. ADDEBAT, Rutilius. AD REM, quam dicebat de Galba, quem tum videtur voluiſſe laudare, quod ad vim ipſam ſaltem pertinebat: cæterum pergrauiter illum reprehendere ſolebat, quòd olim populi miſericordiam concitaſſet, vt ſcriptum eſt libro primo de Oratore. SCRIPTORES ILLOS, ſeruos literatos. MALE MVLTATOS, male affectos, vexatos, defatigatos. AGENDO, agendis cauſis. MEDITANDO, commentando. IPSO LAELIO, cuius autoritate publicani cauſam ad Galbam detulerant. SILENTIO PRAETERIRETVR, ſine clamore, & laude audientium prætermitteretur. MISERATIONE, qua vti ſolebat, vt ſupra dictum eſt. SOCIOS, publicanos. OMNIBVS, qui aderant. QVAESTIONE, iudicio.

Ex hac Rutiliana narratione ſuſpicari licet, cum duæ ſummæ ſint in oratore laudes, vna ſubtiliter diſputandi ad docendum, altera grauiter agendi ad animos audientium permouendos; multóque plus proficiat is, qui inflammet iudicem, quàm ille, qui doceat; elegantiam in Lælio, vim in Galba fuiſſe. quæ quidem vis tum maxime cognita eſt, cum, Luſitanis à Ser. Galba Prætore cō tra interpoſitam, vt exiſtimabatur, fidem, interfectis, L. Libone Tribuno plebis populum incitante, & rogationem in Galbam priuilegii ſimilem ferente, ſumma ſenectute, vt ante dixi, M. Cato legem ſuadens in Galbam multa dixit: quam orationem in Origines ſuas retulit, paucis ante quàm mortuus eſt an diebus, an menſibus? tum igitur recuſans Galba pro ſeſe, & populi R. fidem implorans, cum ſuos pueros, tum C. Galli etiam filium flens commendabat: cuius orbitas & fletus mire miſerabilis fuit propter recentem memoriam clariſsimi patris; iſque ſe tum eripuit flamma, propter pueros miſericordia populi cōmota, ſicut idem ſcriptum reliquit Cato. Atque etiam ipſum Libonem non infantem video fuiſſe, vt ex orationibus eius intelligi poteſt.

RVTILIANA, aliter Rutilia, quod fortaſſe probari poſsit, vt Rutilia narratio dicatur, vt lex Tullia, aqua Claudia, via Flaminia, & reliqua id genus. Rutiliana tamen narratio recte dicitur, vt Papiriana domus, & Tadiana res libro primo ad Atticum: vt verbum Terentianum in Lælio: vt duobus modis hæc nomina deducantur à familiis, vt ab eadem familia, Pōpeia via, Pompeia porticus: Pompeianus miles, Pōpeiana caſtra. DVAE SVMMAE SINT IN ORATORE LAVDES, quod ſupra paucis diximus, hic placet pluribus explicare. ſic igitur infra: oratorum bonorum duo genera ſunt, vnum attenuate, preſséque: alterum ſublate, ampléque dicentium. quibus quidem verbis idem propemodum, quod hoc loco, dicit: infra tamē item, & in Oratore ſcribit, tria eſſe, quæ efficere debet orator, vt doceat, vt delectet, vt flectat. Itaque quum poſtea diceret, M. Callidium duo ex his ſumme tenuiſſe, vt &

rem illuſtraret diſſerendo, & animos eorum, qui audirent, deuinciret voluptate: addidit, abfuiſſe tertiam laudem illam, qua permoueret, atque incitaret animos. In libello quoque de Optimo oratorum genere tres eſſe laudes oſtendit. Quòd ſi tres ſunt laudes, quo pacto duæ nunc eſſe dicuntur? Quin ſi duo ſunt oratorum genera, vnum attenuate, alterum ſublate dicentium; erit & tertium modicè dicentium: & ita erunt oratorum tot genera, quot ſunt dicendi figuræ, quæ tres deſcribuntur. atqui Cicero in libello de Optimo oratorum genere, vnum tantum genus eſſe contendit: vt iam ex ſcriptis Ciceronis appareat, vnum, duo, & tria oratorum genera numerari, vel potius plura, atque adeò tot, quot ſunt orationum genera: quando ipſe in Oratore ſic inquit: quot orationum genera diximus, totidem oratorũ reperiuntur. Dixerat autem ibi paulo ante, orationum genera plura eſſe, eâque diuerſa. Fortaſſe Dialectici ſic interpretarentur: vnum genus eſt vltimum, quod Græci vocant γενικώτατα: reliqua ſunt media, quæ illi μέσα, καὶ ὑπάλληλα ſolent appellare. concedo de genere vltimo, ſed de reliquis dubito, quum genera illa tum dicantur eſſe, quum formam, ſiue ſpeciem inferiorem reſpiciant. at hic ne ſpeciem quidem ſibi videtur, quã vocant illi εἰδικώτατα. Quare videtur dicendum, quod etiam diximus, genera pro formis à Cicerone poni: vel potius id, quod ipſe ſcribit in libello de Optimo genere oratorum ad hunc modum: oratorum genera ſi quis ita numerat, plura genera, vt alios grandes, aut graues, aut copioſos: alios tenues, aut ſubtiles, aut breues: alios eis interiectos, & tanquam medios putet, de hominibus dicat aliquid, de re parum. In re enim, quod optimum ſit, quæritur: in homine dicitur, quod eſt. Vnum eſt igitur genus perfecti. Optimus eſt enim orator, qui dicendo animos audientium & docet, & delectat, & permouet. Itaque ſi rem ipſam conſideres, genus eſt vnum: ſi homines, plura videntur: quod, vt diximus, in dicendo variæ ſint hominum voluntates. Tria tamen fere genera, ſiue ſpecies laudantur, attenuate, mediocriter, & ſublate dicentium. hæc igitur Cicero ſæpe nominat, ita quidem, vt oratori vehementi ſemper primas, mediocri aliquando, ſed ſæpius attenuato ſecundas, & mediocri tertias tribuat. Vehemens enim permouet, attenuatus docet, mediocris tantum delectat: at, vt ait in libello de Optimo genere oratorum, permouere neceſſarium, docere debitum, delectare honorarium. Quare quum duo genera bonorum dicit, non excludit vel tertium genus, vel reliqua, ſi qua ſunt, ſed duo bonorum genera ſeparat. atque hoc loco quum duas ſummas laudes dicit, non excludit tertiã, ſed has ſummas eſſe contendit: quæ tamen omnia ſub illo vltimo genere cõprehenduntur. Fortaſſe etiam Cicero, vt fuit acutiſsimus, iam tum videbat, quod non nulli poſtea dixerunt, delectationem in motu contineri; & ob id duas ſummas laudes ponebat, docere, & mouere, quamuis poſtea ſepararit delectationem, quam nunc tacet, quia Ser. Galba ea laude caruit, quamuis egrederetur, vt delectaret, ſupra. VNA SVBTILITER DISPVTANDI AD DOCENDVM, hoc pertinet ad dicendi genus attenuatum, quod in oratore ſubtile vocat, & in probando eſſe docet: de quo verba illa ſcribuntur: oratores tenues acuti ſunt, omnia docentes, & dilucidiora, nõ ampliora facientes, ſubtili quadam, & preſſa oratione limati: in quo genere quum verſaretur itẽ M. Callidius, vt infra dicitur, rem illuſtrabat diſſerendo. ALTERA, quæ ſit generis vehementis, quod eſt in flectendo, vt ait in Oratore, vbi genus hoc ipſum ita deſcribit: grandiloqui, vt ita dicam, fuerunt cum ampla & ſententiarum grauitate, & maieſtate verborum: vehementes, varii, copioſi, graues, ad permouendos, & conuertendos animos inſtructi, & parati. PERMOVENDOS, aliter commouendos, vtrunque rectè. nam Cicero in hac re vtroque

verbo

verbo ſæpe vtitur: vtque id fiat, M. Antonius libro ſecundo de Oratore docet. MVLTOQVE PLVS PROFICIAT, in flectendo enim, vt ait in Oratore, & permouendo vis omnis oratoris eſt: in quo Pericles, & Demoſthenes excelluerunt. INFLAMMET, permoueat, flectat, quod eſt victoriæ, vt in Oratore docet. DOCEAT, probet, quod neceſsitatis eſt, vt ait in Oratore, vel quod debitum eſt, vt in libello de Optimo genere oratorum loquitur. ELEGANTIAM, quæ facit, vt vnumquodque pure, & aperte dici videatur, vt autor Rhetoricæ ad Herennium docet. LAELIO, in Lælio fuit elegantia, vt diximus. VIM, δεινότητα, quæ tanta fuit in eo, vt falſa pro veris etiam P. Craſſo probaret, vt lib. primo de Oratore ſcribitur. LVSITANIS, quos hodie Portugallenſes vocant. PRAETORE, Prætor enim male aduerſus Luſitanos pugnauit, vt Liuius libro quadrageſimo octauo ſcripſit, & Appianus in libro de Rebus in Hiſpania geſtis. Deinde Conſul, vt aduerſus Viriatum mitteretur, obtinere non potuit, L. Aurelio Cotta collega idem petente, & Africano dicente, alterum nihil habere, alteri nihil ſatis eſſe, vt Valerius Maximus lib. ſexto capite quarto refert. INTERPOSITAM, Ser. Galba eſt accuſatus à Libone, quòd Luſitanorum magnam manum, interpoſita fide, Prætor in Hiſpania interemiſſet, vt Valerius Maximus libro octauo capite primo refert: qui libro nono capite ſexto ſcribit ad hunc modum: Ser. quoque Galba ſummæ perfidiæ: trium enim Luſitaniæ ciuitatum conuocato populo, tanquàm de commodis eius acturus, nouem millia, in quibus flos iuuentutis conſiſtebat, electa, & armis exuta, partim trucidauit, partim vendidit: quo facinore maximam cladem barbarorũ magnitudine criminis antecesſit. Triginta millia Luſitanorum trucidata fuiſſe Suetonius in Galba teſtatur: Appianus vero in libro de Rebus in Hiſpania geſtis rẽ pluribus verbis deſcribit. INTERFECTIS, præter paucos, qui, vt refert Appianus, aufugerunt: quorum vnus fuit Viriatus: qui poſtea vel ob id crudelius bellum cum Romanis geſſit. Hinc Suetonius in Galba ſcripſit, hunc Galbam Hiſpaniam ex Prætura obtinentem, triginta Luſitanorum millibus perfidia trucidatis Viriatini belli cauſam extitiſſe. L. LIBONE, aliter L. Scribonio: vtrũq. recte. is enim dicebatur L. Scribonius Libo, vt inuenies libro primo, & ſecundo de Oratore, epiſtola quinta libri duodecimi ad Atticum, apud Valerium Maximum libro octauo capite primo, & apud Liuium libro quadrageſimo nono. Scribonii plebeii fuerunt, vt vel ex huius Scribonii Libonis Tribunatu conſtat. Libo vero cognomen etiam in aliis gentibus, vt Petiliis, & Octauiis inuenitur. TRIBVNO PL. L. Marcio Cenſorino, M. Manilio Coſſ. vt ex Liuii libro quadrageſimo nono cognoſci poteſt: quanquàm Cicero epiſtola quinta libri duodecimi ad Atticum dubitat, iis ne Coſſ. an ſuperioribus, hoc eſt L. Quintio Flaminio, M. Acilio Balbo Coſſ. Tribunus plebis fuerit. INCITANTE, contra Galbam. ROGATIONEM, vt Luſitani, qui ex fœdere populo Romano dediti, à Ser. Galba in Gallia veniſſent, in libertatẽ reſtituerentur. ſic enim nos apud Liuium libro quadrageſimo nono legimus: quæſtionem Cicero libro primo de Oratore vocat. PRIVILEGII, quæ lex eſt, quæ priuatis hominibus irrogatur: quod ſacratæ leges, & duodecim tabulæ vetabant, vt Cicero in oratione pro Domo, in oratione pro Seſtio, & in libris de Legibus oſtendit. SIMILEM, neque enim prorſus erat priuilegium, quod ferri, & irrogari non poterat: ſed erat ſimilis priuilegii: quoniam ferebatur quidem de Luſitanis in libertatem reſtituendis, ſed ita tamen, vt in Galbam, qui contra fidem eos vendiderat, ferri videretur, & ita priuilegii ſimilis appellari poſſet. SVMMA SENECTVTE, annos quinque, & octuaginta natus. LEGEM, L. Libonis Tribuni ple. rogationem. SVA-

DENS, & quidẽ acerrime, vt Liuius lib. quadrageſimo nono ſcripſit. hinc Valerius Max. lib. octauo capite primo inquit, Cato actioni Tribunitiæ ſubſcripſit. IN GALBAM, ad cuius perniciẽ M. Cato vehemẽter incumbebat, vt in oratione pro Muræna legimus. MVLTA DIXIT, vt Galbę inimicus, quod libro primo de Oratore ſcriptum eſt: & Hiſpanorum patronus, quod apud Liuium libro quadrageſimo tertio videbis: hinc Cicero Verrina prima ſcribit, Catonẽm cum multis graues inimicitias geſsiſſe propter Hiſpanorum, apud quos Conſul fuerat, iniurias. IN ORIGINES, de quibus diximus. apud Valerium Maximum libro octauo capite primo ſcriptum eſt, in Originibus: nos vero ex ipſa locutione, & ex lib. manu ſcripto, in Origines, reponendum putamus. RETVLIT, ſcriptam reliquit, dixit ſupra: Liuius vero libro quadrageſimo nono, ſuis annalibus incluſit. AN DIEBVS, AN MENSIBVS? eodem certo anno, quo mortuus eſt, vt ſupra dictum eſt: ſed quum diem, aut menſem ſcire non poſſet, ita locutus eſt. TVM IGITVR RECVSANS GALBA PRO SESE, miſerabiliter Galba pro ſe locutus, inqnit Liuius libro quadrageſimo nono: quanquàm vereor ego, ne legendum ſit hoc loco: tum nihil recuſans Galba pro ſeſe. nam recuſare verbo ſic vti non ſolet Cicero: & Valerius Maximus, qui non res modo, ſed verba etiam ſolet mutuari, hanc rem ſic in ſuum librum octauũ tranſtulit: Reus Galba pro ſe iam nihil recuſans, paruulos liberos ſuos, & Galli ſanguine coniunctum ſibi filiũ, flens commendare cœpit. Quæ vero libro primo de Oratore de Galba referuntur, oſtendunt, eum de ſe prorſus deſperaſſe, vt merito dici poſsit hoc loco, nihil pro ſe recuſans. POPVLI ROMANI, quem tutorem inſtituere dixit puerorum orbitati, vt libro primo de Oratore ſcribitur. IMPLORANS, auxilium petens, & miſericordiam concitans, vt ait libro primo de Oratore: vbi dixit, miſericordiam concitare, hic fidem implorare. SVOS PVEROS, ſuos liberos paruulos, vt ait Quintilianus libro ſecũdo capite decimo ſexto: duos filios paruos, libro primo de Oratore: duos filios prætextatos, vt ait Liuius libro quadrageſimo nono: & quidem, vt ego arbitror, Ser. C. Sulpicios. nam prior debuit patris prænomen referre: alter infra Caius appellatur. hũc morem Græcis fuiſſe Plato in Apologia docet, vbi Socratem inducit affirmantem, ſe non facturum, quod alii, vt filios in iudicium miſericordiæ concitãdæ cauſa producat. Ariſtophanes idem in Veſpis quidem, ſed in Pluto tamen potiſsimum his verbis oſtendit: ὁρῶ τιν' ἐπὶ τοῦ βήματος καθεδούμενον, ἱκετηρίαν ἔχοντα μετὰ τῶν παιδίων, καὶ τῆς γυναικός. Cicero quoque id ſe feciſſe ſic in Oratore ſcribit: miſeratione nos ita dolenter vti ſolemus, vt puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus: vt alia in cauſa excitato reo nobili, ſublato etiam filio paruo, plangore, & lamentatione compleremus forum. C. GALLI, C. Sulpicii Galli: de quo diximus, propinqui ſui, libro primo de Oratore. erat enim vterque Sulpicius. FILIVM, Q. Pupillum vocat libro primo de Oratore: cuius erat tutor, vt Liuius libro quadrageſimo nono dixit. FLENS, Valerius Maximus idem libro octauo capite primo ſcribit. flebat igitur ipſe, & puer populo fletum mouebat, vt libro primo de Oratore leges. COMMENDABAT, tutelæ populi, vt ait libro primo de Oratore. CVIVS, cuius filii Q. Pupilli. ORBITAS, C. enim Sulpicius Gallus iampridem mortuus fuerat ita, vt puer ille tum orbus eſſet. FLETVS, veriſimile eſt, quum fleret Galba, qui puerum penè in humeros ſuos extulerat, illum etiam fleuiſſe. Id fieri ſolere oſtendit etiam Ariſtophanes in Veſpis, cuius verba dum explicat Interpres, ita ſcribit: παιδία κλαίει ἐν τοῖς δικαστηρίοις τῶν κατηγορουμένων. RECENTEM, non poterat enim non eſſe recens, quum filius ita puer eſſet. & ſanè C. Sulpicius Gallus annis ſexdecim ante Conſul fuerat: & credendum

eſt, cum

eſt, eũ poſt Conſulatũ aliquot annos vixiſſe. CLARISSIMI PATRIS, C. Sulpicii Galli, qui vir clariſsimus fuit, vt ſupra demõſtrauimus. ISQVE, Ser. Sulpicius Galba. SE TVM ERIPVIT, ita miſerabiliter pro ſe locutus eſt, vt rogatio antiquaretur, quod Liuius lib. quadrageſimo nono poſuit. His eum tragœdiis liberatũ Rutilius ferebat, lib. primo de Oratore: idem dicit hoc loco Cicero, cui Valerius Max. lib. octauo capite primo aſſentitur: in oratione pro Muræna Cicero ſcribit, eum Catoni incumbenti ad eius perniciem à populo ereptũ fuiſſe, ne nimiis aduerſarii viribus abiectus videretur: Appianus vero in lib. de Rebus in Hiſpania geſtis, credit eum, quum eſſet Romanorum ditiſsimus, quoties accuſatus eſt, toties ſuis diuitiis abſolutũ fuiſſe: iuuit illũ etiam Q. Fuluius Nobilior, vt Liuius oſtendit. Nos his omnibus de cauſis ſimul abſolutum credimus. FLAMMA, eripuit flamma, vt apud poëtam, vaginâq. eripe ferrum. aliter flammæ: quod eſt frequentius, vt in oratione pro Muræna eadem de re loquens, dixit: Galbã Catoni populus eripuit. Flammæ igitur, inuidiæ, & odio populi, quo tum Galba premebatur, vt lib. primo de Oratore demonſtratur. PROPTER PVEROS, reſpectu puerorum, inquit Valerius Max. COMMOTA, cõcitata, lib. primo de Oratore. IDEM, idem Cato, qui legem ſuaſit. SCRIPTVM RELIQVIT CATO, ſic lib. primo de Oratore: apud Catonẽ ſcriptũ eſſe video, niſi pueris, & lachrymis vſus eſſet, pœnas eũ daturũ fuiſſe. IPSVM, qui rogationẽ in Galbã ferebat. LIBONEM, L. Scribonium Libonẽ: qui quũ dixiſſet, quãdo tãdem Galba de triclinio tuo exibis? quũ tu, inquit, de cubiculo alieno. lib. ſecũdo de Oratore. atque hic Libonẽ inſerit, vt ſupra Scipionis filium, & infra Fufidium. NON INFANTEM, ſatis diſertum. λιτότης. ORATIONIBVS, quæ tunc extabant.

Cũ hæc dixiſſem, & paulũ interquieuiſſem, Quid igitur, inquit, eſt cauſæ, Brutus, ſi tanta virtus in oratore Galba fuit, cur ea nulla in orationibus eius apparet? quod mirari nõ poſſum in eis, qui nihil omnino ſcripti reliquerunt. Nec enim eſt eadẽ, inquam, Brute cauſa nõ ſcribendi, & nõ tã bene ſcribẽdi quàm dixerint. nã videmus alios oratores inertia nihil ſcripſiſſe, ne domeſticus etiam labor accederet ad forenſem; pleræque enim ſcribuntur orationes habitæ iam, nõ vt habeantur: alios non laborare, vt meliores fiant; nulla enim res tantũ ad dicendum proficit, quantũ ſcriptio; memoriam autẽ in poſterũ ingenii ſui non deſiderant, cum ſe putant ſatis magnã adeptos eſſe dicendi gloriam, eámq. etiam maiorem viſum iri, ſi in exiſtimantium arbitrium ſua ſcripta non venerint: alios, quòd melius putent dicere ſe poſſe, quàm ſcribere: quod peringenioſis hominibus, neq. ſatis doctis, plerunq. contigit, vt ipſi Galbæ: quẽ fortaſſe vis non ingenii ſolum, ſed etiã animi, & naturalis quidam dolor dicentẽ incendebat, efficiebátq. vt & incitata, & grauis, & vehemens eſſet oratio: dein cum otioſus ſtylum prehenderat, motúſq. omnis animi tãquam ventus hominem defecerat, flacceſcebat oratio: quod iis, qui limatius dicẽdi conſectantur genus, accidere non ſolet: propterea quòd prudentia nunquam deficit oratorem; qua ille vtens, eodem modo

poſsit & dicere, & ſcribere. ardor animi non ſemper adeſt: iſque cum conſedit, omnis illa vis, & quaſi flamma oratoris extinguitur. hanc igitur ob cauſam videtur Lælii mens ſpirare etiam in ſcriptis, Galbæ autem vis occidiſſe.

QVVM HAEC DIXISSEM, vſus digreſsione, vt oſtendimus, cui nūc alteram addit. QVID IGITVR, eſt quoddā πρόβλημα, quod Cicero paulo poſt explicat. TANTA, quanta ſupra eſt expoſita. VIRTVS, vis, δυνάμεις, ἀρετὴ, ſic ſupra, omnes oratoriæ virtutes in orationibus Catonis reperiētur. CVR, quærit quidem Brutus, ſed nō tam, vt ſciat, quàm vt modeſte, quæ dicta ſunt à Cicerone de oratoribus, vt Atticus infra, ſic ipſe quoq. quaſi confutet, & quidem hoc penè modo: neq. Galba, neq. alii, quos dixiſti Cicero, videntur tales fuiſſe, quales deſcripſiſti. nam Galba male ſcripſit, & alii nihil ſcripſerunt: quum tamen à te ſtylus lib. primo de Oratore optimus, & præſtantiſsimus dicendi effector, ac magiſter appelletur. Quare quum illi vel male, vel nihil ſcripſerint, boni oratores non videntur fuiſſe: quia, quod oratorē maxime facit, ſcribere neſciuerunt. atq. hoc Brutum voluiſſe dicere, oſtendit, quod Cicero reſpondet. MIRARI NON POSSVM, videtur dictum cum ioco. quis enim neſcit, neminem poſſe mirari, quod nunquàm ſit factū? NIHIL OMNINO SCRIPTI RELIQVERVNT, oratores Romani ſcripta, ex quibus iudicium fieri poſſet, non multa ſanè reliquerunt, quod ait lib. primo de Oratore. NEC ENIM, αἰτιολογία illius rei, quam relinquit intelligendam ita propemodum; noli Brute ita concludere: oratores iſti aut male ſcripſerunt, aut nihil ſcripſerunt, ergo ſcribere neſciuerunt, & ideo boni oratores non fuerunt. nec enim eadem eſt cauſa non ſcribendi, & non tam bene ſcribendi, quàm dixerint. NAM, αἰτιολογία αἰτιολογίας. ALIOS, ex his potiſsimū, quos diximus, & dicemus, vt P. Sulpicium, de quo dicetur infra. INERTIA NIHIL SCRIPSISSE, eſt enim magni laboris, quem pleriq. fugimus, vt ait lib. primo de Oratore. DOMESTICVS, quem domi ferre neceſſe fuiſſet, ſi orationes iam habitas poſtea ſcribere voluiſſent. FORENSEM, quem oratores in foro dicendo ſuſtinent. PLERAEQVE ENIM, αἰτιολογία, quaſi dixerit, accederet, quum multi prius ſcribant domi, quàm dicant in foro. pleræque, inquit ipſe, ſcribuntur habitæ iam, & tunc labor domeſticus ad forenſem accedit. ALIOS, videmus. MELIORES FIANT, ſcribendo. NVLLA ENIM, αἰτιολογία quòd oratores ſcribendo meliores fiant. TANTVM AD DICENDVM PROFICIT, QVANTVM SCRIPTIO, eſt enim caput quam plurimum ſcribere, vt lib. primo de Oratore dicitur, vbi Craſſus docet, quantum ipſa ſcriptio proficiat. MEMORIAM AVTEM IN POSTERVM INGENII SVI NON DESIDERANT, non curant, atque adeo nolunt ſua ſcripta extare, quæ ſui ingenii memoriam apud poſteros ſeruent. & quāuis ad inueniendum in dicēdo ingenio ſit opus, vt lib. ſecundo de Oratore M. Antonius diſputat, & ita ſit opus, vt, qui ſe putāt ſatis magnā adeptos eſſe dicendi gloriam, eámq. etiam maiorem viſum iri, ſi in exiſtimantium arbitrium ſua ſcripta non venerint, non poſsint eam gloriam habere, niſi memoria ingenii appareat; in ſcriptis tamen vis ipſius ingenii maxime ſolet extare. ſic Hortenſium, cuius nullum ſcriptum vidimus, magnum quidem oratorem fuiſſe credimus, ſed Ciceronem tamen ex ſcriptis multo maiorem iudicamus. Itaque qui non ſcribunt, non videntur deſiderare memoriam ſui ingenii, quum ea potiſsimum literis ſeruetur vſque adeo, vt ſæpe legas, mandare literis, & tradere memoriæ pro eodem poni. QVVM SE PVTANT, αἰτιολογία niſi enim putarent, ſe ſatis magnam gloriam adeptos, fortaſſe deſiderarent memoriam

ſui ingenii in poſterũ. MAIOREM VISVM IRI, fit enim ferè ſemper, vt eà, quę audimus, maiora, quàm quę videmus, eſſe videátur. EXISTIMANTIVM, libenter legeré, æſtimãtium. ALIOS, alios videmus nihil ſcribere: quę verba niſi addas, aut repetas, σολοικισμὸς fit neceſſe eſt. MELIVS PVTENT DICERE, vt Hortenſius, qui melius dicebat, quàm ſcripſit, vt in Oratore Cic. teſtis eſt. Idem, vt nũc alios mittã, de Carolo Ruino Regienſi Iuriſconſulto, & de Ioanne Baptiſta Egnatio præceptore noſtro iudicatur. quod ipſum nos affirmare poſſumus, qui vtrunq. audiuimus, & vtriuſq. ſcripta legimus. Sed hac ipſa de re Quintil. lib. duodecimo cap. decimo plura diſputat. PLERVNQVE, non ſemper. CONTIGIT, & hodie, vt quum maxime contingit. Videmus enim quandoq. homines prorſus indoctos, bene dicere, qui ne literam quidem, vt ὑπερβολικῶς loquar, ſcirent ſcribere. IPSI GALBAE, de quo tu potiſsimum Brute quæris. FORTASSE, ſic loquitur vt de re, quam pro certo affirmare non poſsit. VIS NON INGENII SOLVM, nam ea quoq. in permouendo requiritur: quamuis, ea de re loquens Cicero in Oratore, ſibi eam non tribuat, ne arroganter de ſe loqui videatur. ANIMI, vis animi, de qua ſic in Oratore ſcribit: ſed, vt ſupra dixi, nulla me ingenii, ſed magna vis animi inflammat, vt me ipſe nõ teneam. eadem in Craſſo fuiſſe dicitur libro ſecundo de Oratore, vbi plura hac ipſa de re ſcribuntur. NATVRALIS QVIDAM DOLOR, qualem in ſe fuiſſe M. Antonius libro ſecundo de Oratore teſtatur, & docet in omnibus bonis oratoribus eſſe oportere. nam, vt ait Horatius, ſi vis me flere, dolendum eſt primum ipſi tibi. DICENTEM, agentem. Tunc enim res maiores videri ſolent. hinc in Oratore ſic de ſe ſcribit Cicero: carẽt libri ſpiritu illo, propter quẽ maiora eadẽ illa, quũ aguntur, quàm quum leguntur, videri ſolent: & lib. primo ad Atticum: ex altercatione licet pauca deguſtes. nam cætera non poſſunt habere eandem neq. vim, neq. venuſtatem, remoto illo ſtudio contentionis, quem ἀγῶνα vos appellatis. hoc Aeſchines videtur ſignificaſſe, quum dixit: quid ſi ipſum audiuiſſetis? INCENDEBAT, ita, vt, quod de Craſſo lib. ſecundo de Oratore dicitur, ardere ipſe videretur. ESSET ORATIO, qualis eſſe debet in eo genere, quod in Oratore παθητικὸν vocat, de quo plura lib. ſecundo de Oratore dicuntur. OTIOSVS, Ser. Galba otium dominactus. PREHENDERAT, vt ſcriberet aliquã orationem iam habitam. MOTVSQVE OMNIS ANIMI, quo dicens incendebatur. TANQVAM VENTVS, ſolet nautas deficere. HOMINEM, Ser. Galbam. FLACCESCEBAT, langueſcebat, & quaſi decidebat, ac vires amittebat. LIMATIVS, ſubtilius. nam ſubtile dicendi, quod attenuatũ vocant, in probando eſt, vt in Oratore docet: in quo verſantur tenues, acuti, omnia docẽtes, & dilucidiora, nõ ampliora facientes, ſubtili quadã, & preſſa oratione limati, vt etiã ſupra retulimus. ACCIDERE NON SOLET, vt melius dicãt, quàm ſcribãt. PROPTEREA QVOD, αἰτιολογία quare nõ accidat iis, qui limatius dicendi genus cõſectantur, vt melius dicãt, quàm ſcribãt: ſed æque bene ſcribãt, ac dicãt: quia in oratore ſemper eſt eadẽ prudẽtia, nõ ſemper idẽ ardor. in oratore ſubtili nõ eſt ardor, ſed eadẽ ſemper prudentia: ergo ſemper eodẽ modo dicit, & ſcribit: contra in ſublimi oratore quãuis eadẽ ſit prudẽtia, nõ eſt tamẽ ſemper idẽ ardor: & ob id nõ ſemper eodem modo ſcribit, quo dicit. NVNQVAM DEFICIT, nam qui eloquentiæ verè dat operam, dat prudentiæ, vt ſupra dixit: & libro tertio de Oratore docet, eloquentiam ſine prudentia eſſe non poſſe. ARDOR ANIMI, qui facit, vt oratores ſæpe melius dicant, quàm ſcribant. NON SEMPER ADEST, vt quũ domi ſunt otioſi oratores. CONSEDIT, cõquieuit. ILLA VIS, quę dicentem prius incendebat. EXTINGVITVR, verbum tranſlationi accõmodatum,

ſlamma extinguitur. CAVSAM, & quidem quaſi duplicem. Lælius ſcripſit, vt dixit, quia verſabatur in ſubtili genere dicendi, nec vi illa permouẽdi incẽdebatur: Galba melius dixit, quàm ſcripſit, quia poſtea otioſus ab illo ardore, & vi dicẽdi deſerebatur. MENS, qua Lęlius vtebatur in dicẽdo. VIS, δύναμις. OCCIDISSE, in ſcriptis. ſpirare occidiſſe, ἀναίσθητον. occidiſſe vero dicho reus, quo partẽ hãc, in qua de Galba vehemẽti oratore locutus eſt, abſoluit.

Fuerunt etiam in oratorũ numero mediocriũ L. & Sp. Mummii fratres, quorum extant amborum orationes: ſimplex quidem Lucius & antiquus, Spurius autẽ nihilo ille quidẽ ornatior, ſed tamen aſtrictor; fuit enim doctus ex diſciplina Stoicorum. Multæ ſunt Sp. Albini orationes. ſunt etiam L. & C. Aureliorum Oreſtarum, quos aliquo video in numero oratorum fuiſſe. P. etiã Popilius cum ciuis egregius, tum nõ indiſertus fuit: C. vero filius eius diſertus. Caiuſque Tuditanus cum omnia vita atque victu excultus, atque expolitus, tum eius elegans eſt habitum etiam orationis genus. Eodemque in genere eſt habitus is, qui iniuria accepta fregit Ti. Gracchum patientia, ciuis in rebus optimis conſtantiſsimus M. Octauius. At vero M. Aemilius Lepidus, qui eſt Porcina dictus, iiſdem temporibus ferè, quibus Galba, ſed paulo minor natu, & ſummus orator eſt habitus, & fuit, vt apparet ex orationibus, ſcriptor ſanè bonus. Hoc in oratore Latino primũ mihi videtur & lenitas apparuiſſe illa Græcorum, & verborum comprehenſio, etiam artifex, vt ita dicam, ſtylus. hunc ſtudioſe duo adoleſcentes ingenioſiſsimi & prope æquales C. Carbo & Ti. Gracchus audire ſoliti ſunt: de quibus iam dicendi locus erit cum de ſenioribus pauca dixero.

FVERVNT, ad rẽ reuertitur. MEDIOCRIVM, nõ ſummorũ. L. L. Mummius, qui nouus, vt ait Paterculus, & penè ignobilis à principio fuit, quando τρίτον οὐκ ἔχομεν εἰπεῖν ὄνομα, vt Plutarchus in Mario ſcribit: quũ Romani nobiles nomina minimũ tria haberẽt: vnde illud, tanquàm habeas tria nomina: vt M. Iunius Brutus, C. Iulius Cæſar, M. Tullius Cicero ſed tres; vt ait Plutarchus, inueniuntur, qui duo tantũ nomina habuerũt, L. Mũmius, C. Marius, Q. Sertorius. nã quòd L. Mũmius Achaicus poſtea eſt dictus, quartũ potius, quàm tertiũ nomẽ eſt, & à quibuſdam agnomen appellatur, vt P. Cornelius Scipio Africanus: quamuis Paterculus ita dicat: vterq. imperator deuictæ à ſe gentis nomine honoratus, alter Africanus, alter appellatus eſt Achaicus; nec quiſquam ex nouis hominibus prior Mummio cognomen virtute partum vindicauit. Hic L. Mummius cum Cn. Cornelio Lentulo Conſul fuit an. ab V. C. ſexcenteſimo octauo, quãuis alii collegã Lucium, nõ Cneũ vocẽt. L. igitur Mũmius Cõſul Achæos vicit, vnde Achaicus eſt appellatus, & Corinthũ deleuit, ac triũphauit: quare ſummus poëta ſic cecinit, Ille triũphata capitolia ad alta Corintho Victor aget currũ, cæſis inſignis Achiuis. Hoc bellũ ſcripſerũt Liuius lib. quinquageſimo primo, quinquageſimo ſecundo, Iuſtinus lib. trigeſimo quarto, autor libelli de Viris illuſt. capite ſexageſimo, Oroſius lib. quinto cap. ſecũdo, Eutrop. lib. quarto cap. tertio, Florus lib. ſecũdo cap. decimo ſexto, & Patercul. lib. primo: hoc ſignificat Cicero in oratione pro le

ge Manilia

ge Manilia,quũ inquit: legati quòd erant appellati ſuperbius, Corinthũ pa-
tres veſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt. & in oratione ſe-
cunda cõtra Rullum:Corinthi veſtigium vix relictũ eſt:& lib.primo de Offi
ciis:Romani Carthaginẽ, & Numantiam funditus ſuſtulerunt: nollem Co-
rinthũ,ſed credo illos ſecutos opportunitatẽ loci,maxime,ne poſſet aliquan
do ad bellum faciendum locus ipſe adhortari: & Verrina tertia: quid de L.
Mummio loquar,qui vrbẽ pulcherrimã, atq. ornatiſsimã Corinthum pleniſ
ſimã rerum omnium ſuſtulit, vrbéſq. Achaiæ, Bœotiæq. multas ſub imperiũ
populi Romani, ditionémq. ſubiunxit? & Verrina quinta: Verres eſt,qui cũ
L.Mummio certet,vt plures hic ſociorũ vrbes,quàm ille hoſtium ſpoliaſſe vi
deatur:& Verrina ſexta: ille L.Mummius quũ Theſpiades,quæ ad ædem Fe-
licitatis ſunt,cæteráq. profana ex illo oppido ſigna tolleret,hunc marmoreũ
Cupidinẽ,quòd erat conſecratus, nõ attigit. Eundem L. Mummium ſignifi-
cat in Lælio his verbis:nunquàm Scipio ſe Mummio antepoſuit: quãuis alii
Sp.Mummium ſignificari putẽt. Libro vero decimo tertio ad Atticũ ſępe no
minat,vti nos in ſcholiis oſtendimus: & lib. ſecundo de Officiis hoc modo:
imitatus patrem Africanus,nihilo locupletior Carthagine euerſa. quid, qui
eius collega fuit in Cenſura,L. Mummius? nunquid copioſior,quũ copioſiſsi
mam vrbẽ funditus ſuſtuliſſet? Italiam ornare, quàm domũ ſuã maluit. ſigna
enim ærea,vt Liuius lib.quinquageſimo ſecũdo ſcripſit,marmoreáque, & ta
bulas pictas in triũpho tulit. hinc Plin.ita ſcribit: Mummius deuicta Achaia
ſignis vrbem repleuit:& tabulis externis autoritatem Romę publice primus.
omniũ fecit.nã quũ in præda vẽdenda Rex Attalus VI. M. Seſtertiũ emiſſet
Ariſtidis tabulã Liberũ patrẽ continentẽ, ille pretium miratus, ſuſpicatúſq.
aliquid in ea virtutis eſſe,quod ipſe neſciret,reuocauit tabulã, Attalo multũ
querẽte:& in Cereris delubro poſuit:& exceſsit è viuis,nõ relinquẽs filiæ do
tem,vſq. adeo cõtinens fuit: Cenſor,vt ſupra diximus,cum Africano fuit:in
quo munere quũ ſegnior,vt autor libelli de Viris illuſtribus, & Valerius Ma
ximus ſcribũt,eſſet,dixit Africanus: vtinã mihi collegã aut dediſſetis, aut nõ
dediſſetis.momordit illum quoq. illo dicto, quod eſt lib.ſecũdo de Oratore:
Aſello Africanus obiiciẽti luſtrũ illud infelix,noli,inquit,mirari.is enim,qui
te ex ærariis exemit,luſtrũ cõdidit, & taurũ immolauit. quod ego dictum ſic
interpretor:tãta ſuſpicio eſt,vt religione ciuitatẽ obſtrinxiſſe videatur Mum
mius,qui Aſellũ ignominia leuauit. SP. Spurius.ſic enim Probus interpreta
tur.Spurii vero,vt ſcriptũ eſt in libello,qui Valerio Max.adſcribitur,dicũtur
patre incerto geniti,quaſi epoptæ:dicti, vt quidã volũt, ἀπὸ τοῦ σπείρειν à ſemi
ne,quod nihil à patre,niſi ſemẽ habeãt. alii hoc modo ſcribunt: Spurius dici-
tur,qui ex muliere nõ nota ortus eſt.Sabini nãq. pudẽda mulieris,ſporios di-
cunt,ſed hanc rationẽ Plutarchus in quæſtionibus abſurdã vocat:illam vero
meliorẽ, quòd Spurius ſit inter illa prænomina, quæ duabus literis notãtur,
S.& P.quibus etiã orbos parẽtibus ſcribũt, quum,ſine patre, eſſe dicũt,per S.
ſine,per P.patrẽ ſignificãtes. Hoc igitur errorẽ fecit,quòd,ſine patre, & Spu
rius iiſdẽ literis Sp.notatur. Sp.igitur Mũmius bellũ in Hiſpania geſsit,& de
Luſitanis triũphauit, vt Appianus in lib.de Rebus in Hiſpania geſtis ſcribit,
& fuit in decẽ legatis L.Mũmio fratri,vt lib.decimo tertio ad Atticũ Cicero
docet,quẽ ſignificat itẽ in Lælio his verbis:hæc etiã magis elucet inter ęqua-
les, vt inter me,& Scipionẽ,L.Furiũ,P.Rutiliũ,Sp.Mummiũ: quãuis L.Mũ-
mius etiã fuerit æqualis ita,vt poſsint videri recte facere,qui legũt ibi,P.Mũ
miũ:quia tamẽ omnes illi,quos ibi nominat,docti cognoſcũtur,veriſimilius
videtur,Sp.Mummiũ,qui doctus erat,vt hic etiã dicitur,quàm L.Mummiũ,
qui non dicitur doctus, cum doctis numerari. Quin vel ob id, quòd doctus

erat, libro ſecundo de Oratore hiſce verbis illum ſignificari credimus: dicebat P. Mummium cuiuis tempori hominem eſſe: ſed legi oportere Sp. nõ P. quòd ſæpe hæ notæ ſoleant mutari, vt olim in Lælio erant mutatæ, P. Craſſum, quũ quiuis videre poſsit, Sp. Caſsium, legendum eſſe. Fuit hic Sp. Mummius etiam legatus in Aegypto cum Africano, quod Iuſtinus libro trigeſimo octauo refert. MVMMII, quare Mummii ſint dicti, nos adhuc inuenire non potuimus: illud quidem ſatis, autore Paterculo, cõſtat, eos homines nouos fuiſſe, & plebeios, quando L. quidam Mummius apud Ciceronem in orationibus Poſt reditum Tribunus plebis agnoſcitur: quem tamen Dion libro trigeſimo octauo λούκιον νόμιον κονάλεκτον, opinor, appellat. Videmus ſæpe Mumios m ſimplici ſcribi, ſed in veterũ monimentis ferè ſemper duplici, vt Græci etiã ſcribunt, & in his Plutarchus, qui in Mario μόμμιον ſcribit. FRATRES, fratres etiam in epiſtolis ad Atticum vocantur. EXTANT, hodie vero non extant. SIMPLEX, &, quod ait Paterculus, tam rudis, vt capta Corintho quum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac ſtatuas in Italiã portandas locaret, iuberet, prædici conducentibus, ſi eas perdidiſſent, nouas eos reddituros. ſimplex tamen hoc loco ad orationem, non ad ingenium refertur, quanquàm oratio index animi dicitur. ANTIQVVS, quod verbis antiquis vteretur, vt ſupra Lælius antiquior eſt appellatus. ORNATIOR, quàm L. Mummius. Sp. vero Mummius non fuit ornatus in dicendo, vt Stoicus. nam Stoici dicendi genus exile ſunt ſecuti, vt infra de Rutilio dicetur. ASTRICTIOR, vt Stoicus itẽ. Stoici enim Dialecticen diligenter ſunt perſecuti, vt Cicero in Topicis oſtendit: Dialectica porrò, vt infra dicitur, quaſi contracta, & aſtricta eloquentia putanda eſt. FVIT ENIM, εἰλαλογία, quare Sp. Mummius neque ornatus, & aſtrictus fuerit: quoniam Stoicus fuit, vt diximus. STOICORVM, de quibus aliquid infra dicetur. SP. ALBINI, Sp. Poſthumii Albini, qui cum M. vel, vt eſt in Salluſtio, Q. Minutio Rufo Conſul an. ab V.C. ſexcenteſimo quadrageſimo quarto fuit: vnde Conſularem infra Cicero vocat. Hic eſt enim Sp. Albinus, qui, quod ſcribit Salluſtius, Maſsinæ perſuaſit, vt Numidiæ regnum ab ſenatu peteret. qui Iugurthæ bellum intulit, & paulo poſt comitiorum cauſa Romam rediit, Aulo fratre, qui legatus erat, in caſtris Proprætore relicto: qui non ita multo poſt fratris diſceſſum infeliciter prælio aduerſus Iugurtham geſto conflixit, vt Liuius lib. ſexageſimo quarto ſcripſit. Nec me mouet, quòd is Sp. Poſthumius Albinus Conſul fuerit poſt aliquot ex his, qui ponuntur infra: quoniam Cicero ſemper ordinem Conſulum non ſequitur: & fieri potuit, vt, quamuis tardius, quàm illi, Conſul ſit factus, tamen illis maior eſſet natu. Vel reuertitur ad eũ, qui Conſul cum L. Piſone an. ab V. C. ſexcenteſimo ſexto fuit. ORATIONES, fortaſſe habitæ contra P. Lucullum, & L. Annium Tribunos plebis, quorum diſſenſio comitia, quod ait Salluſtius, impediebat. SVNT ETIAM, orationes. L. L. Aurelii Oreſtæ, qui cum M. Aemilio Lepido Conſul an. ab V.C. ſexcenteſimo vigeſimo octauo fuit, & Sardos ſubegit, quod Liuius lib. ſexageſimo ſcripſit: cuius Quæſtor fuit C. Gracchus, vt infra dicetur. Huic imperium prorogatum fuiſſe Plutarchus in Gracchis refert. Alicui tamen poſsit ille videri, qui Conſul cum Sex. Iulio Cæſare an. ab V.C. quingenteſimo nonageſimo ſeptimo fuit. C. C. Aurelii Oreſtæ: de quo quidem nos adhuc nihil ſcriptum videre potuimus: ſed tantum coniicimus hunc Lucii fratrem fuiſſe, vt hic L. & C. Aurelios fratres coniungat, vt paulo ante L. & Sp. Mummios coniunxit. aliter T. AVRELIORVM, Aureliã familiam, inquit Sex. Pompeius, ex Sabinis oriundam à Sole dictam putant, quòd ei publice à Populo Romano datus ſit locus, in quo ſacra faceret Soli, qui ex hoc Auſelii

diceban

dicebantur, vt Valeſii, Papiſii. & plebeii fuiſſe videntur, quando C. Aurelius Cotta Tribunatu depulſus libro tertio de Oratore dicitur. nam Cotta, & Oreſtes Aureliorum cognomina frequenter leguntur. Sic Cn. Oreſtes Tribunatum petiiſſe in oratione pro Plancio dicitur. ORESTARVM, vti ſæpe legimus Aurelios Oreſtas dictos, ſic quare ita ſint dicti prorſus ignoramus. ſic libro ſecũdo de Officiis, in orationibus pro Domo, & pro Plancio nominantur. P. ETIAM POPILIVS, P. etiam Popilius Lænas, qui cum C. Sulpicio Galba Conſul an. ab V. C. ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo fuit. Sic enim nunc in Conſulibus ſcriptum videmus: verum nos credimus ſcribi oportere: P. Rutilius, quum in Caſiodoro legatur, P. Sulpicius, & ita iam prænomen mutetur: in Lælio vero Ciceronis, Lænate, & Rutilio Coſs. nec dubium ſit, quin hunc annum ſignificet: vt Verrina ſexta, P. Popilio, P. Rutilio Coſs. Rutilio enim, non Rupilio legendum iudicamus: quum in Lælio illa ſint verba: Scipio P. Rutilium potuit Conſulem efficere: & apud Valerium Maximum libro ſecundo capite ſecundo, illa: P. Rutilius Conſul bellum in Sicilia cum fugitiuis geſsit: & libro quarto capite ſeptimo illa: Senatus Rutilio, & Lænati Conſulibus mandauit. Rutilium vocat item Paulus Oroſius libro quinto capite nono, & Eutropius libro quarto. in Conſulibus tamen illorum temporum nullum Rutilium inuenio, ſed in veteribus inuenio Rupilium. Quare putamus vel Rutilium reponendum, vel Rupilium vbique legẽdum eſſe: vel certe vtrunque retinendum, vt alter alteri ſit ſuffectus: quod de Sulpicio etiã dici poteſt. nam res ea ſæpe nomina confundebat. hic igitur P. Popilius, qui Lucius epiſtola trigeſima ſecunda libri decimi tertii ad Atticũ dicitur, Conſul fuit, quo anno in iudicium vocati ſunt, qui cum Tib. Graccho ſenſerant, vt C. Bloſius, de quo Cicero in Lælio, & Valerius Maximus libro quarto capite ſeptimo ſcribunt. στρατηγὸν tum fuiſſe Popilius dicitur à Plutarcho in Gracchis, & ab interprete Prætor vertitur, quaſi vero στρατηγὸν Conſul non poſsit, & ibi debeat verti. Conſul ergo quum quoſdam Tib. Gracchi amicos, vt refert Plutarchus, vrbe eieciſſet, poſtea cognouit latam eſſe legem à C. Graccho ſimilem priuilegii, vt in iudicium vocaretur, quicunque in magiſtratu conſtitutus, indicta cauſa quempiam eieciſſet. Quare ipſe ex vrbe diſceſsit, nec ita multo poſt fuit reſtitutus. hinc ait infra: L. Beſtia bonis initiis orſus Tribunatus. nam P. Popilium vi C. Gracchi expulſum ſua rogatione reſtituit: & in oratione pro Domo: fortis & conſtans in optima ratione ciuis Popilius ſemper fuit: tamen eius in omni vita nihil eſt ad laudẽ illuſtrius, quàm calamitas ipſa. & ibidem paulo ante: vbi tuleras, vt mihi aqua, & ignis interdiceretur, quod Gracchus de Popilio? Eundem ſignificat in oratione Poſt redit. ad Quirites: non enim pro meo reditu, vt P. Popilii nobiliſsimi hominis adoleſcentes filii, & multi præterea cognati, atque affines deprecati ſunt: & ibidem paulo poſt bis: & in oratione Poſt reditum in ſenatu: nihil vnquàm ſenatus de P. Popilio decreuit: & libro tertio de Legibus: populum Gracchus in Lænatem incitauit. Hæc collegimus, vt intelligatur, in oratione pro Cluentio ſic legendum eſſe: nec P. Popilius, nec Q. Metellus clariſsimi, atque ampliſsimi viri vim Tribunitiam ſuſtinere potuerunt: & epiſtola trigeſima ſecunda libri decimi tertii ad Atticum P. Popilium pro L. Popilio reponẽdum, & fortaſſe in oratione pro Cornelio Balbo, Q. Maximo, P. Lænati, & apud Gellium libro primo capite ſeptimo, P. Popilio, legendum, quamuis ſciamus alios etiam Popilios condemnatos fuiſſe. CIVIS EGREGIVS, fortis, & conſtans in optima ratione ciuis in oratione pro Domo dicitur. NON INDISERTVS, ſatis diſertus, ſatis eloquens: λιτότης. C. Popilius Lænas, cuius nullam memoriam retinemus. EIVS, P. Popilii Lænæ-

tis. CAIVSQVE TVDITANVS, C. Sempronius Tuditanus, qui cum M. Aquilio, quem Paulus Oroſius M. Acilium Capitonem vocat, Conſul fuit an. ab V. C. ſexcenteſimo vigeſimo quinto. His Conſulibus nouendialibus feriis ſermo de Rep. fuit à Cicerone inſtitutus paulo ante mortem Africani, vt libro tertio ad Q. fratrem refert. Hunc Tuditanum Prætorem P. Popilio, & P. Rutilio Coſs. fuiſſe ſcripſit Libo, vt teſtatur Cicero libro decimo tertio ad Atticum, vbi dubitat, an hic in decem legatis Mummio fuerit. OMNI VITA, ATQVE VICTV EXCVLTVS, ſic Cicero ſæpe vitam, & victũ con iungit: hic tamen etiam legitur, omni vita excultus: ORATIONIS GENVS, quo Tuditanus ipſe commentarios ſcripſit. nam C. Tuditani cõmentarium decimum tertium Plinius, & Gellius legerunt, vt apud ipſos inuenies, vt Aſconium mittam, qui & ipſe Tuditanũ laudat autorem. IS, M. Octauius. Tunc enim alii quoque Octauii fuerunt. INIVRIA, poteſtatis obrogatæ, vt, præter alios, Liuius libro quinquageſimo octauo ſcripſit. ACCEPTA, à Tib. Graccho, qui, vt ait Paterculus, illi pro bono publico ſtanti imperium abrogauit. FREGIT, rogatus à nobilibus multos dies intercedendo impediuit, ac repreſsit, vt Plutarchus in Gracchis ſcribit: vel potius fregit Poſt depoſitum Tribunatum, vt ex verbis hiſce apparet, iniuria accepta fregit. TI. GRACCHVM, Tiberium Sempronium Gracchum tunc Tribunum plebis, & leges agrarias ferentẽ, vt ſcribit Paterculus. PATIENTIA, qua vſus eſt in certaminibus, quæ illi in concione ſæpe cum Tib. Graccho fuerunt, vt eſt apud Plutarchum, vel qua vſus eſt, etiam accepta iniuria. IN REBVS OPTIMIS, in rebus optimis, & in rebus optimatium. CONSTANTISSIMVS, quippe qui nunquàm nec precibus, nec minis à propoſito moueri à Tib. Graccho potuerit. M. Marcus. & Marcum vocant omnes, præter Florũ, apud quem Cneum ſcriptum inuenies. OCTAVIVS, M. Octauius Cecinna vocatur à Iulio Obſequente. De Familia vero Octauiorum nihil ad ea, quæ Suetonius in Auguſto ſcribit, videtur addendum. AT VERO, quum illi, quos ſupra diximus, tantum eſſent diſerti, vel certe nõ indiſerti. M. Marcus, vt ab omnibus dicitur. AEMILIVS, ex Aemilia gente, quam ſcribit Sex. Pompeius appellatam à Mamerco Pythagoræ Philoſophi filio, cui propter vnicam humanitatem cognomen fuerit Aemilos: alii, quòd ab Aſcanio deſcendat, qui duos habuit filios Iulium, & Aemilon. Plutarchus in Paulo ſcribit eam τῶν εὐπατριδῶν γεγονέναι καὶ παλαιῶν. addit & illud: ὁ πρῶτος τῶν αἰμιλίων, καὶ τῷ γένει τὴν ἐπωνυμίαν ἀπολιπὼν, μάμερκος ἦν πυθαγόρου παῖς τοῦ σοφοῦ δι' αἱμυλίαν λόγου καὶ χάριν αἰμίλιος προσαγορευθεὶς. quod ſi verum eſſet, Aemylius ſcribi deberet, ipſe tamen Plutarchus ſemper αἰμίλιον & Latini Aemilium ſcribunt, & in veterum monimẽtis Aemilius inuenitur. LEPIDVS, idem penè ſignificat Aemilius, vnde credimus veteres Aemilium interpretatos fuiſſe per Lepidum, & ſic deinceps Lepidum cognomẽ Aemiliorum fuiſſe, vt hodie ſunt apud nos religioſi homines, qui Canonici Regulares vocantur, græce, & latine vtcunq. appellati. Hic M. Aemilius Lepidus Porcina cum C. Hoſtilio Mancino Conſul fuit an. ab V. C. ſexcẽteſimo decimo ſeptimo, nec in eodem bello felicior. nam Proconſul aduerſus Vacceos pugnauit, cladémque ſimilem Numantinæ paſſus, vt apud Liuium libro quinquageſimo ſexto videre poteris, vel apud Appianum in libro de Rebus in Hiſpania geſtis, vbi rem pluribus explicat, & addit ob id hunc M. Aemilium Lepidum poſtea condemnatum fuiſſe: ſed Valerius Maximus libro octauo capite primo ſcribit, à L. Caſsio accuſatum crimine nimis ſublime extructæ villæ in Alſienſi agro, graui multa affectũ fuiſſe. PORCINA DICTVS, id quare nos adhuc quærimus. GALBA, Ser. Sulpicius Galba, de quo ſupra diximus. MINOR, ipſo Galba. nam ſex

annis poſt Galbã Conſulem Conſul hic fuit. SVMMVS ORATOR, vt ſummum oratorem lib. primo de Oratore cum Galba item coniungit. EX ORATIONIBVS, aliter in orationibus: de quibus Atticus infra ſic loquitur: probas Lepidi orationes, paulum hic tibi aſſentior, modo ita laudes, vt antiquas. LENITAS, γλυκύτης ab Hermogene, niſi fallor, appellatur. Cicero certe in Oratore duo quædam orationis genera ponit ἠθικὸν καὶ παθητικὸν quorum alteri vehemẽtem, incenſam, incitatam, fortem, aſperam, grauem, & copioſam orationem: alteri placidam, ſummiſſam, lenem, ſuauem, æqualem, comem, & iucundam ſubiicit: vt mittam, quæ libro ſecundo de Oratore hac de re diſputantur. ILLA, ἔμφασις. GRAECORVM, vt Demetrii Phalerei præſertim: ſupra. VERBORVM COMPREHENSIO, verborum quaſi ſtructuram, & quandam ad numerum concluſionem ſupra, de Iſocrate loquens, vocauit: & in Oratore verbis apte comprehenſam ſententiam. quam veteres plerunque caſu, ſæpe natura faciebant, ſed hic Lepidus Ciceroni videtur primus apud Latinos adhibuiſſe. ETIAM, & iam, ſeparatim libenter legam. ARTIFEX, præſtantiſſimus dicendi effector, ac magiſter, vt libro primo de Oratore dicitur. VT ITA DICAM, dubitauit, ne dura nimis hæc tranſlatio videretur, artifex ſtylus. HVNC, M. Aemiliũ Porcinã. INGENIOSISSIMI, hinc ait infra: vtinam in Tib. Graccho, Caióque Carbone talis mens ad Rempub. bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicẽdum fuit. AEQVALES, inter ſe. Tib. enim Gracchus ante trigeſimum annũ interfectus fuit, vt apud Plutarchum leges, P. Mucio Scæuola, L. Calphurnio Coſſ. vt autor eſt Paterculus: C. vero Carbo Tribunus plebis, vt oſtendit Liuius libro quinquageſimo nono, Claudio, & Perpenna Coſſ. id eſt triennio poſt fuit. IAM, paulo poſt. DE SENIORIBVS, de his, qui C. Carbone, & Tib. Graccho ſeniores fuerunt.

Q. enim Pompeius non contemptus orator temporibus illis fuit; qui ſummos honores, homo per ſe cognitus, ſine vlla commendatione maiorum eſt adeptus. Tum L. Caſſius multum potuit, non eloquentia, ſed dicendo tamen; homo non liberalitate, vt alii, ſed ipſa triſtitia & ſeueritate popularis: cuius quidem legi tabellariæ M. Antius Briſo Tribunus ple. diu reſtitit, M. Lepido Conſule adiuuante. eáq. res P. Africano vituperationi fuit, quòd eius auctoritate de ſententia deductus Briſo putabatur.

Q. ENIM POMPEIVS, is, quem Valerius Maximus libro octauo capite quinto Q. Pompeium Aufidium vocat, qui Conſul quum eſſet cum Cn. Seruilio Cæpione an. ab V.C. ſéxcenteſimo decimo tertio, in Hiſpaniam profectus, Thermeſtinos, vt Liuius libro quinquageſimo quarto videtur ſcripſiſſe, quum Termantini ab Appiano vocẽtur, ſubegit: deinde, non ſemel à Numantinis quum fuiſſet victus, veritus, ne poſtea Romæ accuſaretur, clàm cũ illis de pace cœpit agere. Illi vero legatos ad eum de pace miſerunt: quibus ille palàm dicebat, pacem aliter fieri non poſſe, niſi populi Romani fidei ſe ipſi committerent, quòd aliter populi Romani dignitas minueretur: clàm tamẽ fœdus fecit, vt illi obſides, & fugitiuos darent, ac argenti triginta talenta ſoluerent: quæ omnia quum feciſſent illi, ac iam M. Popilius Lænas ſucceſſor veniſſet, ille iam metu belli præſentia ſucceſſoris liberatus, inficiatus eſt, quicquid fecerat. Quare ipſe, & Numantini à Popilio Romam ad ſenatum ſunt reiecti: vt Appianus in libro de Rebus in Hiſpania geſtis oſtendit: Romę

vero, quod refert Paterculus, Pompeium gratia impunitũ habuit. Illo enim deprecante, accepta lex non eſt, vt libro tertio de Officiis eſt autor Cicero, qui libro ſecundo de Finibus illum callide improbũ vocat, quòd fœdus Numantinum ſit inficiatus. Credimus illum nos etiam tum repetundarum accuſatum, & abſolutum, qnum iudices, vt Cicero in oratione pro Fonteio, & Valerius Maximus libro octauo capite quinto referunt, Cn. & Q. Cæpionibus, L. & Q. Metellis teſtibus in eum non crediderunt. hunc etiam Cicero libro ſecundo Academicarum quæſtionum inter populares ponit. NON CONTEMPTVS ORATOR, λιτότης, ſatis bonus orator: quippe qui, vt diximus, ita ſit deprecatus, vt lex accepta nõ ſit, & ipſe ſit abſolutus. TEMPORIBVS ILLIS, quibus Ser. Galba, & M. Aemilius Lepidus fuerunt. Conſul enim inter ipſos Conſules fuit. SVMMOS, ampliſsimos Verrina ſeptima vocat. HONORES, Præturam, Conſulatũ, Cenſuram. Vt enim alios honores mittamus, Q. Pompeius, & Q. Metellus vterque ex plebe Cenſores primum facti ſunt, vt Liuius lib. quinquageſimo nono ſcripſit. PER SE COGNITVS, ſua, non maiorum virtute nobilitatus. Q. enim Pompeius humili, atque obſcuro loco natus eſt: vt ait Verrina ſeptima. ἐδόκει γὰρ ὁ Πομπήιος υἱὸς αὐλητοῦ γεγονέναι, vt ſcribit Plutarchus in apophthegmatis, vbi iocus eſt Scipionis. hinc à Cicerone in oratione pro Fonteio, & in oratione pro Muræna Q. hic Pompeius homo nouus appellatur. EST ADEPTVS, plurimis inimicitiis, maximíſq. ſuis periculis, ac doloribus, vt Verrina ſeptima ſcribitur. Inimicitias enim cũ Cæpionibus, & Metellis geſsit, vt in oratione pro Fonteio, & apud Valerium Maximum videbis. Ab eius etiam amicitia Lælii nomine Scipio ſe remouit, vt Lælius apud Ciceronem teſtatur: ob eam ſortaſſe cauſam, quam Plutarchus in apophthegmatis ſcribit: quòd, quum, Lælio Conſulatum petente, pollicitus Scipioni fuiſſet, ſe non petiturum, poſtea tamen petierat. TVM, quum Q. Pompeius viueret: quo tamen L. Caſsius annis tredecim minor fuit, vt ex Coſs. apparet, ſi modo Caſsius is Conſul, vt nos putamus, fuit. L. CASSIVS, L. Caſsius Longinus à quibuſdam Ranilia dictus, qui fuit Conſul cum L. Cornelio Cinnà an. ab V. C. ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo: & Cẽſor cum Cn. Seruilio Cæpione, M. Plautio Hipſapone, Fuluio Flacco Coſs. vt Frontinus in libris de Aquæductibus refert. Gens vero Caſsia duplex videtur fuiſſe patricia, & plebeia. nam multi Caſsii inter primos Conſules, & multi item Tribuni plebis in veterũ ſcriptis inueniuntur. MVLTVM POTVIT, quippe qui M. Antio Briſone Tribuno plebis aduerſante, M. Lepido Conſule, & bonis omnibus repugnantibus legem tabulariam tulerit, quod Cicero libro tertio de Legibus affirmat. NON ELOQVENTIA, SED DICENDO TAMEN, quòd non eloqnens, ſed diſertus eſſet. LIBERALITATE, largitione, qua multitudo deliniri ſolet, vt libro ſecundo de Officiis diſputatnr. VT ALII, vt Sp. Caſsius, Sp. Melius, C. Flaminius, & alii. TRISTITIA, ET SEVERITATE, idem penè bis videtur dicere κατ' ἐπεξήγησιν. nam triſtis, & ſeuerus ſæpe conuertuntur, vt oſtendit etiam Seruius, illud Virgilii interpretans: amnémque ſeuerum: & Donatus apud Terentiũ ita ſcribit: triſtis ad laudem interdum ſumitur, non ad amaritudinem: Cicero iudex triſtis, & integer. L. igitur Caſsius ita triſtis, & ſeuerus fuit, vt, quod Valerius Maximus libro tertio capite ſeptimo ſcribit, olim quum Prætor eſſet, eius tribunal propter nimiam ſeueritatem ſcopulus reorum diceretur: de quo ſic etiam ſcribit Aſconius: L. Caſsius ſummæ vir ſeueritatis, quoties quæſitor iudicii alicuius eſſet, in quo quæreretur de homine occiſo, ſuadebat, atque etiam præibat iudicibus, vt quæreretur, cui bono fuiſſet perire eum, de cuius morte quærebatur: ob quam ſeueritatem quo tempore

Sex.

//. Hic nõ est is, de quo Valerius.

Sex. Peduceus Tribunus plebis criminatus eſt L. Metellum Pontificem Maximum, totúmque collegium Pontificum male iudicaſſe de inceſto virginũ Veſtalium, quòd vnam modo Aemiliam damnauerat, abſoluerat autem duas Marciam, & Liciniam, populus hunc Caſsium creauit, qui de eiſdem virginibus quæreret: iſque & vtraſque eas, & præterea complures alias nimia, vt exiſtimatio eſt, aſperitate vſus, damnauit. Hinc Cicero Verrina quinta ita ſcribit: non quæro iudices Caſsianos, veterem iudiciorum ſeueritatem non requiro: nec ita multo ante ibidem, Potamonem iudicem Caſsianum, & hominem ſeuerum [illegible] appellarat. ob id item Verrina ſecunda Caſsiam familiam ad iudicandum vocauit ſeueriſsimam: vnde nos in oratione pro Sex. Roſcio Amerino ſic legendum putamus: L. Caſsius ille, quem populus Romanus ſeueriſsimum, & ſapientiſsimum iudicem putabat, identidem in cauſis quærere ſolebat, cui bono fuiſſet, quòd Cicero in oratione pro Milone, & Philippica ſecunda repetit. non negamus tamen, veriſsimum, vt nunc legitur, etiam retineri poſſe. POPVLARIS, hinc libro tertio de Legibus ita loquitur: lex Caſsia à nobili homine lata eſt L. Caſsio, ſed (pace familiæ dixerim) diſsidente à bonis, atque omneis rumuſculos populari ratione aucupante. Inter populares etiam libró ſecundo Academicarum quæſtionum ponit. LEGI TABELLARIAE, tabella data, inquit infra, quam legem L. Caſsius Lepido, & Mancino Coſs. id eſt an. ab V. C. ſexcenteſimo decimo ſeptimo tulit: tantum abeſt, vt verum ſit, quod Aſconius hoc modo ſcribit: inde ſunt leges Caſsiæ tabellariæ de ſuffragiis libere ferendis, non voce, ſed tabula. ille Caſsius, qui cognoſcendis criminalibus cauſis in primis quærendum eſſe dicebat, cui bono. Aſconius enim videtur credere, eundem Caſsium eum, qui legem tabellariam tulit, & eum, quem Cicero Verrina ſecunda Q. Hortenſio Cos. Des. Tribunum militarem deſignatum fuiſſe ſcribit: quum ab eo tempore ad hoc anni minimum ſeptem & ſexaginta numerentur: quanquàm licet ſuſpicari, Aſconii locum eſſe corruptum, quum idem in interpretatione orationis pro Milone recte ſcribat, vt ſupra nos retulimus: etiam in interpretatione orationis pro Cornelio planius idem demonſtrat: Quæ ſit iſta lex Caſsia, qua ſuffragiorum poteſtas côualuit, manifeſtum eſt. nam Cicero ipſe quoque paulo ante dixit, legem Caſsium tuliſſe, vt populus per tabellam ſuffragium ferret. Altera Caſsia lex, quæ populi iudicia firmauit, quæ ſit, poteſt quæri: eſt autem hæc: L. Caſsius L. F. Longinus Tribunus plebis C. Mario, C. Flacco Coſs plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, vt, quem populus damnaſſet, cuiue imperium abrogaſſet, in ſenatu non eſſet. Ego tamen puto eundem Caſsium tabellariam, & iudiciariam leges tuliſſe, quum Cicero ita dicat infra: iudicia populi tam magis patronum deſiderant, data tabella: quam legem L. Caſsius Lepido, & Mancino Coſs. tulit: & libro tertio de Legibus: lex Caſsia de populi iudicio: niſi forte lex eadem fuit: quamuis Cicero in oratione pro Cornelio ita ſit locutus: ponam Caſsiam, qua lege ſuffragiorum ius, poteſtáſque conualuit: alteram Caſsiam, quę populi iudicia firmauit: nam lege illa tam in iudiciis, quàm in comitiis, vel potius in iudiciis publicis tantum ſuffragia per tabellam ferebantur: quod vt declaremus, neceſſe eſt, vt rem paulo altius repetamus. Populus igitur Romanus ſemper à principio de tribus rebus, de Magiſtratibus, de Legibus, & de bello conſtituit, atque id ipſum ſuffragiis per curias latis: vnde curiata comitia ſunt appellata: in quibus ex generibus omnium, ſicut ſcribit Gellius, ſuffragium ferebatur, & quidem [illegible] vt Dionyſius libro ſeptimo dixit, ſed libro quarto pluribus explicauit: quum docuit, pauperes diuitibus in his comitiis non modo pares, ſed ſuperiores etiam fuiſſe: quòd

multo plures eſſent pauperes, quàm diuites. Quicunque igitur erant in triginta curias diſtributi, viritim ſuffragium ferebant: & quum quid hoc modo decretum fuerat, id Curiæ dicebantur iuſsiſſe: vt in oratione pro Domo Cicero demonſtrat: ſi triginta curiæ id iuſsiſſent, id eſſet ratum? In centuriatis autem comitiis ex deſcriptione Seruii Tullii non omnes, ſed ſinguli per ſuas centurias, vt libro ſeptimo ſcribit Dionyſius, ſuffragium ferebant, quũ à magiſtratibus vocabantur. nam centuriæ centum nonaginta tres ex vniuerſo populo Romano confectæ fuerant ab illo Rege: ex quibus erant decem & octo equitum, peditum octuaginta primæ claſsis, viginti ſecundæ, viginti tertiæ, viginti quartæ, triginta quintæ, vna ſextæ. Vocabantur igitur centuriæ equitum, & peditum primæ claſsis: quæ ſi omnes decernebant, res decreta putabatur. nam plures erant, quàm reliquæ omnes, & equitum centuriæ plurimum in comitiis poterant, & ob id Cicero in epiſtolis à D. Bruto petit, vt ſibi equitum centurias conficiat. Sin in his fuiſſet variatum, tunc cæteræ deinceps vocabantur; donec nonaginta ſeptem minimum idem decernerẽt. Tunc enim abſoluebantur comitia centuriata: in quibus ex cenſu, & ætate, vt ait Gellius, ſuffragium ferebatur. hinc Cicero libro tertio de Legibus ſcribit, in his comitiis populum cenſu, ordinibus, ætatibus deſcriptum fuiſſe. In tributis vero comitiis, quę fiebant, quum ex regionibus, & locis ſuffragium, vt ait Gellius, ferebatur, populus ipſe ferebat, & quidem, quod Cicero libro tertio de Legibus affirmat, fuſe in tribus conuocatus. His primum Tribuni plebis Ap. Claudio, T. Quintio Coſs. an. ab V. C. ducenteſimo octuageſimo ſecundo ſunt creati. Itaque primum curiata, deinde centuriata, poſtremo tributa comitia videntur inſtituta. In his omnibus, qui cum populo agebat, ita illum rogabat: Velitis, iubeatíſne hoc fieri? Populus vero, ſi res placebat, hoc modo iubebat, vti rogas: nam ſinguli ſic vocis ſuffragium ferebant, vt rogatori dicerent, vti rogas, perinde, ac ſi dicerent, iubeo meo ſuffragio fieri, vti rogas. Nec dubitari poteſt, quin ita ſuffragium ferrent, quando ex libro tertio Ciceronis de Legibus apparet, legem primã tabellariam, qua ſuffragium occultaretur, an. ab V. C. ferè ſexcenteſimo decimo quarto latam fuiſſe, quũ prius ſine tabula ſuffragium inirent, &, vti rogas, dicerent: quod Liuius quidem ſæpe, ſed libro tamen potiſsimum ſexto verbis hiſce demonſtrat: vti rogaſſent, primæ tribus dixerunt. pro verbo, dicere, Cicero lib. ſecundo de Legibus verbũ, edicere, ita videtur vſurpare: ſuade igitur, ſi placet, iſtam ipſam legem, vt ego, vti rogas, poſsim edicere: niſi alterum ex altero corrigendum putamus. Ibi loquitur Cicero cum Attico, & cum Q. fratre, qui vocis ſuffragium magis, quàm tabellæ probabant, ob id ad eundem Atticum libro primo ſic olim ſcripſit: operæ Clodianæ pontes occuparant: tabellæ miniſtrabantur ita, vt nulli daretur, vti rogas: id eſt ita inſtabãt Clodiani, vt iudices ſuffragium tabella ferrent, vt nulli concederetur, vt ſuffragium voce ferre poſſet. nam quum multi eſſent corrupti, volebant occulte ſuffragia ferri, ne poſſent notari: nec ea res aliter intelligi, meo iudicio, poteſt: quãuis in ſcholis prioribus eam nos paulo aliter explicarimus, &, qui poſt nos ſcripſerunt, multo ſecus etiam ſint interpretati. Atque voce quidem Romani ſuffragium tulerunt vſque ad annum ferè ſexcenteſimum decimum quartum. Tunc enim Gabinia lex de ſuffragiis per tabellam ferendis eſt lata: ſecuta biennio poſt Caſsia eſt: tertia Papiria: quarta Cælia: quæ tabellariæ ſunt appellatæ: quibus latebra populo data eſt, in qua, bonis ignorantibus, quid quiſque ſentiret, tabella vitioſum occultaret ſuffragium, vt Cicero libro tertio de Legibus ſcribit. Sic enim quiſque ſuam tabellam in ciſtam coniiciebat, vt occulte poſſet aduerſari. Nam iudicibus ternę ſinguli tabellæ dabantur, quarum vna A. altera C.

tera C. tertia N. L. literas inſcriptas habebat: quæ notæ erãt abſolutionis, condemnationis, ampliationis: ex quibus iudex quiſq. quã volebat, in ciſtam poterat cõiicere, atq. id ipſum ita occulte, vt, quẽ vellet, poſſet abſoluere, vel condemnare, vel ampliare ſua tabella, ſine vlla ſuſpicione beneuolẽtiæ, vel odij: quòd nemo poſtea poſſet cognoſcere, quis iudex vel abſoluiſſet, vel condemnaſſet, vel ampliaſſet: niſi omnes vel abſoluiſſent, vel cõdemnaſſent, vel ampliaſſent. Vnde Cic. quũ audiſſet, Ap. Claudiũ omnibus ſuffragiis abſolutum fuiſſe, miratus eſt, nullã ne in tabellæ quidẽ latebra fuiſſe abſconditã maleuolentiã. lege tamẽ Cornelia videtur olim reo licuiſſe optare, clàm, an palàm de ſe ſententiã ferri vellet: id Cic. in oratione pro Cluẽtio docet. In reliquis vero ſuffragiis, in quibus magiſtratus, vel leges, vel tale quid rogabatur, binæ, niſi fallor, tabellæ ſingulis ſuffragiũ laturis dabãtur: quarũ altera punctũ ſine dubitatione, altera nihil, vt ego puto, ſcriptum habebat. Itaque, qui fauebãt, tabellã puncto inſcriptã: qui aduerſabãtur, alterã in ciſtam cõiiciebant. Hinc Cic. in oratione pro Plancio dixit: tribus nõnullas punctis totidẽ tulit: & ibidem paulo poſt: queſtus es, plures te teſtes habere de Voletinia, quàm quot in ea tribu puncta tuleris. huc & illud Horatii eſt referendũ: omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci. Hanc ferẽdi ſuffragii rationẽ Cic. non reprehendit, Demoſthenẽ ſecutus, qui ſuffragia occulta magis probabãt: quãuis Plato lib. nono de Legibus illa ſcribat verba: ἔστω φανερὰ ἡ ψῆφος ſed Cic. id populo Romano cõcedebat: vnde tabellã vindicẽ libertatis in orationibus cõtra Rullum, & lib. tertio de Legibus appellauit. Quod vero nos diximus de ternis judicũ tabellis, & ciſta, obſcure quidem, ſed tamẽ id ſcribit Aſconius: de ciſta vero, quæ in comitia deferretur, autor Rhetoricæ ad Herenniũ libro primo ita ſcribit: Saturninus legem ferre cœpit, collegæ eius intercedere: ille nihilominus ciſtellã detulit: Cæpio, vt cõtra S. C. intercedentibus collegis, aduerſus Remp. videt ferre, cũ viris bonis impetũ facit, põtes diſturbat, ciſtas deiicit. quo quidẽ loco quũ ciſtas dicat, oſtendit plures fuiſſe, vt forte vna quæq. curia, centuria, & tribus ſua ciſta vteretur. M. ANTIVS BRISO, Antiorũ familia Romę fuit plebeia, vt Tribunatus pleb. oſtẽdit: M. LEPIDO, M. Aemilio Lepido Porcina, de quo paulo ante dictũ eſt. CONSVLE, cũ C. Hoſtilio Mãcino. ADIVVANTE, M. Antium Briſonẽ. EAQVE RES, lex illa tabellaria. P. AFRICANO, P. Cornelio Scipioni Africano Aemiliano. VITVPERATIONI FVIT, apud illos, qui legẽ tabellariã nõ probabant, qualis poſtea fuit Q. Cic. qui lib. tertio de Legibus cum Marco fratre ſic loquitur: Caſsiæ legis culpã Scipio tuus ſuſtinet, quo autore lata eſſe dicitur. ob id opinor, Scipio popularis à quibuſdã putabatur, vt lib. ſecũdo Academicarũ queſtionũ videre potes: ſed pro ſe dixit ipſe in libris de Rep. vt Cic. lib. tertio de Legibus teſtatur. SENTENTIA, legi tabellariæ reſiſtẽdi. PVTABATVR, ſic lib. tertio de Legibus nihil affirmat, ſed inquit: quo autore lata eſſe dicitur.

Tum duo Cæpiones multum clientes conſilio & lingua, plus autoritate tamen & gratia ſubleuabant. ſed Pompeii ſunt ſcripta nec nimis extenuata, (quanquam veterum eſt ſimilis) & plena prudentiæ. P. Craſſum valde probatum oratorem, iiſdem ferè temporibus accepimus; qui & ingenio valuit, & ſtudio, & habuit quaſdam etiam domeſticas diſciplinas. nam & cum ſummo illo oratore Ser. Galba, cuius Caio filio filiam ſuam collocauerat, affinitate ſeſe deuinxerat: & cum eſſet P. Mutii filius, fratrẽmque haberet P. Scæuolam, domi ius ciuile cognouerat. in eo indu-

ſtriam conſtat ſummã fuiſſe, maximámque gratiam, cum & conſuleretur plurimum,& diceret. Horum ætatibus adiuncti duo C. Fannii, Caii Marci filii, fuerunt: quorum Caii filius, qui Conſul cũ Domitio fuit, vnam orationem de ſociis & nomine Latino contra Gracchum reliquit. ſanè & bonam,& nobilem.

DVO, Cn.& Q. vt ipſe Cicero in oratione pro Fonteio, & Valerius Max. lib. octauo cap. quinto vocant: quum ſcribunt illis teſtibus in Q. Pompeium non eſſe creditum, quòd cum illo inimicitias gerere diceretur. Illud addit Valerius Max. iiſdem parentibus illos natos fuiſſe, & per omnes honorum gradus ad ſummam amplitudinem perueniſſe. Cn. enim cum Q. Pompeio Conſul an. ab V. C. ſexcenteſimo decimo tertio fuit: Q. vero cũ C. Lælio anno ſequenti fuit Conſul: qui Viriatum dolis interficiẽdum curauit, vt Liuius libro quinquageſimo quarto, Eutrop. lib. quarto, & Appianus in lib. de Rebus in Hiſpania geſtis, ſcribunt: Vnde Valerius Max. lib. nono cap. ſexto illũ inter perfidos numerauit. CAEPIONES, Seruilii Cæpiones. Seruilios vero, quũ fuiſſent inter principes Albanorũ, Tullus Rex in patres legit, vt Liuius lib. primo ſcribit: vnde tã multi Seruilii Conſules ante, quàm plebeii Cõſules fierẽt, fuiſſe legũtur: quidam tamẽ Seruilii etiam Tribuni ple. inueniuntur, vt M. Seruilius apud Cicerone, & P. Seruilius apud Aſconium. Quare dicẽdum videtur, duas familias fuiſſe. In veterũ monimẽtis Cæpio, apud Plutarchum κεπίων græce ſcribitur. CONSILIO, ET LINGVA, videtur quædã περίφρασις eloquẽtiæ, quæ nihil aliud eſſe dicitur, niſi copioſe loquens ſapientia, vt in Partitionibus, & lib. tertio de Orat. diſputatur. AVTORITATE, his Cæpionibus Cic. in oratione pro Fonteio virtutẽ, genus, res geſtas, fidẽ, & autoritatẽ tribuit. SVBLEVABANT, vt patroni. SED POMPEII SVNT SCRIPTA, erit hic ſenſus: reliqui ſeniores, de quibus ante Tib. Gracchũ nos dicturos ſumus polliciti, nihil ſcripti reliquerũt, ſed Q. Põpeii ſunt ſcripta. L. igitur Caſſius, & duo Cæpiones nihil ſcripſerũt, quod extet, ſed Q. Pompeius ſcripta quædam reliquit. Alii tamẽ hoc loco legũt, ſed Publii ſunt ſcripta: nos quem Publiũ velint ſignificare, prorſus ignoramus. Quòd ſi quid mutãdũ ſit, malimus legere, Q. vt Q. Cæpionẽ ſignificet, ác ita quaſi dicat: erãt quidẽ duo Cæpiones Oratores Cn. & Q. ſed Q. ſunt ſcripta. NEC NIMIS EXTENVATA, qualia erãt veterũ ſcripta. VETERVM EST SIMILIS, in ſcribẽdo, ſed nõ ita tamẽ, vt eius ſcripta ſint extenuata. P. CRASSVM, P. Liciniũ Craſſum Mutianum Diuitẽ. nã quũ P. Mucii Scæuolę filius, vt paulo poſt dicitur, fuiſſet, à P. Licinio Craſſo adoptatus, ita de more fuit appellatus. Vt. n. diximus in ſcholiis in epiſtolas ad Atticũ, prænomẽ, nomẽ, & cognomẽ adoptãtis adoptati & quidẽ deinceps ſumebãt: nomẽ vero ſuæ gẽtis, ſed [illegible] retinebãt, vt P. Cornelius Scipio Aemil. poſt hæc autẽ adoptãtis, vt vocãt, agnomẽ, ſi modo erat, interdũ addebãt: quo modo hũc Diuitẽ credimus appellatũ: quod is, qui adoptauit, Diues diceretur, vt in veterũ Conſulibus appellatur, & à Plin. lib. vigeſimo primo cap. tertio, vt opinor. Hic certe, de quo loquimur, cognomine Diues eſt dictus, vt Cic. lib. primo de Orat. & lib. ſecũdo de Officiis affirmat. hic enim ille eſt, de quo Gellius libro primo capite decimo tertio ſcribit hoc modo: is Craſſus traditur quinque habuiſſe rerum bonarum maxima, & præcipua: quòd eſſet ditiſsimus, quòd nobiliſsimus, quòd eloquentiſsimus, quòd Iuriſconſultiſsimus, quòd Pontifex Max. Hic, vt ait Plin. lib. vigeſimo primo cap. tertio, quum demptam Marſyæ coronam è floribus capiti ſuo impoſuiſſet, atq. ob id eũ duci in vincula Triumuiri iuſsiſſent, appellauit Tribunos pleb. nec illi interceſſere. nos enim credimus eundem eſſe, quum Plinius

Mutianum

Mutianum vocet, niſi forte ſignificet illum, quem alibi ter Conſulem fuiſſe ſcribit. Hunc, vt Cicero lib. ſecundo Academicarum quæſtionum, & Plutarchus ſunt teſtes, Tib. Gracchus, quum legem agrariam ferre vellet, dicitur adhibuiſſe, quòd C. Gracchus frater eius filiam vxorem haberet: vnde poſt Tib. Gracchi mortem electus eſt ipſe, qui agrum diuideret. Hic an. ab V. C. ſexcenteſimo vigeſimo tertio cum L. Valerio Flacco Conſul fuit: quo tempore Claudius Cos. Des. de C. Carbonis ſeditione retulit, & ſenatus id decreuit, quod & Cic. lib. tertio de Legibus ſcribit, & nos infra de C. Carbone referemus. Eodem tempore cum Ariſtonico, vt autor eſt Cicero Philippica vndecima, bellum gerendum fuit. Rogatus populus, quem id bellum gerere placeret: Craſſus Cõſul, Pontifex Max. Flacco collegæ Flamini Martiali multam dixit, ſi à ſacris diſceſsiſſet. Itaq. populus Craſſo bellũ gerendum dedit. Hinc Liuius lib. quinquageſimo nono ita ſcripſit: aduerſus Ariſtonicũ P. Licinius Craſſus Conſul, quũ idem Pontifex Max. eſſet, quod nunquam antea factũ erat, extra Italiam profectus, prælio victus, & interẽptus eſt. in prælio interfectũ Strabo quoq. lib. decimo quarto, & Eutrop. lib. quarto dicunt, & Eutrop. illud addit, eius caput Ariſtonico oblatũ, & corpus Smyrnæ ſepultũ fuiſſe. Paterculus tamẽ eum decedentẽ ex Aſia Procõſulem, ab eodẽ Ariſtonico interemptũ fuiſſe refert: ſed Valerius Max. lib. tertio cap. ſecundo, Oroſius lib. quinto cap. decimo, & Florus lib. ſecũdo cap. vigeſimo ſunt autores, eum à Thracibus, quorũ Ariſtonicus magnũ numerum in præſidio habebat, inter Eleã & Smyrnã exceptũ, ne in ditionẽ hoſtis perueniret, dedecus, accerſita ratione mortis, effugiſſe. Virgã enim, qua ad regendum equũ vſus fuerat, in vnius barbari oculum direxit, qui vi doloris accenſus, latus Craſsi ſica cõfodit. PROBATVM ORATOREM, hinc L. Craſſus lib. primo de Oratore illum laudandum putat: quòd, quũ Scæuolę frater eſſet, ſolitus eſſet ei perſępe dicere, neq. illum in iure ciuili ſatis illi arti facere poſſe, niſi dicendi copiã aſſumpſiſſet: neq. ſe ante cauſas amicorũ tractare, atq. agere cœpiſſe, quàm ius ciuile didiciſſet. nec ita multo poſt in eodẽ lib. idem eloquẽs, & iuris peritus ab Antonio vocatur, ne repetã, quod ex Gell. ſupra relatũ eſt. SISDEM FERE TEMPORIBVS, nã inter Q. Põpeii, vt alios mittã, & huius Craſsi Cõſulatus nouẽ anni ſummũ numerãtur. SNGENIO VALVIT, ET STVDIO, tantũ valuit, vt ita Valerius Max. lib. octauo cap. ſeptimo ſcribat: P. Craſſus, quũ in Aſiam ad Ariſtonicũ Regẽ debellandum Cõſul veniſſet, tãta cura Græcæ linguæ notitiam animo cõprehẽdit, vt eã in quinq. diuiſam genera, per omnes partes, ac numeros penitus cognoſceret: quæ res ei maximũ ſociorum amorẽ conciliauit, qua quis eorũ lingua apud tribunal eius poſtulauerat, eadem decreta reddenti. DISCIPLSNAS, ex quibus erudiri potuit, vt eruditus fuit. NAM, αἰτιολογία, in qua ordine artificioſo vti maluit, quàm naturali, vt oratio creſceret. SVMMO, ita, vt, quod ſupra dictum eſt, omnibus æqualibus eloquẽtia præſtiterit. SLLO, ἔμφασις. SER. GALBA, de quo diximus. CVIVS CASO FILSO, aliter, cuius filio: de quo ſic infra: huic ſucceſsit ætati C. Galba Seruii illius eloquẽtiſsimi viri filius, P. Craſsi eloquẽtis, & iuriſperiti gener. Quare prænomen illud, Caio, hoc loco potes retinere. FILIO FSLIAM, προσωνυμασία: & filiã Liciniã de more credimus appellatã fuiſſe. AFFINITATE, quę proprie ſit inter eos, qui per nuptias coniunguntur. DEVSNXERAT, ita, vt ipſe Ser. Galba illum, quum Aedilitatem peteret, maior natu, & Conſularis aſſectaretur, vt libro primo de Oratore dicitur. ESSET, hic P. Craſſus. P. MVCSI, P. Mucii Scæuolæ eius, niſi me coniectura fallit, qui fuit Conſul cum Sp. Poſthumio an. ab V.C. quingẽteſimo octuageſimo. FRATREMQVE HABERET, hinc Cicero lib. ſecundo Academicarum quę-

ſtionum ita ſcribit: duos ſapientiſsimos, & clariſsimos fratres P. Craſſum, & P. Scæuolam aiunt Tib. Graccho autores legum fuiſſe: alterum quidem, vt videmus, palàm: alterum, vt ſuſpicamur, obſcurè. P. SCAEVOLAM, P. Mucium Scæuolam, de quo Cicero libro duodecimo ad Atticum ſic ait: Nunc velim, P. Scæuola Pontifex Maximus quibus Conſulibus Tribunus plebis: equidem puto, Cæpione, & Pompeio. Prætor enim P. Furio, Sex. Atilio. Dabis igitur Tribunatũ. Hic igitur P. Mucius Scæuola Pontifex Maximus fuit, vt in oratione pro Domo his verbis etiam manifeſtius oſtendit: P. Scæuola Pontifex Maximus pro collegio reſpondit, idque T. Flaminio, Q. Metello Coſs. id eſt an. ab V.C. ſexcenteſimo trigeſimo primo, ne quis putet alium ſignificari. Fuerat enim Conſul ipſe cum L. Calphurnio Piſone an. ab V. C. ſexcenteſimo vigeſimo primo. Qui fieri igitur poterat, vt iiſdem temporibus duo, & duo fratres eſſent Pontifices Maximi, ipſe P. Scæuola, & P. Craſſus, vt diximus, quum vnus tantum Pontifex Maximus fieret, nec in collegium duo propinqui, vt ſcribit Dion, nedum duo fratres reciperentur? Credimus igitur nos P. Scæuolam in locum P. Craſsi fratris, qui Conſul, vt dictum eſt, perierat, lectum Pontificem Maximum fuiſſe: & ob id etiam, quòd fratri ſuperſtes fuit, à Cicerone non hic, ſed infra poſitum fuiſſe, quamuis P. Craſſo maior natu fuiſſe videatur: quòd patris prænomen habuerit, & ante Conſul, quàm P. Craſſus ſit factus: qui tamen in gerenda Repub. putabatur, vt ait Cicero in oratione pro Domo, ſegnior: quòd ipſe, & frater, vt eſt dictum, Tib. Graccho autores legum fuiſſe dicebantur. Hic Iuriſconſultus fuit, & libros de iure, viuo adhuc fratre, imò Aedilitatem petente, ſcripſerat, vt legimus libro primo de Oratore: in quo quidem libro Cicero illum pila bene, & duodecim ſcrupis ludere ſolitum fuiſſe teſtatur. P. Publium, vt Cicero libro primo ad Atticum, libro primo de Oratore, Verrina ſexta, oratione pro Domo, & alibi vocat, quem Paterculus, & optimi quiq. ſcriptores ſequuntur: quare Caſsiodorus, & alii, qui C. ſcribunt, prorſus errant. MVCIVM, Mucii, ſi Dionyſio, & Plutarcho credimus, patricii fuerunt, ſed aliquos ex his plebeios fuiſſe tot Tribunatus oſtendunt. SCAEVOLAM, Muciorum cognomen, quod primum Mucio, qui Porſenam voluit interficere, à clade dextræ manus, vt Liuius loquitur, inditum fuit. DOMI, reſpicit ad prouerbium, domi habet. habebat autem P. Craſsus domi, vnde diſceret ius ciuile, fratrem, & alios. nam multi Scæuolæ iuriſperiti fuerunt. hinc Scæuola libro primo de Oratore inquit: iura ciuilia iampridem in noſtra familia verſantur. COGNOVERAT, ita, vt à Gellio iuriſconſultiſsimus appelletur. EO, P. Craſſo. INDVSTRIAM, lege Valerium Maximum libro octauo capite ſeptimo. GRATIAM, qua tantum valuit, vt quod nunquam anteà factum fuerat, impetrarit, vt ipſe Pontifex Maximus bellum extra Italiam gereret, vt ſupra retulimus. CONSVLERETVR, vt Iuriſconſultus de iure conſuleretur, vt olim à ruſticano conſultus eſt, quum Aedilitatem peteret, vt libro primo de Oratore Cicero refert. DICERET, vt orator probatus. paulo ante. HORVM, Q. Pompeii, L. Caſsii, duorum Cæpionum, & P. Craſsi. DVO C. aliter duo Caii, vt vel legere, vel interpretari oportet. FANNII, Fannii plebeii fuerunt, vt oſtendit Tribunatus plebis, quem paulo poſt nominat. CAII, C. Fannii Strabonis, qui cum M. Valerio Meſſala Conſul an. ab V.C. quingenteſimo nonageſimo tertio fuit, & legem ſumptuariam tulit, vt autor eſt Plinius lib. decimo cap. quinquageſimo, quicquid Macrobius ea de re dicat. MARCI, C. Fanniũ Lelii generũ ſemper Cic. hic, in Lelio, & in epiſtolis ad Atticũ Marci filiũ vocat. CAII FILIVS, C. Fãnius C.F.C.N. Strabo. ſic enim in veterum monimẽtis legitur. DOMITIO,

Cn. Domitio

Cn. Domitio Cn. F. L. N. Ahenobarbo, vt in veterum monimentis ſcribitur.. FVIT, an. ab V. C ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo:quo tempore ſcribit Iulius Obſequens, in foro Veſſano Androgynum natum,in mare delatũ eſſe:in Gallia tres ſoles, & tres lunas eſſe viſas. Quare ſic apud Plinium libro ſecundo capite trigeſimo ſecundo legendum eſt: lunæ quoque trinæ,vt Cn. Domitio,C.Fannio Coſs.apparuere. DE, ne interpreteris hic,de,id eſt pro, quoniam Fannius aduerſatus eſt. SOCIIS, συμμάχων, vt ait Plutarchus in Gracchis. Quo vero pacto ſocii fierent, ſcribitur libro primo capite octauo Machabęorum.à ſociis ſociale bellum dictum eſt ab omnibus hiſtoricis,quaſi à ſociis illatum,quod tamen Cicero Italicum vocat. His omnibus,vel potius toti Italiæ,vt ait Paterculus,ciuitatẽ Tib. Gracchus eſt pollicitus, & poſtea C.Gracchus dabat,cui Fannius Cõſul eſt aduerſatus. NOMINE LATINO, C.enim Gracchus in ſecundo Tribunatu de coloniis mittendis tulit, καλῶν, vt ait Plutarchus, ἔδει κοινωνεῖν πολιτείας τοὺς λατίνους καὶ αὐτοῖς ἰσοψηφίαν διδοὺς. nec ab eo multũ diſſentit Appianus. ſic infra ſocios,& Latinos ſeiungit. GRACCHVM, C. Gracchum. ſic enim Cicero ſæpe propter excellentiam vocat, vt infra, & libro tertio de Oratore videre licet. Hic vero illum ſignificari res ipſa etiam docet:quòd quũ ipſe C.Gracchus C. Fannium Conſulem faciendum curaſſet, ille tamen à patribus ſtetit. nam quum C. Gracchus leges quaſdam promulgaſſet,& quotidie magna ſociorum multitudo ad eum conueniret, ſenatus Fannio Conſuli perſuaſit, vt iuberet omnes, præter Romanos, vrbe exire:id quod fecit. Gracchus vero contrà edictum fecit:in quo Conſulem reprehendebat, & ſociis, ſi manerent, opem contra Conſulem pollicebatur.hinc nata ſimultas.

Tum Atticus,quid ergo? eſt ne iſta Fannii? nam varia opinio pueris nobis erat. alii à C. Perſio literato homine ſcriptam eſſe aiebant,illo,quem ſignificat valde doctum eſſe Lucilius:alii multos nobiles,quod quiſque potuiſſet, in illam orationem contuliſſe. Tum ego, Audiui equidem iſta,inquam, de maioribus natu, ſed nunquam ſum adductus vt crederem: eámque ſuſpicionem propter hanc cauſam credo fuiſſe, quòd Fannius in mediocribus oratoribus habitus eſſet, oratio autem vel optima eſſet illo quidem tempore orationum omnium. ſed nec eiuſmodi eſt, vt à pluribus confuſa videatur; vnus enim ſonus eſt totius orationis, & idem ſtylus:nec de Perſio reticuiſſet Gracchus,cũ & Fannius de Menelao Maratheno, & de cæteris obieciſſet, præſertim cum Fannius nunquam ſit habitus elinguis: nam & cauſas defenſitauit; & Tribunatus eius, arbitrio & auctoritate P. Africani geſtus,non obſcurus fuit. Alter autem C. Fannius M.F.C.Lælii gener,& moribus, & ipſo genere dicendi durior.is ſoceri inſtituto; quem,quia cooptatus in Augurum collegium non erat, non admodum diligebat, præſertim cum ille Q. Scæuolam ſibi minorem natu generum prætuliſſet:cui tamen Lælius ſe excuſans,non genero minori dixit ſe illud, ſed maiori filiæ detuliſſe: is tamen inſtituto Lælii Panætium audiuerat.eius omnis in dicendo facul-

tas ex hiſtoria ipſius non ineleganter ſcripta perſpici poteſt: quæ neque nimis eſt infans, neque perfectè diſerta. Mutius autem Augur, quod pro ſe opus erat, ipſe dicebat, vt de pecuniis repetundis contra T. Albutium. is oratorum in numero non fuit: iuris ciuilis intelligentia, atque omni prudentiæ genere præſtitit. L. Cælius Antipater, ſcriptor, quemadmodum videtis, fuit vt temporibus illis luculentus, iuris valde peritus, multorum etiam, vt L. Craſsi, magiſter.

ATTICVS, vt antiquitatis ita peritus, vt illum Cicero ſæpe hiſce de rebus conſuleret, vt in Epiſtolis apparet. ISTA, oratio. FANNII, C. Fannii tunc Conſulis, vt dictum. C. PERSIO, lege librum primum de Oratore. SCRIPTAM, & C. Fannio datam: quod alios etiam feciſſe infra videbimus. SIGNIFICAT, quum ſcribit hoc modo: hæc Perſium non curo legere, Lælium Decimum volo, quod libro primo de Oratore ſcribitur: non autem, vt in prologo repetit Plinius: hæc doctiſsimum Perſium legere nolo, Lælium decimum volo. nam ſi Lucilius doctiſsimum dixiſſet, Cicero hoc loco non diceret, ſignificat. ſignificauit vero, quum ſua ſcripta eum legere noluit, illius iudicium reformidans: vt libro primo de Finibus ſcribit Cicero: qui quũ in libris de Rep. hanc ſententiam mutuaretur, doctiſsimum addens, interpretatus eſt: quod Plinius non videtur animaduertiſſe. VALDE DOCTVM, omnium Romanorum doctiſsimum Craſſus libro primo de Oratore vocat. LVCILIVS, C. Lucilius poëta, cuius vitam Crinitus, & Lilius ſcribunt. NOBILES, qui Graccho aduerſabantur. CONTVLISSE, de nobili oratione loquens Cicero, ſuo dichoreo vtitur. ISTA, quæ tu dicis Attice. SVSPICIONEM, hanc orationem à Perſio ſcriptam fuiſſe. OPTIMA ESSET, ita bona, & nobilis, quòd dictum eſt, vt à C. Fannio mediocri oratore non videretur ſcripta. ILLO QVIDEM TEMPORE, quo pigmenta nondum erant inuenta, vt infra dicetur: nec numerus, qui poſtea fuit agnitus, vt refertur in Oratore. SED NEC, hic confutat illas duas opiniones ordine conuerſo. PLVRIBVS, nobilibus vt dictum eſt. VNVS ENIM, ἀλληγορία SONVS, videtur tranſlatio à lyra ſumpta, quæ ſemper eundem ſeruat ſonum. hinc Aegyptii, vt Orus ſcribit, hominem eundem tenorem vitæ ſeruantem ſignificare volentes lyram pingebant. ab aliis tamen hic tonus, quæ vox Ciceroniana non eſt, vel tenor reponitur. IDEM STYLVS, quòd fieri non potuiſſet, ſi plures eam ſcripſiſſent: quum vix vni idem ſtylus eſſe poſsit, nedum pluribus. hinc viri docti coniiciunt autorem priapei carminis vnum, non plures, vt alii volunt, fuiſſe, quòd idem ſtylus eſſe videatur. DE PERSIO, orationem illam à Perſio ſcriptam fuiſſe. RETICVISSET, λιτότης nec reticuiſſet, ſed dixiſſet, reſpondens Fannio, illam à Perſio ſcriptam fuiſſe: quanquàm hęc ipſa ratio nõ multum mibi videtur valere. nam fieri potuit, vt tum Gracchus id ignorarit, quod poſtea ſit cognitum. GRACCHVS, C. Gracchus. DE MENELAO MARATHENO, de Menelao Maratheno Rhetore Gręco. CAETERIS, Rhetoribus. OBIECISSET, tanquàm illorum opera in ſcribendis orationibus vti ſolitus eſſet. PRAESERTIM, ſic collige ſenſum. non credo à Perſio, neque à pluribus, ſed ab ipſo C. Fannio orationem illam ſcriptã fuiſſe, præſertim quum Fannius ipſe nunquàm ſit habitus elinguis, quamuis in mediocribus oratoribus fuerit. NAM, ἀλληγορία quòd nunquàm ſit habitus elinguis. DEFENSITAVIT, vt patronus: quod facere nõ potuiſſet, niſi fuiſſet diſertus. P. AFRICANI, P. Cornelii Scipionis Africani Aemiliani,

GESTVS, forte P.Scipione, D.Bruto Coſs.quo tempore Africanus,& Mũ-
mius Cenſores fuerunt, vt ſupra diximus. Videbatur enim Cicero audiuiſſe,
tunc Fannium Tribunum plebis fuiſſe: quanquàm libro decimo ſexto ad At-
ticum de C.Fannio M. F. hoc ipſum ſcribit: ſed quum poſtea nihil infra ſuo
loco ea de re dicat, videtur errorem ſuum, Attico fortaſſe monente, cogno-
uiſſe, & hunc pro illo repoſuiſſe. NON OBSCVRVS FVIT, quòd multas
cóciones habuerit. ALTER, ex duobus Fanniis, quos propoſuimus. C. LAE
LII, de quo ſupra diximus. GENER, hunc enim Fannium, inquit in epiſto
lis ad Atticum, generum eſſe ſcripſeram Lælii: ſed tu me γεωμετρικῶς refelle-
ras: te autem nũc Brutus, & Fannius: ego tamen de bono autore Horten-
ſio ſic acceperam; vt apud Brutum eſt. in Lælio etiam ſæpe Lælii generum
vocat. DVRIOR, vt Stoicus, qui Panætium audiuit, vt ſequitur. exilis etiã
libro primo de Legibus appellatur. IS, C.Fannius. SOCERI, Lælii. IN-
STITVTO, quo vſus ipſe quoque Lælius Panætium audiuit, vt ſupra ex li-
bro ſecundo de Finibus oſtendimus. QVEM, Lælium ſocerum. COOPTA-
TVS, ab ipſo Lælio Augure, vt Cicero cooptatus fuit ab Hortenſio, quod
ſupra diximus. NON ERAT, in Augurum collegium non erat cooptatus.
atqui in Lælio ſic ipſe Fannius loquitur: proximis Nonis quum in hortos D.
Bruti Auguris commentandi cauſa, vt aſſolet, veniſſemus, tu Læli non affui
ſti: qui diligentiſsime ſemper illum diem, & illud munus ſolitus eſſes obire:
ex quibus quidem verbis apparet, Fannium hunc ipſum Augurem fuiſſe, qui
cum Auguribus cõmentandi cauſa conuenerit. nam morem fuiſſe, vt Augu-
res Nonis commentandi, & colloquendi cauſa congregarentur, oſtendunt
Scæuolæ verba, quæ paulo poſt in Lælio ſequuntur: quòd his Nonis in no-
ſtro collegio non affuiſſes, valetudinem reſpondeo cauſam, non mœſtitiam
fuiſſe: & illa, quæ ſunt libro primo de Diuinatione: in Perſis augurantur, &
diuinant Magi, qni congregantur in fano commentandi cauſa, atque inter
ſe colloquendi: quod etiam idem Augures quondam facere Nonis ſolebant.
Vel igitur dicendum, alios etiam, præter Augures, potuiſſe conuenire ad id
munus, vel Fanninm poſtea cooptatum fuiſſe: vel Ciceronem alios alibi ſcri
ptores eſſe ſecutũ: vel certe deceptum, præſertim quum de hoc ipſo Fannio
videatur ſæpe dubitaſſe: vt quum in epiſtolis ad Atticum de illo quærit: & ex
libris de Rep. illũ ſuſtuliſſe in Lælio demonſtrat, vt nos in ſcholiis libri quar-
ti ad Atticum diximus. ILLE, C.Lælius. Q. SCAEVOLAM, de quo paulo
poſt dicetur. SIBI, Fannio. ἀμφιβολογία eſt. vt enim Quintilianus ait, id ſibi,
& ad ſocerum referri, & ad Fannium poteſt. at, inquit Laurentius Vallenſis,
ſi dixiſſet, ei, de Fannio vtique locutus intelligeretur, aut ſi, ipſi, aut ſi, illi:
quaſi vero male ſit locutus, quum, ſibi, dixit: qui ſemper optime locutus eſt.
MINOREM NATV, recte igitur faciunt, qui ſic in Lælio perſonas mutant,
vt Fannius illa verba dicat: Tu vero perge Læli. Pro hoc enim, qui minor
eſt natu, meo iure reſpondeo: & Scæuola reſpõdeat: recte tu quidem: qnam-
obrem audiamus. NON GENERO, non ipſi Scæuolæ tanquàm genero. IL-
LVD, illam ipſam cooptationem. MAIORI FILIAE, Læliæ, quæ Scæuolę
nupſerat: de qua infra dicetur. IS TAMEN, is tamen Fannius. eſt autem ἐπα-
νάληψις. PANAETIVM, Panætium Nicagoræ filium, Rhodium, Philoſophũ
Stoicum, qui Scipionis Africani minoris magiſter, & comes fuit: de quo vt
plura dicamus, nõ videtur locus poſtulare. EIVS, C.Fannii. HISTORIA,
modo annales, modo hiſtoriam vocat. & ſanè libro ſecundo de Oratore, li-
bro duodecimo ad Atticũ, & libro primo de Legibus hiſtoriam Fannium
ſcripſiſſe teſtatur. Vt vero Plutarchus in Gracchis eſt autor, inter alia ſcri-
pſit Fannius, Tib. Gracchum primum fuiſſe, qui in hoſtium murum conſcen

derit, & ſe in ea re illi comitem fuiſſe, quum in Africa ſub Scipione militarent. NEQVE NIMIS EST INFANS, exiguam enim eloquentiam in Fannio video fuiſſe, vt ait infra. NEQVE PERFECTE DISERTA, quòd ipſe Fannius eſt durior, vt dictum eſt, & exilis, vt libro primo de Legibus appellatur. MVCIVS, Q. Mucius Scæuola, qui fuit alter Lælii gener, vt in Lælio ſcribitur: & L. Licinii Craſsi oratoris ſocer, vt libro primo de Oratore cognoſcitur: vbi teſtatur ipſe ſe Panætium audiuiſſe, & quædam, quæ ab eo acceperat, ea, quum Prætor Rhodum veniſſet, cum Apollonio contuliſſe. Fuit hic Conſul cum L. Cæcilio Metello an. ab V.C. ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo: vnde Cicero in oratione pro Rabirio inter Conſulares illum ponit, quũ ſcribit, illum confectum ſenectute, præpeditum morbo, mancum, & membris omnibus captum, ac debilem, haſtili nixum, & animi vim, & infirmitatem corporis oſtendiſſe: quod idem propemodum Philippica octaua refert: vt facile intelligi poſsit, quare libro primo de Oratore ita dicat ipſe: id meis pedibus certe concedi eſt æquius: & in eodem libro Craſſus eius valetudinẽ infirmiſsimam vocet. Huic, vt in eodem libro dicitur, Lucilius poëta ſubiratus fuit vſque adeo, vt eum in ſatyris ſit inſectatus: quare Perſius illud dixit: ſecuit Lucilius vrbem, te Lupe, te Muci, & genuinum fregit in illis. Sunt, qui putent hunc in oratione pro Roſcio Amerino ſignificari, vbi Q. Scæuola dicitur eſſe vulneratus. Verum enimuero Pontificem nos eum credimus fuiſſe, qui multo fuit iunior, & in funere Marii potuit vulnerari, & poſtea ſic etiam ſanari, vt Fimbriæ ipſi, qui Scæuolam vulnerandum curarat, ſuperuixerit. Hic vero ſic erat ſenex illis temporibus, & ita debilis, vt credendum non ſit, eum funeri interfuiſſe, quem Cicero ne ſermoni quidem de arte Rhetorica multo prius inſtituto ſecundo die intereſſe voluerit, vt ipſe libro quarto ad Atticum ſcribit. Tunc igitur ille, vt par eſt credere, ſe domi continebat: vel ſi domo exibat, vel leuiſsimo vulnere concidiſſet, quum ita ſenex, & ita affectus eſſet. Quin ante, quàm Marius efferretur, videtur obiiſſe: quod ita colliges: Cicero mortuo Augure, ſe ad Pontificem contulit, vt ait in Lælio, atque id ipſum ante L. Syllam primum Conſulem, vt infra dicetur. Scæuola igitur Augur ante primum Syllæ Conſulatum eſt mortuus: at Marius poſt id tempus ſepties Conſul fuit. Quid quòd Plutarchus hunc Marii ſocerum ſic appellat, ὁ μάριος τὸν μὲν υἱὸν ἔπεμψε ἐκ τῆς μουκίου τοῦ πενθεροῦ χωρίων; Hic certe Marii fuit ita ſtudioſus, vt, quod Valerius Maximus libro tertio capite octauo ſcribit, nunquam à Sylla induci potuerit, vt illum hoſtem iudicaret. Itaque veriſimile non eſt hominem Marianæ factionis à Fimbria Mariano fuiſſe vulneratum: quod credi de Scæuola Pontifice poteſt, qui poſtea etiam vt Syllanus, & optimatium ſtudioſus eſt interfectus, vt libro octuageſimo ſexto Liuius oſtendit, & nos infra dicemus. Illud accedit, quod quum dubiũ eſſe poteſt, vtrum ex his duobus Scæuolis ſignificet, Cicero ferè ſemper ita diſtinguit, vt hunc Augurem, illum Pontificem, vel Publii filium, vt infra dicemus, appellet: quod & in illa oratione feciſſet, ſi quid modo ea de re dubitari poſſe credidiſſet, præſertim quum illa verba adderet: hoc populus Romanus nihil vidit indignius, niſi eiuſdem viri mortem, quæ tantum potuit, vt omnes ciues ſuos perdiderit, & afflixerit: quos quia ſeruare per compoſitionem volebat, ipſe ab his interemptus eſt. AVGVR, in Augurum collegium à C. Lælio, vt dictum eſt cooptatus: vnde quaſi cognomento ſolet Augur à Cicerone frequenter appellari, vt in oratione pro Cornelio Balbo, & in Lælio, Q. Mucius Augur Scæuola, vel, vt alii volunt, Q. Mucius Scæuola Augur, quanquàm à multis Augur, vel Scæuola tollitur: Ad eum certe Cicero ſic à patre deductus erat, vt quoad poſſet, & liceret, à ſenis latere nũquam

diſcederet,

diſcederet, quod in Lælio dicit ipſe, & nos infra repetemus. QVOD PRO SE OPVS ERAT, IPSE DICEBAT, ſic viri eruditi emendarunt: qui videbunt, an latine dicatur, quod opus erat pro ſe: quòd ſi, cognoſcentes id non recte dici, velint, pro ſe, ad verbum, dicebat, referre, vt ſit, dicebat pro ſe, videant, ne ſit ὑπέρβατον ac rem aliter intelligant, atque Cicero videtur ſcripſiſſe. non enim Cicero voluit, vt apparet, ſignificare, Scæuolam ſciuiſſe, & potuiſſe tantum pro ſe dicere, præſertim quũ qui pro ſe dicit, poſsit etiam pro aliis, opinor, dicere: ac ne tum quidem Scæuola, quum de pecuniis repetundis dicebat, pro ſe, ſed contra T. Albutium dicebat. accuſabat enim potius, quàm defendebat, vt oſtendemus: quamuis etiam pro ſe, accuſans, dicere potuerit. Nos igitur libenter ita legeremus, ordine verborum tantum mutato, & verbis ipſis, vt prius erant, conſeruatis: quod opus erat, per ſe ipſe dicebat: hoc eſt, dicebat, quod opus erat, & dicebat per ſe, non vt alii, quibus orationes ſcribebantur, vt ſupra de Fannio dubitauit, & infra de Cæpione confirmabit, DE PECVNIIS REPETVNDIS, de quibus T. Albutius, vt opinor, à Scæuola fuerat accuſatus, vt Apuleius etiam in ſecunda Apologia videtur oſtendere: quamuis ibi C. Mucius, & A. Albutius legatur. T. enim Albutius in Sardinia rem cum maſtrucatis latrunculis vna cohorte auxiliaria geſsit, ac in ipſa prouincia quaſi triumphauit. Quare poſtea quum à ſenatu ſupplicationem petiiſſet, non impetrauit, vt in oratione de Prouinciis Conſularibus ſcribitur. Quin quum Romam veniſſet, condemnatus eſt. hinc Cicero in oratione in Piſonem ita dixit: Albutius quum in Sardinia triumphaſſet, Romæ damnatus eſt. C. enim Iulius Cæſar à Sardis rogatus eum accuſauit, quamuis Cn. Pompeius Strabo, qui fuerat Albutii Quæſtor, accuſare voluiſſet, vt Cicero Verrina prima ſcribit. Vnde nos libro ſecundo de Officiis ita legendum putamus: Pro Sardis in Albutium Iulius Cæſar. Ipſi Cæſari credimus Q. Mucium Augurẽ ſubſcripſiſſe, præſertim quũ inimicitias cũ T. Albutio gereret, ex quo tẽpore Athenis illũ Scæuola græce ſalutauit: quã rẽ Lucilius cõplexus eſt carminib. quæ lib. primo de Finibus legũtur: quo tamẽ loco nos illa verba ſic legimus: à Scæuola eſt Prætore ſalutatus Athenis Albutius: vt Prætor ſit Scæuola, nõ Albutius: qui fuit Athenis adoleſcẽs, vt infra dicitur: & poſt Sardiniæ Præturã exul, vt Tuſculana quinta legitur: ita, vt ipſe Prætor Athenis eſſe vix potuerit. accedit, quòd in verſibus Lucilii ſic ſcribitur: te, quum ad me accedis, ſaluto. nam, ſi Prætor ipſe fuiſſet, ad Scæuolam non acceſsiſſet. Credibile eſt igitur, eum, quum ſtuderet Athenis, & eò veniſſet Prætor Scæuola, Rhodum, vt eſt ſcriptum libro primo de Oratore, proficiſcẽs, ad ipſum Scæuolam acceſsiſſe, & ab eo Grçce ſalutatum fuiſſe: idque factũ, quod idem Lucilius ſcribit: hinc hoſtis Muci Albutius, hinc inimicus, & quidem ita, vt ſæpe inter ſe diſſentirent, & contenderent: vt quum Albutius Granium oppugnabat, & Mucius eum defendebat, certe illo abſoluto gaudebat, vt libro ſecundo de Oratore ſcriptum videbis: quamuis aliter alii verba illa ſint interpretati, & putarint, ipſum Scæuolam ab Albutio de pecuniis repetundis accuſatum fuiſſe: quod vt nos de viro tali credamus, adduci non poſſumus. Albutium Scæuola verſibus illis exagitauit, quos Cicero libro tertio de Oratore, & in Oratore ex Lucilio recitauit. T. ALBVTIVM, de quo dicitur infra. IS, Q. Mucius Scæuola Augur. NON FVIT, Q. Mucius Scæuola Augur in oratorum numero non fuit: ob id M. Antonius lib. primo de Oratore cum illo ſic loquitur: Craſſus ciuitatum regendarum oratori gubernacula ſua ſententia tradidit: in quo per mihi mirum viſum eſt Scæuola, te hoc illi concedere, quum ſæpiſsime tibi ſenatus breuiter, impolitéque dicenti maximis ſit de rebus aſſenſus. & ipſemet in eodem libro teſtatur, iura ciuilia in

ſua familia iampridem ſine vlla eloquentiæ laude verſari: vt ego mittam illũ vt Panætii auditorem Stoicum fuiſſe: & Stoicos eloquentiam penè contemp ſiſſe. IVRIS CIVILIS INTELLIGENTIA, hinc Cicero in oratione pro Cornelio Balbo ita ſcribit: Q. Scæuola ille Augur, quum de iure prędiatorio cõſuleretur, homo iuriſperitiſsimus, cõſultores ſuos nũquàm ad Furiũ & Caſelliũ prædiatores reiiciebat. Et quia iuris erat peritiſsimus, ob id ianua eius, & veſtibulũ maxima quotidie frequẽtia ciuiũ, ac ſummorũ hominũ ſplẽdore celebrabatur, vt lib. primo de Orat. ſcriptum eſt: vbi dicitur L. Craſſus ab eo ius ciuile didiciſſe: & ob id item Cicero ab eius latere non diſcedebat, vt ſupra retulimus. PRVDENTIAE, hinc Cicero ſic ait in Lælio: fieri ſtudebam eius prudentia doctior. L. CAELIVS ANTIPATER, de quo libro primo de Legibus ita ſcriptum leges: Fannii ætate coniunctus Antipater paulo inflauit vehementius, habuitque vires agreſtes ille quidem, atque horridas ſine nitore, ac palæſtra, ſed tamen admonere reliquos potuit, vt accuratius ſcriberent. nam, vt libro ſecundo de Oratore dicitur, paululum ſe erexit, & addidit hiſtorię maiorem ſonum vocis, ſed neque diſtinxit hiſtoriam varietate locorum, neque verborum collocatione, & tractu orationis leni, & æquabili perpoliuit illud opus, ſed vt homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicendũ, ſicut potuit, dolauit: vicit tamen ſuperiores. Hic in Oratore ſimplex, & rudis appellatur, quòd in procemio belli Punici negaſſet ſe, niſi neceſſario, facturum, vt orationis numerum ſeruaret: hunc tamen Adrianus Salluſtio prætulit: quamuis apud Spartianum in Adriani vita Cæcilium, non Cælium deſcriptum videamus. Cælia porro familia plebeia fuit, vt C. Cælius Caldus, qui nouus homo ſolet à Cicerone dici, vt infra ſuo loco referemus: & M. Cælii, de quo dicetur infra, Tribunatus plebis oſtendit. VIDETIS, in eius hiſtoria. TEMPORIBVS ILLIS, quibus Fannius, & Scæuola generi C. Lælii vixerunt. Vetuſtior, inquit Paterculus, Siſenna fuit Cælius, id quod Cicero quoque in hoc dialogo, & libro primo de Legibus oſtendit. vt temporibus illis, ſic infra de L. Philippo. LVCVLENTVS, ita luculentus, vt ſuperiores vicerit. L. CRASSI, L. Licinii Craſsi oratoris, de quo dicetur: qui tamen libro primo de Oratore dicitur à Scæuola ſocero ius ciuile didiciſſe. ſed fieri potuit, vt duos magiſtros habuerit. MAGISTER, hinc libro ſecundo de Oratore L. Cælius Antipater vir optimus Craſsi familiaris appellatur.

Vtinam in Ti. Graccho, Caióque Carbone talis mens ad rem pub. bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit: profecto nemo his viris gloria præſtitiſſet. ſed eorum alter propter turbulentiſsimum Tribunatum, ad quem ex inuidia fœderis Numantini bonis iratus acceſſerat, ab ipſa repub. eſt interfectus. alter propter perpetuam in populari ratione leuitatem morte voluntaria ſe à ſeueritate iudicum vindicauit. ſed fuit vterq. ſummus orator: atq. hoc memoria patrũ teſte dicimus. nã & Carbonis & Gracchi habemus orationes, nondũ ſatis ſplendidas verbis, ſed acutas, prudẽtiæq. pleniſsimas. Fuit Gracchus diligẽtia Corneliæ matris à puero doctus, & Græcis literis eruditus. nã ſemper habuit exquiſitos è Græcia magiſtros, in eis iã adoleſcens Diophanẽ Mitylenæũ, Græciæ temporibus illis diſertiſsimum: ſed & breue tempus ingenii augendi, & declarandi fuit.

VTINAM,

VTINAM, ἀρχὴ, qua ſequentia cum ſuperioribus coniungit, & facere in-
cipit, quod ſupra fuerat ita pollicitus: de Tib Graccho, & C. Carbone iam di
cendi locus erit, quum de ſenioribus pauca dixero. de Senioribus dixit: reſtat
igitur, vt iam de Tib. Graccho, & C. Carbone dicat, quod facit. TI. GRAC-
CHO, Tiberio Sempronio Graccho, cuius vitam quoniam Plutarchus dili-
genter perſequitur, nos ea tantum, quæ pertinent ad interpretationem, dice
mus. CAIOQVE CARBONE, Caióque Papirio Carbone, de quo dicendũ
eſt. TALIS MENS, bona mens. REMP. quam Gracchi tamen præſertim
diſsipauerunt, vt libro primo de Oratore loquitur Cicero. BENE GEREN
DAM, geſſerunt enim, ſed non bene geſſerunt. & κατ' ἀντίθετον bene gerere,
& bene dicere hic quaſi opponit. INGENIVM, quod in eis ſummum fuit:
vnde ſupra ingenioſiſsimos appellauit. AD BENE DICENDVM, ad elo-
quentiam. HIS VIRIS, Tib. Graccho, & C. Carboni. GLORIA, quæ ſo-
let ex adminiſtratione Reipub. & ex eloquentia comparari. PRAESTITIS-
SET, dichoreus loco poſitus, vbi de gloria eloquentiæ potiſsimũ loquitur.
SED, aduerſatur particula, quòd oſtendit in eis eam mentem, quam dixit,
nõ fuiſſe. ALTER, Tib. Sempronius Gracchus. TVRBVLENTISSIMVM
TRIBVNATVM, in quo leges agrarias promulgauit, M. Octauio collegæ
magiſtratum, vt diximus, abrogauit, leges tulit, & Triumuiros ad diuiden-
dum agrum creauit, ac iterum Tribunus plebis fieri voluit, vt Liuius libro
quinquageſimo octauo, Plutarchus, & alii ſcripſerunt. AD QVEM EX IN-
VSDIA FOEDERIS NVMANTINI BONIS IRATVS ACCESSERAT, hæc
verba Paterculus ita penè interpretatur: immanem deditio Mancini ciuitatis
mouit diſſenſionem: quippe Tib. Gracchus Tib. Gracchi clariſsimi, atq. emi
nentiſsimi viri filius, P. Africani ex filia nepos, quo Quæſtore, & autore id
fœdus ictum erat, nunc grauiter ferens aliquid à ſe factum infirmari, nunc ſi-
milis vel iudicii, vel pœnæ metuens diſcrimen, Tribunus plebis P. Mucio, L.
Calphurnio Coſs. à bonis deſciuit. ſed & ipſe Cicero in oratione pro Domo
ita ſcribit: Tib. Graccho inuidia Numantini fœderis, cui feriendo Quæſtor
Mancini Conſulis quum eſſet, interfuerat, & in eo fœdere improbando ſena
tus ſeueritas dolori, & timori fuit: iſtáque res illum fortem, & clarum virũ à
grauitate patrũ deſciſcere coëgit. plura Plutarchus, & alii hiſtorici ſcribunt.
AB IPSA REP. EST INTERFECTVS, autore P. Cornelio Naſica in Capi
tolio à primatibus occiſus eſt, ictus primum fragmentis ſubſelliorũ, id quod
à Liuio lib. quinquageſimo octauo, Plutarcho, & aliis ſcriptũ eſt. ALTER,
C. Papirius Carbo: qui, quum Tib. Gracchum fuiſſet ſecutus, vt in Lælio ſcri
bitur, poſtea Tribunus plebis fuit Claudio, & Perpenna Coſs. an. ab V. C.
ſexcenteſimo vigeſimo quarto, vel anno ſuperiore ipſo Claudio Cos. Des. vt
libro tertio de Legibus apud Ciceronem legimus: quanquàm verba illa mihi
ſunt ſuſpecta: id totum dixi ex Craſsi ſapientiſsimi hominis ſententia, quam
ſenatus eſt ſecutus, quum decreuiſſet, C. Claudio Conſule deſignato Carbo
nis ſeditionem referente, eo inuito, qui cum populo ageret, ſeditionem non
poſſe fieri. Vt enim illa paulo accuratius conſideremus, L. Craſſum oratorẽ,
vt quidam putant, ſignificare non poteſt, ne ſenatus dicatur ſententiam ſecu
tus eius, qui tunc annum decimum agebat. Poſsit fortaſſe cuipiam videri is
eſſe C. Licinius Craſſus, cuius in Lælio fit mentio, niſi videat ibi popularem
ſignificari, nec dignum, quem Cicero in ſuis legibus ſapientiſsimum vocet.
Quòd ſi P. Craſſum, de quo ſupra diximus, ſignificat, vt profectò ſignificat,
quærimus, vtrum P. Craſſus illam ſententiam Conſul, an priuatus dixerit: ſi
priuatus, quo pacto Romæ tunc priuatus eſſe poterat, qui, vt nos ex Liuio
retulimus, Conſul contra Ariſtonicum profectus eſt, & interfectus? ſin Con

ſul, qui fieri potuit, vt illo Conſule præſente Claudius Cos. Des. quicquam ad ſenatum retulerit? Conſul enim deſignatus, ne abſente quidem Conſule, ſiue Conſulibus, referebat. P. Lentulus Conſul deſignatus de ſalute Ciceronis ſententiam dixit, nunquam retulit: nunquam Hircius, nunquam Panſa, quamuis res ipſa poſtularet. Illud etiam mouet, quòd Cicero C. Claudium vocat, quem cæteri ferè omnes Ap. Claudium appellant. Quare verba illa quum ex veteribus libris, tum ex coniecturà ſic libenter legerem: id totum dixi ex Craſsi ſapientiſsimi hominis ſententia, quam ſenatus eſt ſecutus, quũ decreuiſſet, Claudio Conſule de Carbonis ſeditione referente, eo inuito, qui cum populo ageret, ſeditionem non poſſe fieri. nam & Latina locutio magis apparet & ex Cos. Des. facile fit, Conſule de. ſic vero interpretaberis: Claudius Conſul retulit, & P. Craſſus ſententiam dixit: qui proxime Conſul fuerat, & quum eſſet Conſul, lectus fuerat, vt cum Ariſtonico bellum gereret: ſed quum ſententiam illam dixit, non erat profectus: vt apud Liuium interpreteris, profectus Conſul, quum eſſet Cõſul, lectus, vt proficiſceretur. Paterculus certe Proconſulem interfectum ſcribit. Ego tamen non prorſus negarim, aliquos interdum præſentibus Conſulibus retuliſſe: quando libro tertio de Oratore M. Liuius Druſus præſente L. Philippo Conſule non modo retuliſſe, ſed ſenatum etiam vocaſſe dicitur. Quod ſi fieri poterat: Conſul deſignatus retulerit, & Conſul ſententiam dixerit: & ſententiam dixerit de ſeditione, quam C. Papirius Carbo Tribunus plebis tunc excitauerat, quum rogationem ferret, vt, quod Liuius libro quinquageſimo nono refert, eundem Tribunum plebis, quoties quidem vellet, creari liceret: de qua Cicero in Lælio ita ſcribit: quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in aures cõcionis, quum ferret legem de Tribunis plebis reficiendis? ſic enim legendum eſſe nos in Quæſtura docuimus. Hanc legem P. Africanus, & Lælius diſſuaſerunt, vt Liuius, & Cicero teſtantur. Lex igitur popularis, vt ait Cicero, ſuffragiis populi eſt repudiata. & ſeditionem quidem nos à Carbone Tribuno plebis excitatam credimus, quòd Cicero in eodem libro tertio de Legibus ita ſubiungat: quippe cui liceat cõcilium, ſimulatque interceſſum, turbarique cœptum ſit, dimittere. hæc enim verba Tribuno plebis conueniunt: quamuis Liuius etiam libro quinquageſimo nono ſcribat, ab eodem Carbone, Fuluio Flacco, & C. Graccho Triumuiris de agro diuidendo creatis, ſeditiones excitatas: quibus quum P. Africanus aduerſaretur, fortíſque, ac validus pridie domum ſe recepiſſet, mortuus in cubiculo inuentus eſt: cui, vel quòd reſpondiſſet, Tib. Gracchum iure cæſum videri, C. hic Carbo vim attuliſſe exiſtimatus eſt, vt in epiſtolis ad Papirium Pætum, & ad Q. fratrem, & libro ſecundo de Oratore Cicero ipſe teſtatur: qui refert item libro tertio de Legibus, eundem Carbonẽ legem tabellariam de iubendis legibus, ac vetandis pertuliſſe. Atque in hiſce quidem rebus ita popularis fuit, vt hic à Cicerone leuis in populari ratione, & libro tertio de Oratore ſeditioſus, & improbus ciuis iure ſit appellatus. Rediit poſtea tamen ad bonos, & an. ab V. C. ſexcenteſimo trigeſimo quarto, Conſul cum P. Manilio factus, L. Opimii cauſam defendit apud populum: in qua nihil de C. Gracchi nece negabat, ſed id iure pro ſalute patriæ factum eſſe dicebat, vt lib. ſecundo de Oratore ſcribitur. ſic Opimius fuit liberatus, vt infra dicemus. Carboni tamen ne reditus quidem ad bonos, vt ait Cicero libro tertio de Legibus, ſalutem à bonis potuit afferre. nam poſt Conſulatum L. Craſſus orator tum natus annos vnũ & viginti, quod libro tertio de Oratore ſcribitur, eum accuſauit: cuius quidem accuſationis capita quædam libro ſecundo de Oratore ſic repetuntur: non, ſi Opimium defendiſti Carbo, idcirco te iſti bonum ciuem putabunt: ſi-

Leuis in populari ratione

mulaſſe

mulaſſe te, & aliud quid quæſiſſe perſpicuũ eſt, quòd Tib. Gracchi mortem ſæpe in cõcionibus deploraſti: quòd P. Africani necis ſocius fuiſti: quòd eam legem in Tribunatu tuliſti: quòd ſemper à bonis diſſenſiſti. Carbo igitur, vt ad Papirium Cic. ſcribit, accuſante L. Craſſo cãtharidas ſumpſiſſe dicitur, vt, quod hic dicitur, ſe à ſeueritate iudicũ vindicaret: quãuis Valerius Max. lib. tertio cap. ſeptimo dicat in exilium miſſum fuiſſe: quòd alios fortaſſe ſcriptores ſit ſecutus. PERPETVAM, quo pacto perpetuam leuitatem vocat, ſi ad bonos, vt diximus, rediit? Rediit ille quidem, ſed ſimulans, quũ re vera ſemper à bonis diſſenſerit, vt paulo ante ex lib. ſecũdo de Orat. retulimus. vel ob id perpetuã dixit leuitatem, quòd modo hos, modo illos ſequebatur. IVDICVM, apud quos illum Craſſus accuſauit. VINDICAVIT, quũ cãtharidas ipſe ſumpſit. SED FVIT, quãuis alterius turbulentiſſimũ Tribunatũ, alterius perpetuã leuitatem appellarim. VTERQVE, Tib. Gracchus, & C. Carbo. SVMMVS ORATOR, id infra Cic. & in libris oratoriis ſæpe teſtatur. ATQVE, libenter legerẽ, neque, hoc ſenſu: vterq. fuit ſummus orator: neq. hoc accepimus à maioribus, ſed ex orationibus eorũ cognouimus: nõ reiicimus tamen illam particulam, atque, vt ſit ſenſus: vterq. fuit ſummus orator: atq. hoc quidem audiuimus, nõ ex orationibus intelleximus. orationes enim nõ ſatis ſplẽdidæ verbis ſunt. DICIMVS, aliter didicimus. NAM, αἰτιολογία. CARBONIS, C. Papirii Carbonis, de quo loquimur. GRACCHI, Tib. Sempronii Gracchi. HABEMVS, habebãt illi, nos vero nõ habemus. NONDVM, quũ pigmenta nondum eſſent inuenta, vt ait infra, quãuis de Catonis ætate loquatur. SPLENDIDAS VERBIS, nã Plutarchus Tib. Gracchũ τῇ λέξει διαπεπονημένῃ, & Cornelius Tacitus Carbonẽ horridũ, impolitũ, rudem, & informem vocat. ACVTAS, PRVDENTIAEQVE PLENISSIMAS, quũ ipſi eſſent ingenioſiſſimi. ſupra. GRACCHVS, Tib. Gracchus. DILIGENTIA, quæ tãta fuit, vt ita ſcribat Plutarchus in Gracchis: κορνηλία δὲ ἀναλαβοῦσα τοὺς παῖδας καὶ τὸν οἶκον, οὕτω σώφρονα καὶ φιλότεκνον καὶ μεγαλόψυχον αὑτὴν παρέσχε, ὥστε μὴ κακῶς δόξαι βεβουλεῦσθαι τὸν Τιβέριον, ἀντὶ τοιαύτης γυναικὸς ἀποθανεῖν ἑλόμενον. Quintil. quoq. lib. primo cap. primo ſic ait: Gracchorũ eloquentiæ multũ cõtuliſſe accepimus Corneliã matrẽ, cuius doctiſſimus ſermo in poſteros quoq. eſt epiſtolis traditus: & Cic. infra: legimus epiſtolas Corneliæ matris Gracchorũ apparet filios nõ tã in gremio educatos, quàm in ſermone matris. Hinc Cornelius Tacitus in dialogo de Oratorib. hoc modo ſcribit: ſic Corneliã Gracchorũ, ſic Aureliã Cæſaris, ſic Acciã Auguſti matrẽ præfuiſſe educationibus, ac produxiſſe principes liberos accepimus. Cornelia porrò filios ornamẽta ſua putabat, vt Val. Max. lib. quarto cap. quarto refert. CORNELIAE, quæ Scipionis Africani maioris filia fuit, & Tib. Sempronio Graccho, vt ſupra diximus, nupſit: cui duodecim filios, vt Plutar. refert, genuit: quos tanti fecit, vt eorũ cauſa Ptolemæi Regis nuptias ſpreuerit. Itaq. cõtrà ſemper illa poſtea fuit à filiis culta ita, vt C. Gracchus ei M. Octauiũ cõdonarit: & eũ, qui Corneliã ipſam vituperabat, acriter ſit inſectatus. Quin illa à populo Rom. nõ minus ob virtutẽ filiorũ, quàm ob patris memoriã colebatur. Vnde ſtatuã illi poſitã Plin. & Plutar. teſtatur. & ſanè mulier illa digna fuit immortalitate: quæ nõ ſolum in cæteris rebus prudentiſſimæ fœminæ officio eſt functa, ſed caſus etiam filiorum ita fortiter tulit, vt viri etiam fortiſſimi mirarentur: & ob id, quum ad Miſenum ſeceſſiſſet, amici, & doctiſſimi quiq. homines ex Græcia domũ eius frequentarent. ERVDITVS, dichoreus loco poſitus. NAM, αἰτιολογία, quòd Græcis literis eruditus fuerit: quæ tamen neceſſario non probat: nam multi magiſtros habẽt exquiſitos, nec tamen erudiuntur. DIOPHANEM MITYLENAEVM, Diophanem Mitylenæum Rhetorem tunc in Italia exulantem, vt ſcribit Plutarchus, qui refert item, illum, & Bloſſium

Cumanum Antipatri Tharſenſis philoſophi diſcipulū, autores fuiſſe, vt Tib.
Gracchus actionē illam ſuſciperet. quare paulo poſt ipſius Tib. Gracchi mor
tem Diophanes necatus eſt, & Bloſsius aufugit. BREVE TEMPVS, nā con
ſtat ipſum Tib. Gracchum ante trigeſimum annū ætatis interfectum fuiſſe.
AVGENDI, exercendo. DECLARANDI, ſæpius dicendo.

Carbo, quoad vita ſuppeditauit, eſt in multis iudiciis cauſiſque
cognitus. Hunc qui audierāt prudentes homines, in quib. familia
ris noſter L. Gellius qui ſe illi cōtubernalem in cōſulatu fuiſſe nar
rabat, canorū oratorē & volubilem & ſatis acrē atq. eūdem & ve
hementē, & valde dulcē, & perfacetū fuiſſe dicebat: addebat indu
ſtrium etiam, & diligentem, & in exercitationibus cōmentationi
buſq. multū operæ ſolitū eſſe ponere. Hic optimus illis tēporibus
eſt patronus habitus, eoq. forū tenente plura fieri iudicia cœpe-
rūt. Nam & quæſtiones perpetuæ hoc adoleſcēte cōſtitutæ ſunt,
quæ antea nullæ fuerunt. L. enim Piſo Trib. pl. legē primus de Pe
cuniis repetūdis Cēſorino & Manilio Coſs. tulit. Ipſe etiā Piſo, &
cauſas egit, & multarū legū aut autor aut diſſuaſor fuitiſq. & ora-
tiones reliquit, quæ iā euanuerūt, & annales ſanè exiliter ſcriptos:
& iudicia populi quibus adderat Carbo, iā magis patronū deſide
rabāt, tabella data, quā legē L. Caſs. Lepido & Mācino Coſs. tulit.

IVDICIIS, vt iudicio L. Opimii, quē ipſe Carbo, vt dictū eſt, defendit.
HVNC C. Carbonem. PRVDENTES, ita, vt ea de re poſſent iudicare: & ob
id digni, quibus credatur: & eſt quaſi locus à teſtibus. FAMILIARIS, hinc
dixit olim: ſi Cic. Cōſul quū fuit, nō fuiſſet, Remp. funditus interiturā fuiſſe,
vt in oratione Poſt reditū ad Quirites ſcribitur. & ante dixerat, Cic. ciuicam
coronā deberi à Rep. quod Cic. in oratione in Piſonē repetit: familiarem ſuū
etiā lib. primō de Legibus appellat. L. GELLIVS, de quo ſuo loco dicetur.
ILLI, C. Carboni. CONTVBERNALEM, quid ſit in re militari contuberniū,
& qui dicātur cōtubernales, Vegetius lib. ſecundo cap. decimo tertio docet:
Cic. vero cōtubernium nō tam militū, quàm ducis & familiariū, nec tam mi-
litiæ, quàm domi, & eos, qui ſimul habitāt, cōtubernales vocat, & quidē eos
potiſsimū, qui Cōſules tā domi, quàm foris, vel πολιτείαν cognoſcēdæ, vel mi-
litiæ diſcēdæ cauſa ſequebātur. Hinc Piſonē accuſat, quē nulla res cōmenda-
ret, nō Cōſulis ſtudiū, nō cognoſcendi initia rei militaris, nō cognoſcendorū
hominū, nō liberalitas. Cōtra Cn. Planciū ſic laudat: Hic eſt, qui adoleſcentu
lus cū A. Torquato profectus in Africā, ſic ab illo grauiſsimo, & ſanctiſsimo,
atq. omni laude, & honore digniſsimo viro dilectus eſt, vt & cōtubernii ne-
ceſsitudo, & adoleſcentuli modeſtiſsimi pudor poſtulabat: ſic etiā M. Cæliū
laudat: Quū paulū iam roboris acceſsiſſet ætati, in Africā profectus eſt, Q. Pō
peio Procōſuli cōtubernalis caſtiſsimo viro, atq. omnis officii diligētiſsimo:
in qua prouincia quū res erāt, & poſſeſsiones, tū etiā vſus quidam prouincia-
lis nō ſine cauſa à maioribus huic ætati tributus. ob eā cauſam Liuius lib. qua
drageſimo ſecūdo ſcribit, tres illuſtres iuuenes P. Lentulū, & duos Manlios
Acidinos cū P. Licinio Craſſo Cōſule in Macedoniā miſſos fuiſſe. hoc inſtitu
tū Veneti in rebus maritimis hodie ſeruāt. atq. hæc quidem foris: domi vero
Cicero in oratione pro Sylla L. Torquatū ſuū cōtubernalem in Cōſulatu vo
cat. ſic igitur L. Gell. ſe C. Carboni in Cōſulatu cōtubernalē fuiſſe narrabat.

CANORVM

CANORVM ORATOREM, ET VOLVBILEM, refert propemodum, quod L.Craſſus lib.tertio de Orat.hoc modo dicit:profluēs quiddam habuit Carbo,& canorū. Atq. vt probet Cic.verū eſſe,quod paulo ante dixit, Carbonē ſummū oratorē fuiſſe,ex teſtimonio L.Gellii docet, in eo treis dicēdi figuras fuiſſe:quas κατὰ τρίφρασιν exprimit.nā canorū oratorē,& volubilem nos ad dicendi figurā attenuatā:acrē,& vehementē ad grādem : dulcē, & perfacetū ad mediam referendum putamus.ſic infra volubilis Ap.Claudii oratio,& volubilis Ruſticellus appellatur. ACREM, ET VEHEMENTEM, ATQVE EVNDEM ET VALDE DVLCEM, aliter acrē,atq. eundem & vehementē,& valde dulcē:aliter acrē, atq. eundem & clementē,& valde dulcem. DICEBAT, ne videatur βλαισωμὸς, ſic dicere oportet,homines dicebant, in quibus Gell. dicebāt. ADDEBAT, L.Gell. INDVSTRIVM ETIAM, fuiſſe Carbonem. SOLITVM ESSE PONERE, vt aut verſibus propoſitis quàm maxime grauibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem,quem memoria poſſet cōprehendere,eam rem ipſam,quā legiſſet,verbis aliis quàm maxime poſſet lectis, pronunciaret,vt lib.primo de Oratore dicitur. HIC, C.Carbo. OPTIMVS ILLIS TEMPORIBVS EST PATRONVS HABITVS, ſic Atticus infra: Carbonē in ſummis oratoribus habitū ſcio: & L.Craſſus lib.tertio de Orat. quis horū oratorum Africani,Lælii, Galbæ,Carbonis, nō princeps temporibus illis fuit?& ſuo tamen quiſq. in genere princeps. PLVRA, quū iam plures eſſent improbi ciues : ſic infra:neq. tam multa,quàm noſtra ætate iudicia fiebāt:& in oratione pro Fonteio,illis temporibus,inquit, inuenire nequam neminem poſſes:quod lib. ſecūdo de Officiis pluribus etiam verbis oſtendit. IVDICIA, iudicia populi,vt paulo poſt repetit.erāt enim iudicia priuata,vt fiducię,tutelæ,ſocietatis,vt ait in oratione pro Roſcio Comœdo:& publica, vt repetundarū,ambitus,maieſtatis,vt Aſconius in interpretatione Verrinæ primæ docet. QVAESTIONES, iudicia publica, quibus iudex Quæſtionis ſolebat præeſſe. PERPETVAE, quibus Romani perpetuo vterentur : vnde queritur Cic.in oratione pro Milone,nouā quæſtionem latā fuiſſe,quū veteres eſſent quæſtiones.ſic, opinor Iuriſcōſulti perpetuū edictū vocant. Videor mihi tamen audiuiſſe, eſſe,qui perpetuas Quæſtiones interpretētur,in quibus patroni perpetuis orationibus vterentur.nos,vt nunc eſt,librū veterem libenter ſequeremur,in quo ſcriptum eſt, P.vt interpretetur, publicæ : quòd Quæſtiones eſſent publicæ. HOC, C.Carbone. ADOLESCENTE, quartū decimum annū agente,ſi modo poſtea ſuo anno factus eſt Conſul. L. ENIM, παρένθεσις ſatis longa,& αἰτιολογία. PISO, L.Calphurnius Piſo. Calphurnii, autore Sex.Pōpeio,à Calpo Numæ Regis filio ſunt oriundi.Vnde dixit Horatius: vos ò Pōpilius ſanguis.ſed quū Calphurnius à Calpo deducatur, Calpurnius ſcribi deberet,vt apud Sex.Pōpeium, Plutarchum,alióſq. ſcriptores Græcos,& in veterū monimentis ſcribitur:hodie tamen plures ſcribūt Calphurnios, quàm Calpurnios. Hanc gentē multi putant patriciā fuiſſe,ſed plebeiam vel huius Piſonis Tribunatus pleb.fuiſſe demōſtrat: niſi forte à principio patricia fuit, ſed poſtea paulatim, vt fieri ſolet,defecit. Certe cōſtat eam iacuiſſe, donec eā L.hic Piſo primus excitauit : quare poſt illū multi Calphurnii Piſones celebrātur.Piſones vero vel à piſis,vel à pinſendo dictos volūt eruditi. LEGEM, Calphurniā.leges enim,vt fœminę,gētis nomē retinebāt. PRIMVS, ſic Verrina quinta: L.Piſo ille frugi legē de Pecuniis repetūdis primus tulit:idē Verrina ſexta ſcribit:hinc lib.ſecūdo de Officiis ait:nondū centū,& decē anni ſunt,quū de Pecuniis repetūdis à L.Piſone lata lex eſt, nulla antea quū fuiſſet. DE PECVNIIS REPETVNDIS,lex,inquit Verrina prima,de Pecuniis repetūdis ſociorū cauſa cōſtituta eſt.nā ciuib.quū ſunt ereptę pecunię,

ciuili ferè actione, & priuato iure repetuntur. hæc lex ſocialis eſt. idem pene ſæpe in iiſdem Verrinis ſcribit. CENSORINO, ET MANILIO, de quibus ſupra diximus. COSS. Conſulibus an. ab V.C. ſexcenteſimo quinto. IPSE ETIAM, vt C. Carbo, & alii. PISO, hic L. Calphurnius Piſo, qui cum P. Mucio Scæuola Conſul fuit an. ab V.C. ſexcenteſimo vigeſimo primo: quo quidem anno Tib. Gracchus eſt occiſus, vt Cicero Verrina ſexta his verbis oſtendit: Quum Tib. Graccho occiſo magnorũ periculorũ metus ex oſtentis portẽderetur P. Mucio, L. Calphurnio Coſs. aditum eſt ad libros Sibyllinos. Meminit etiam in epiſtolis ad Atticum, & Paterculus hoſce Conſules ſimul agnoſcit. CAVSAS EGIT, ita, vt ipſe quoq. inter oratores poſsit numera ri. AVTOR, lator, & ſuaſor. fuit enim lator legis de pecuniis repetundis, & aliarũ ſuaſor: quòd aliis hominibus autor fuerit, vt alias leges ferrent, eáſque etiam ſuaſerit: quæ quidem omnia nunc vno verbo videtur eſſe complexus. DISSVASOR, diſſuaſor legũ, vt legis frumentariæ C. Gracchi, de qua re Tu ſculana tertia ſic ſcriptũ videbis: Piſo ille frugi ſemper contra legẽ frumenta riam dixerat. is lege lata Conſularis ad frumentũ accipiendum venerat. animaduertit Gracchus in cõcione Piſonẽ ſtantẽ: quærit, audiente Romano po pulo, qui ſibi conſtet, quũ ea lege frumentũ petat, quã diſſuaſerat. nolim, inquit, mea bona Gracche tibi viritim diuidere liceat, ſed, ſi facias, partẽ petã. Gracchus ob id fortaſſe, quòd aduerſatus fuerat, in oratione permulta in illum turpia, ac flagitioſa dixit: at in quẽ virum? qui tanta virtute, atq. integri tate fuit, vt etiam illis optimis temporibus, quũ hominem inuenire nequam neminem poſſes, ſolus tamen frugi nominaretur: quem quũ in concionem Gracchus vocari iuberet, & viator quæreret, quem Piſonem, quòd erant plu res, cogis me, inquit, dicere inimicum meum frugi: lege orationem pro Fonteio. Cenſorium etiam Dionyſius lib. ſecũdo videtur vocare: ſed quiũ Cenſor fuerit, nos inuenire non potuimus. ANNALES, hinc ad Papirium Pætum ita Cicero ſcribit: Piſo ille frugi in annalibus ſuis quæritur, adoleſcenteis peni deditos eſſe: & Dionyſius lib. quarto hoc modo: nepotes fuiſſe ſcribo, L. Piſoni frugi aſſentiens. ille enim in Annalibus ſolus hoc ſcripſit: & lib. primo.: cæterum de natis ex Ilia Q. Fabius Pictor dictus, quem L. Cincius, & Porcius Cato, & Calphurnius Piſo, aliíque plurimi ſecuti ſunt, ſic ait. Gellius autem libro vndecimo capite decimo quarto ex annali primo Piſonis dictum Romuli refert. Liuius quoque, & alii Piſonem ſæpe nominant. EXILITER, ſic libro primo de Legibus: quid tam exile, quàm iſti omnes Fabius, Cato, Piſo, Fannius, & Venonius? & libro ſecundo de Oratore: qualis apud Græcos Pherecydes, Hellanicus, Accuſilas fuit, aliíq. permulti, talis noſter Cato, & Pictor, & Piſo: qui neque tenent, quibus rebus ornetur oratio, & dum intelligatur, quid dicant, vnam dicendi laudem putant eſſe breuitatem. ET, ſic cum ſuperioribus coniunge: nam & Quæſtiones perpetuæ conſtitutæ ſunt, & iudicia populi patronum deſiderabant. IVDICIA POPVLI, ergo publica & quidẽ dupliciter. Populus enim de magnis rebus iudicabat vel ſtatim factus iudex, vel poſtea appellatus. cuius iudicia moderata in oratione pro Domo Cicero vocat. CARBO, de quo loquimur. IAM MAGIS, quàm prius, quum populus voce, non tabella, ſuffragium ferebat ita, vt nulla poſſet eſſe maleuolentiæ latebra. PATRONVM, qui potiſsimum moueret. DESIDERABANT, vt nunc deſiderant. niſi enim patronus adſit, qui doceat, delectet, & moueat populum, ſæpe multi vel odio, vel alio affectu male iudicent, præſertim quũ tabellę beneficio id tuto facere poſsint. TABELLA DATA, vt ſupra diximus. QVAM LEGEM, tabellariam, quam diximus Caſsiã appellatã fuiſſe. CASSIVS, qui legem tabellariam tulit, vt dictum eſt. LEPIDO, ET

MANCINO

MANCINO COSS. an. ab V.C. ſexcenteſimo decimo ſeptimo. TVLIT, diſsidens à bonis, vt ex libro tertio de Legibus ſupra retulimus.

Veſter etiam D. Brutus M. filius, vt ex familiari eius L. Accio poëta ſum audire ſolitus, & dicere non inculte ſolebat, & erat cum literis Latinis, tum etiam Græcis, vt temporibus illis, ſatis eruditus. Quæ tribuerat idem Accius etiam Q. Maximo L. Pauli nepoti. Et vero ante Maximum illum Scipionem, quo duce priuato T. Gracchus occiſus eſſet, Lentulus ille princeps, ad Rempublicam duntaxat quod opus eſſet, ſatis habuiſſe eloquentiæ dicitur.

VESTER, ex veſtra gente Iunia Brute. D. Decimus, vt nunc omnes interpretantur, quũ Decius in veteribus libris penè omnibus inueniatur: quæ res facit, vt dubitem, Decimus, an Decius ſemper interpretari debeat. Scio equidem Decimum prænomen eſſe, & Decium gentis nomen, vt infra dicetur, ſed tot librorum quaſi conſenſus me magis mouet, quàm quorundã opinio, præſertim quũ Probus, & Petrus Diaconus D. Decium, non Decimum ſint interpretati. Quòd ſi clament iſti, libros omnes Latinos eſſe corruptos, appellabo ad Græcos, præſertim ad Plutarchũ, qui Δέκιον, nõ Δέκιμον in Cęſare, ſed in Quęſtionibus Δέκιμον, ſcribit, cui Dion lib. quadrageſimo quarto ita ſubſcribit, vt iam poſsimus credere, Decium à principio pręnomen fuiſſe, deinde nomen etiam factum: vel prænomen in aliis, in Deciis nomen, vel cognomẽ fuiſſe, vt in veterum monimentis apparet. Hunc Aulum, non Decium, neq. Decimum Paterculus vocat. BRVTVS, D. Iunius Brutus, qui, vt ſupra diximus, cum P. Cornelio Scipione Naſica Serapione an. ab V.C. ſexcẽteſimo decimo ſexto Conſul fuit: quo tempore quũ ipſi Conſules delectũ haberent, Tribuni pleb. quia non impetrarunt, vt ſibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, Conſules ipſos, vt Liuius lib. quinquageſimo quinto ſcribit, in carcerem mitti iuſſerunt: quod Cic. lib. tertio de Legibus his verbis ſignificauit: D. Brutũ, & P. Scipionẽ Conſules, quos, & quantos viros homo omniũ infimus, & ſordidiſsimus Tribunus plebis C. Curiatius in vincula coniecit, quod ante factũ non erat. Paulo poſt tamen ipſe D. Brutus Conſul in Hiſpaniam profectus, iis, qui ſub Viriato militauerant, agros, oppidúmque dedit, quod Valentia vocatũ eſt: & aduerſus Gallecios feliciter pugnauit. Dicitur enim, vt refert Oroſius, ſexaginta Galleciorum millia, qui Luſitanis auxilio venerant, oppreſsiſſe. Quare de Galleciis, & Luſitanis, vt autor eſt Eutrop. cum magna gloria triumphauit: vnde Gallecius, vt ait Paterculus, eſt appellatus, quamuis apud Strabonem lib. tertio Callaicus legatur. Valerius Max. lib. ſexto cap. quarto refert, eum tanquam auarum à populo Cinanienſi appellatum: qui cætera laudatur, præſertim vero quòd literatis fauit, vt Accio, cuius carminibus templorum, ac monimentorum ſuorum aditus voluit exornari, vt Cicero in oratione pro Archia, & Valerius Max. libro octauo capite decimo quinto ſcripſerunt. Augurem fuiſſe ex Lælio Ciceronis intelligimus: & apud Plutarchũ eſt huiuſcemodi quęſtio: Quid eſt, quòd quum cæteri Romani Februario mortuis inferias mittere, & parentare conſueſſent, D. Brutus, vt Cic. ſcribit id Decembri faciebat? vel, ſi quis græce malit legere: Διὰ τί τῶν ἄλλων ῥωμαίων ἐν τῷ φεβρουαρίῳ μηνὶ ποιουμένων χοὰς, καὶ ἐναγισμοὺς τοῖς τεθνηκόσι, Δέκιμος βροῦτος ὡς κικέρων ἱστόρηκεν ἐν τῷ δεκεμβρίῳ τοῦτ' ἐποιεῖτο. Id Cicero libro ſecundo de Legibus ſcripſit, ſed nunc ea res penè tota deſideratur ita, vix vt intelligi poſsit. nec intelligeretur omnino, niſi Accium ibi quoque

nominaret. M. FILIVS, M.F. M.N. hoc eſt M. filius, Marci nepos. FAMILIARI, perfamiliarem libro ſecundo de Legibus, & amiciſsimum in oratione pro Archia vocat. L. ACCIO POETA, cuius vitã Crinitus, & Lilius ſcribunt. SVM AVDIRE SOLITVS, hæc verba Lilium Gregorium, quem parentis loco nos colimus, mouerunt vſque adeo, vt duos Accios fuiſſe crediderit, præſertim quum Valerius Maximus libro tertio capite ſeptimo dicat, Accium Cæſari in collegium poëtarum venienti non aſſurrexiſſe: quòd ſi rationẽ temporum ſubducas, animaduertes, tempora nõ pati, vt L. Accius D. Bruti familiaris fuerit, & ad Cæſaris Dictaturam peruenerit. at nos arbitramur, Sex. Iulium Cæſarem à Valerio Maximo ſignificari, vt iampridem apud ipſum Valerium Maximum indicauimus: & Ciceronem à L. Accio audire potuiſſe, quod hic ſcribit. nam fac Accium Conſule D. Bruto viginti annorum fuiſſe, & ad annos ſeptuaginta vixiſſe; tunc Cicero natus annos viginti potuit audire. Quin Accius libro primo de Legibus Siſennæ familiaris appellatur: Atticus vero infra Siſennam familiarem ſuum vocat. Vnde apparet Accium ad id tempus perueniſſe, vt eum Cicero potuerit audire. Fuit vero Accius idem hiſtoricus, & poëta: & poëtam quidem fuiſſe conſtat: nec dubitatur, an hiſtoricus fuerit, quum libro primo de Legibus inter hiſtoricos à Cicerone numeretur: ſed multi putant duos, alterum poëtam, alterum hiſtoricum, fuiſſe: nec vident à Sex. Pompeio nominari, vt idem propemodum cognoſcatur: & infra ſic à Cicerone dici: Accius iiſdem Aedilibus ait ſe, & Pacuuium docuiſſe fabulam. Docuit igitur fabulã vt poëta: ſed ſe docuiſſe ſcripſit vt hiſtoricus. In fabulis enim nuſquam dicere poſsit, ſe docuiſſe: quum poëtæ nuſquam in fabulis loquantur. etiam ſupra oſtendit Cicero, Accium hiſce de rebus ſcripſiſſe. NON INCVLTE, ſatis ornate, λιτότης. VT TEMPORIBVS ILLIS, ſic ſupra de Cliſthene, & infra de L. Philippo locutus eſt. ERVDITVS, dichoreus, vbi D. Brutũ tantopere commendet. QVAE, quas res. TRIBVERAT, tribuerat vel in ſcriptis, vel in eodem ſermone, ſed ante, quàm de D. Bruto ea mihi referret. vel tu lege, tribuebat. nam Q. hic Maximus D. Bruto minor natu fuit, quũ multo poſt illum Conſul fuerit. Q. MAXIMO, Q. Fabio Maximo Q. F. eius, qui quum L. Aemilii Pauli filius eſſet, adoptatus à neſcio quo Fabio, Q. Fabius Maximus Aemilianus eſt appellatus, & cum L. Hoſtilio Mancino an. ab V. C. ſexcenteſimo nono Conſul fuit. Hic vero filius cum L. Opimio an. ab V.C. ſexcenteſimo trigeſimo tertio Conſul fuit, & aduerſus Allobroges, & Bituitum Regem Aruernorum feliciter pugnauit. ex Bituiti exercitu cæſa millia hominum centum viginti, vt Liuius libro ſexageſimo primo ſcripſit: quanquam Paulus Oroſius millia centum quinquaginta, vel, vt in aliis libris legitur, centum ſexaginta fuiſſe ſcribat: ſed cum Liuio ſentit etiam Appianus in Celtico ita ſcribens: Fabius Maximus modicum fermè deducens exercitum, cẽtum & viginti Celtarum millia vnica proſtrauit acie, quum quinq. ſupra decem ex ſuis duntaxat amiſiſſet: & hæc, quanquam ex vulnere, quod in genam acceperat, grauiter ſaucius, peragere non dubitauit, acies diſcurrens, ſuóſque ad hellum incitans, & quemadmodum aduerſus barbaros eſſet pugnandum, verbis inſtruens, partim curru vectus, partim manu ductus inambulans. Adeo vero paruum duxit exercitum, vt, quod ſcribit Oroſius, Bituitus paucitatem Romanorum vix ad eſcam canibus, quos in agmine habebat, ſufficere poſſe iactaret. Plin. autem ſic addit: Q. Fabius Maximus Conſul apud flumen Iſaram prælio commiſſo aduerſus Allobrogũ, Aruernorũmq. gentes ad VI. Id. Aug. CXXX. M. perduellium cæſis, febri quartana liberatus eſt in acie. Ex hac victoria cognomen Allobrogico illi eſt inditum, quod Paterculus refert. L. AEMILII

NEPOTI,

NEPOTI, L. Aemilii Pauli nepoti ex filio, quem, vt ipſe L.Paulus apud Liuium libro quadrageſimo quinto loquitur, in adoptionem datum Fabia gẽs habuit. Quòd ſi fuiſſet in Aemiliorum familia, hoc loco Cicero dixiſſet, Lucii nepoti, vel per notas è more, L.N. Veteres enim Romani, ne nomina confunderentur, prænominibus patris, & aui diſtinguebant, L. Aemilius L. F. M.N. Paulus: vt P.Cornelius P. F. L. N. Scipio, vt alii innumerabiles, quorum nomina vel hodie in veterum monimentis inueniuntur. Hunc verò Fabium Liuius & Paterculus etiam Pauli nepotem vocant. is dicitur à Cicerone in oratione pro Muræna epulum Africani patrui ſui nomine populo Romano dediſſe, & laudationem dixiſſe: de quo Valerius Maximus illud libro ſexto capite nono ſcripſit: nihil Q. Fabio Maximo, qui Gallica victoria cognomen Allobrogi ſibimet, ac poſteris peperit, adoleſcente magis infame, nihil eodẽ ſene ornatius, aut ſpecioſius illo ſeculo noſtra ciuitas habuit: ſed filius, vt idem refert, adoleſcentiæ, nõ ſenectutis mores eſt imitatus. ET VERO, ſic infra loquitur item. & vero fuit in hoc & popularis dictio excellens. ANTE MAXIMVM, ante Q. Fabium Maximum, de quo dicebamus. Dicebat, inquam, L. Accius Scipionem illum, quo duce Tib. Gracchus eſt occiſus, vehemẽtem fuiſſe ante Q. Maximum: quòd eo multo maior natu fuerit: ſiquidem hic Scipio Conſul ante Q. Maximum annis minimum ſexdecim fuit. nec audias illos, qui credunt hic à Cicerone Scipionem hunc maximum vocari, quòd Pontifex Maximus fuerit: aut illos, qui putant Africanum ſignificari. ILLVM, ἐμφατικῶς. SCIPIONEM, P. Cornelium Scipionem Naſicam Serapionem, eius, qui Corculum eſt appellatus, & de quo ſupra diximus, filium: eius, qui ſacra accepit, quique vir optimus eſt iudicatus, nepotem: qui fuit Conſul cum D.Iunio Bruto an. ab V. C. ſexcenteſimo decimo ſexto: quos, vt diximus, in vincula coniecit C. Curiatius Tribunus plebis, à quo irridente cognomen Serapion ipſi Scipioni fuit impoſitum, vt Liuius libro quinquageſimo quinto, & Quintilianus libro ſexto capite quarto referunt. Hunc Scipionem nos arbitramur in oratione pro Plancio hiſce verbis ſignificari: auus tuus P. Naſicæ tibi ædilitiam prædicaret repulſam: quo ciue neminem ego ſtatuo in hac Repub. fortiorem. hunc enim auus M. Iuuentii Laterenſis videre potuit, & eum nos videmus à Valerio Maximo inter fortes numerari: qui libro ſeptimo capite quinto dum ſcribit eum repulſam ædilitiam, quòd in manum cuiuſdam opere ruſtico duratam iocatus eſſet, tuliſſe, recte ſentit: ſed dum putat eundem eſſe, qui Iugurthæ bellum intulit, & ſacra accepit, errat, & Plinium cogit errare, vt ſupra diximus. QVO DVCE, quo autore: tu Liuium libro quinquageſimó octauo, & Oroſium libro quinto capite nono lege. & quia fuit dux, & autor Tib. Gracchi interficiendi, eũ ſæpe dicitur interfeciſſe, vt in oratione prima in Catilinam. P.Scipio Pontifex Maximus Tib.Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reipub. priuatus interfecit: & libro ſecundo de Oratore, P. Scipio Tib.Gracchum perculit: & libro primo de Officiis, P. Scipio Tib. Gracchi conatus perditos vindicauit. quod Valerius Maximus libro tertio ita ſcribit: Quum Scæuola negaret, ſe quicquam vi eſſe acturum, tunc Scipio Naſica, quoniam, inquit, Conſul, dum iuris ordinem ſequitur, id agit, vt cum omnibus legibus imperium Romanum corruat, egomet priuatus voluntati veſtræ me offero ducẽ: ac deinde læuam manum aperte togæ circundedit, ſublatáque dextra, proclamauit: qui Rempub. ſaluam eſſe volunt, me ſequantur: eáque voce, cunctatione bonorum ciuium diſcuſſa, Gracchum cũ ſcelerata factione, quas merebatur, pœnas perſoluere coëgit. Nec ita multo poſt, vt idem Valerius Maximus libro quinto capite tertio ſcribit, propter iniquiſsimam virtutum ſuarũ

apud ciues æſtimationem, ſub titulo legationis Pergamum feceſsit, &, quod vitæ ſuperfuit, ibi ſine vllo ingratæ patriæ deſiderio peregit. Idem Plutarchus, & autor libelli de Viris illuſtribus teſtantur: hinc in Lælio ſic ſcriptum videbis: quid in P. Scipionem Naſicam effecerint, ſine lachrymis non queo dicere. PRIVATO, priuatus à Cicerone in oratione prima in Catilinam, & in oratione pro Domo: à Valerio Max. & Paterculo vocatur. TI. GRACCHVS, Tib. Sempronius Gracchus, de quo dictum eſt. OCCISVS ESSET, in cliuo Capitolino fragmine ſubſellii ictus, vt ait Paterculus: ſuper Calphurnium fornicem, detracto amiculo fugiens, ictus fragm ẽto ſubſellii, vt inquit Oroſius: de loco nec Appianus, nec alii diſſentiunt, ſed illud addit Plutarchus: ἀντισάμενον αὐτὸν ὁ μὲν ἐμφανῶς καὶ πρῶτος εἰς τὴν κεφαλὴν πατάξας ποδὶ δίφρου, πόπλιος ἦν Σατουρήιος εἷς τῶν συναρχόντων: τῆς δὲ δευτέρας ἀντεποιεῖτο πληγῆς λεύκιος ῥοῦφος ὡς ἐπὶ καλῷ τινι σεμνυνόμενος: atque id ipſum claua, vt refert Oroſius. VEHEMENTEM, vt in Tib. Graccho etiã cõſobrino occidendo fuit. ACREM, ita, vt nullam comitatem ſermonis haberet, vt libro primo de Officiis ſcriptum eſt, quamuis libro ſecundo iocus ille referatur: Quum Naſicæ M. Flaccus multis probris obiectis P. Mucium iudicẽ tuliſſet: eiero, inquit, iniquus eſt: quum eſſet admurmuratum; ah, inquit, patres conſcripti, non ego mihi illum iniquũ eiero, verum omnibus. AIEBAT, idem L. Accius. TVM, illis temporibus. P. LENTVLVS, P. Cornelius Lentulus, de quo Valerius Maximus libro quinto capite tertio ita ſcribit: P. Lentulus clariſsimus, & amantiſsimus Reipub. ciuis, quum in Auentino C. Gracchi nefarios conatus, & aciem pia, ac forti pugna, magnis vulneribus exceptis, fugaſſet: prælii illius, quo leges, pacem, libertatémque in ſuo ſtatu retinuerat, hanc mercedem tulit, vt ne in noſtra quidem vrbe moreretur: ſiquidem inuidia, & obtrectatione compulſus, legatione à ſenatu libera impetrata, habitáque concione, qua à Diis immortalibus petiit, ne vnquam ad ingratum populum reuerteretur, in Siciliam profectus eſt, ibíque perſeueranter morando compotem ſe voti fecit. Hunc Cicero in oratione quarta in Catilinam his verbis ſignificat: illo tempore huius auus Lentuli clariſsimus vir, armatus Gracchum eſt perſecutus: ille graue tum vulnus accepit, ne quid de ſumma dignitate Reipub. minueretur. quod Philippica octaua item repetit. Hic M. Aquilium C. Rutilio Rufo ſubſcriptore accuſauit, vt Verrina prima dicitur: vbi tamen Aſconius putat, Lentuli Suræ patrẽ fuiſſe: & Aquilium non illum, quem Fufius, vt dicetur, accuſauit. Hic P. Lentulus olim miſſus eſt, vt priuatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, coëmeret, vt in oratione ſecunda contra Rullum ſcribitur. ILLE, ἐμφατικῶς, qua libro item primo de Oratore hac ipſa de re loquens, vtitur. PRINCEPS, princeps ſenatus, vt Verrina prima, & in oratione ſecunda contra Rullum: atque ita putant eruditi Philippica octaua legendum eſſe, quamuis librarii multi, principem ſenatorem, deſcripſerint: quod tamen dici poſſe oſtendunt frequentes illæ locutiones, princeps locus, princeps ciuis. Illud me magis mouet, quòd hic Lentulus tam ſępe princeps ſenatus à Cicerone dicitur, & in Conſulibus illius temporis, quantum ego legere potui, non inuenitur: quũ tamen is eſſet mos, vt qui primus Cenſor ex iis, qui viuerent, fuiſſet, is princeps legeretur: & raro fiebat Cenſor, qui Conſul ante non fuiſſet. Suſpicari poſſumus igitur hunc Conſulem fuiſſe, ſed vel eius annum deſiderari, vel eum C. Claudio, qui cum M. Perpenna Conſul fuit, ſuffectum fuiſſe, & ob id cognomẽ eius in Conſulibus ad Claudium eſſe tranſlatum: quod in aliis etiam factum animaduertimus, vt in Conſulibus an. ab V. C. quingentiſimi ſeptuageſimi octaui quiuis facile videre poterit. REMPVB. cuius adminiſtrandę peritiſsimus videtur fuiſſe: ſiquidẽ

M. Antonius

M. Antonius libro primo de Oratore quum Reip. rectorem deſcribit, hunc in primis nominat.

Iiſdemque temporibus L. Furius Philus perbene Latine loqui putabatur, literatiuſque quàm cæteri. P. Scæuola valde prudenter & acute, paulo etiam copioſius. Nec multo minus prudenter M. Manilius. Appii Claudii volubilis, ſed paulo feruidior erat oratio. In aliquo numero etiam M. Fuluius Flaccus, & C. Cato Africani ſororis filius, mediocres oratores: etſi Flacci ſcripta ſunt, ſed vt ſtudioſi literarum. Flacci autem æmulus P. Decius fuit, non infans ille quidem: ſed vt vita, ſic oratione etiam turbulentus.

L. Lucius: & Lucius à Cicerone, & Iulio Obſequente, ſed Publius à Valerio Maximo libro tertio capite ſeptimo, à Caſsiodoro, & ab iis, qui Conſules collegerunt, appellatur: niſi forte Publius Conſul fuit, Lucius non fuit: quum Cicero Lucium vocet, quando de Conſulatu non meminit: Publium vero libro duodecimo ad Atticum, vbi Conſulem ſignificat. FVRIVS, Furii, qui olim Fuſii, vt autor eſt Quintilianus, dicebantur, quin patricii fuerint, nemo dubitabit, qui tot Conſules, tot Tribunos militum Conſulari poteſtate fuiſſe ex his leget, quum plebeii nondum Conſules fiebant. PHILVS, Philus eſt Furiæ gentis cognomen, vt Philo Veturiæ, quod ſupra diximus. Quare, qui Furium Philonem ſcribunt in Conſulibus, errant: quum Furii ſemper à Liuio Phili vocentur: hic tamen etiam Pilus legitur, vt in ſcholiis libri quarti ad Atticum monuimus, & nunc eo magis monemus, quòd in veteribus Conſulibus an. ab V. C. quingenteſimi trigeſimi primi, ſic legitur: P. Furius Sp. F. M. N. Philus Hic vero Conſul fuit, ſi modo Conſul fuit, an. ab V. C. ſexcenteſimo decimo octauo cum Sex. Atilio Serrano. hic eſt certe is, qui in libris de Repub. contra iuſtitiam diſputauit, vt in ſcholiis libri quarti ad Atticum retulimus. LATINE LOQVI, infra. LITERATIVSQVE, quippe quum ſecum eruditiſsimos homines ex Græcia palàm ſemper habuerit, vt libro ſecundo de Oratore dicitur: ob id in oratione pro Archia Cicero ſcribit, eum fuiſſe hominem modeſtiſsimum, & cótinentiſsimum. P. SCAEVOLA, quem ſupra P. Craſsi fratrem vocauit, vbi nos ea diximus, quæ fuerunt dicenda. PRVDENTER, ET ACVTE, P. Scæuola valde prudenter, & acute loqui putabatur, vt Iuriſconſultus, & orator. PAVLO ETIAM, ſic etiam lib. primo de Oratore, & in oratione pro Cæcina P. Mucium Scæuolam hunc ipſum, & M. Manilium coniungit: quòd iiſdem temporibus vterque, & vterque Iuriſconſultus fuerit, vt de Scæuola dictum eſt: & de M. Manilio ipſe Cicero teſtatur in oratione pro Cæcina, & libro primo de Oratore, vbi illum inter Iuriſconſultos numerat, & eius leges venalium vendendorum agnoſcit: & libro tertio de Oratore Craſſus ita loquitur: meminerant illi Sex. Aelium, M. vero Manilium nos etiam vidimus tranſuerſo ambulantem foro: qnod erat inſigne, eum, qui id faceret, facere ciuibus omnibus conſilii ſui copiam: ad quos olim & ita ambulantes, & in ſolio ſedentes domi ſic adibatnr, non ſolum, vt de iure ciuili ad eos, verumetiã de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio, aut negotio referretur. Hic tamen pauper fuiſſe dicitur Paradoxo vltimo: qui habuerit ædiculas in Carinis, & fundum in Labicano. hic in libris Ciceronis de Repub. loquebatur, vt in Lælio, & in epiſtolis ad Atticum

legimus. Plura Rutilius in vitis Iuriſconſultorum ſcribit. M. Marcus, quem tamen Valerius Maximus libro quinto capite octauo videtur Titum vocare, vel plures more ſuo miſcere. MANILIVS, qui cum L. Marcio Cenſorino Conſul fuit an. ab V. C. ſexcenteſimo quinto, vt ſupra pluribus oſtẽdimus. atque hîc Cicero regreditur. APPII CLAVDII, hic Ap. Claudius Pulcher cum Q. Cæcilio Metello Macedonico an. ab V. C. ſexcenteſimo vndecimo Conſul fuit, & Salaſſos, gentem Alpinam, vt libro quinquageſimo tertio Liuius ait, domuit: qua de re Paulus Oroſius ita ſcribit: Ap. Claudio, Q. Cæcilio Metello Coſs. Ap. Claudius aduerſus Salaſſos Gallos congreſſus, & victus, decem millia militum perdidit. reparata pugna, quinque millia hoſtium occidit. ſed quum iuxta legem, qua conſtitutum erat, vt quiſquis quinque millia hoſtium peremiſſet, triumphandi haberet poteſtatem, iſte quoque quum triumphum expetiſſet, propter damna vero ſuperiora non impetraſſet, infami impudentia, atque ambitione vſus, priuatis ſumptibus triumphauit. Hunc Plutarchus in Gracchis ſcribit fuiſſe non modo ὑπατικὸν, ſed τιμητικὸν etiam, & προγεγραμμένοις κατ' ἀξίωμα τῆς Ῥωμαίων βουλῆς: qui Tib. Graccho Claudiam filiam vltro deſpondit: à quo poſtea Triumuir ipſe creatus eſt. VOLVBILIS, ſic Carbonem ſupra, & infra Ruſticellum volubilem vocat. FERVIDIOR ERAT ORATIO, ſic infra feruidum dicendi genus dicet. IN ALIQVO NVMERO, in aliquo numero oratorum. ſic Cicero ſæpe loquitur. M. FVLVIVS FLACCVS, qui cum M. Plautio Hypſæo an. ab V. C. ſexcenteſimo vigeſimo nono Conſul fuit, &, quod Liuius libro ſexageſimo ſcripſit, primus omniũ tranſalpinos Ligures bello domuit, miſſus auxilio Maſsilienſibus aduerſus Falanios Gallos, qui populabantur fines Maſsilienſium. & de his, vt apud Plutarchũ cognoſces, triumphauit: vnde Paterculus illum triumphalem vocat. Hic vt ſuperbus à Valerio Maximo libro nono capite quinto notatur: quòd Conſul quum pernicioſiſsimas Reipub. leges introduceret de ciuitate danda, & de prouocatione ad populum eorum, qui ciuitatem mutare voluiſſent, ægre compulſus eſt, vt in curiam veniret. deinde partim monenti, partim oranti ſenatui, vt incœpto deſiſteret, reſponſum nõ dedit. Erat igitur ſenatui inuiſus, nec plebi charus propter ſuſpicionem, quæ fuerat, eũ ſocios ad defectionem ſollicitaſſe, vt Plutarchus refert. Hic C. Gracchi familiaris fuit, & ob id Triumuir diuidendis agris creatus. nec mihi videtur veriſimile, quod ſcribit Appianus, eum poſt Conſulatum Tribunum plebis fieri, hoc eſt, ab equis ad aſinos, quod aiunt, tranſire voluiſſe: aut cum C. Graccho in Africam eſſe profectum, quum Plutarchus oſtendat Romæ manſiſſe, & tunc eius calumniis Druſi potentiam creuiſſe. Reuerſum certe C. Gracchum ſemper incitauit, donec ipſe quoque cum reliquis pœnas dedit. Armatus enim in Auentino, vt Paterculus ait, ad pugnam ciens, cum filio maiore iugulatus eſt. nec ita multo poſt alter filius, quem pater legatum de conditionibus miſerat, ab Opimio interemptus eſt. ob id Cicero in oratione prima in Catilinam ita ſcribit: occiſus eſt cum liberis M. Fuluius Conſularis: & Philippica octaua. interfectus eſt Gracchus, & M. Fuluius Conſularis, eiúſque duo adoleſcẽtuli filii. Quin eius penates, vt Valerius Maximus ait lib. ſexto capite tertio, ab imis fundamentis eruti ſunt: & quum area diu penatibus vacua manſiſſet, à Q. Catulo Cimbricis ſpoliis adornata eſt. hinc in oratione pro Domo ſic ait Cicero: M. Flaccus, quia cum C. Graccho contra ſalutem Reipub. fecerat, & ſenatus ſententia eſt interfectus, & eius domus euerſa, & publicata eſt, in qua porticum poſt aliquanto Q. Catulus de Manubiis Cimbricis fecit. & ibidem paulo poſt: Tu Q. Catule M. Fuluii domum, quum is fratris tui ſocer fuiſſet, monimentum tuarum manubiarum eſſe voluiſti.

Porrò

Porrò Q. Catuli frater fuit C. Iulius Cæſar, vt in libris oratoriis legimus: qui rurſus L. Iulium Cæſarem fratrem germanum habuit, vt libro tertio de Oratore cognoſcitur: ex quo quidem natus eſt L. Iulius Cæſar, qui cum C. Marcio Figulo an. ab V. C. ſexcenteſimo nonageſimo Conſul fuit: quique Cicerone Conſule dixit, quod ſic in oratione quarta in Catilinam refertur: niſi vero cuipiam L. Cæſar vir fortiſsimus, & amãtiſsimus Reipub. crudelior nudius tertius eſt viſus, quum ſororis ſuę fœminæ lectiſsimæ virum præſentem, & audientem vita priuandum eſſe dixit: quum auum iuſſu Conſulis interfectum, filiúmque eius impuberem, legatum à patre miſſum, in carcere necatum eſſe dixit; ſic enim legendum putabit, quicunque hiſtoriam ſciet, & norit M. Fuluium Flaccũ L. Cæſaris illius auum fuiſſe, vt Fuluiæ patrẽ. c. Caius. atque Caius hic Cato hoc loco, infra, Verrina quinta, & ſexta, & in oratione pro Cornelio Balbo dicitur: à Paterculo tamen Marcus appellatur, male, vt opinor, id quod vel ipſius verbis hiſce colligi poteſt: M. Cato Conſularis repetundarum ex Macedonia damnatus eſt. atqui M. Cato Conſul fuit cũ Q. Marcio Rege an. ab V. C. ſexcenteſimo trigeſimo ſexto: qui vero Conſul in Thracia male aduerſus Scordiſcos pugnauit, quinquennio poſt illos Conſules à Liuio libro ſexageſimo tertio agnoſcitur. Illud accedit, quod Gellius libro decimo tertio capite decimo nono ſcribit, Marcum in Conſulatu in Africam profectũ, in ea prouincia diem obiiſſe: hic vero Conſularis eſt damnatus, & exulauit: & tamen tam hic, quàm ille M. Catonis, & L. Pauli nepos appellatur. nam Gellius, & Paterculus id oſtendunt: quorũ alter ita ſcribit: M. Cato Conſularis M. Catonis nepos, Africani ſororis filius: alter ita: ex maiore Catonis filio naſcitur hic M. Cato M. F. M. N. & ſanè quum pater Marcus diceretur, mos poſtulabat, vt filius etiam Marcus diceretur, ſi primus erat. Cur igitur Cicero Caium vocat? alterum, non illum vocat, & M. Catonis, ac L. Pauli nepotem vocat, ne quis ſuſpicari poſsit, M. Catonis nepotem fuiſſe ex filio, quem ex Solonii filia ſuſtulit. Hinc cognoſcimus Plutarchum erraſſe, qui ſcripſiſſe cognoſcitur, vnum tantum filium ex maiore Catonis filio relictum, quum ſatis appareat, duos minimum M. & C. relictos fuiſſe: id quod etiam ex Conſulibus colligi poteſt. nam ſi Cato tum, quum ſecundam duxit vxorem, octuageſimum, vt quidam ſcribunt, agebat annum, neque Marcus, neque Caius ex eo matrimonio nati, tunc Conſules per ætatem eſſe potuiſſent. Marcus enim annorum triginta quinque, Caius vero triginta nouem ſummum Conſules fuiſſent: quum ætas Conſularis annorum quadraginta trium eſſet. Sunt, qui putent tres fratres, Marcũ, & duos Caios fuiſſe, quòd Ciceronis in Lælio verba illa ſic legant: C. Cato, & minime tunc quidem C. fratri, nũc idem acerrimus inimicus: & interpretentur: C. fratri, C. Porcio Catoni, vt C. Cato C. Catoni fratri fuerit inimicus: quòd alter turbulentus fuerit, & Gracchum ſit ſecutus: alter vero ſic Gracchis ſit aduerſatus, vt illum poſtea, quod infra legitur, iudices Gracchani ſuſtulerint: quaſi vero ſic interpretari non poſsimus: C. Cato Tib. Gracchum ſequebatur, & minime tum quidem C. Graccho fratri inimicus, nunc idem acerrimus inimicus: vt à principio quidem Tib. Gracchum ſit ſecutus, deinde C. Graccho ſit aduerſatus, & ob id à iudicibus Gracchanis poſtea ſublatus. In hanc ſententiam eo libentius venio, quòd in aliquibus libris ita legimus: C. Cato, & minime tunc quidem C. fratri chariſsimus, nunc idem acerrimus inimicus: vt iam tum, viuente Tib. Graccho, C. Cato cœperit C. Graccho nõ eſſe charus, deinde, mortuo Tiberio, ſit factus inimicus. Nec mihi diſplicet libros ſequi, in quibus ita legitur: C. Cato, & minime tunc quidem C. frater, nunc idem acerrimus: vt particula, &, videtur poſtulare, nec res ipſa repugnat:

ſiquidem C. Gracchus tunc erat admodum iuuenis, & otium ſpectabat, ſed poſtea, quàm Vectium quendam defendit, cœpit ſe quaſi extollere ita, vt eũ nobiles timerent, atque id ipſum ante Quæſturam, quam videtur petiiſſe L. Caſsio, L. Cornelio Coſs. vt, quum multo ante cœpiſſet in foro verſari, acerrimus: merito poſſit à Lælio dici, qui circiter annos duos ante C. Gracchi Quæſturam fingitur de amicitia locutus. nihil dico, quòd raro fratres duo eodem prænomine vtebantur, vt duo Caii Catones vſi viderentur, ſi tot fratres fuiſſent. Vt vero hic C. Cato fuerit damnatus, infra dicetur. CATO, C. Porcius Cato, qui cum M. Acilio Balbo an. ab V. C. ſexcenteſimo quadrageſimo Conſul fuit. AFRICANI, P. Cornelii Scipionis Africani Aemiliani: ſic etiam Verrina ſexta hac de re dixit. SORORIS, Tertiæ, vt Plutarchus in Catone vocat: quæ L. Aemilii Pauli filia, & ob id Africani, vt hic ait, ſoror fuit. FILIVS, ex M. Catone M. F. ORATORES, C. Catonem inter oratores Cic. reponit, & M. Catonis Nepotis nullã prorſus mentionẽ facit. Quare putãt aliqui Gell. erraſſe, qui ſcripſit, orationes M. Catonis Nepotis extitiſſe, quũ C. Catonis, quẽ Cic. facit oratorẽ, ſcribere debuiſſet: quaſi vero Cic. nullũ prorſus oratorẽ in hoc dialogo prętermiſerit: & Gell. vt hic ſcriptũ eſſet, videre nõ potuerit: & non appareat hic, hunc C. Catonẽ nihil ſcripſiſſe, quando ſcripta Flacci, non autem Catonis agnoſcit. ETSI, correctio quædam κατὰ πρόληψιν ne quis diceret: cur tu Flaccum mediocrem oratorem vocas, quum ſcripta eius reperiantur? extant quidem, inquit, eius ſcripta, ſed quæ ſtudioſi literarum, non oratoris eſſe videantur. AEMVLVS, non in dicendo magis, quàm in faciendo. Videtur enim & ipſe Gracchanas partes ſecutus: quippe qui L. Opimium C. Gracchi interfectorem accuſauit, vt infra dicetur. P. Publius: & Publius à Cicerone dicitur ſemper, & Publius eſt prænomen frequens Deciorum. Quare pro Q. P. apud Liuium libro ſexageſimo primo reponendum putamus. DECIVS, à Deciis videtur oriundus, qui Mures cognomine ſunt dicti, & plebeii fuerunt, vt libro nono, & decimo Liuii cognoſcitur, vbi Decios plebeios vocat: in quibus fuerunt illi, qui ſe pro patria deuouerunt. In veterum monimentis C. Plautius Decius Mus inuenitur. Hic autem P. Decius, Tribunus plebis quũ eſſet L. Opimium, vt Liuius libro ſexageſimo primo ſcripſit, accuſauit. hinc Cicero in Partitionibus ait: eſſe factum defenditur, quum eſt facti ſubiecta ratio, ſicut ab Opimio: iure feci ſalutis omnium, & conſeruandæ Reipub. cauſa: relatúmq. eſt ab Decio: ne ſceleratiſsimum quidem ciuem ſine iudicio iure vllo necare potuiſti. Videtur etiam pecunias accepiſſe, quum Cicero ibidem ita dicat: coniectura, cepeiſtne pecunias Decius: & libro ſecundo de Oratore: cepeiſtne contra leges pecunias P. Decius. Prætor fuit M. Aemilio Scauro, & M. Cæcilio Metello Coſs. vt autor libelli de Viris illuſtribus in Scauro docet. NON INFANS, ſatis diſertus, ἄλογος. & ſanè videtur dicendo valuiſſe, quando virum etiam Conſularem L. Opimium C. Carbone viro eloquentiſsimo defendente, accuſare non dubitauit. TVRBVLENTVS, qui L. Opimium virum tam bonum accuſarit, & pecunias ceperit.

M. Druſus C. filius, qui in Tribunatu C. Gracchum collegam iterum Tribunum fecit, vir & oratione grauis, & autoritate: eiq. proxime adiunctus C. Druſus frater fuit. Tuus etiam gentilis Brute M. Pennus facile agitauit in Tribunatu, C. Gracchum paulum ætate antecedens: fuit enim M. Lepido & L. Oreſte Coſs. Quæſtor Gracchus, Tribunus Pennus, illius M. filius, qui cum

Q. Aelio Conſul fuit: ſed is omnia ſumma ſperans, Aedilitius eſt mortuus. Nam de T. Flaminio, quem ipſe vidi, nihil accepi, niſi Latine diligenter locutum.

M. DRVSVS, Marcus Liuius Druſus, qui ob eximiam aduerſus Gracchos operam patronus ſenatus eſt dictus, vt ait in Tiberio Suetonius. Tribunus enim plebis, vt refert Plutarchus, partes ſenatus eſt ſecutus, & C. Graccho collegæ ſemper eſt aduerſatus. hinc Cicero libro quarto de Finibus ita loquitur: conferam autem auum tuum Druſum cum C. Graccho eius ferè æquali. Quæ hic Reipublicæ vulnera imponebat, eadem ille ſanabat. Prætor Vrbanus hic fuit, vt autor Rhetoricæ ad Herennium his verbis oſtendit: quod genus Marcus Druſus Prætor Vrbanus, quod cum hærede mandati ageretur, iudicium reddidit, Sextus Iulius non reddidit: & Cicero libro ſeptimo ad Atticum: itaque vſurpaui vetus illud Druſi, vt ferunt, Prætoris in eo, qui eadem liber non iuraret, me iſtos liberos non addixiſſe. Conſul anno ab Vrbe Condita ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo cum L. Piſone fuit, & aduerſus Scordiſcos gentem à Gallis oriundam in Thracia feliciter pugnauit, magnúmque honorem tulit, quod Liuius libro ſexageſimo tertio ſcripſit. C. Caii. C. porrò Liuius Druſus is eſt, qui cum P. Africano Conſul anno ab Vrbe Condita ſexcenteſimo ſeptimo fuit. C. GRACCHVM, infra. ITERVM TRIBVNVM, C. enim Gracchus alterum Tribunatum continuauit, vt ait Paterculus, & Plutarchus pluribus verbis ſcribit. FECIT, quamuis poſtea ſit illi aduerſatus, à patribus perſuaſus, vt refert Plutarchus: quanquam nos putamus legendum, fregit, vt ſupra, Octauius Tib. Gracchum fregit. nam ſi partes ſenatus Druſus ipſe ſequebatur, quo pacto voluiſſet, eum iterum fieri Tribunum plebis, quem ſemel expertus fuiſſet patribus inimicum? VIR. ET ORATIONE GRAVIS, ET AVTORITATE, ἀνὴρ οὔτι γεγονὼς χεῖρον Ῥωμαίων, οὔτε τεθραμμένος χεῖρον. ἤθει δὲ καὶ λόγῳ καὶ πλούτῳ, ἐν τοῖς μάλιστα τιμωμένοις, καὶ δυναμένοις ἀπὸ τούτων ἐνάμιλλος: inquit Plutarchus in Gracchis, vbi plura de Marco Liuio Druſo hoc ipſo ſcribit. PROXIME, quod ad eloquentiam, & autoritatem pertinet: nam, quod ad ætatem ſpectat, maior natu videtur fuiſſe, qui patris prænomine vteretur, vt filij penè omnes, qui primi fuiſſent nati. C. DRVSVS, C. Liuius Druſus, cuius hiſtoriam quærimus. GENTILIS, quòd Marcus Iunius Brutus ipſe quoque, vt tu, ſit appellatus: & ex eadem gente Iunia, ex qua tu quoque, ſit natus. Ita nos ſentimus. Si quis tamen noſtram ſententiam minus probat, videat ille, quid viri eruditi hac ipſa de re ſcripſerunt, & in primis, quid dicat Bartholomæus Riccius in libello, quem hac de re ſcripſit, vir, quem nos multis nominibus obſeruamus. M. PENNVS, Marcus Iunius Brutus Pennus, qui tamen Pœnus à quibuſdam ſcribitur: ſed quum Pœnus cognomen Quintiorum fuerit, vt libro quarto Liuius oſtendit: & hic Pennus ſemper ſcribatur, & pater huius eodem modo in veteribus Conſulibus legatur, nos nihil mutandum cenſemus. AGITAVIT, quod oſtendit, eum aliquid dicendo valuiſſe. TRIBVNATV, ſuo, non C. Gracchi. paulo poſt. C. GRACCHVM, volentem Tribunum plebis fieri: vel tanquam ex Sardinia reuerſum contra ſenatus voluntatem: vel tanquam Fregellanæ coniurationis participem. Hæc enim ex Plutarchi ſcriptis conijcere poſſumus. FVIT ENIM, εὐλογίᾳ, quòd illum potuerit agitare. M. LEPIDO, ET L. ORESTE COSS. anno ab Vrbe Condita ſexcenteſimo vigeſi-

gētiles dicūtur qui erāt eiusd. gētis: nō quòd eodē prænomine et cognomine uteretur.

mo octauo. QVAESTOR, & Quæſtor cum ipſo L. Oreſte Conſule in Sardiniam profectus eſt, vt apud Plutarchum leges. TRIBVNVS PENNVS, Quamuis Lucius Iunius Brutus, vt ſupra dictum eſt, primus Conſul fuerit: vnde appareat, Iuniam gentem patriciam fuiſſe, eam tamen videmus ita poſtea iacuiſſe, vt nullus Conſul in ea per annos centum octuaginta quatuor agnoſcatur. Quare credimus plebeiam eſſe factam: certe hic Tribunatus, & alii, quos leges id oſtendunt. ILLIVS M. illius Marci Iunii Penni. Sic enim in veteribus Conſulibus legitur: M. Iunius M F. M. N. Pennus. Q. AELIO, Q. Aelio P. F. Q. N. Pæto, Cato: quem Valerius Maximus libro quarto capite tertio Tuberonem etiam vocat, quòd Tubero cognomen eſſet Aeliorum, vt infra ſuo loco dicemus. CONSVL FVIT, anno ab Vrbe Condita quingenteſimo octuageſimo ſeptimo. IS, Marcus Iunius Pennus, de quo nunc loquimur. AEDILITIVS, Aedilitate functus. T. FLAMINIO, T. Quintio Flaminio, qui cum Q. Metello Conſul fuit, vt dicetur. VIDI, ſic infra, pueri vidimus. NIHIL ACCEPI, nihil ego quoque accepi. NISI LATINE DILIGENTER LOCVTVM, exiſtimabatur, inquit infra, bene latine loqui, ſed literas neſciebat.

Iis adiuncti ſunt C. Curio, M. Scaurus, P. Rutilius, C. Gracchus. de Scauro, & Rutilio breuiter licet dicere: quorum neuter ſummi oratoris habuit laudem, & vterque in multis cauſis verſatus. erat in quibuſdam laudandis viris, etiam ſi maximi ingenii non eſſent, probabilis tamen induſtria: quanquam iis quidem non omnino ingenium, ſed oratorium ingenium defuit: neque enim refert videre, quid dicendum ſit, niſi id queas ſolute & ſuauiter dicere: ne id quidem ſatis eſt, niſi id, quod dicitur, ſit voce, vultu, motúque conditius. quid dicam opus eſſe doctrina? ſine qua, etiam ſi quid bene dicitur adiuuante natura, tamen id, quia fortuito fit, ſemper paratum eſſe non poteſt. in Scauri oratione, ſapientis hominis & recti, grauitas ſumma, & naturalis quædam inerat autoritas, non vt cauſam, ſed vt teſtimonium dicere putares, cum pro reo diceret. hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur, ad ſenatoriam vero ſententiam, cuius erat ille princeps, vel maxime: ſignificabat enim non prudentiam ſolum, ſed, quod maxime rem continebat, fidem. habebat hoc à natura ipſa, quod à doctrina non facile poſſet. quanquam huius quoque ipſius rei, quemadmodum ſcis, præcepta ſunt. huius & orationes ſunt, & tres ad L. Fufidium libri ſcripti de vita ipſius acta: ſane vtiles, quos nemo legit. at Cyri vitam & diſciplinam legunt, præclaram illam quidem, ſed neque tam rebus noſtris aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam.

iis, quos ſupra dixi. C. CVRIO, de quo paulo poſt, ſed ordine conuerſo dicet. hic enim præponit eum Scauro, & Rutilio, & poſtea poſt illos collocabit. M. SCAVRVS, M. Aemilius Scaurus, qui cum M. Cæcilio Metello anno ab V. C. ſexcenteſimo trigeſimo nono Conſul fuit: etſi bis Conſul videtur fuiſſe, vt paulo poſt dicemus. huius vitam autor libelli de Viris illuſtribus breuiter eſt complexus: & nos ea, quæ pertinebunt ad rem, deinceps referemus. AEMILIVS, Aemilia gens patricia fuit, vt ſupra diximus: vt iure quærat Aſconius, cur Cicero in oratione pro M. Scauro de patre hoc eſt de hoc ipſo M. Scauro ſic dicat: Primus enim me flagrantem ſtudio laudis in ſpem impulit, poſſe virtutem ſine præſidio fortunæ, quò contendiſſet, labore, & conſtantia peruenire: ſed ita reſpondet: Scaurus ita patricius fuit, vt tribus ſupra eum ætatibus iacuerit domus eius fortuna: & Cicero ipſe in oratione pro Muræna hoc modo: Scaurus memoriam propè intermortuam generis ſui virtute renouauit: & autor libelli de Viris illuſtribus: M. Aemilius nobilis pauper: nam pater eius, quamuis patricius, ob paupertatem carbonarium negotium exercuit. Sed nos rurſus quærimus, quo pacto dici poſſit vel memoria intermortua eius generis, vel domus fortuna iacuiſſe, quum gens Aemilia tam multos ſemper habuerit Coſſ. reſpondemus etiam Ciceronem rectè memoriam ſui generis, & Aſconium domum, non gentem dixiſſe: quòd quamuis genus ipſius Scauri, & domus à reliquis Aemiliis, vt fieri ſolet, diuiſa iacuerit, gens tamen Aemilia ſemper floruit. Hunc Aemilium Scaurum Augurem fuiſſe oſtendunt illa Aſconii verba: Cn. Domitius, qui Conſul fuit cum Caſſio, quum Tribunus plebis eſſet, iratus Scauro, quòd eum in Augurum collegium non cooptauerat, diem ei dixit apud populum, & multam irrogauit. SCAVRVS, Scauri, qui talos pedum tumentes, ac porrectos habent, dicuntur. P. RVTILIVS, P. Rutilius Rufus, qui cum C. Manlio an. ab V. C. ſexcenteſimo quadrageſimo nono Conſul fuit: de quo deinceps dicemus. Rutilium, inquit Sextus Pompeius, rufum ſignificat: hinc Rutilii Rufi videntur appellati: qui plebeii fuerunt, vt oſtendit vel hic P. Rutilius, quem Cicero in oratione pro Plancio, & libro primo de Oratore Tribunum plebis fuiſſe demonſtrat. C. GRACCHVS, paulo poſt. DE SCAVRO, non narrat, vt propoſuit, vt ex tempore loqui videatur. NEVTER SVMMI ORATORIS HABVIT LAVDEM, Scaurus tamen in dicendo minime fuit contemnendus, vt libro primo de Oratore apparet: quin Paterculus Scaurum oratorem, & autor libelli de Viris illuſtribus eloquentiæ conſultum vocauit. CAVSIS, ſuis, & alienis. nam Scaurus, vt paulo poſt, & apud Aſconium ſcribitur, accuſatus ſæpe, vt à Cæpione, & Rutilio, ſe ipſe defendit, vt par fuit, & vtrunque accuſatorem detulit. Sic etiam Rutilius Scaurum ambitus accuſauit, & ipſe vocatus in iudicium pro ſe pauca dixit, vt paulo poſt dicitur. VERSATVS. ERAT IN QVIBVSDAM, aliter verſatus erat in quibuſdam. aliter verſatus erat, vt in quibuſdam. placet tamen retinere, vt nunc deſcriptum eſt: verſatus. erat in quibuſdam: vt ibi finiatur periodus, verſatus: deinde ſequatur quædam αἰτιολογία, quare in cauſis eſſent verſati, quum ſummi oratoris laudem neuter haberet: quia probabilis induſtria erat in quibuſdam viris laudandis, etiamſi maximi ingenii non eſſent: & non eſſent viri illi laudandi, quales erant Scaurus, & Rutilius. PROBABILIS, aliter probabiles. INDVSTRIA,

diligentia, vt ſupra ſumus interpretati, quo loco M. Bruto admirabilem naturam, exquiſitam doctrinam, & ſingularem induſtriam tribuebat: ex quibus induſtriam in his ſatis, reliqua duo mediocriter commendat. QVANQVAM, correctio, quia videbatur dicere, Scaurum, & Rutilium maximi ingenii non fuiſſe. IIS; Scauro, & Rutilio. NON OMNINO, defuit. non defuit iis ingenium ad res gerendas: ſed defuit ingenium oratorium. ORATORIVM INGENIVM, quod libro primo de Oratore ita quaſi deſcribit: animi, atque ingenii celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ornandúmque ſint vberes, & ad memoriam firmi, atque diuturni. DEFVIT, ita, vt neuter ſummi oratoris laudem habuerit. NEQVE ENIM, αἰτιολογία, & digreſſio. VIDERE, quaſi parare, & inuenire, quod pertinet ad acumen. SOLVTE, ſolute dicere pertinet ad explicandum. quis enim rem poſſit explicare, niſi linguam habeat ſolutam? ſolutio vero linguæ cum ipſo homine naſcitur, vt libro primo de Oratore Craſſus diſputat. Hinc M. Antonius libro ſecundo de Oratore ait: tentabo, quid lingua efficere poſſit. ob id infra ſcribit Cicero, Curionem facile, ſolutéque verbis ſententias voluiſſe: quod qui lingua ſunt hæſitantes, efficere non poſſunt, nec in oratorum numerum peruenire: quod libro primo de Oratore Cicero ſcriptum reliquit. SVAVITER DICERE, vt ſuauiter dicebat Catulus, cuius ſonus, & ſuauitas Craſſum delectabat, vt ipſemet libro tertio de Oratore fatetur. & in genere quidem dicendi mediocri plurimum ineſt ſuauitatis, vt ait in Oratore: vt fuit in Iſocrate, Demetrio Phalereo, & Callidio: qui vero ſunt voce abſoni, nihil huiuſcemodi poſſunt præſtare, vt libro primo de Oratore Craſſus docet. SIT, aliter fit. VOCE, VVLTV, MOTVQVE, nam quidam ſunt ita voce abſoni, aut ita vultu, motúque corporis vaſti, atque agreſtes, vt in oratorum numerum venire non poſſint, quod libro primo de Oratore Craſſus oſtendit. atque hæc pertinent ad actionem, quæ qualis eſſe debeat, libro tertio de Oratore ſcribitur. CONDITIVS, nam, vt ait libro tertio de Oratore, omni in re poſſe, quod deceat, facere, artis, & naturæ eſt: ſcire, quid quandoque deceat, prudentiæ. ſed hæc ipſa omnia perinde ſunt, vt aguntur. actio, inquam, in dicendo vna dominatur. eſt autem hic tranſlatio à rebus, quæ condiuntur. DOCTRINA? & quidem tali, & tanta, qualem, & quantam ipſe M. Bruto ſupra tribuit, & Craſſus libro primo, & tertio de Oratore quærit. NATVRA, quæ tantum valet in facultate dicendi, vt multi, quod ſupra diximus, nullam eſſe artem dicendi putarint. ID, vt aliquid bene dicatur. FORTVITO FIT, ſic ſupra: ante Iſocratem verborum quaſi ſtructura, & quædam ad numerum concluſio nulla erat: aut ſi quando erat, non apparebat, eam dedita opera eſſe quæſitam: Veruntamen natura magis, tum caſu nonnunquam, quàm aut ratione aliqua, aut obſeruatione fiebat. PARATVM ESSE NON POTEST, quod enim fit fortuito, & caſu, id ſemper paratum eſſe non poteſt. IN SCAVRI, ad rem reditus. SAPIENTIS, igitur eloquentis, & iccirco ſummi, quod paulo ante negauit, oratoris: ſiquidem hanc cogitandi, pronunciandíque rationem, vimque dicendi veteres Græci ſapientiam nominabant, vt libro tertio de Oratore diſputatur: nec aliud eſt eloquentia, niſi copioſe loquens ſapientia, vt in Partitionibus ait: ſed interpretandum eſt, vel quòd qui eloquens eſt, is eſt etiam ſapiens, ſed non cõtrà quicũq. ſapiens eſt, eloquens etiã eſt habendus: quãdo Socrates, qui

ſapientiſſi

ſapientiſſimus fuit, inter eloquentes tamen non ſolet numerari. vel quòd ſapiens hic dicatur, vt Acilius olim dicebatur, quia prudens eſſe in iure ciuili putabatur: vt Cato, quia multarum rerum vſum haberet, multáque eius & in ſenatu, & in foro vel prouiſa prudenter, vel acta conſtanter, vel reſponſa acute ferebantur. non ſapiens igitur erat Scaurus, vt Socrates, vt Lælius, ſed vt Cato, vt Acilius fuit. Hinc in oratione pro Fonteio ſic ait: ecquem vere commemorare poſſumus parem conſilio, grauitate, conſtantia, cæteris virtutibus, honoris, ingenii, rerum geſtarum ornamentis M. Aemilio Scauro fuiſſe? Quanta porrò fuerit in eo ſeueritas etiam in filium, Valerius Maximus libro quinto capite octauo, Frontinus libro quarto capite primo, & autor libelli de Viris illuſtribus oſtendunt, quamuis Titum Scaurum vocet Frontinus, qui eodem libro capite tertio continentiam eius commendat. TECTI, qui quaſi tectus, & tutus loqueretur, nec quicquam diceret, quod cauſæ poſſet obeſſe, quo modo libro ſecundo de Oratore M. Antonium tectiſſimum vocat: vel tecti, qui ſua conſilia tegeret, vt libro decimo quarto ad Atticum Balbum hominem tectum dixit. aliter recti, id eſt, conſtantis: Talis enim fuit Scaurus, quem libro primo Familiarium virum ſingularem conſtantia, & grauitate vocat. vel recti, ſancti, in corrupti: cuius iniurati nutu propè terrarum orbis regebatur, vt ait in oratione pro Fonteio, quamuis à Iugurtha corruptum Salluſtius probet. GRAVITAS, qua neminem Scauro ipſi parem fuiſſe putat in oratione pro Fonteio. SVMMA, ſingularis, vt ſingularis ſeueritas in eo fuiſſe dicitur libro primo de Officiis: & libro primo Familiarium vir grauitate ſingularis idem vocatur. NATVRALIS, idem libro primo de Officiis dicit. AVTORITAS, ſic libro primo de Oratore autoritatem grauitatis, & conſilii Scauro tribuit. Hac autoritate, & fortaſſe conſcientia fretus Varium Sucronenſem fregit, vt Valerius Maximus libro tertio capite ſeptimo, Quintilianus libro quinto capite duodecimo, Aſconius, & autor libelli de Viris illuſtribus affirmant. NON VT CAVSAM, quæ eloquentiam deſiderat, vt ait libro ſecundo de Officiis. TESTIMONIVM, quod religionem requirit: vnde ſic ait infra: vide ne religio nobis tam adhibenda ſit, quàm ſi teſtimonium diceremus. De Scauri vero religione nemo dubitabat, inquit Valerius Maximus libro octauo capite quinto: quamuis eius iurati teſtimonio neque in C. Flauium Fimbriam, neque in C. Memmium, vt in oratione pro Fonteio ait Cicero, ſit creditum: neque ille C. Norbanum, quod ſcribit Valerius Maximus, potuerit affligere: à quo tamen illum lapide percuſſum, vt libro ſecundo de Oratore ſcribitur, conſtabat. HOC, quo Scaurus vtebatur. PATROCINIA, in quibus ſeueritas interdum dimittitur. CVIVS ERAT ILLE PRINCEPS, primus ille ſententiam in ſenatu rogabatur: nam, vt Gellius libro quarto capite decimo ſcribit, primus rogabatur: qui à Cenſoribus princeps in ſenatu lectus erat. Scaurum vero Valerius Maximus ſenatus principem, & Cicero non ſolum ſenatus, ſed ciuitatis etiam principem libro ſecundo de Oratore vocat: cuius nutu propè terrarum orbis, vt ait in oratione pro Fonteio regebatur. VEL MAXIME, aptum videbatur. SIGNIFICABAT ENIM, hoc genus dicendi. & eſt εὐλογία. Vt enim ſtultus, quod eſt in prouerbio, ſtulte, ſic prudens prudenter loquitur. PRVDENTIAM, quæ tanta fuit in illo, vt ita libro ſecundo de Oratore ſcribatur: Scaurus prudentia rerum magnarum magis, quàm dicendi arte nititur: eam ſignificabat illa ratio cum grauitate agendi: quoniam, vt libro primo de Officiis dicitur,

cognitionem, prudentiámque ſequitur conſiderata actio. REM, rem quan cunque agebat, vel defendebat: vel Rempub. CONTINEBAT, ita, vt ille quicquid volebat, efficeret. FIDEM, quis enim viro tali non credat? HOC, hoc dicendi genus, hanc grauitatem, & autoritatem, quæ fuit naturalis. DOCTRINA, quæ tamen in eo videtur aliqua fuiſſe, ſiquidem in oratione pro Archia dicitur Archiam ipſum audiuiſſe. NON FACILE POSSET, quãdo nihil attinet repugnare naturæ, vt Cicero lib. primo de Officiis docet: quia nihil decet inuita, vt aiunt, Minerua: & virtus, vt quidam putarunt non eſt διδακτόν. QVANQVAM, correctio. IPSIVS REI, vt quiſque in his, quæ naturalia ſunt, decorum ſeruet. SCIS, ſcis tu Brute, loquitur enim cum Bruto ex illo loco, tuus enim gentilis. PRAECEPTA SVNT, quorum multa libro primo de Officiis colligũtur. HVIVS, M. Aemilii Scauri. TRES, hinc Valerius Maximus libro quarto capite quarto ita ſcribit: M. Scaurus, quantu lam à patre hæreditatem accepit, in primo libro eorum, quos de vita ſua ſcripſit, refert. FVFIDIVM, forte patrem illius Fufidii equitis Romani, quem L. Piſo ſuis debitoribus addixit, vt in oratione in Piſonem ſcriptum eſt. aliter Fuſidium, vt Plinius libro trigeſimo tertio capite primo vocat. IPSIVS, ſua ipſius. & de ſe ſcripſit Scaurus, vt Xenophon, vt Aratus, vt Catulus, vt alii, quorum exemplo ſe vſurum ad Luceium Cicero ſcripſit: quo poſtea Iulius Cæſar, & Adrianus Imperator vſi ſunt. QVOS, vt rudes. CYRI VITAM, ET DISCIPLINAM, κύρου παιδείαν à Xenophonte libris octo ſcriptã: quam Plato in ſuis legibus, vt etiam Diogenes refert, fictam putauit: Vnde Cicero ad Q. fratrem ita ſcripſit: Cyrus ille à Xenophonte non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus eſt, ſed ad effigiem iuſti imperii. LEGVNT, vt olim Scipio Africanus, qui libros illos de manibus ponere nõ ſolebat: vt Cicero ipſe, qui παιδείαν κύρου, quam contriuerat legendo, totam in imperio *Ciliciæ explicauit.* PRAECLARAM ILLAM QVIDEM, nullum enim prætermiſſum eſt in ea officium diligentis, & moderati imperii, vt ait Cicero libro primo ad Q. fratrem. REBVS NOSTRIS, qui Rempub. habemus, quum poteſtas ibi regia deſcribatur: cuius nomen nos ferre non poſſumus: vel quia Græce ſcripta ſit: vel quia mores diuerſos contineat.

Ipſe etiam Fufidius in aliquo patronorum numero fuit. Rutilius autem in quodam triſti & ſeuero genere dicendi verſatus eſt, & vterque natura vehemens & acer. itaque cum vnà conſulatum petiuiſſent, non ille ſolum, qui repulſam tulerat, accuſauit ambitus deſignatum competitorem, ſed Scaurus etiam abſolutus Rutilium in iudicium vocauit: multaque opera, multaque induſtria Rutilius fuit: quæ erat propterea gratior, quòd idem magnum munus de iure reſpondendi ſuſtinebat. ſunt eius orationes ieiunæ: multa præclara de iure: doctus vir, & Græcis literis eruditus, Panætii auditor, propè perfectus in Stoicis, quorum peracutum & artis plenum orationis genus, ſed tamen & exile, nec ſatis populari aſſenſioni accommodatum: itaque illa, quæ propria eſt huius diſciplinæ, philoſophorum de ſe ipſorum opinio, firma in hoc viro & ſtabilis inuenta eſt: qui cum innocentiſsimus in iudicium vocatus eſſet, quo iudicio conuulſam penitus ſcimus eſſe remp. cum eſſent eo tempore eloquentiſsimi viri L. Craſſus & M.Anto

M. Antonius conſulares, eorum adhibere neutrum voluit, dixit ipſe pro ſeſe, & pauca C. Cotta, quòd ſororis erat filius,& is quidem tamen vt orator, quanquam erat admodum adoleſcens:ſed Q. Mutius enucleate ille quidem, & polite, vt ſolebat,nequaquã autem ea vi atque copia, quam genus illud iudicii & magnitudo cauſæ poſtulabat.habemus igitur in Stoicis oratoribus Rutilium Scaurum in antiquis: vtrunque tamen laudemus, quoniam per illos ne hæc quidem in ciuitate genera hac oratoria laude caruerunt: volo enim vt in ſcena,ſic etiam in foro,non eos modo laudari, qui celeri motu & difficili vtantur, ſed eos etiam, quos ſtatarios appellant, quorum ſit illa ſimplex in agendo veritas non moleſta.

IPSE, hic Cicero ἱστορεῖ, vt in epiſtolis ad Atticũ loquitur. Neque enim propoſuit,ſe de Fufidio dicturum, ſed ipſo nomine admonitus, noluit prætermittere. atque hoc ſæpe facit, vt ſupra de Libone, & de Piſone. RVTILIVS, quem cum Scauro iunxerat, & ſe de his breuiter dicturum fuerat pollicitus. TRISTI, ET SEVERO, id eſt cum Stoica diſciplina congruenti, vt infra dicetur. Triſte vero, & ſeuerum Cicero ſæpe coniungit, vt ſupra de L.Caſsio etiam oſtendimus. VTERQVE, Scaurus,& Rutilius. PETIVISSENT, Rutilius primum,& Scaurus, vt puto, ſecundũ. In Conſulibus enim, quos recentiores ſcriptores collegerunt,inuenitur Conſul cum Ser.Sulpicio Galba an.ab V.C. ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto M. Aemilius Scaurus Hortenſius: quem nos hunc eundem eſſe credimus: quum filius eſſe nõ poſſit, qui multis poſt annis repulſam tulit. Quòd ſi quis fratrem eſſe dicat, credam, niſi me prænomen, quod idem ſit,moueat. Nec Rutilius annos decem iacuiſſet vir tantus, ſi cum eo primum Conſulatum petiiſſet. Forte aliquis dicet,hunc eſſe illum ſecundum,non primum. Quis igitur primus, ſi primus hic ſuum genus inſtauraſſe dicitur? Mecum facit autor libelli de Viris illuſtribus,qui videtur quaſi ſignificare hunc bis Conſulem fuiſſe: quamuis multa de hoc falſa dicat,vt viam Aemiliam ab hoc ſtratam fuiſſe,quam M. Aemilius Lepidus annis ſeptuaginta & amplius ante ſtrauerat, vt Liuius, Strabo, & alii teſtantur:vt alia mittam, quæ non eſt loci huius confutare. Illud potius dicamus, videri nobis,M.Aemilii Scauri,& M. Aurelii Scauri, prænomina,nomina,& cognomina in Conſulibus eſſe perturbata. Caſsiodorus enim cum Ser. Galba M. Scaurum Conſulem nominat ita, vt diuinare non poſsis Marcúmne Aemilium Scaurum, an M. Aurelium Scaurum ſignificet. Quòd niſi Paterculus M. Aurelium vocaret etiam Scaurum, putarem hoc cognomen Scaurum,quod eſt Aemiliorum, ad Aurelium eſſe tranſlatũ, quòd forte alter alteri fuerit ſuffectus,& ita perturbatio nominũ ſit conſecuta. Vnde Paulus Oroſius libro quinto capite decimo ſexto M. Aemilium Scaurũ Conſularem à Cimbris captum, & interfectum ſcribit, quem Liuius libro ſexageſimo ſeptimo,& Paterculus M. Aurelium Scaurum vocant: de quo infra dicemus. ILLE, Rutilius. DESIGNATVM, Cos. Des. COMPETITOREM, M.Aemilium Scaurum. ABSOLVTVS, ambitus. RVTILIVM, P.Rutiliũ Rufum, quem Lælius adoleſcentem vocat in Amicitia, quum P. Rutilium, qui,vt ſupra diximus,cum P Popilio Conſul fuit, inter æquales ponat. hinc Cicero libro quarto ad Atticum inquit: adiunxi adoleſcentes Q. Tuberonẽ, P.Rutilium.Sed Rutilii vitam Rutilius ſcribit. IN IVDICIVM VOCAVIT,

ambitus accuſauit, quum ipſe Conſul eſſet factus, & Rutilius repulſam tuliſſet; in cuius tabulis quum Scaurus oſtenderet literas A. F. P. R. idque diceret eſſe, actum fide P. Rutilii: Rutilius autem, ante factum, poſt relatum: C. Cannius exclamauit, neutrũ illis literis declarari: quid ergo? inquit Scaurus: Aemilius fecit, plectitur Rutilius: hoc libro ſecundo de Oratore leges. FVIT, in dicendo. GRATIOR, iudicibus, & omnibus, qui audiebant, SVSTINEBAT, vt Iuriſconſultus: cuius adoleſcentiam ad opinionem & innocentiæ, & iuris ſcientiæ P. Mucii commendauit domus, vt libro ſecundo de Officiis legimus. ORATIONES, de modo ædificiorum, vt ex Suetonio in Auguſto ſuſpicamur. DOCTVS VIR, ET GRAECIS LITERIS ERVDITVS; ſic libro primo de Oratore: Rutilius homo doctus, & Philoſophiæ deditus. Fuit igitur Rutilius orator, iuriſconſultus, & Philoſophus: ſed & hiſtoricus à Paterculo nominatur. PANAETII, philoſophi Stoici, de quo alibi fortaſſe commodius dicemus, AVDITOR, hoc libro tertio de Officiis etiam dicitur. PERFECTVS IN STOICIS, vt Panætii, qui fuit Stoicus, auditor. ob id Cicero libro primo de Oratore ita ſcripſit: pedem nemo in illo iudicio ſupploſit: credo, ne Stoicis renunciaretur. QVORVM, Stoicorũ. PERACVTVM, ſubtile, vt ſupra de Catone, & Lyſia ſumus interpretati: & ipſe Cicero libro tertio de Finibus ita ſcribit: Stoicorum non ignoras quàm ſit ſubtile, vel ſpinoſum potius diſſerendi genus: & libro quinto item de Finibus diſſerendi ſpinas appellat: quas tamen Panætius, quamuis Stoicus, non probauit. ARTIS, artis definiendi, & partiendi, in qua Stoici verſati ſunt acutiſsime, vt Tuſculana quarta refert: hinc ait paulo poſt: Stoici prudentiſſimi in diſſerendo, & id arte faciunt. nam quod pertineat ad artem dicendi, totum genus hoc, vt ſcribit libro quarto de Finibus, & Zeno, & ab eo qui ſunt, aut non potuerunt, aut noluerunt, certe reliquerunt, quanquàm ſcripſit artem Rhetoricam Cleanthes, atque etiam Chryſippus. SED TAMEN ET, aliter ſcis tamen eſſe. EXILE, ſic exilis oratio Mneſarchi Stoici libro primo de Oratore dicitur. POPVLARI ASSENSIONI, quis enim ex populo aſſentiatur oratori loquenti, & more Stoicorũ diſputanti? nullus certe ferre poſſet, vt in oratione pro Muræna, & libro quarto de Finibus Cicero docet. ITAQVE, quum propè perfectus eſſet in Stoicis. PROPRIA EST, nam, vt ait in Tuſculana quinta, Philoſophi penè omnes profitentur, ſe neq. fortunæ impetu, nec multitudinis opinione, nec dolore, nec paupertate terreri, omniáque ſibi in ſeſe eſſe poſita, neque eſſe quicquam extra ſuam poteſtatem, quod ducant in bonis: hæc tamen Stoici potiſsimum putabant, vt hic vere dicatur propria illorum opinio: orationem pro Muræna, & librũ quartum de Finibus lege. HVIVS DISCIPLINAE, diſciplinæ Stoicæ. ſic vero Cicero diſciplinas ſæpe vocat. SN HOC VIRO, P. Rutilio. aliter in hoc vno. QVI QVVM, αἰὐολογία, quòd opinio inuenta ſit in eo firma, & ſtabilis. aliter qui quanquàm. INNOCENTISSIMVS, ſic libro tertio de Natura Deorum, & in oratione pro Fonteio: exemplum innocentiæ libro primo de Oratore: ſpecimen innocentiæ in oratione in Piſonem: vir ſummæ innocentiæ à Liuio libro ſeptuageſimo: vir non ſeculi ſui modo, ſed omnis æui optimus à Paterculo: vir integerrimus ab Oroſio libro quinto capite decimo ſeptimo vocatur, vt ea mittam, quæ Valerius Maximus libro ſexto capite quarto ſcribit. IN IVDICIVM VOCATVS ESSET, lege repetundarum interrogatus eſſet, vt ait Paterculus: conſpiratione publicanorum perculſus, vt Valerius Maximus libro ſecundo capite quinto refert: ab equitibus, qui tum iudicabant, damnatus, vt eſt apud Aſconium in Diuinatione, vbi ſcribit, ob id illum Quæſtorem damnatum, quòd cum Q. Mucio Scæuola Prætore ſuo conſenſiſſet,

conſenſiſſet, ne publicani aliquid agerent in Aſia prouincia ſua: Liuius vero libro ſeptuageſimo ita ſcripſit: P. Rutilius vir ſummæ innocentiæ, qui legatus C. Marii Proconſulis à publicanorum iniuriis Aſiam defenderat, inuiſus equeſtri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus in exilium miſſus eſt. Videtur vterque ſcriptor Aſconius, & Liuius, vel potius Florus errare. nam neque ille Quæſtor damnatus eſt, ſed Conſularis, vt libro primo de Oratore ſcribitur: neque legatus C. Marii Aſiam defendit, quum C. Marius in eam prouinciam nunquam, quod ego ſciam, ſit Proconſul profectus: quamuis poſtea, ſed poſt Rutilii damnationem, P. Sulpicius legem tulerit, vt ille aduerſus Mithridatem mitteretur. Quare ſic interpretandum arbitror: P. Rutilius quum Aſiam Quæſtor defendiſſet, poſtea legatus quũ eſſet C. Marii tunc neſcio vbi Proconſulis, damnatus eſt, è legatione reuocatus: quod fieri potuiſſe cognoſcimus epiſtola decima quarta libri quarti ad Atticum: niſi forte apud Liuium ita legere placeat: P. Rutilius, vir ſummæ innocentiæ, qui legatus Q. Mucii Procõſulis à publicanorum iniuriis Aſiam defenderat, & quæ ſequuntur. nam ex Q. C. & ex Mucio Marius fieri facile poteſt. Apud Salluſtium legimus, illum Metelli Numidici etiam legatũ fuiſſe. Fuit igitur fortaſſe Quæſtor, deinde etiam legatus Q. Mucii Prætoris, vel Proconſulis. id enim nihil refert, vt alibi pluribus oſtendimus. CONVVLSAM, ordinum diſſenſione, qua magis, quàm vlla culpa ſua reus factus eſt Rutilius, vt Valerius Maximus lib. ſexto capite quarto teſtatur. ELOQVENTISSIMI, vt infra, & in libris oratoriis oſtenditur. L. CRASSVS, ET M. ANTONIVS, de quibus infra dicemus. CONSVLARES, quibuſcum vero Conſules fuerint, infra dicetur. Conſularis autem L. Craſſus treis annos integros fuit, vt ex Conſulibus cognoſcitur. Vnde apparet, quibus temporibus Rutilius ſit condemnatus. Condemnatus eſt enim certe L. Craſſo viuo, & Conſulari, vt libro primo de Oratore, & hic cognoſcimus. at Conſularis ille fuit à ſuo Conſulatu ad L. Philippi Conſulatum. tunc enim deceſsit, vt libro tertio de Oratore ſcribitur. Inter hos vero Conſulatus tres anni tantum integri numerantur. ADHIBERE, patronum: ſic perhibere in epiſtolis ad Atticum. NEVTRVM VOLVIT, propterea quòd non modo ſupplex iudicibus eſſe noluit, ſed ne ornatius quidem, aut liberius cauſam dici ſuá, quàm ſimplex ratio veritatis ferebat: quod libro primo de Oratore videre poteris. DIXIT, & illo penè Socratico genere defenſionis eſt vſus, vt ait Quintilianus libro vndecimo capite primo. Imitatus eſt enim homo Romanus, & Conſularis veterem illum Socratem, qui quum omnium ſapientiſsimus eſſet, ſanctiſsiméque vixiſſet, ita in iudicio pro ſe ipſe dixit, vt non ſupplex, aut reus, ſed vt magiſter, aut dominus videretur eſſe iudicum, vt libro primo de Oratore ſcriptum videbis: ſed Valerius Maximus libro ſexto capite quarto rem pluribus explicauit. PAVCA, Rutilius enim paulum Cottæ tribuit partiũ diſertiſsimo adoleſcenti ſororis ſuæ filio, quod libro primo de Oratore dicitur. C. COTTA, de quo ſuo loco dicetur. SORORIS, Rutiliæ, de qua Seneca in cõſolatione ad Albinam ita ſcribit: Rutilia Cottam filium ſecuta eſt in exilium, & vſque eo fuit indulgentia conſtricta, vt mallet exilium pati, quàm deſiderium: nec ante in patriam, quàm cum filio rediit: eundem iam reductum, & in Repub. florentem tam fortiter amiſit, quàm ſecuta eſt: nec quiſquam lachrymas eius poſt elatum filium notauit. In expulſo virtutem oſtendit, in amiſſo prudentiam. nam & nihil illam à pietate deterruit, & nihil in triſtitia ſuperuacua, ſtultáque detinuit. Hanc hiſtoriam Cicero libro duodecimo ad Atticum quæſiuit, & Atticus ipſe dubitauit. Videtur tamen Cicero illam poſtea alicunde in ſuum librum de luctu minuẽdo tranſtuliſſe:

vnde Seneca ſit mutuatus. IS, C. Cotta. VT ORATOR, vt erat, & quidem inter probatos, vt infra dicetur. ADOLESCENS, quippe qui nondum Tribunus plebis fuiſſet. nam viuo L. Craſſo adoleſcens ſe dicarat, & paucis diebus poſt mortem Craſsi depulſus eſt per inuidiam Tribunatu, vt Cicero libro tertio de Oratore teſtatur. SED, hæc particula oſtendit, Q. Mucium non dixiſſe vt oratorē, hoc modo: Cotta quidem dixit vt orator, ſed Q. Mucius vt iuriſconſultus. Id enim Cicero ſignificat, quamuis prorſus non exprimat. Q. MVCIVS, Q. Mucius Scæuola Pontifex, qui Aſiam ſanctiſsime adminiſtrauit, vt Valerius Maximus libro octauo capite vltimo ſcribit: quanquàm nos Augurem potius ſignificari credimus. Id enim verba demonſtrāt, quibus hic, & libro primo de Oratore teſtatur, Rutilium à Q. Mucio nullo apparatu defenſum fuiſſe: quod Auguri conuenit, quem ſupra dixit, in oratorum numero non fuiſſe, vt hic etiam ſeparat ab oratoribus, quum oſtendit non vt oratorem dixiſſe: at Scæuolam Pontificem infra deſcribit, & libro primo de Oratore vocat eloquentiſsimum. Veriſimile item eſt, ab eo defenſum fuiſſe, cuius ipſe Quæſtor fuiſſet: quòd Quæſturæ coniunctio liberorum neceſsitudini eſſet proxima, vt Cicero quum alibi, tum epiſtola vndecima libri tertii decimi Fam. docet: atque eo magis, quòd Rutilius accuſabatur, quòd cum ſuo Prætore conſenſiſſet, ne Publicani, vt ait Aſconius, aliquid agerent in prouincia ſua. at is Prætor per tempora Q. Mucius Scæuola Pontifex eſſe non potuit. Rutilius enim Scæuola Pontifice ſenior fuit, vt hæc temporum ſeries a Cicerone inſtituta demonſtrat, quum multo poſt Scæuola Pontifex agnoſcatur. Accedit, quòd Scæuola Pontifex Conſul poſt Rutilium nouem annis fuit. Relinquitur igitur, vt Rutilius Scæuolæ Auguris Quæſtor fuerit: ſed dubitari poteſt, an Scæuola Augur Aſiæ præfuerit, niſi ipſe libro primo de Oratore dicat, ſe Prætorem Rhodum veniſſe, & ita ſcribat Aſconius: *Hic eſt Mucius* (loquitur enim de Mucio, qui Prætor Rutilii fuit) *in honorem cuius Aſiani diem feſtum Mucia nominabant*: item, Q. Mucius Aſiam ſingulariter rexerat adeo, vt dies feſtus à Græcis in honorem eius conſtitueretur, qui diceretur Mucia. & Prætor, non Conſul Aſiam rexit: ſiquidem Prætorē vocat Aſconius, & conſtat Aſiam Prætoriam prouinciam fuiſſe: & nouem tantum menſes rexit, ob id fortaſſe, quòd publicanorum improbitatem diutius ferre nō potuit. Cicero certe ſic epiſtola decima ſeptima libri quinti ad Atticum ſcribit: hanc gloriam iuſtitiæ, & abſtinentiæ fore illuſtriorem ſpero, ſi cito deceſſerimus: id quod Scæuolæ contigit, qui ſolos nouem menſes Aſiæ præfuit: quod tamen ad Scæuolam Pontificem referri poſſe in ſcholiis olim iccirco putauimus, quod Valerius Maximus libro octauo capite vltimo ſcribat, illum Aſiæ præfuiſſe: nunc veremur, ne Valerius Maximus alterum pro altero more ſuo poſuerit. nam aut Prætor, aut Conſul Aſiæ præfuit: de Prætore nullum habeo autorem, quem poſsim laudare: de Conſule non videtur dicendum, quum Prætores, vt diximus, non Conſules Aſiam ſortirentur: & Aſconius dicat, eum tum prouinciam depoſuiſſe, ne ſumptui eſſet ærario: quin apparet in oratione in Piſonem, eum, quum L. Craſſus collega prouinciam regeret, Romæ fuiſſe. Cicero tamen epiſtola prima libri ſexti ad Atticum Q. Mucii P. F. edictum Aſiaticum nominat. Publicani igitur Rutilium condemnarunt, & grauiter inimici illi ipſi Q. Scæuolæ fuerunt, vt libro primo Familiarium dicitur: hinc in oratione pro Plancio ita ſcriptum eſt: publicanorum in Q. Scæuolam virum omnibus ingenio, iuſtitia, integritate præſtantem aſpere, & ferociter, & libere dicta commemorem? Poſsit aliquis etiam dicere, alterum Rutilium iiſdem ferè temporibus fuiſſe, qui Scæuolæ Pontificis Quæſtor eſſe potuerit: quando poſt illum quatuor annis

Conſul fuit. at hic, de quo loquimur, P. Rutilius Rufus, ille P. Rutilius Lupus dicebatur, qui vixit multis annis poſt M. Scaurum, quicum Rutilius Rufus à Cicerone in temporum ſerie coniungitur. Hic igitur P. Rutilius Rufus repetundarum damnatus, in exilium profectus eſt: cui, vt ait Valerius Maximus libro ſecundo capite quinto, Aſiam petenti omnes prouinciæ illius ciuitates legatos ſeceſſum eius opperientes obuiam miſerunt. exulare aliquis hoc loco, an triumphare iuſtius dixerit? Itaque Seneca in epiſtolis ita vere ſcripſit: Rutilii innocentia lateret, niſi accepiſſet iniuriam: dum violatur, effulſit. Ita vero tulit exilium, vt, quod idem Seneca refert, à Sylla poſtea reuocatus, non tantum retro ceſſerit, ſed longius etiam ceſſerit. hinc Valerius Maximus libro ſexto capite quarto ait: quum Rutilio reditum in patriam Syllana victoria præſtaret, in exilio, ne quid contra leges faceret, remanſit: idem propemodum teſtatur Quintilianus libro vndecimo capite primo, & Oroſius lib. quinto capite decimo ſeptimo, vbi ſcribit, eum in exilio conſenuiſſe: qui quum à Mithridate Mitylenis oppreſſus eſſet, crudelitatem Regis in togatos, veſtitus mutatione vitauit: quod in oratione pro Rabirio ſcriptum vidimus. ENVCLEATE ILLE QVIDEM, ET POLITE, VT SOLEBAT, idem dixit aliis verbis libro primo de Oratore: more ſuo, nullo apparatu, pure, & dilucide: quod totum ad dicendi genus attenuatum pertinet. tenues enim, vt in Oratore docet, acuti ſunt, omnia docentes, & dilucidiora, non ampliora facientes, ſubtili quadam, & preſſa oratione limati. EA VI, ATQVE COPIA, quæ ſolent eſſe in vehementi, & ſublimi dicendi genere, vt in Oratore docet. GENVS ILLVD IVDICII, repetundarum. cauſæ vero repetundarum, ambitus, maieſtatis Reip. cauſa conſtitutæ ſunt, vt ait Aſconius in Diuinat. ob id Cicero in ea oratione dixit: in cauſis, iudiciiſque publicis. MAGNITVDO CAVSAE, in qua de fama, & capite Rutilii viri tanti agebatur. Quam poſſumus enim reperire ex omnibus rebus ciuilibus cauſam, contentionémque maiorem, quàm de ordine, de ciuitate, de libertate, de capite hominis Conſularis? hoc ait libro primo de Oratore. atque de his penè omnibus in eo iudicio agebatur, & ideo maiorem vim cauſa poſtulabat. POSTVLABAT, dichoreus, vt penè effingat, qualis oratio in magnis cauſis eſſe debeat. HABEMVS IGITVR, concluſio per epilogum. STOICIS ORATORIBVS, inter oratores, qui Stoicos Philoſophos ſunt imitati. RVTILIVM, de quo diximus vltimo loco, & ob id nunc primo ponimus, vt quem nunc etiam quaſi in manibus habeamus: quamuis in epilogis ordo ſeruandus eſſe dicatur. SCAVRVM, de quo dictum eſt. ANTIQVIS, antiquis oratoribus, quales Cato, & Galba fuerunt, vt ſupra demonſtratum eſt. VTRVNQVE, Rutilium, & Scaurum. LAVDEMVS, vt oratorem, quamuis neuter ſummi oratoris habuerit laudem, vt ſupra dixit. ILLOS, Rutilium, & Scaurum, qui generibus hiſce ſunt vſi. NE HAEC QVIDEM, Stoica, & antiqua, quibus Rutilius & Scaurus vſi ſunt, quum alia penè omnia floruerint, quamuis plura ſint dicendi genera, vt ſupra diximus. CIVITATE, in qua Ciceronis iudicium fuit, Romanos omnia aut inueniſſe per ſe ſapientius, quàm Græcos, aut accepta ab illis feciſſe meliora, quæ quidem digna ſtatuiſſent, in quibus elaborarent. hoc Tuſculana prima ſcriptum eſt. GENERA, quibus Scaurus, & Rutilius vſi ſunt. nam Scauri genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur: Rutilii exile, nec ſatis populari aſſenſioni accommodatum, vt ſupra deſcripſit. HAC, de qua nunc diſputo. ORATORIA LAVDE, eloquentia, quam ſupra non ſemel etiam dicendi laudem nominauit. VOLO ENIM, φιλολογία, cur laudet eos, quorum neuter ſummi oratoris habuit laudem. SCENA, in qua ſolent agi fabulæ, vt notius eſt,

quàm vt plura ſint dicenda. SIC, εἰκών. & ſanè inter ſcenam, & forum eſt quædam ſimilitudo. vnde actores tam in ſcena, quàm in foro dicuntur: & ſcenæ ſeruire, & vti foro dici ſolet. EOS, quos motorios vocant Grammatici. nam Donatus in Adelphis ita ſcribit: Duo agendi ſunt principales modi, motorius, & ſtatarius: ex quibus ille tertius naſcitur, qui dicitur μικτὸς. Quin comœdiæ ipſæ, vt idem eſt autor, aut motoriæ ſunt, aut ſtatariæ, aut mixtæ: motoriæ, turbulentæ: ſtatariæ, quietiores. mixtæ, ex vtroque actu conſiſtentes: motoria eſt Phormio in affectibus conſtituta penè maioribus, quàm ſtylus comicus poſceret: ſtataria ἑαυτὸν τιμωρούμενος, vt ipſe Terentius in prologo vocat: reliquæ Terentianæ fabulæ penè omnes mixtæ, vt idem Donatus in Adelphis teſtatur. & motorias ipſe Terētius in prologo ἑαυτὸν τιμωρουμένου modo non deſcribit: in quibus ſeruus currens, iratus ſenex, edax paraſitus, ſycophanta impudens, auarus leno, agendi ſint clamore ſummo, cum labore maximo. CELERI MOTV, ET DIFFICILI, quo vtrique actores, ſed ii in ſcena, illi in foro vtuntur. Actores enim fabularum ſæpe clamore ſummo, vt ait Terentius, cum labore maximo agunt, dum referunt, & quaſi repræſentant vel ſeruum currentem, vel tale quid agentem: actores vero cauſarum ingemunt ſæpe, inclamant, dolent, quæruntur, Rempub. implorant, ſupplicant, & pedem ſupplodunt, vt ait Cicero libro primo de Oratore. Itaque vere vtrique motorii poſſunt appellari. STATARIOS, qui ſtatarias, vt diximus, fabulas agunt ita, vt nihil penè moueantur, ſed ſimpliciter agant, qualem Cicero epiſtola decima quarta videtur Antiphontem deſcribere: nihil, inquit, tam puſillum, nihil tam ſine voce, nihil tam verum: ſtatarios vero patronos tales, qualis fuit Rutilius, qui non modo ſupplex iudicibus, vt ſupra retulimus, eſſe noluit, ſed ne ornatius quidem, aut liberius cauſam dici ſuã, quàm ſimplex ratio veritatis ferebat. ſic infra C. Piſonem oratorem ſtatariũ vocat. Erant etiam milites ſtatarii, à quibus ſtatarii oratores videri poſſunt appellati. SIMPLEX, ſincera, ſine fuco, atque adeo ſine tenebris, quas ſummi oratores, vt Cicero, ſæpe iudicibus offundunt: quum dici ſoleat, veritatis ſimplex oratio. AGENDO, in ſcena, & foro. NON MOLESTA, λιτότης: igitur grata, & iucunda. Tam enim actor in imitanda, quàm orator in ſuſcipienda veritate iucundus, vt libro ſecundo de Oratore dicitur.

Et quoniam Stoicorum eſt facta mentio, Q. Aelius Tubero fuit illo tempore, L. Pauli nepos, nullo in oratorum numero, ſed vita ſeuerus, & congruens cum ea diſciplina, quam colebat, paulo etiam durior, qui quidem in Triumuiratu iudicauerit contra P. Africani auunculi ſui teſtimonium, vacationem Augures, quo minus iudiciis operam darent, non habere: ſed vt vita, ſic oratione durus, incultus, horridus: itaque honoribus maiorum reſpondere non potuit: fuit autem conſtans ciuis, & fortis, & in primis Graccho moleſtus: quod indicat Gracchi in eum oratio. ſunt etiam in Gracchum Tuberonis, is fuit mediocris in dicendo, doctiſsimus in diſputando.

ET QVONIAM, tranſitio, & ὑπόμνησις quædam. nam quum paulo ante Stoicorum mentionem feciſſet, ea re quaſi admonitus, Q. Aelium Tuberonem Stoicum ponit, vt prorſus appareat, hunc ſermonem ex tempore factum fuiſſe. & veniam accipit, quòd Tuberonem inſerat inter eos, quos propoſuerat.

rat. nam Curio, vel Gracchus ſequi debuit. STOICORVM, in quibus Rutilium perfectum fuiſſe diximus. Q. AELIVS TVBERO, de quo quidem nos hic deinceps dicemus. ILLO TEMPORE, quo Scaurus, & Rutilius fuerunt. hinc epiſtola decima quinta libri quarti ad Atticum, Tuberonem, & Rutilium æquales fuiſſe oſtendit. L. PAVLI NEPOS, nam quum L. Aemilius Paulus duas haberet filias, alteram M. Catoni Cenſorii filio, alteram Q. Tuberoni, vt Plutarchus in Aemilio Paulo refert, collocauit: vnde natus eſt hic Q. Aelius Tubero, qui propterea L. Pauli nepos hic, & in oratione pro Muræna vocatur. NVLLO IN ORATORVM NVMERO, hinc quum vellet Africanum auunculum ſuum laudare, ei C. Lælius orationem ſcripſit, vt refertur libro ſecundo de Oratore: vbi tamen male legitur, P. Tubero, quum ſcribere oporteat, Q. Tuberoni. VITA SEVERVS, qualis in oratione pro Muræna deſcribitur. CONGRVENS, triſtis igitur, vt in P. Rutilio ſupra. EA DISCIPLINA, Stoicorum, quorum ſententiæ ſunt, & præcepta eiuſmodi: ſapientem gratia nunquam moueri, nunquam cuiuſquam delicto ignoſcere, neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultum, & leuem: viri non eſſe, neque exorari, neque placari: & reliqua, quæ in oratione pro Muræna ſcribuntur. COLEBAT, vt homo eruditiſsimus, ac Stoicus, vt in oratione pro Muræna dicitur: ad quem Panætius vt auditorem ſuũ de dolore patiendo ſcripſit, vt Cicero libro quarto de Finibus oſtendit. DVRIOR, etiam durior, quàm Stoica diſciplina poſtulabat. QVI QVIDEM, αἰτιολογία, quare durior appelletur. TRIVMVIRATV, nos adhuc quærimus hiſtoriam, in qua ſcriptum ſit, Q. Tuberonẽ Triumuirum fuiſſe, & contra P. Africani teſtimonium iudicaſſe. Scimus quidem nos illis temporibus Tib. Gracchum, Ap. Claudium, & C. Gracchum primum, deinde Fuluium Flaccum, C. Gracchum, & C. Carbonem Triumuiros diuidendis agris creatos fuiſſe, quod Liuius libro quinquageſimo octauo, & ſequenti ſcripſit: ſed non videtur veriſimile poſtea etiam creatum fuiſſe, qui Graccho ipſi moleſtus eſſet futurus, aut certe illum moleſtum ei fuiſſe, quo autore creatus fuiſſet, ne ingratus dici merito poſſet. Verum quoniam Romæ erant alii Triumuiri, vt Capitales, & Monetales, & alii, quos etiam iudicaſſe legimus, fortaſſe Q. Tubero ex his vnus fuit. P. AFRICANI, P. Cornelii Scipionis Africani Aemiliani, de quo ſupra diximus. AVVNCVLI SVI, nam Scipio, vt ſupra dictum eſt, L. Pauli filius fuit, & frater Aemiliæ, quæ mater ipſius Tuberonis fuit. hinc auunculum quoq. lib. ſecũdo, & tertio de Orat. vocat. TESTIMONIVM, quod ea de re P. Africanus ipſe dixerat. VACATIONEM, Q. Tubero iudicauit Augures vacationem non habere, quo minus iudiciis operam darent. Tempore certe Ciceronis non videntur habuiſſe. nam Cicero ipſe quum eſſet Augur, verebatur tamen, ne ſors de iudicatu ſua educeretur, vt libro duodecimo ad Atticum videre poteris. hinc libro decimo tertio rogat Atticum ipſum, videat, vt iudiciali moleſtia careat. Q. igitur Tubero contra P. Africani teſtimoniũ iudicauit, Augures cogi poſſe, vt iudices fierent, & ſic iudiciis operam darent: quòd huius rei nullam vacationem haberent. aliter vocationem, vt ſit hic ſenſus: Tubero iudicauit, Augures non habere vocationem, vt in iudiciis minus verſarentur. nam ſi vocationem haberent, & in ius vocare poſſent, eſſet neceſſe, iudiciis operam dare, & ſic à munere ſuo ſæpius auocari: quod ne fieret, Romani videntur ſanxiſſe, ne Augures vocationem haberent, vt habebant Conſules, & alii magiſtratus, qui habebant imperium, vt Gellius libro decimo tertio capite

duodecimo ſcribit. VT VITA, durus, paulo ante. ORATIONE DVRVS, INCVLTVS, HORRIDVS, vt Stoicus, & ſtudioſus Stoicorum, quorum oratio à Cicerone ſpinoſa ſolet appellari. ITAQVE, quum vita durus, & oratione fuerit. HONORIBVS, vt Prætura, & Conſulatu. MAIORVM, Aeliorum, quorum multi Conſules leguntur: &, niſi fallor, huius pater anno ab Vrbe Condita quingenteſimo octuageſimo ſeptimo cum M. Iunio Penno Conſul fuit. NON POTVIT, quòd vita durus eſſet, & oratione. & ſanè deiectus eſt Prætura, quòd in celebranda morte Africani pellibus hœdinis lectulos Punicanos ſtrauiſſet, & vaſa Samia expoſuiſſet. Populus enim, qui dabat honores, grauiter tulit hanc Tuberonis peruerſam ſapientiam, vt ait Cicero in oratione pro Muræna. FVIT, Q. Tubero. CONSTANS CIVIS, ET FORTIS, ſic in oratione pro Muræna, homo integerrimus, & ciuis optimus appellatur. GRACCHO, Tiberium'ne, an Caium ſignificet, vix ſciri poteſt: niſi quis putet Tiberium ſignificari, quòd eius mentio ſupra ſit facta ſuo loco, & ea dicta, quæ fuerunt dicenda: Caius vero in ſuum locum dilatus. Nec ego contendam, ſi quis hunc eſſe dicat Caium, vel ob id, quòd Cicero ſæpe Gracchum quum ſine prænomine dicit, Caium, vt libro tertio de Oratore, ſignificat. Illud accedit, quòd Cicero quum de Tuberone loqui cœpit, recordabatur, ſe, vt propoſuerat, poſt P. Rutilium debere dicere de C. Graccho, vt ille tum quaſi obuerſaretur dicenti. Vnde par videtur, credere, hic illum ſignificari, præſertim quum ætas etiam magis conueniat. MOLESTVS, quo tempore Gracchus ipſe ſuis legibus Rempublicam perturbabat, vt Plutarchus, & alii ſcribunt. EVM. Q. Tuberonem. ORATIO, quæ tunc extabat, vt orationes vtriuſque tunc extabant: quod ſupra de Tiberii, & infra de Caii orationibus teſtatur. SVNT, orationes, quæ non ſunt hodie. IS, Q. Tubero. MEDIOCRIS IN DICENDO, fuit igitur in aliquo oratorum numero, quum Fannius ſupra, & infra L. Cotta in mediocribus oratoribus numerentur: & dicere ſit oratorum. ſic enim Cicero ipſe in Oratore ſcribit: diſputandi ratio, & loquendi dialecticorum eſt, oratorum autem dicendi, & ornandi. Quo pacto igitur paulo ante dixit, illum nullo in oratorum numero fuiſſe, & paulo poſt in eo nullam eloquentiam fuiſſe? Videntur hæc ipſa profectò inter ſe pugnare ſic, vt interdum dubitem, ne Cicero, ſi fas eſt dicere, parum diligens hac in parte fuerit: niſi ſic interpretemur: Q. Tubero fuit mediocris in dicendo natura, ſed ipſe voluit eſſe durus, incultus, & horridus ita, vt in nullo oratorum numero ſit ponendus: vel in dicendo fuit mediocris, ſed in ſcribendo non valuit: vnde Lælius ei P. Africanum laudanti orationem ſcripſit: quod argumento ſit, eum ſcribere neſciſſe, quamuis in Gracchum vtcunque ſcripſerit. Quum vero res nulla tantum ad dicendum proficiat, quantum ſcriptio, vt ſupra dixit, & Q. Tubero neque bene ſcriberet, & eſſet in dicendo mediocris, dici poteſt, in nullo oratorum numero fuiſſe, quod de Galba dici non poteſt: qui quamuis male ſcripſerit, in dicendo tamen ſummus fuit ita, vt orator appelletur. DOCTISSIMVS, eruditiſſimus dicitur in oratione pro Muræna: quippe qui Philoſopho dies & noctes operam dediſſet, vt libro tertio de Oratore ſcribitur: vt Stoicus. omnes enim ferè Stoici prudentiſſimi in diſſerendo paulo poſt dicuntur. DISPVTANDO, dichoreus.

Tum

Tum Brutus, Quàm hoc idem in noſtris cõtingere intelligo, quod in Græcis, vt omnes ferè Stoici prudentiſsimi in diſſerẽdo ſint,& id arte faciant,ſintq. architecti penè verborũ;ii dem tradu cti à diſputãdo ad dicendũ, inopes reperiantur. vnũ excipio Catonẽ,in quo perfectiſsimo Stoico ſummã eloquentiam nõ deſiderẽ:quam exiguã in Fannio,ne in Rutilio quidem magnã,in Tuberone nullam video fuiſſe. Et ego, Non,inquam, Brute ſine cauſa: propterea quòd iſtorum in dialecticis omnis cura cõſumitur, vagũ illud orationis & fuſum & multiplex non adhibetur genus: tuus autẽ auunculus, quẽadmodum ſcis, habet à Stoicis id, quod ab illis petendum fuit; ſed dicere didicit à dicendi magiſtris, eorúmq. more ſe exercuit. quòd ſi omnia à philoſophis eſſent petenda, Peripateticorum inſtitutis commodius fingeretur oratio, quo magis tuum Brute iudicium probo, qui eorum, id eſt ex vetere Academia, philoſophorum, ſectam ſecutus es, quorũ in doctrina atque præceptis diſſerendi ratio coniungitur cum ſuauitate dicendi & copia. quanquam ea ipſa Peripateticorum Academicorúmque conſuetudo in ratione dicendi talis eſt, vt nec perficere oratorẽ poſsit ipſa per ſeſe, nec ſine ea orator eſſe perfectus. nam vt Stoicorum aſtrictior eſt oratio, aliquantóque contractior, quàm aures populi requirunt: ſic illorum liberior & latior, quàm patitur conſuetudo iudiciorum & fori.

TVM BRVTVS, digreſsio. NOSTRIS, Latinis hominibus. PRVDENTISSIMI IN DISSERENDO SINT, propterea quòd Stoicorũ in dialecticis omnis cura cõſumitur, vt paulo poſt ait. diſputãdi vero ratio, & loquẽdi dialecticorũ eſt, vt ex Oratore paulo ante retulimus. Itaq. Stoici diſputationũ ſuarum, atq. interrogationũ laqueis homines irretitos ſolent tenere, vt ait lib. primo de Orat. ARTE, dialectica, quã Stoici diligẽter perſecuti ſunt, vt ait in Topicis: quãquam multi dubitant, an ars ſit Dialectica, vt ſupra de Rhetorica diximus: Cic. tamẽ infra, de Ser. Sulpicio loquẽs, artẽ maximã vocat. ARCHITECTI PENE VERBORVM, ex omnibus enim philoſophis Stoici plurima nominarunt. Zeno vero Stoicorũ princeps nõ tam rerũ inuentor fuit, quàm nouorũ verborum, vt lib. tertio de Finibus oſtenditur. &, penè, dixit, quòd trãſlatio paulo durior videbatur, architectos verborũ ita dicere. A DISPVTANDO AD DICENDVM, à Dialectica ad Rhetoricam. INOPES REPERIANTVR, quippe quòd totũ genus hoc & Zeno, & ab eo qui ſunt, aut non potuerũt, aut noluerunt, certe reliquerunt, vt ſupra retulimus. VNVM EXCIPIO, ex tot Stoicis, qui traducti à diſputando ad dicendum, inopes reperiũtur. CATONEM, M. Porcium Catonẽ, qui ſe tẽporibus hiſce Vticæ interfecit, & Vticẽſis eſt appellatus. IN QVO, in cuius ſcripto, vt quũ dico, in Cicerone nihil deſidero: vel in hoc verbo, in quo, & paulo poſt in verbo, habet, loquitur de Catone tanquam adhuc viuo. & ſanè quũ Cicero hunc dialogum eſt exorſus, forte Cato adhuc viuebat: & illum vel ob id ſuo loco poſtea non poſuit, vel ne Cæſarem offenderet. PERFECTISSIMO STOICO, qualis in oratione pro Muræna, & lib. tertio de Finibus deſcribitur.

NON DESIDEREM, quòd in eo ſit, vt tribuit Salluſtius, & Cicero ipſe, qui libro quarto de Finibus affirmat, illum ſolitum fuiſſe, apte, & rotunde dicere, quod à rhetoribus habuiſſet: & oſtendit epiſtola, quæ nunc quoque libro decimo quinto Familiariũ Ciceronis inuenitur. EXIGVAM, eius enim omnis in dicendo facultas neque nimis fuit infans, neque perfecte diſerta, vt ſupra dictum eſt. FANNIO, C. Fannio Lælii genero, qui & ipſe Stoicus fuit: quippe qui Panætium Stoicum audiuit, vt ſupra vidimus. RVTILIO, qui in quodam triſti, & ſeuero genere dicendi verſatus eſt, vt apparuit ſupra. NVLLAM, ita, vt, quod ſupra dictum eſt, nullo in oratorum numero fuerit. VIDEO, ex his, quæ tu Cicero nobis retuliſti. SINE CAVSA, non ſine cauſa fiunt ea, quæ tu dicis: vt Stoici traducti à diſputando ad dicendum, inopes reperiantur: & ſit eloquens Cato, quamuis Stoicus ſit etiam perfectiſsimus. PROPTEREA QVOD, αἰτιολογία. ISTORVM, Stoicorum, de quibus nunc loquimur. IN DIALECTICIS, nam quum omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat partes, vnam inueniendi, alteram iudicandi, Stoici iudicandi vias diligenter perſecuti ſunt, eam ſcientiam, quam dialecticen appellant: vt ait in Topicis, & libro quarto de Finibus: quæ ratio loquendi eſt contractior, quum dicendi ſit latior, vt ait in Oratore. VAGVM ILLVD ORATIONIS, ET FVSVM, ET MVLTIPLEX, eſt quædam περίφρασις eloquentiæ, quam Cicero variis modis ſolet deſcribere ſic tamen, vt eam ferè ſemper copioſam vocet, vt dialecticæ quaſi opponat. NON ADHIBETVR, à Stoicis, qui totum hoc genus, vt ante retulimus, aut non potuerunt, aut noluerunt, certe reliquerunt: quòd eorum hæreſis nullum ſequatur florem orationis, neque dilatet argumentum, ſed minutis interrogationibus, quaſi punctis, quòd propoſuit, efficiat, vt eſt in Paradoxis. orationis enim genus habent fortaſſe ſubtile, & certe acutum, ſed vt in Oratore exile, inuſitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obſcurum, inane, ieiunum, vt libro tertio de Oratore ſcribitur, vbi Craſſus eos reiicit. TVVS AVTEM AVVNCVLVS, M. ipſe Cato Seruiliæ matris tuæ frater, vt Cicero libro tertio de Finibus, & Plutarchus in Bruto ſcribunt. SCIS, vt ſororis filius, ipſius in Cypro comes, & tandem gener, vt Plutarchus oſtendit: ſic libro tertio de Finibus: erat, vt ſcis, in Catone inexhauſta auiditas legendi. HABET A' STOICIS, ſic, loquens cum illo libro quarto de Finibus, dixit, habes à rhetoribus. A' STOICIS, ab Antipatro Tyrio præceptore, vt apud Plutarchum potes legere. ID, vt poſſit, & ſciat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de Diis immortalibus, de charitate patriæ Stoice dicere, quod in Paradoxis, & in oratione pro Muræna refertur. DICERE DIDICIT A DICENDO, προσονομασία, quam Pontanus vocat alliterationem. A DICENDI MAGISTRIS, à rhetoribus, libro quarto de Finibus. EORVMQVE, dicendi magiſtrorum. MORE, quo magiſtri pueros exercent. SE EXERCVIT, ἤσκει τὸν λόγον, vt ait Plutarchus, quòd eam rem ſibi apud vulgus profuturam putaret: οὐ μέντοι μεθ᾽ ἑτέρων ἐποιεῖτο τὰς μελέτας οὐδ᾽ ἠκροάσατο λέγοντος οὐδείς. Quare ſic eſt dicendum: exercuit ſe ipſe, vt magiſtri pueros exercere ſolent, ſed à nemine voluit audiri. Itaq. vtebatur ille quidem exercitationibus, de quibus Cic. ſæpe, Quintilianus lib. ſecũdo cap. quarto, Theon, & Aphthonius ſcribunt, ſed intra priuatos parietes, ne à quoquam poſſet audiri. ESSENT PETENDA, vt olim, quũ iidem erant viuendi præceptores, atq. dicendi: ſed Socrates res iſtas ita ſeparauit, vt alii nos ſapere, alii dicere doceant, vt libro tertio de Oratore Craſſus ait. PERIPATETICORVM, qui

Peripatetici dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Lycio, vt libro primo Academicarum quæſtionũ dicitur. nam περιπατεῖν inambulare ſignificat. INSTITVTIS, ſcriptis, & inſtitutis, vt libro quinto de Finibus ait. COMMODIVS FINGERETVR ORATIO, quòd Peripatetici ſibi cum oratoribus cognationem eſſe dicant, vt libro ſecundo Academicarum quæſtionum videre licet: quin ex eorum ſcriptis, & inſtitutis omnis ſermo elegans ſumi poteſt, vt Cicero libro quinto de Finibus oſtendit, & Craſſus libro tertio de Oratore pluribus verbis diſputauit. QVO MAGIS, ſi Brutus Peripateticus fuiſſet, ſequeretur hoc modo concluſio: Peripateticorũ inſtitutis cõmodius oratio fingitur, iccirco Brute tuũ iudicium probo, qui Peripateticorũ ſectã ſecutus es. nunc Brutus Peripateticus non eſt, id quod oſtendunt verba, quæ ſtatim ſubiungit, id eſt ex vetere Academia: vt hæc concluſio vix ſequi poſſe videatur, niſi viris etiã doctis aſſentiamur, qui verba illa, id eſt ex vetere Academia, tollunt, arbitrantes interpretationẽ quandam eſſe inſertã. ſed ſit inſerta, vt mihi etiam videtur, Brutus certe Academicus, nõ Peripateticus fuit: & quod ait Plutarchus, ἐξήρτητο τ῀ παλαιᾶς ἀκαδημίας, καὶ ἀντίλλ θαυμάζων μὲν ἀντίοχον ἀσκαλωνίτην: φίλον δὲ καὶ συμβιώτην τὸν ἄδελφον αὐτοῦ πεποιημένος ἀρίστωνα. Idem propemodum Cicero infra, in fine huius dialogi, & libro quinto de Finibus ſcribit, niſi quòd Ariſtum, non Ariſtonem Antiochi fratrem vocat. Quin idem Cicero in Paradoxis teſtatur ſe, & Brutum eandem Philoſophiam ſecutos: nec eſt dubium, quin Cicero Academicus fuerit: qui libro decimo tertio Brutum item Antiochium vocat: Antiochus vero, quod ſatis conſtat, veteris Academiæ nobiliſsimus, & prudentiſsimus Philoſophus fuit: vt iam videre omnes poſsint, Brutum Academicum fuiſſe: Cicero tamen in epiſtolis, ad eum ſcribens, ait: cedebas Brute, quoniam Stoici veſtri negant fugere ſapientis: quæ res facit, vt penè audeam dicere, tam hic Peripateticum, quàm alibi Stoicum, & Academicum, poſſe appellari, præſertim quum Cicero ſe ipſe quoq. interdum faciat Stoicum, qui ſemper Academiam fuerat profeſſus: & faciat eo potiſsimum tempore, quo Brutum quoque Stoicum vocat, id eſt poſt Cæſaris mortem, quum libros de Officiis ſcriberet: quid ita? quia Cicero, & Brutus ea ſentiebant tunc quaſi Stoici, quæ ſanè non probarentur in vulgus: quòd nihil præter virtutẽ in bonis ducerent, nec ea ferre poſſent, quæ multitudini placebant. Itaq. neuter tum Romæ tuto eſſe poterat, vt in epiſtolis ad Atticum legimus. Ante vero Cæſaris mortem vterque plus ea philoſophia vtebatur, in qua dicuntur ea, quæ non multum diſcrepant ab opinione populari, vt in paradoxis oſtẽdit. Hunc vero dialogum ſcripſit ante Cæſaris mortem, vt hic Brutus Academicus omnino ſit dicendus. ſed rurſus illud occurrit: cur non Peripateticus potius, vt concluſio conſequatur? quia nihil refert, ſiue Peripateticus, ſiue Academicus appelletur, quòd veteres Academici, & Peripatetici iidem eſſe cenſebantur, vt libro ſecundo de Officiis, & alibi Cic. demonſtrat. Quin Antiocho Stoici cum Peripateticis re cõuenire, verbis diſcrepare videbantur, vt libro primo de Natura Deorum ait: id quod lib. ſecundo Academicarum quæſtionum, lib. tertio, & quinto de Finibus, & lib. tertio de Oratore pluribus diſputatur: vt iam parũ referat, quo nomine Brutum Cic. vocet alibi, dum hoc loco ſuo argumento ſeruiat. ID EST EX VETERE ACADEMIA, quamuis hæc interpretatio, vt diximus, inſerta videatur, nos tamen eam vel vt alterius interpretationem, vel vt Ciceronis ſcriptionem interpretemur. VETERE, fuit enim Academia παλαιὰ, μέση, νέα, vt in Bruto, & Lucullo ſcribit Plutarchus: & veteris quidem Academiæ princeps, vt ait Laërtius, fuit Plato, mediæ Arceſilaus, nouæ Lacydes: nec Cicero diſſentit, niſi quòd in fine libri primi Academi-

carum quæſtionum & libro tertio de Oratore veterem tantũ, & nouam videtur agnoſcere. ACADEMIA, ἀκαδημία vt ſcribunt Græci, & præſertim Heſychius, λουτρὸν dicitur: & quoniam gymnaſium Platonis prope λουτρὸν erat, Academia fuit appellata. Laërtius tamen ab Academo, vel Hecademo heroë dictam fuiſſe ſcribit: quicum ſentiunt Suidas, & Ariſtophanis Interpres, qui addunt, illum quædam reliquiſſe, vt locus inſtauraretur, & ornaretur, vt nunc mittam, quæ Plutarchus in Theſeo refert. Hic locus ſex ſtadiis à Dipylo porta vrbis Athenienſium, vt Cicero libro quinto de Finibus eſt teſtis, diſtabat: quanquam Liuius libro trigeſimo primo mille paſſus dicere videatur. Hanc ipſam Academiam Mineruæ ſacram fuiſſe docet Athenæus libro decimo tertio: vnde, quod Suidas, & Ariſtophanis Interpres referunt, circum eum locum erant oliuæ ſacræ Mineruæ, αἳ καλοῦνται μορίαι: de quo quidem loco Plutarchus in libello de Exilio ſcribit in hanc ſententiam: Academia ter mille drachmis emptus agellus Platonis, Xenocratis, atque Polemonis domicilium fuit. & à Platone quidem, vt ait Craſſus libro tertio de Oratore, Ariſtoteles, & Xenocrates: quorum alter Peripateticorum, alter Academiæ nomen obtinuit: vnde Academici Philoſophi ſunt appellati: qui in vtranque partem ſolebant diſputare, & nihil tamen affirmare, vt Cicero, & Lucianus oſtendunt: quod inſtitutum noſtrates homines vel hodie ſequi videntur: qui nouas quotidie inſtituunt quaſi ſocietates, quas Academias vocant, ob id etiam fortaſſe, quòd, vt autor eſt Suidas, λέγεται ἀκαδημία ἡ τῶν φιλοσ. διατριβὴ. SECTAM, τὴν αἵρεσιν. SECVTVS EST, videtur locus ἀπὸ τῆς συζυγίας, ſi ſecta eſt, ſequi oportet: vt, ſi compaſcuus ager eſt, ius eſt compaſcere: lege Topica. DOCTRINA, ratione, & modo docendi, vt libro primo de Oratore ius ciuile ſine doctrina percipi poteſt: & libro ſecundo de Oratore: eorum, qui docent Rhetoricam, doctrina eſt perridicula. PRAECEPTIS, quæ tradunt. DISSERENDI RATIO, διαλεκτικὴ, libro ſecundo de Oratore. CONIVNGITVR, in principio libri quarti de Finibus ita ſcribit Cicero: Hoc loco tantum dico, à veteribus Peripateticis, Academicíſque, qui in re conſentientes, vocabulis differebant, eum locum, quem ciuilem recte appellare videmur, Græci πολιτικὸν, grauiter, & copioſe tractatum. quàm multa illi de Repub. ſcripſerunt? quàm multa de legibus? quàm multa non ſolum præcepta in artibus, ſed etiam exempla in orationibus bene dicẽdi reliquerunt? Primum enim illa ipſa, quæ ſubtiliter diſſerenda erant, polite, apteque dixerunt, quum definientes, tum partientes: deinde ea, quæ requirebant orationem ornatam, & grauem, quàm magnifice ſunt dicta ab illis, quàm ſplendide? CVM SVAVITATE DICENDI, ET COPIA, cum eloquentia. Eſt enim περίφρασις eloquentiæ quædam, qua duo tantum dicendi genera complectitur, medium, in quo plurimum eſt ſuauitatis: & vehemens, quod copioſum etiam ſolet appellari. QVANQVAM, correctio, ne quis putet, ſe ex doctrina, & præceptis eorum tantum poſſe dicendi facultatem conſequi. EA IPSA, qua de loquor: & ſic oſtendit, ſe de Peripateticorum, Academicorúmque conſuetudine locutum, quos coniungit, quòd eoſdem putaret eſſe, vt diximus. PERIPATETICORVM, ACADEMICORVMQVE, quum prius Academici fuerint, ordinẽ mutat, vt oratio creſcat apud ipſum, & Brutum, qui, vt diximus, erant Academici. RATIONE DICENDI, eloquentia, περίφρασις. NEC PERFICERE ORATOREM POSSIT IPSA PER SESE, quòd illorum oratio ſit liberior, & latior, quàm patitur conſuetudo iudiciorum, & fori, paulo poſt. poteſt & illa ratio afferri, quam Craſſus libro primo de Oratore proponit: orator quum Philoſophis cognitionem rerum conceſſerit, quòd in ea ſolum illi voluerint elaborare, tractationẽ orationis

sibi

ſibi aſſumet: ſic etiã in Oratore ſcribitur: non in Philoſophia ſunt omnia, ſed ſic adiuuat, vt palæſtra hiſtrionẽ. NEC SINE EA ORATOR ESSE PERFECTVS, poſitum ſit, inquit in Oratore, ſine Philoſophia non poſſe effici, quem quærimus, eloquentem. &, vt mittam, quæ libro primo de Oratore hac de re diſputantur, ſic L. Craſſus libro tertio de Oratore concludit: ſi illam præclaram, & eximiam ſpeciem oratoris perfecti, & pulchritudinem adamatis, aut nobis hæc Carneadia, aut illa Ariſtotelia vis eſt comprehendenda. Carneades autem fuit Academicus, & Ariſtoteles Peripateticorum princeps, vt omnes norunt. NAM, αἰτιολογία. ASTRICTIOR EST, quòd minutis interrogatiunculis, quaſi punctis, quod propoſuit, efficiat, vt ſupra retulimus. CONTRACTIOR, qualis eſt Dialecticorũ, in quibus omnis Stoicorum cura conſumitur, vt ſupra dictum eſt. QVAM AVRES POPVLI REQVIRVNT, nam Stoicorum genus orationis abhorret ab auribus vulgi, vt libro tertio de Oratore Craſſus oſtendit. nam quæ dicuntur à Stoicis, non ſanè probantur in vulgus, vt ait in Paradoxis: vt ea Philoſophia omnino aditum habere nullum poſsit in vrbem, in forum, in curiam, quod libro quarto de Finibus oſtendit. SIC, ἀνταπόδοσις. ILLORVM, Peripateticorum, & Academicorum. LIBERIOR, videtur quidem exponi poſſe, vel potius interpretari, quæ libertate quadam vtatur, vt os Academiæ in epiſtolis ad M. Varronem, ſed tamen hic interpretandum eſt, liberior, laxior, ſolutior, vt ſit ἀντίθετον, in quo aſtrictior, & liberior, vt contractior, & latior, opponantur: præſertim quum Academicis, & Peripateticis hic, & Tuſculana quarta nihil vberius eſſe teſtetur. IVDICIORVM ET FORI, vbi lites, & cauſæ tractantur ita, vt non ſit opus tot inductionibus, & argumentis, quibus Academici, & Peripatetici ſolent abuti, & ſic latius loqui, quàm foro conueniat. hinc in Oratore ita ſcribit: Platonis, & aliorum Philoſophorum diſputationibus & exagitatus maxime orator eſt, & adiutus. Omnis enim vbertas, & quaſi ſylua dicendi ducta ab illis eſt, nec ſatis tamen inſtructa ad forenſes cauſas: quas, vt illi ipſi dicere ſolebant, agreſtioribus muſis reliquerunt. & paulo poſt ait: illorũ oratio neq. neruos, neq. aculeos oratorios, ac forenſes habet.

Quis enim vberior in dicendo Platone? Iouem ſic, vt aiunt Philoſophi, ſi Græce loquatur, loqui. quis Ariſtotele neruoſior? Theophraſto dulcior? lectitauiſſe Platonem ſtudioſe, audiuiſſe etiam Demoſthenes dicitur: idque apparet ex genere & granditate verborum. dicit etiam in quadam epiſtola hoc ipſe de ſeſe. ſed & huius oratio in philoſophiam tranſlata pugnacior, vt ita dicam, videtur, & illorum in iudicia pacatior. nunc reliquorum oratorum ætates, ſi placet, & gradus perſequamur. Nobis vero, inquit Atticus, & vehementer quidem; vt pro Bruto etiam reſpondeam.

QVIS ENIM, αἰτιολογία per interrogationem, quòd Academicorum, & Peripateticorum oratio ſit liberior, & latior, & quidem per exemplum Platonis vt Academicorum principis, & Ariſtotelis atque Theophraſti, qui Peripatetici fuerunt. VBERIOR, nam Plato varius, & multiplex, & copioſus fuit, vt ait libro primo Academicarum quæſtionum. DICENDO, fuit enim Plato non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi grauiſsimus autor, & magiſter, vt in Oratore dicitur: & ſi voluiſſet genus dicendi forenſe tractare, potuiſſet facere, vt eſt ſcriptum lib. primo de Officiis: qui libro primo de Ora-

tore L. Craſſo in irridẽdis oratoribus orator ſummus videtur: de quo Quintilianus libro decimo capite primo ſcribit ita Quis dubitet Platonẽ eſſe præcipuum? ſiue acumine diſſerendi, ſiue eloquendi facultate quadam diuina, & Homerica: multum enim ſupra proſam orationem, & quam pedeſtrem Græci vocant, ſurgit, vt mihi non hominis ingenio, ſed quodam Delphico videatur oraculo inſtinctus. PLATONE? quaſi quodam Deo Philoſophorum, vt Cicero libro ſecundo de Natura Deorum vocat. IOVEM SIC, VT AIVNT PHILOSOPHI, SI GRAECE LOQVATVR, LOQVI, aliter, Iouẽ ſicut aiunt Philoſophi, ſi græce loquatur, ſic loqui: ſed neutra mihi lectio ſatis probatur, quando in vtraque verbum deſideres neceſſe eſt, quod nec ſatis commode apponi poteſt. Quare nós ita legendum putamus: Iouem ſic aiunt Philoſophi, ſi græce loquatur, loqui: Dicunt Philoſophi Iouem ſic loqui, ſi græce loquatur. ſic, inquam, loqui, vt Plato loquitur. tollatur igitur particula, vt, quæ nata videtur ex primis literis verbi ſequentis, aiunt. Hac de re Plutarchus ita ſcribit in Cicerone: τοῦ δὲ τοῦ πλάτωνος διαλόγοις ὡς τὸ Διὸς εἰ λόγῳ χρῆσθαι πέφυκεν, οὕτω διαλεγομένου. ARISTOTELE, Peripateticorum principe, quem, excepto Platone, haud ſcio, an recte dixerim principem Philoſophorum, vt libro quinto de Finibus ait. NERVOSIOR? atqui ſic in Oratore ſcribit: Theophraſti, Xenophontis, Ariſtotelis, & Platonis oratio neq. neruos, neque aculeos oratorios, ac forenſes habet. vt hic videatur interpretandum, neruoſior, inter Philoſophos, præſertim quum ibi non neget illam orationem neruos, & aculeos prorſus habere, ſed neget habere neruos, & aculeos oratorios, ac forenſes. Ariſtotelis igitur oratio, vt Philoſophica, videtur neruos habere ita, vt proxime accedat ad oratoriam. Vnde flumen orationis aureum fundere Ariſtoteles libro ſecundo Academicarum quæſtionum dicitur à Cicerone, qui ſic in Oratore etiam ſcribit: Quis omnium doctior? quis acutior? quis in rebus vel inueniendis, vel iudicandis acrior Ariſtotele? & libro ſecundo Academicarum quæſtionum: Ariſtotele profectò nihil eſt acutius, nihil politius: & Quintilianus libro decimo capite primo: Quid Ariſtotelem? quem dubito, an ſcientia rerum, an ſcriptorum copia, an eloquendi ſuauitate, an inuentionum acumine, an varietate operum clariorem putem. Mitto nunc, quæ cæteri de Platone, & Ariſtotele dicant. THEOPHRASTO, de quo diximus. DVLCIOR? Theophraſtus enim diuinitate loquendi nomen inuenit: & dulcis ipſe fuit, & eius diſcipuli, vt Demetrius Phalereus: qui fuit orator parum vehemens, dulcis tamen, vt, quod libro primo de Officiis dicitur, Theophraſti diſcipulum poſsis agnoſcere. PLATONEM, Platonis librum, & Platonem ipſum, hic interpreteris, propemodum neceſſe eſt, vt Platonis poſtea librum ad verbum, lectitauiſſe, & Platonem ad verbum, audiuiſſe, referas. STVDIOSE, neſcias cum lectitauiſſéne, an cum audiuiſſe verbo hanc vocem iungas. nam, ſi cum ſequenti iunxeris, verborum compoſitio non ſatis apta, ſin cum ſuperiori, non ſatis Ciceroniana videatur. Solet enim Cicero frequenter dicere: ſtudioſe audire, diligenter legere. Quin libro primo de Oratore Demoſthenes dicitur Platonis ſtudioſus audiendi fuiſſe, vt fortaſſe commodius hæc vox ſtudioſe cum verbo, audiuiſſe, iungi poſsit. AVDIVISSE, frequens enim fuit Platonis auditor, vt ait in Oratore, & libro primo de Oratore, & libro primo de Officiis: & Ciceronem quidem Quintilianus, Lucianus, & Laërtius videntur imitati, quũ idem propemodum hac ipſa de re ſcripſerunt. DEMOSTHENES, orator, de quo ſupra diximus. IDQVE, Demoſthenem Platonis auditorem fuiſſe. APPARET, locus à ſimilitudine, de qua Cicero in Topicis: & ſi videtur vnũ ex attributis perſonæ, quod Cicero libro primo de Inuentione victum vocat.

cat. oratio igitur vtriuſque eſt admodum ſimilis. nam Platonis oratio media inter carmen, & orationẽ ſolutam ab Ariſtotele collocatur ita, vt ob id fortaſſe etiam Panætius Platonem Homerum Philoſophorum vocarit. Demoſthenes vero ipſe quoque ſic eſt grandis, vt Cicero Demoſthenis fulmina dicere non dubitarit. GENERE, quo Demoſthenes vtitur in orationibus. GRANDITATE, σεμνότητι. σεμνὸς enim grandis à Cicerone verti ſolet: & Demoſthenes ab eodem lib. ſecũdo ad Atticum σεμνοπρόσωπος appellatur: Theon vero ita ſcribit: τί γὰρ ἂν μεῖζον ἢ σεμνότερον Δημοσθένους: & Hermogenes σεμνότητα τῷ μεγέθει tanquàm ſpeciem generi ſubiicit. EPISTOLA, epiſtolis, ex oratore. ſed illæ epiſtolæ vel non extant, vel, ſi extant, Cicero rem male percepit. non enim Demoſthenes in illis epiſtolis de ſe, ſed de Heracleodoro loquitur. Non audeo tamen affirmare hoc ipſum de Cicerone, qui tantum induſtriæ, & ſtudii in ſcribendo poneret: ſed veriſimile videtur, quum Plutarchus in Demoſthenis vita verbum nullum, quantum videre potui, faciat, facturus, ſi legiſſet: & Laërtius in hac re teſtimonio Polemonis vtitur, ipſius Demoſthenis potius vſurus, ſi fuiſſet: quod idem de Gellio dicas, licet. HVIVS, Demoſthenis. PHILOSOPHIAM, cuius orationis genus eſt æquabile, & temperatum, vt ait libro primo de Officiis: vt eſt dialogus, qui, vt ſcribit Lucianus, σεμνότατα ἐποιεῖτο τὰς συνουσίας φιλοσόφους τινὰς καὶ ἀρετῆς. PVGNACIOR, qualis eorum ſolet eſſe oratio, qui dicunt in iudiciis, & foro, vbi ferè ſemper eſt ſtudium contentionis, quem ἀγῶνα Græci vocant, vt libro primo ad Atticum legimus: vnde prælia Cicero huiuſcemodi contentiones, & illud dicendi genus, concertatoriũ genus appellare non dubitauit. VT ITA DICAM, accipit veniam, ne tranſlatio durior eſſe videatur. ILLORVM, Philoſophorum, præſertim Platonis, Ariſtotelis, & Theophraſti, quos paulo ante nominauit. IN IVDICIA, tranſlata. aliter in iudicio, id eſt ἐν τῷ δικαστηρίῳ. οἱ γὰρ ἐν ταῖς φιλοσοφίαις πολὺν χρόνον διατρίψαντες εἰς τὰ δικαστήρια ἰόντες γελοῖοι φαίνονται ῥήτορες, vt ait Plato in Theæteto, vbi cauſas etiam ponit. PACATIOR, nã quietum eſt Philoſophorum diſputandi genus, libro primo de Officiis. Ipſis enim πάρεστι σχολὴ καὶ τοὺς λόγους ἐν εἰρήνῃ ἐπὶ σχολῆς ποιοῦνται, vt ſcribit Plato in Theæteto. Pugnacior, & pacatior eſt ἀγωνιστικώτερος. NVNC, ad ordinẽ ſupra propoſitum, & poſtea intermiſſum reuertitur. AETATES, quibus inſtitui oratorum genera diſtinguere, ſupra. PLACET, nobis. GRADVS, gradus tẽporum, ſicut alibi dixit, vt repetat, quod ita ſupra dixit: Atticus me inflammauit ſtudio illuſtrium hominũ ætates, & tempora perſequendi. & ſanè Cicero hoc ipſum, vt videmus, agit. PERSEQVAMVR, dichoreus poſt longã digreſsionem. NOBIS VERO, placet.

Curio fuit igitur eiuſdem ferè ætatis, ſanè illuſtris orator, cuius de ingenio ex orationibus eius exiſtimari poteſt: ſunt enim & aliæ, & pro Ser. Fuluio de inceſtu nobilis oratio. nobis quidem pueris hæc omnium optima putabatur: quæ vix iam comparet in hac turba nouorum voluminum. Præclare, inquit Brutus, teneo, qui iſtam turbam voluminum effecerit. Et ego, inquam, intelligo Brute, quem dicas. certe enim & boni aliquid attulimus iuuentuti, magnificentius, quàm fuerat genus dicendi, & ornatius: & nocuimus fortaſſe, quòd veteres orationes poſt noſtras, non à me quidem, (meis enim illas antepono) ſed à pleriſque legi ſunt deſitæ. Enumera, inquit, me in pleriſque. quanquam video mihi

multa legenda iam te autore, quæ antea contemnebam. Atqui hæc, inquam, de inceſtu laudata oratio, puerilis eſt locis multis: de amore, de tormentis, de rumore, loci ſanè inanes, verũtamen, nondum tritis noſtrorum hominum auribus, nec erudita ciuitate, tolerabiles. ſcripſit etiam alia nonnulla; & multa dixit, & illuſtria, & in numero patronorum fuit: vt eum mirer, cum & vita ſuppeditauiſſet, & ſplendor ei non defuiſſet, Conſulem non fuiſſe.

CVRIO, C. Scribonius Curio, quem ſupra in ordine M. Scauro, P. Rutilio, & C. Graccho præpoſuerat. Curiones autem, vt ait Varro, dicti à curiis, qui fiunt, vt in his ſacra faciant: & ſacra, quæ in curiis fiebant, curionia dicebatur, vt Sex. Pompeius ſcribit, & æs Curionum, quod dabatur Curioni ob ſacerdotium Curionatus: hinc apud Liuium maximos Curiones legeſ: hinc Scribonii videntur hoc cognomen ſortiti, quòd olim, vt Liuius libro quadrageſimo primo refert, C. Scribonius Curio factus fuit, vel plures ex iis fortaſſe in curiis ſacra fecerũt: niſi forte quis putet Curiones ob id dictos, quòd eſſent macilenti, vt Plautus agnum curionem vocat. ſed quacunque ratione, & cauſa Curiones ſint appellati, Scribonii certe plebeii fuerunt, vt ſupra diximus, & Tribunatus oſtendunt. atque hic quidem, de quo loquitur Cicero, fuit pater eius, qui poſtea cum Cn. Octauio Conſul fuit: auus eius, qui poſtea Tribunus plebis, & Tribunitius Remp. Cęſaris cauſa perturbauit: de quibus ſuo loco dicetur, præſertim quum pater, filius, & nepos oratores fuerint, vt autor eſt Plinius libro ſeptimo capite quadrageſimo primo: & in hoc dialogo declarabitur. & pater hic quidem libro ſecundo de Oratore dicitur ab Antonio vel eloquentiſsimus illis temporibus fuiſſe. IGITVR, vt ad propoſitum reuertamur. EIVSDEM FERE AETATIS, cuius fuerunt M. Scaurus, P. Rutilius, & Q. Tubero, de quibus paulo ante diximus. ILLVSTRIS, vt eloquentiſsimus, vt libro ſecundo de Oratore dicitur. EX ORATIONIBVS EXISTIMARI POTEST, ſic ſupra de Libone loquens, dixit: ex orationibus eius intelligi poteſt: idem de Lælio, & Scipione ſupra, & infra de Q. Catulo dixit. arbor enim ex fructibus cognoſcitur. SVNT ENIM, ἀϊτιολογία. ALIAE, orationes. SER. FVLVIO, Ser. Fuluio Flacco, de quo diximus. INCESTV, credimus inceſtum ſignificari, cuius damnatam legimus Aemiliam, abſolutas Marciam, & Liciniam, vt infra, vbi L. Craſſus deſcribitur, dicemus. tempora certe patiuntur. Liuius enim libro ſexageſimo tertio ſcribit eas damnatas C. Porcio Catone, & M. Acilio Balbo Coſs. quo tempore Ser. Fuluius annos ſexaginta quatuor erat natus, ſi Conſularem ætatem ſequimur. NOBILIS, nota, non obſcura: ſic orationes Aeſchinis, & Demoſthenis nobiliſsimas in libello de Optimo genere oratorum vocat. NOBIS, me: vel me, & Attico, non te Brute, qui ſis adoleſcens ita, vt tibi ætas noſtra cedat, vt ſupra dixit. OMNIVM, orationum. PVTABATVR, quamuis multis locis eſſet puerilis, paulo poſt: ſed inter cæcos regnat luſcus, & inter indoctos etiam Corydus ſonat, vt dicitur. VIX IAM COMPARET, quòd plures Solem orientem, quàm occidentem adorent: quòd nouitas ſemper ſit grata: quòd lumen maius, vt dici ſolet, minus obſcuret, vt obſcuratur, & offunditur luce Solis lumen lucernæ, quod Cicero lib. tertio de Finibus ait. TVRBA, multitudine. NOVORVM VOLVMINVM, orationũ. TENEO, percipio, intelligo. QVI, Ciceronem ſignificat: & hoc loco poſſet dici etiam, quis, & fortaſſe alius ita dixiſſet, præſertim quum vocalium concurſus ita

poſſet

poſſet vitari: ſed Cicero maluit vitare ſibilum, quàm concurſum. ſibilus eſt enim moleſtus ille, quis is: niſi forte Cicero dedita opera facit, vt, loquente Bruto, hiulcam conficiat orationem, & Bruto accommodatam, vt à principio diximus. QVEM DICAS, nam me Brute dicis. ALIQVID, imò multum, ſed diminutione vtitur, ne arroganter de ſe loqui videatur. IVVENTVTI, cui meas orationes, vt illam pro domo, debere non potui, quod ait epiſtola ſecunda libri quarti ad Atticum. MAGNIFICENTIVS, quamuis in Craſſo etiam magnificum fuiſſet, vt lib. primo de Orat. dicitur. ſignificat vero genus dicendi vehemens, incenſum, & incitatum, quo ſe mediocrem fuiſſe in Oratore teſtatur. FVERAT, prius, quum erat nemo, qui videretur exquiſitius, quàm vulgus hominum, ſtuduiſſe literis, quibus fons perfectæ eloquentiæ continetur: vt infra, de ſe loquens, ait. ORNATIVS, exquiſitius, vt infra. atque hoc quidem loco duo dicendi genera ſummum, & medium complectitur, ſed vltimum relinquit, vt indignum, in quo ſe valde iactaret. NOCVIMVS, iuuentuti. FORTASSE, ſcit Cicero ſe profuiſſe, ſed ita loquitur, vt vitet arrogantiam. QVOD, αἰτιολογία. VETERES ORATIONES, veterum oratorum orationes. POST NOSTRAS, poſtquam noſtræ orationes ſunt editæ. MEIS ENIM ILLAS ANTEPONO, πρόληψις, & αἰτιολογία, quare dixerit: non à me quidem. INQVIT, inquit Brutus, quicum Cicero loquebatur. IN PLERISQVE, in his pleriſque, quos dixiſti deſiuiſſe veteres orationes legere. nam ego quoque illas legere deſiui. QVANQVAM, ego, inquit Brutus, cæteris orationibus miſſis, tuas tantum lego, quanquam nunc mihi multa legēda video, quæ prius, quàm te audirem hæc diſputantem, prorſus contemnebam. TE AVTORE, qui Catonis, & aliorum ſcripta nobis tãtopere laudaſti. ATQVI, quamuis multa laudauerim. LAVDATA, ita, vt omnium optima putaretur. ORATIO, C.Curionis, de quo loquimur. PVERILIS, pueriliter ſcripta. DE AMORE, locus communis de amore: in quo tamen ille, vt credimus, pro amore dixit: quum de inceſtu defenderet Fuluium. quo loco vſus eſt Cicero in oratione pro Cælio, vbi iuuentuti quædam, quæ ad amorem pertinent, conceſſa eſſe diſputauit. DE TORMENTIS, de quæſtionibus. eſt enim locus communis, quæſtionibus credi oportere, & non oportere, libro ſecundo ad Herennium, & libro ſecundo de Inuentione. erat vero de ſeruis quæſtio in dominos de inceſtu, vt in oratione pro Milone legimus. DE RVMORE, locus eſt etiam communis, rumoribus credi oportere, & non oportere. LOCI, loci communes. INANES, vt ab eo minus bene tractati. nam niſi ab iis, qui multa exercitatione magnam ſibi & verborum, & ſententiarum copiam comparauerint, tractari non poterunt ornate, & grauiter, vt ait libro ſecundo de Inuentione: vel in parte orationis minus apta poſiti. Sunt enim loci communes, quibus vti confirmatis criminibus oportet, vt libro tertio de Oratore docet. NONDVM, nondum pigmentis, vt infra, de Catone item loquens, ait, inuentis: quæ poſtea ſunt importata, vt libro ſecũdo de Oratore demonſtrat. TRITIS, literis, Philoſophia, iure ciuili, cæteriſq. rebus cognoſcendis, quas infra Cicero ſe teſtatur ad eloquentiam contuliſſe. NOSTRORVM HOMINVM, Latinorum, & Romanorum, quos doctrina Græci, & omni genere literarum ſemper antea ſuperauerunt, vt Tuſculana prima refert. AVRIBVS, quibus audimus, & recipimus omnia, vel eorum maiorem partem, quæ diſcimus. NEC ERVDITA, quum adhuc Philoſophia iaceret, nec orator eſſet eruditus, vt ait Tuſculana prima: nunc vero erudita eſt ciuitas, & tempora, vt libro duodecimo ad Atticum loquitur. SCRIPSIT, idem C. Curio. VITA SVPPEDITAVISSET, ita, vt ad ætatem Conſularem, quæ

quæ fuit annorũ quadaginta trium, & vltra etiam peruenerit. SPLENDOR, dignus Conſulatu. CONSVLEM NON FVISSE, vt poſtea fuit filius.

Sed ecce in manibus vir & præſtantiſsimo ingenio, & flagranti ſtudio, & doctus à puero C. Gracchus. noli enim putare quenquam Brute pleniorem & vberiorem ad dicendum fuiſſe. Et ille, Sic prorſus, inquit, exiſtimo; atque iſtum de ſuperioribus penè ſolum lego. Imo planè, inquam, Brute legas cenſeo. damnum enim illius immaturo interitu res Romanæ Latinæque literæ fecerunt. vtinam non tam fratri pietatem, quàm patriæ præſtare voluiſſet: quàm ille facile tali ingenio, diutius ſi vixiſſet, vel paternam eſſet, vel auitam gloriam conſecutus; eloquentia quidem neſcio an habuiſſet parem neminem. grandis eſt verbis, ſapiens ſententiis, genere toto grauis. manus extrema non acceſsit operibus eius; præclare inchoata multa, perfecta non planè. legendus inquam eſt hic orator Brute, ſi quiſquam alius, iuuentuti: non enim ſolum acuere, ſed etiam alere ingeniũ poteſt.

ECCE, ἰδοὺ, vt Cicero librum Gracchi demonſtret, quem in manibus haberet, vt verba, quæ ſequũtur, penè oſtendunt: vel ecce idem ſignificet, quod ecce autem: quod proprium eſſe Ciceronis in rebus improuiſis ſcribit Aſconius: quicum ſentit etiam Donatus, qui & illud addit: ecce dicitur, quum repente triſte aliquid rebus interuenit lætis: aut certe quum aliud agitur, aliud emergit nouum: vt Virgilius: ecce autem gemini à Tenedo. Id certe recte de C. Graccho dici poteſt: qui quum ſe poſt fratris mortem in otium contuliſſet, repente, & præter omnium opinionem ad Rempub. rediit, & eam, quæ tunc ſatis erat tranquilla, perturbauit: & repente ſublatus eſt ipſe, quum floreret: vnde immaturum eius interitum paulo poſt vocat. MANIBVS, noſtris nunc, vel noſtris, & omnium ſemper. VIR, eſt, id eſt eius ſcripta, vt ſupra Platonem lectitare. PRAESTANTISSIMO INGENIO, in oratione pro Fonteio illum vocat noſtrorum hominum longe ingenioſiſsimum: & Paterculus fratre ingenio longe præſtantiorem: & tamen ſupra fratrem etiam ingenioſiſsimum vidimus appellari. atque hic omnia, quæ Hortenſio in fine libri tertii de Oratore, & Bruto ſupra, C. Graccho tribuit: naturam admirabilem, exquiſitam doctrinam, & ſingularem induſtriam: ſed mutat ordinem, fortaſſe, quòd Brutum nunquam vt oratorem, quemadmodum Gracchum probauit: quem eloquentiſsimum ſæpe vocat. Eloquentia porrò ingenio, ſtudio, & doctrina, & quidem hoc ordine, quem ponimus, comparatur. FLAGRANTI STVDIO, ſic de Hortenſio in fine libri tertii de Oratore, vbi Catulus Gracchi diligentiam admiratur. Nos autem diligentiam, ſtudium, & exercitationem ſub induſtria comprehẽdi poſſe credimus, vt etiam ſupra diximus. atque non hic modo Gracchus, ſed alii etiam Romani dicendi ſtudio flagrauerũt, vt in procemio libri primi de Oratore videre licet. aliter flagrantiſsimo, vt ad ingenium referas. & ſanè Valerius Maximus libro octauo capite decimo C. Gracchũ flagrantiſsimo ingenio fuiſſe ſcribit: & Plutarchus illum ἔντονον καὶ σφοδρὸν vocat: Cornelius vero Tacitus in dialogo de Oratoribus impetum in eo fuiſſe docet: nec ipſe Gracchus fortaſſe hoc ipſum ignorauit, quum tibicinem adhibuit, qui, vt libro tertio de Oratore ſcribitur,

ipſum

ipſum à contentione reuocaret. DOCTVS, diligentia Corneliæ matris, vt etiam ſupra de Tiberio fratre dixit. hinc libro tertio de Oratore huius C. Gracchi doctrinam, & ſcientiam Q. Catulus admiratur. A PVERO, ſic etiam ſupra de Tiberio fratre dixit. C. GRACCHVS, C. Sempronius Gracchus, cuius vitam Plutarchus ſcribit, vt ſcriptores alios nunc mittamus. NOLI ENIM, αἰτιολογία clara. QVENQVAM, oratorem. PLENIOREM, ET VBERIOREM, hoc idem Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus tribuit. FVISSE, illis temporibus, atque adeo ante nos. Vt enim Cicero taceat, id tamen videtur ſignificare. ILLE, Brutus. SIC, nullum Graccho pleniorem, & vberiorem ad dicendum fuiſſe. EXISTIMO, aliter ſic exiſtimo, vt ſit quædam παλιλογία, vel ἀνακοπή. ATQVE, ob id, quòd ſic exiſtimo. ISTVM, C. Gracchum, id eſt iſtius ſcripta. SVPERIORIBVS, oratoribus. LEGO, vt L. Craſſus libro primo de Oratore, vel Cicero ſub Craſſi perſona videtur eum frequenter legiſſe. DAMNVM ENIM, αἰτιολογία, ſed quæ male conſequi videatur hoc modo: nam cur Brutus eum legat, cuius interitu Latinæ literæ damnum fecerunt? Erat potius cauſa, quam ob rem legeret aliquem, cuius interitu Latinæ literæ nihil damni feciſſent. ſed ita interpretari oportet: Cenſeo Brute legas orationes C. Gracchi. Fuit enim ita doctus, & eloquens, & ita docte ſcripſit, vt appareat eius interitu Latinas literas magnum damnum feciſſe. Quòd ſi vixiſſet, plura ſcripſiſſet, quæ multum vtilitatis Latinis literis attuliſſent. ILLIVS, C. Gracchi. IMMATVRO, vt illi illato, quum vixdum annum trigeſimum ſecundum ageret: quod ita colliges, Tiberius deceſsit nondum annos triginta natus, & hic minor erat annis nouem, vt tunc annos ſummum viginti ageret, quum Tiberius eſt interfectus: à quo tempore ad ipſius C. Gracchi interitum anni duodecim numerantur. Hæc ex Plutarcho, & Conſulibus collegimus. INTERITV, à L. Opimio Conſule allato, vt Liuius libro ſexageſimo primo, & reliqui hiſtorici referunt. RES ROMANAE, LATINAEQVE LITERAE, videtur eſſe quædam ἐπεξήγησις, res Romanæ, id eſt Latinæ literæ, ne quis quærat, quo pacto res Romanæ eius interitu damnum fecerint, cuius viuentis ſeditionibus multo maius faciebant. VTINAM, εὐχή. precatur Cicero, vel potius dolet, vt omnes dolebant, non illa tanta ornamenta ad meliorem mentem, voluntatémque eſſe conuerſa, vt in oratione de Reſponſis ait. FRATRI, Tib. Graccho, qui ipſi C. Graccho Quæſturam petenti in ſomniis viſus eſt dicere, quàm vellet, cunctaretur, tamen eodem leto, quo ipſe interiiſſet, illi eſſe pereundum: quod libro primo de Diuinatione, apud Valerium Maximum libro primo capite ſeptimo, & Plutarchum in vita leges. PIETATEM, pietas etiam erga fratres dicitur: quâ de re Valerius Maximus caput vnum ſcripſit. Quin Cicero libro ſexto de Repub. pietatem eſſe in propinquis: & libro ſecundo de Inuentione erga parentes, & alios ſanguine coniunctos eſſe teſtatur. PATRIAE, cui maxima pietas debetur, vt libro ſexto de Republica hoc modo ſcribitur: Iuſtitiam cole, & pietatem, quæ quum ſit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima eſt. nam patria, vt alibi Cicero idem ſcribit, omnes omnium charitates eſt complexa. VOLVISSET, vt voluit, & dum vult potius fratri, quàm patriæ pietatem præſtare; dumque illum potius vlciſci, quàm patriæ conſulere vult, & omnem Reipub. ſtatum permutauit, vt libro tertio de Legibus ait, & ipſe tandem, vt diximus, eſt interfectus: & ſanè illum mors fraterna, pietas, dolor, magnitudo animi ad expetendas domeſtici ſanguinis pœnas excitauit, vt in oratione de Reſponſis eſt ſcriptum.

QVAM, hæc particula oſtendit, hic cum interrogatione legendum eſſe. TALI, præſtantiſsimo. DIVTIVS, quàm vixit. PATERNAM, talem, qualem Tib. Sempronius Gracchus pater eſt conſecutus: qui bis Conſul, & Cenſor fuit, & ea, quæ nos ſupra breuiter diximus, geſsit. AVITAM, qualem maiores erant adepti, præſertim Tib. Sempronius Gracchus, qui bis Conſul & ipſe fuit, & bello Punico ſecundo ſe præclare geſsit: atque huius C. Gracchi proauus fuit: ſiquidem pater fuit P. Gracchi, cuius filius fuit Tib. Gracchus Gracchorum pater, vt nos ex veteribus Conſulibus intelleximus. De P. tamen Graccho, qui fuit Gracchorum auus, nihil reperire potuimus, quam ob rem hic auitam gloriam ab eo dictam credamus: niſi quod Cicero in oratione prima in Catilinam ita ſcribit: C. Gracchus clariſsimo patre natus, auis, maioribus interfectus eſt. Quòd ſi quis ad P. Africanum auum maternum referat, huic ego facile aſſentiar, præſertim quum libro primo de Inuentione Gracchos Africani nepotes vocet: & in oratione de Reſponſis ita dicat: Tib. Gracchus conuellit ſtatum ciuitatis, qua grauitate vir? qua eloquentia? qua dignitate? nihil vt à patris, auíque Africani præſtabili, inſigníque virtute, præterquam quòd à ſenatu deſciuerat, deflexiſſet: quo loco patrem, & auum, vt hic paternam, & auitam gloriam videtur coniunxiſſe. ſic auitis armis florentiſsimam Rempublicam libro primo de oratore dixit. CONSECVTVS, de viro eloquentiſsimo loquens ſuo dichoreo vti voluit: quo loco nos ὑπέρβατον agnoſcimus: paternam eſſet, vel auitam gloriam conſecutus: vt in principio libri primi de Oratore: in ſtudiis liberaliſsimis ſunt, doctriníſque verſati. ELOQVENTIA, in qua vel iuuenis ſic excelluit, vt Cicero in oratione pro Fonteio illum longe noſtrorum hominum eloquentiſsimum vocet; & Scæuola libro primo de Oratore omnium ſibi videatur, exceptis Craſſo, & Antonio, eloquentiſsimos Tib. & C. Sempronios audiuiſſe. HABVISSET PAREM NEMINEM, habuiſſet parem neminem, ſed omnes ſuperaſſet. GRANDIS, σεμνὸς, vt Demoſthenes paulo ante. VERBIS, verba præponit ſententiis, vt ſupra diximus. SAPIENS, [illegible]. granditas enim in verbis, ſapientia vero potius in ſententiis ſpectatur. SENTENTIIS, quæ in Oratore debent eſſe, docendi acutæ, delectandi quaſi argutæ, commouendi graues: vt ait in libello de Optimo genere oratorum. GENERE TOTO, dicendi. GRAVIS, quales ſunt, qui in genere vehementi verſantur, vt verſatus eſt Gracchus, quem Cicero hic grandem, grauem, plenum, & vberem, Gellius vero libro decimo capite tertio fortem, & vehementem vocat. MANVS EXTREMA, prouerbium. ACCESSIT, impoſita eſt, addita eſt. EIVS, C. Gracchi. INCHOATA, ſic in principio libri primi de Oratore, quædam inchoata, atque rudia exciderunt. LEGENDVS INQVAM EST, eſt quædam ἐπανάληψις: quia paulo ante dixerat: imò planè inquam Brute legas cenſeo: quanquam ibi Bruto, hic omnibus legendum cenſet. HIC, C. Gracchus. SI QVISQVAM ALIVS, argumentum penè tale, quale illud in Topicis: ſi pecunia ſignata argentum eſt, legata eſt mulieri. eſt autem pecunia ſignata argentum, legata igitur: ſic hoc loco: ſi quiſquam alius legendus eſt iuuentuti, hic eſt legendus. eſt autem alius iuuentuti legendus, hic igitur legendus. IVVENTVTI, quæ ſoleat eloquentiæ eſſe ſtudioſa. NON ENIM, αἰτιολογία, quare ſit legendus. ACVERE, vt ipſe fuit ingenioſus, & acute multa excogitauit, & ſcripſit: ſic legentes poteſt acuere: quòd legentes ſoleamus ſcriptoris, ſi modo ſit bonus, ingenium admirari, & ad imitandum accendi. ALERE, vberius reddere: Ingenii enim celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum,

ornandúmque ſint vberes, vt libro primo de Oratore ſcribit. INGENIVM, ſtudioſæ iuuentutis.

Huic ſucceſsit ætati C. Galba, Seruii illius eloquentiſsimi viri filius, P. Craſsi eloquentis & iuris periti gener. laudabãt hunc patres noſtri, fauebant etiam propter patris memoriam, ſed cecidit in curſu. nam rogatione Manilia, Iugurthinæ coniurationis inuidia, cum pro ſeſe ipſe dixiſſet, oppreſſus eſt. extat eius peroratio, qui epilogus dicitur: qui tãto in honore pueris nobis erat, vt eum etiam ediſceremus. hic, qui in collegio ſacerdotum eſſet, primus poſt Romam conditam iudicio publico eſt condemnatus. P. Scipio, qui eſt in Conſulatu mortuus, non multum ille quidem, nec ſæpe dicebat, ſed & Latine loquendo cuiuis erat par, & omnes ſale facetiiſque ſuperabat. eius collega L. Beſtia bonis initiis orſus Tribunatus (nam P. Popilium vi C. Gracchi expulſum ſua rogatione reſtituit) vir & acer & non indiſertus, triſtes exitus habuit Conſulatus; nam inuidioſa lege Manilia quæſtione C. Galbam ſacerdotem, & quatuor conſulares, L. Beſtiam, C. Catonem, Sp. Albinum, ciuémque præſtantiſsimũ L. Opimium Gracchi interfectorem, à populo abſolutum, cum is contra populi ſtudium ſtetiſſet, Gracchani iudices ſuſtulerunt. Huius diſsimilis in Tribunatu, reliquáque omni vita, ciuis improbus C. Licinius Nerua non indiſertus fuit.

HVIC, qua vixit C. Gracchus, & alii, quos ſupra nominauit. C. GALBA, C. Sulpicius Galba, de quo nihil ſcriptum inuenio, præter hoc ipſum, quod hoc loco ſcribit Cicero. aliter P. Galba, male. nam ſupra quoq. Caius appellatur. hic habuit fratrem vnum, vt ſupra diximus, quum de Ser. Galba loqueremur. SERVII, Ser. Sulpicii Galbæ, de quo diximus. ILLIVS, ἐμφατικῶς. ELOQVENTISSIMI, qui eloquentia præſtitit, ſupra P. CRASSI, de quo ſupra diximus. ELOQVENTIS, oratoris valde probati, vt oſtendimus. IVRISPERITI, vt qui domi ius ciuile cognouiſſet, ſupra. GENER, ſupra. LAVDABANT, vt oratorem. HVNC, C. Galbam. PATRIS, Ser. Sulpicii Galbæ, qui, quod Cicero de ſe poſtea dixit, ſatis amplum patrimonium reliquerat memoriam nominis ſui. ROGATIONE, vti quæreretur in eos, quorum conſilio Iugurtha ſenatus decreta neglexiſſet, quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepiſſent, qui elephantos, quique perfugas tradidiſſent, itémque qui de pace, aut bello cum hoſtibus pactiones feciſſent, vt ſcribit Salluſtius. MANILIA, vel hic, Mamilia: vel apud Salluſtium, Manilius, legatur: ſed quum plures extent libri Salluſtii manu ſcripti, in quibus omnibus, Mamilius, ſcribitur, & hic, Mamilia, legatur, vt à C. Mamilio lata, quamuis in vulgatis libris, Bracchus Mamillus Lemitanus ſcribatur. Mamiliorũ vero familia Romæ fuit, ex qua Q. Mamiliũ Vitulũ Conſulẽ fuiſſe legimus. IVGVRTHINAE CONIVRATIONIS, cõſpirationis, & cõſenſionis quorundã nobiliũ, qui pecuniis corrupti, ſic Iugurthæ fauebant, vt cũ eo cõiuraſſe planè viderẽtur. INVIDIA, & odio nobilitatis: quod tantũ fuit, vt incredibile ſit memoratu, quã intẽta plebs fuerit, quãtáq. vi rogationẽ Mamiliã iuſſerit, decreuerit, voluerit. Quin quæſtio illa aſpere, violẽterq. ex

rumore, & libidine plebis fuit exercitata, vt ait Salluſtius. IPSE, C. Galba. DSXISSET, ſe defendens. EIVS, C. Galbæ. PERORATIO, concluſio, quæ pars eſt orationis vltima. QVI EPILOGVS DSCITVR, ſic libro ſecundo ad Herennium ſcriptum inuenies: concluſiones, quæ apud Græcos ἐπίλογοι nominantur. NOBSS, me: vel me, & Attico, vt ſupra. EVM, epilogum. HIC, C. Galba. SACERDOTVM, Augurum, an Pontificum? dubitari ſanè poteſt, quum vtrique ſacerdotes appellentur: ſed Pontifices tamen hic ſignificari putamus: quòd apud Liuium libro quadrageſimo primo C. Sulpicium Galbam huius, vt arbitror, auum Pontificem an. ab V. C. quingenteſimo ſeptuageſimo nono factum legamus: & ſæpe videamus huiuſcemodi dignitates ad filios, vel nepotes perueniſſe. PRIMVS, nam Scipio Naſica Pontifex & ipſe nõ fuit condemnatus, ſed, vt inuidiam vitaret, Pergamum, quod ſupra diximus, ſeceſsit. IVDICIO PVBLICO, quæſtione publica ex lege Mamilia conſtituta, paulo ante. CONDEMNATVS, quòd cum cæteris, qui Iugurthæ fauebant, quaſi coniuraſſet. P. SCIPIO, P. Cornelius Scipio Naſica P. illius, qui Tib. Gracchi conatus perditos vindicauit, filius, vt libro primo de Officiis dicitur: qui cum L. Calphurnio Beſtia Conſul fuit an. ab V. C. ſexcenteſimo quadrageſimo tertio, quamuis Oroſius ſexcenteſimum trigeſimum quintũ fuiſſe dicat. Huic Italia, & Calphurnio Numidia obuenit, vt ait Salluſtius. EST SN CONSVLATV MORTVVS, veteres per notas ita ſcribebant: in mag. mort. e, hoc eſt, in magiſtratu mortuus eſt. ſic inuenies in veteribus Cõſulibus. Huic Conſuls præco Granius in medio foro, quũ ille edicto iuſtitio domum deſcendens, rogaſſet Granium, quid triſtis eſſet, an quòd auctiones eſſent, imò vero, inquit, quòd legiones: hoc Cic. in oratione pro Plancio refert. NON MVLTVM SLLE QVIDEM, NEC SAEPE DSCEBAT, neque lõgas, neq. multas orationes habebat. Idem propemodũ de M. Aurelio Scauro paulo poſt ſcribit. SVPERABAT, & efficiebat, vt vnus de multis eſſe videretur, lib. primo de Officiis. EIVS, P. Scipionis Naſicæ. COLLBGA, in Cõſulatu. L. BESTIA, L. Calphurnius Beſtia, qui Conſul bellũ cum Iugurtha gerere iuſſus, pacẽ cum eo iniuſſu populi, & ſenatus fecit, vt Liuius libro ſexageſimo quarto ſcripſit, quòd ipſe quoque, vt Salluſtius oſtẽdit, pecunia fuiſſet à Rege corruptus: qui poſtea, vt lib. ſecũdo de Orat. cognoſcitur, à C. Mẽmio fuit accuſatus. BONIS INITIIS, quibus paulo poſt triſtes exitus κατ' ἀντίθετον opponit. ORSVS, ipſe orſus, habuit exitus. NAM, αἰτιολογία κατὰ πλάγιον. P. POPILSVM, P. Popilium Lænatẽ, de quo ſupra ſuo loco diximus. VI, nõ iure. C. enim Gracchus legẽ tulit priuilegii ſimilem, qua cõplectebatur quidem omnes, qui indicta cauſa ciues vrbe eieciſſent, ſed P. Popilium tamen potiſsimũ, vt ſupra diximus, comprehendebat. C. GRACCHI, de quo paulo ante dictũ eſt. EXPVLSVM, ſic territũ, vt, tanquam expulſus ex vrbe diſcederet. nã quũ videret, fore, vt expelleretur, ipſe diſceſsit, vt Plutarchus affirmet. RBSTITVIT, in vrbẽ reuocauit. VIR ET ACER, ET NON INDISERTVS, ſic Salluſtius: in L. Beſtia multæ, bonæq. artes animi, & corporis erant, quas omnes auaritia præpediebat: patiens laborũ, acri ingenio, ſatis prouidens, belli haud ignarus, firmiſsimus contra pericula, & inſidias. TRISTEIS EXITVS HABVST, quòd finito Cõſulatu ſit cõdemnatus, paulo poſt. CONSVLATVS, dichoreus. NAM, αἰτιολογία. INVIDIOSA, quã multi nobiles oderãt: vel quę multis nobilibus inuidiã afferebat. certe inuidię, & odii plena: vt paulo ante, Iugurthinæ cõiurationis inuidia. LEGE, rogationẽ paulo ante vocauit: quod oſtẽdit legẽ à rogatione nihil differre. niſi prius ſit rogatio, & poſtea lex, quo nũc ordine ponuntur. MANILSA, Mamilia, vt paulo ante.

ante. QVAESTIONE, iudicio publico, paulo ante. C. GALBAM, C. Sulpicium Galbam, vt diximus. SACERDOTEM, Pontificem, vt diximus. QVATVOR CONSVLARES, qui deinceps ponuntur. L. BESTIAM, de quo paulo ante diximus, & diximus cum P. Scipione Naſica Conſulem fuiſſe, vt Conſularis hic recte dicatur, & quidem ſeparatim à C. Galba, qui Conſul non fuit. C. CATONEM, qui cum M. Acilio Balbo anno ab Vrbe Condita ſexcenteſimo quadrageſimo Conſul fuit: de quo ſuo loco diximus. SP. ALBINVM, Sp. Poſthumium Albinum, qui cum Minucio Rufo anno ab Vrbe Condita ſexcenteſimo quadrageſimo quarto Conſul fuit, & in Africam profectus aduerſus Iugurtham, nihil memoria dignum geſsit: ſed ad comitia rediens Aulum fratrem exercitui præfecit: qui cum Iugurtha infeliciter pugnauit, & poſtea turpiter fœdus fecit, vt Liuius libro ſexageſimo quarto, & Salluſtius oſtendunt. Sp. vero Albinus poſtea Conſularis fuit condemnatus. CIVEMQVE PRAESTANTISSIMVM, virum præclare de Rep. meritum, in oratione pro Seſtio: ſeruatorem Reip. in oratione pro Plancio: virum alioqui ſanctum, & grauem, in libris Paterculi leges. L. OPIMIVM, qui Prætor, & Conſul maximis Remp periculis liberauit, vt in oratione in Piſonē dicitur. nam Prætor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit: Fregellas diruit, vt ſcripſerunt Liuius libro ſexageſimo, & Aſconius in oratione in Piſonem: quæ quidem hiſtoria ſignificatur libro quarto ad Herennium: ò perfidioſæ Fregellę: & eodem libro non ita multo poſt. Numitorem obſoletum. Is enim fuit proditor, vt libro ſecundo de Inuentione verbis hiſce cognoſcitur: de Q. Numitorio Pullo apud L. Opimium, & eius conſilium diu dictū eſt: & Philippica tertia: Pater Numitoriam Fregellanā proditoris filiam habuit vxorē. Negatus eſt tamen Opimio triumphus, quū tam præclare Remp. geſsiſſet: quod Amianus Marcellinus libro vigeſimo quinto, & Valerius Maximus lib. ſecundo cap. tertio ſcribunt. Conſul vero L. Opimius cum Q. Fabio Maximo an. ab V.C. ſexcenteſimo trigeſimo tertio C. Gracchum interfecit. Senatus enim decreuit, vt ipſe L. Opimius Conſul videret, ne quid Reſp. detrimenti caperet. nox nulla interceſsit. mox interfectus eſt C. Gracchus, oratione prima in Catilinam: & M. Fuluius Conſularis, eiúſque duo adoleſcentuli filii, Philippica octaua, & apud Liuium libro ſexageſimo primo. Hic eſt Opimius, à quo Conſule celeberrimum opimiani vini nomen eſt: de quo Cicero infra meminit, Paterculus libro ſecundo: & Plinius libro decimo quarto capite decimo quarto. Credimus Opimiorum cognomen Panſam fuiſſe, quòd Liuius libro decimo L. Opimium Panſam Quæſtorem agnoſcat. GRACCHI, C. Gracchi. A POPVLO, apud quem fuerat à P. Decio Tribuno plebis accuſatus: quòd indemnatos ciues in carcerem conieciſſet, vt Liuius libro ſexageſimo primo dixit. & ſanè L. Opimium quamuis Cicero ſemper, rem agens ſuam, vt optimatium ſtudioſus, laudet, Paterculus tamen, Plutarchus, Appianus, & alii in ea re illum crudeliſsimum fuiſſe teſtantur: Oroſius vero libro quinto capite duodecimo ita ſcribit: Opimius Conſul, ſicut in bello fuit fortis, ita in quæſtione crudelis. nam amplius, quàm tria millia hominum ſuppliciis necauit: ex quibus plurimi, ne dicta quidem cauſa, innocentes interfecti ſunt. Ob id igitur illum P. Decius accuſauit, de quo ſupra diximus. ABSOLVTVM, liberatum, vt ait Liuius libro ſexageſimo primo. hinc Cic. in oratione pro Seſtio ita dixit: Opimium flagrantē inuidia propter interitū C. Gracchi ſemper ipſe populus Romanus periculo liberauit: & quidem C. Papirio Carbone Conſule defendente, vt ſupra ex libro ſecūdo de Oratore

retulimus. IS, L. Opimius. STETISSET, quum C. Gracchum Tribunum plebis, & populi partes defendentem interfeciſſet: & tamen tunc eum populus liberauit: vel ſtetiſſet tum, quum corruptus & ipſe, quod Salluſtius oſtendit, bellum Iugurthinum proferebat, quod populus finiri cupiebat. GRACCHANI, qui Gracchorum partibus fauerent, quique oſtenderent, quantum deſiderium Gracchorum, vt ſcribit Plutarchus, haberent: qualem penè C. Memmium deſcribit Salluſtius, vbi inducit illum propè dolentem, Gracchos interfectos fuiſſe: vel Gracchani, qui lege Sempronia à C. Graccho, vt ait Plutarchus, lata legerentur ex ordine equeſtri. IVDICES, lege Manilia conſtituti, ſed lege Sempronia lecti. hinc Paterculus Opimium iudicio publico damnatum ſcribit. SVSTVLERVNT, condemnauerunt: Opimium quidem, quòd τιμωθεὶς, vt ait Plutarchus in Gracchis, ὡς Ἰουγούρθαν τὸν νομάδα πρεσβεύων διαφθαρεὶς χρήμασιν ὑπ' αὐτοῦ. & ſanè Salluſtius etiam ſcribit, decem legatos miſſos in Africam fuiſſe, vt regnum inter Iugurtham, & Adherbalem diuiderent: cuius legationis princeps fuit L. Opimius: quem Iugurtha accuratiſsime recepit: ac dando, & pollicendo multa, perfecit, vti famæ, fidei, poſtremo omnibus ſuis rebus commodum Regis anteferret. Itaque δίκην, vt Plutarchus loquitur, ὄφλων αἰσχίστην δωροδοκίας ἐν ἀτιμίᾳ κατεγήρασεν. nam damnatum iudicio publico, memoria ipſius ſæuitiæ, nulla ciuilis perſecuta eſt miſericordia, vt ait Paterculus. Quaquidē de re Cicero in oratione pro Seſtio ita ſcribit: præclare vir de Repub. meritus L. Opimius indigniſsime concidit: cuius monimentum celeberrimum in foro, ſepulchrum deſertiſsimum in litore Dyrrhachino relictum eſt: & in oratione in Piſonem: L. Opimius eiectus eſt à patria is, qui Prætor, & Conſul maximis Rempub. periculis liberarat. non in eo, cui facta eſt iniuria, ſed in iis, qui fecerunt, ſceleris, ac conſcientiæ pœna remanſit. quæ verba ſic Aſconius interpretatur: notum eſt Opimium in Prætura Fregellas cepiſſe: quo facto (ſic enim nos legimus) viſus eſt cæteros quoque nominis Latini ſocios male animatos repreſsiſſe: eundémque in Conſulatu Fuluium Flaccum Conſularem, & C. Gracchum Tribunitium oppreſsiſſe: ob quam inuidiam poſtea iudicio circumuentus eſt, & in exilium actus. SVSTVLERVNT, dichoreus. HVIVS, L. Opimii, qui ciuis, vt diximus, fuit præſtantiſsimus: hic vero C. Licinius Nerua improbus, vt nihil tam diſsimile poſsit eſſe. & Opimius in Conſulatu ciuis præſtantiſsimus, hic vero in Tribunatu improbus: quanquam potes etiam fortaſſe commodius interpretari, huius, L. Beſtiæ, vt cætera κατὰ ἀντίθετον ſint dicta: conuenit autem diſſimilitudo, quòd L. Beſtia bonis initiis Tribunatus eſt orſus, Nerua vero in toto Tribunatu fuit improbus. LICINIVS, hinc cognoſcimus Licinios plebeios fuiſſe, quando Tribunus plebis hic fuit: ſed & Liuius aperte lib. quinto verbis hiſce teſtatur: non vltra proceſſum eſt, quàm vt ex plebe, vſurpandi iuris cauſa, P. Licinius Caluus Tribunus militū Conſulari poteſtate crearetur. NERVA, credimus hunc eſſe C. Licinium Neruam, quem Varro libro ſecundo cap. quarto de Re ruſtica ſcribit in Macedonia Prętorem fuiſſe. Nerua porro fuit cognomen Liciniorum, Cocceiorum, & Sylliorum, ductum à neruis, id eſt à robore, vt quidam ſcribunt. cætera quærenda ſunt. NON INDISERTVS, λιτότης.

C. Fimbria temporibus iiſdem ferè, ſed longius ætate prouectus, habitus eſt ſanè, vt ita dicam, luculentus patronus, aſper, maledicus, genere toto paulo feruidior atque commotior, diligentia tamen, & virtute animi atque vita bonus auctor in ſenatu.

idem

idem tolerabilis patronus, nec rudis in iure ciuili, & cum virtute, tum etiam ipſo orationis genere liber: cuius orationes pueri legebamus, quas iam reperire vix poſſumus. Atque etiam ingenio, & ſermone eleganti, valetudine incommoda, C. Seſtius Caluinus fuit: qui etſi, cum remiſerant dolores pedum, non deerat in cauſis, tamen id nõ ſæpe faciebat. itaque conſilio eius, cum volebant, homines vtebantur; patrocinio, cum licebat. Iiſdem temporibus M. Brutus: in quo magnum fuit Brute dedecus generi veſtro; qui cum tanto nomine eſſet, patrémque optimum virum habuiſſet, & iuris peritiſsimum, accuſationem factitauerit, vt Athenis Lycurgus. is magiſtratus non petiuit; ſed fuit accuſator vehemens & moleſtus, vt facile cerneres naturale quoddam ſtirpis bonum degenerauiſſe vitio deprauatæ voluntatis. Atque eodem tempore accuſator de plebe L. Cæſidenus fuit. quem ego audiui iam ſenem, cum ab L. Sabelio multam lege Aquilia de iuſtitia petiuiſſet. non feciſſem hominis penè infimi mentionem, niſi iudicarem, qui ſuſpicioſius aut criminoſius diceret, audiuiſſe me neminem. Doctus etiam Græcis T. Albutius, vel potius penè Græcus. loquor vt opinor, ſed licet ex orationibus iudicare. fuit autem Athenis adoleſcẽs: perfectus Epicureus euaſerat, minime aptum ad dicendum genus.

C. FIMBRIA, C. Flauius Fimbria. In Coosulibus enim, apud Paterculum, Frontinum, & alios ita legitur. & Flauii quidem plebeii fuerunt, vt vel hic C. Flauius Fimbria oſtendit, qui Tribunatum plebis petiit, & repulſam tulit, ſed poſtea Conſul, vt ait in oratione pro Plancio, factus eſt, & quidem anno ab V. C. ſexcenteſimo quinquageſimo. Quin Cicero in oratione pro Cluentio. C. Flauium Puſionem inter robora populi Romani tempore M. Druſi fuiſſe ſcribit. Quòd ſi Flauii quamuis plebeii, nobiles tamen fuerunt ita, vt multis annis ante Ciceronis ætatem Conſulem, & alios viros claros habuerint: mirari quis poſsit, cur Suetonius in Veſpaſiano ſcribat, Flauiam gentem ante bellum ciuile, quod fuit inter Cæſarem, & Pompeium, obſcuram fuiſſe: niſi putet, vt putandum eſt, aliam gentẽ cenſeri oportere. Quòd vero legimus, Largios etiam Flauios appellari, non eſt dubitandum, quin Flauius (ſi modo Flauius legatur) in Largia, & Trebonia gentibus ſit cognomen. Verum fortaſſe legi debet, Flauus, præſertim quũ Flauus frequens ſit cognomen, vt L. Lucretius Flauus, apud Liuium libro quinto, C. Decimius Flauus, libro trigeſimo nono: Alfius Flauus, in autoribus apud Pliniũ libro nono. TEMPORIBVS IISDEM FERE, nam inter Conſulatus ipſius Fimbriæ, & Beſtiæ ſex anni tantummodo numerantur. LONGIVS, quàm C. Licinius Nerua, L. Beſtia, & reliqui paulo ante nominati. PROVECTVS, vſque ad Conſules Cn. Octauium, & L. Cornelium Cinnam: quo tempore Cæſar, & Fimbria in penatibus domorum ſuarum trucidantur, vt Florus libro tertio capite vigeſimo primo ſcribit: quamuis Liuius libro octuageſimo dicat, eodem tempore Craſſum filium ab equitibus Fimbriæ interemptum fuiſſe. nam fuit ille alter Fimbria, de quo dicetur infra, qui Marii partes eſt

ſecutus, vt Plutarchus, Oroſius, Appianus, & alii cum Liuio teſtantur. Hic vero, vt ait hoc loco Cicero, fuit bonus autor in ſenatu, & icciro Marianæ factionis inimicus. quare Floro credimus, à Marianis illum interfectum fuiſſe. VT ITA DICAM, quòd non ſatis proprie dici videbat, luculentum patronum, veniam accepit: quanquam in epiſtolis ad Atticũ, luculentum ſcriptorem, luculentum autorem, luculentum hominem, & luculentum nauigium ſine venia dicat. LVCVLENTVS PATRONVS, de quo libro ſecundo de Oratore ita ſcriptum videmus: Fuſius neruos in dicẽdo C. Fimbriæ, quos tamen habuit ille, non aſſequitur, oris prauitatem, & verborum latitudinẽ imitatur: quo loco verbum illud, habuit, ſic interpretor, habuit, dum iuuenis eſſet: nam tunc, vt opinor, viuebat. GENERE TOTO, genere toto dicendi. FERVIDIOR, ſic infra feruidum dicendi genus. VIRTVTE ANIMI, atqui omnes rectæ animi affectiones virtutes appellãtur: & plures ſunt rectæ animi affectiones, plures igitur animi virtutes. quo pacto igitur dixit, virtute animi? an virtutem dixit, quòd Stoici diſputarent, eum, qui vnam virtutem haberet, omnes habere? an virtutem poſuit quaſi genus, quod formas ſub ſe contineat? an virtutem dixit pro bonitate, vt Plautus, qui virtutem formæ, & virtutem mercis appellauit? hoc ſi placet, quod ſequitur, erit quædam ἐπεξήγησις, atque vita bonus. Quòd ſi virtus ponatur pro fortitudine, erit itidem ἐπεξήγησις hoc modo: Fimbria fuit virtute animi, id eſt vita bonus: quia conſtanter, & fortiter optimatiũ, & ſenatus partes defendit: vnde poſtea fuit à Marianis vt popularibus interfectus. & ſanè Cicero Tuſculana ſecunda de hac virtute ita ſcribit: Vide, ne, quum omnes rectæ animi affectiones, virtutes appellentur, non ſit hoc proprium nomen omnium, ſed ab ea vna, quæ cæteris excellat, omnes nominatæ ſint. appellata eſt enim ex viro virtus. Viri autem propria maxime eſt fortitudo. Idem propemodum Plutarchus in Coriolano ſcribit, & ait ἀνδρείαν græce vocari. Hinc Cicero ſæpe Milonis, & aliorum virtutem pro fortitudine dixit. VITA BONVS, & ſi diximus videri poſſe ἐπεξήγησιν fortitudinis, cenſemus tamen, potius ad bonitatem, vt verba docent, referendum, præſertim quum libro tertio de Officiis, illum virum bonum fuiſſe demonſtret, quũ illa ſcribit: Fimbriam Conſularem audiebam de patre noſtro puer iudicem M. Luctatio Pythiæ fuiſſe equiti Romano ſanè honeſto, quum is ſponſionẽ feciſſet, ni vir bonus eſſet. Itaque ei dixiſſe Fimbriam, ſe illam rem nunquam iudicaturum, ne aut ſpoliaret fama probatum hominem, ſi contra iudicauiſſet: aut ſtatuiſſe videretur virum bonum eſſe aliquem, quum ea res innumerabilibus officiis, & laudibus contineretur. Hoc exemplum Valerius Maximus, quum in ſuum ſeptimum librum trãsferret, hunc Licinium Fimbriam appellauit, deceptus, niſi decipior ego, quòd hic C. Licinium Neruam, & C. Fimbriam ita cõiunctos legerat, vt putarit, C. Licinium Fimbriam vocatum fuiſſe, qui C. Flauius Fimbria, vt dictum eſt, ab omnibus appelletur. AVTOR, in decernendis rebus ad Rempub. pertinentibus: vnde autoritates perſcriptæ tam ſæpe dicuntur. erat enim poteſtas in populo, autoritas in ſenatu, vt libro tertio de Legibus oſtendit. IDEM, eſt quædam ἐπανάληψις. TOLERABILIS, quia luculentus erat patronus, paulo ante. NEC RVDIS, λιτότης. IVRE CIVILI, oratori enim perdiſcendum ius ciuile, cognoſcendæ leges, vt libro primo de Oratore dicitur. VIRTVTE, virtute animi, paulo ante. ORATIONIS GENERE, paulo feruidiore, atque commotiore, paulo ante. LIBER, vt aſper, & maledicus, paulo ante. PVERI, ego, vel ego & Atticus. LEGEBAMVS, vt eloquentiæ ſtudioſi. VIX POSSVMVS, in tanta turba voluminum, vt ſupra dixit. INGENIO, ET SERMONE ELEGANTI, alterum

ad inuen

ad inuentionem, alterum ad elocutionem pertinet. INCOMMODA, quòd pedum doloribus laboraret. SESTIVS, Seſtii plebeii fuerunt: quod quum multa docent, tum, quod Liuius libro ſexto ſcribit, L. Seſtium de plebe primum Conſulem factum fuiſſe. In veterum monimentis Sextium ſcriptum eſſe ferè ſemper videbis. De hoc vero Seſtio nos adhuc nihil reperire potuimus, niſi forte putet aliquis, eum eſſe, quem Cicero libro ſecundo de Oratore luſcum fuiſſe refert. CALVINVS, in Domitiis, Veturiis, & Seſtiis hoc cognomen inuenimus. DOLORES PEDVM, dolores podagræ vocat etiam Tuſculana ſecunda. NON DEERAT, clientibus. ID, vt cauſas defenderet. ITAQVE, quum defendere cauſas non poſſet. VTEBANTVR, illum domi conuenientes: quod de C. Druſo Tuſculana quinta etiam legimus. LICEBAT, per pedum dolores. IISDEM TEMPORIBVS, quibus fuerunt paulo ante nominati. M. BRVTVS, M. Iunius Brutus, de quo in verbis interpretandis deinceps dicemus. DEDECVS, quòd ſordidum ſit ad famam, committere, vt accuſator nominere, quod ipſi M. Bruto contigit, vt libro ſecundo de Officiis ait. accedit, quòd illum L. Craſſus libro ſecundo de Oratore gurgitem vocat. & illa verba addit: tu imagines ipſas non perhorreſcis? quibus non modo imitandis, ſed ne collocandis quidem tibi vllum locum reliquiſti? nam libidines totum patrimonium diſſiparant. GENERI, Iunio, & quidem ſummo, vt libro ſecundo de Officiis appellat. VESTRO, ex quo tu quoq. Brute natus es, vt Plutarchus oſtẽdit. TANTO NOMINE, Iunio quidem, ſed tamen etiam Bruto, quod fuit cognomen illius, qui Reges exegit, vt ſupra dictum eſt. per nomen igitur vtrunque complecti videtur. PATREMQVE, M. Iunium Brutum, vt in oratione pro Cluentio leges. OPTIMVM VIRVM, vt ſapientem, quemadmodum in oratione pro Cluentio, & libro ſecundo de Oratore vocat. IVRISPERITISSIMVM, iuris ciuilis in primis peritum, libro ſecundo de Officiis, qui tres de iure ciuili libros reliquit, libro ſecundo de Oratore, & in oratione pro Cluentio. ACCVSATIONEM, quam turpiſſimum calumniæ quæſtum libro ſecundo de Oratore vocat. FACTITAVERIT, ita, vt accuſator diceretur. LYCVRGVS, de quo ſupra diximus. IS, is M. Iunius Brutus, de quo loquimur. MAGISTRATVS, vt Quæſturam, Aedilitatem, Præturam, & Conſulatum. NON PETIVIT, quòd ſe illos adipiſci fortaſſe non ſperaret, vt qui male audiret, vt libro ſecundo de Oratore, & ſecundo de Officiis cognoſcitur. FVIT ACCVSATOR, ita, vt accuſator cognomẽto vocaretur: orationem pro Cluentio, librum ſecundum de Oratore, & ſecundum de Officiis lege. VEHEMENS, & callidus, in oratione pro Cluentio. MOLESTVS, vt fuit moleſtus L. Craſſo, quum L. Plancium accuſaret, & eum Craſſus defenderet. Fuit enim moleſtus ita, vt eum Craſſus vlciſci ſit coactus: quæ libro ſecundo de Oratore, in oratione pro Cluentio, & apud Quintilianum libro ſexto capite quarto pluribus verbis explicantur. STIRPIS, Iuniæ. DEGENERAVISSE, in hoc M. Iunio Bruto. DEPRAVATAE, præſertim hoc accuſandi ſtudio. EODEM TEMPORE, quo M. Iunius Brutus accuſator fuit. CAESIDENVS, aliter Cæſulenus: de quo dici nihil à nobis poteſt, qui nõ ſanè multum operæ in quærẽdo ponendum putauimus: quòd ille indignus videatur, de quo multum laboremus: quum vel ipſe Cicero dicat, hominem infimum fuiſſe. EGO, ego Cicero penè puer. nam, ſi Cæſulenus hic Fimbriæ, de quo paulo ante dictum eſt, fuit æqualis, vt eodem tempore natus, & Cicero duobus annis ante Fimbriam Conſulem, vt in Conſulibus videre licet, eſt natus, potuit illum iam ſexagenarium audire, quum ipſe vigeſimum annum ageret. SABELLIO, aliter Sauelio, de quo nos item nihil inuenimus. MVLTAM,

pœnam lege conſtitutam. LEGE AQVILIA, lege, quam Aquilius Tribunus plebis à plebe rogauit, vt ait Vlpianus libro nono titulo ſecundo Digeſtorum, vbi ſunt illa verba: lex Aquilia omnibus legibus, quæ ante ſe de damno, iniuria locutæ ſunt, derogauit. Sed dubitari poteſt, quis ille fuerit Aquilius C. certe Aquilius Gallus Cic. collega, & familiaris nõ videtur fuiſſe. nã, ſi Cic. collega fuit in Prætura, vt colligi poſſe videtur ex oratione pro Cluentio, Topicis, & epiſtola prima libri primi ad Atticum, vbi putabatur Conſulatum petiturus, fuit etiam Ciceronis ipſius æqualis ita, vt non potuerit eam ferre legem, qua multam peteret Cæſulenus, quem Cicero ſenem audiuit: niſi C. Aquilius Tribunus plebis iuuenis admodum fuit, & Cæſulenus ea lege annos amplius ſexaginta natus, eſt vſus. Quòd ſi Brutus, vt refert Vlpianus, ex lege Aquilia neſcioquid eſt interpretatus, & is Brutus eſt iuriſconſultus ille M. Bruti Accuſatoris pater, manifeſte apparet, eam legem à C. Aquilio Ciceronis collega latam non fuiſſe: vt iam par ſit credere, alium Aquilium illam tuliſſe. Sed de Aquiliis infra dicemus. IVSTITIA, aliter induſtria: ſed aſſentior Paulo Manutio, qui legendum putat, iniuria: quoniã lex Aquilia de iniuria potiſsimum loquebatur, vt docet Vlpianus: qui libro nono titulo ſecũdo Digeſtorum ſic interpretatur: iniuriam hic damnum accipiemus culpa datum. PETIVISSET, petere multam ab aliquo Cicero ſæpe dicit. HOMINIS, L. Cæſuleni, de quo loquimur. INFIMI, de plebe, & indigni fortaſſe, qui in hunc oratorũ numerum referatur. QVI SVSPICIOSIVS, AVT CRIMINOSIVS DICERET, qui dicendo plures ſuſpiciones moueret, aut plura crimina proferret, vel potius, crimina ipſa magis augeret. NEMINEM, nullum oratorem. DOCTVS, ita, vt, quod libro primo de Finibus apparet, ſe græce vellet ſalutari. GRAECIS, Græcis literis, & diſciplinis. T. ALBVTIVS, hic eſt T. Albutius, qui quũ in Sardinia triumphaſſet, Romæ damnatus eſt, vt nos ſupra ex oratione in Piſonem retulimus. VEL POTIVS, correctio. PENE GRAECVS, imò Græcus, vt ipſe volebat dici, libro primo de Finibus. hinc hominem Græcum, ac leuem Cicero in oratione de Prouinciis Conſularibus vocat: quanquàm hic ad dicendi genus, illic ad mores oportet referre. OPINOR, opinor enim T. Albutium penè Græcum fuiſſe. SED, ſi quis forte nolit opinionem meam ſequi. ORATIONIBVS, in quibus locutiones prorſus Græcas vſurpat. IVDICARE, an recte opiner, illum eſſe penè Græcum. FVIT AVTEM, αἰτιολογία, quare ſit penè Græcus: fuit autem Athenis diſcendi cauſa. ATHENIS, omnium doctrinarum inuentricibus, libro primo de Oratore: vbi erat domicilium ſtudiorum, libro tertio de Oratore. ADOLESCENS, adoleſcentes enim tunc diſcendi cauſa proficiſcebantur Athenas, vt hodie Bononiam, Patauium, Piſas, Ticinum, Senam, Ferrariam, & Peruſiam proficiſcuntur. EPICVREVS EVASERAT, hinc in oratione in Piſonem, hunc T. Albutium, & Piſonem ipſum duos Epicureos vocat: & Tuſculana quinta ita ſcribit: Quid T. Albutius, non'ne animo æquiſsimo exul philoſophabatur? cui tamen illud ipſum non accidiſſet, ſi in Repub. quieſcens, Epicuri legibus paruiſſet. MINIME APTVM AD DICENDVM, quòd Epicurus Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti orationis ornamenta neglexit, vt libro primo de Finibus ait. Craſſus etiam lib. tertio de Orat. in ſuos hortulos Epicureos reiicit: quòd neque ad Remp. gubernandam, neque ad dicendum ſint apti. GENVS, hominum.

Iamque Q. Catulus, non antiquo illo more, ſed hoc noſtro, niſi quid fieri poteſt perfectius, eruditus. multæ literæ: ſumma non vitæ ſolum atq. naturæ, ſed orationis etiam comitas: incor-

rupta

rupta quædam Latini ſermonis integritas; quæ perſpici cum ex orationibus eius poteſt, tum facillime ex eo libro, quem de Conſulatu, & de rebus geſtis ſuis conſcriptum molli & Xenophonteio genere ſermonis miſit ad A. Furium poëtam familiarem ſuum: qui liber nihilo notior eſt, quàm illi tres, de quibus ante dixi, Scauri libri. Tum Brutus, Mihi quidem nec iſte notus eſt, nec illi: ſed nec mea culpa eſt: nunquam enim in manus inciderunt. nunc autem & à te ſumam, & conquiram iſta poſthac curioſius. Fuit igitur in Catulo ſermo Latinus: quæ laus dicendi non mediocris ab oratoribus pleriſque neglecta eſt. nam de ſono vocis, & ſuauitate appellandarum literarum, quoniam filium cognouiſti, noli expectare quid dicam: quanquam filius quidem non fuit in oratorum numero, ſed non deerat ei tamen in ſententia dicenda cum prudentia, tum elegans quoddam & eruditum orationis genus. nec habitus eſt tamen pater ipſe Catulus princeps in numero patronorum: ſed erat talis, vt, cum quoſdam audires, qui tum erant præſtantes, videretur eſſe inferior; cum autem ipſum audires ſine comparatione, non modo contentus eſſes, ſed melius non quæreres.

IAMQVE, libenter ego tollã particulam, que, quæ nata ex ſequenti prænomine Q. videri poteſt. & ſanè, iamque, frequenter apud poëtas, apud oratores rarius inuenies, niſi, iam, iamque dicatur. ſed, iam particula ſola, ſæpe in principio alterius rei collocatur. Q. CATVLVS, Q. Lutatius Catulus, κάτλοσ λουτάτιοσ ferè ſemper à Plutarcho dictus: iccirco Lutatius latine ſcribi debet, præſertim quum ſemper in veterum monimentis, & libris etiam manu ſcriptis ita ſcribatur. Hic eſt Q. Lutatius Catulus, qui in petitione Conſulatus à Cn. Manlio ſuperatus fuit, vt in orationibus pro Muræna, & pro Plancio dicitur: qui poſtea cum C. Mario an. ab V. C. ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo Conſul fuit: & cum eodem Mario de Cimbris triumphauit, vt ſcribit Plutarchus: ac porticũ in domo M. Flacci euerſa de manubiis Cimbricis fecit, vt ait Cic. in oratione pro Domo: & Marius quidem Cimbricæ victoriæ gloriam cum collega Catulo communicauit: poſtea vero ciuili bello victor iratus neceſſariis Q. Catuli deprecantibus nõ ſemel reſpondit, moriatur, vt Cicero Tuſculana quinta refert, vel, vt Græce ſcripſit Plutarchus, ἀποθανεῖν δεῖ. hinc libro tertio de Natura Deorum illa verba ſcribuntur: Cur omnium perfidioſiſsimus C. Marius Q. Catulum præſtantiſsima dignitate virum mori potuit iubere? & illa libro tertio de Oratore: tenemus memoria Q. Catulum virum omni laude præſtantem, quum ſibi non incolumem fortunam, ſed exilium, & fugam deprecaretur, eſſe coactum, vt vita ſeipſe priuaret. Vt enim Valerius Maximus libro nono capite duodecimo ſcribit: recenti calce illito, multóque igni percalfacto cubiculo ſe incluſum peremit: quam rem Paterculus hoc modo ſcribit: Q. Catulus, & aliarum virtutum, & belli Cimbrici gloria, quæ illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, quum ad mortem conquireretur, concluſit ſe loco nuper calce, arenáq. perpolito, illatóque igni, qui vim odoris excitaret, ſimul exitiali hauſto ſpiritu, ſimul incluſo ſuo, mortem magis voto, quàm arbitrio inimicorum obiit. Flo-

rus vero libro tertio capite vigeſimo primo ita ſcribit: Catulus ignis hauſtu ſe ludibrio hoſtium exemit: nec Plutarchus ab his diſſentit, ita dicens: κατακλεισάμενος εἰς οἴκημα, καὶ πολλοὺς ἄνθρακας ἐκζωπυρήσας ἀπεπνίγη: & quidem, vt infra dicetur, quo anno L. Cinna, & Cn. Octauius Conſules fuerunt. ANTIQVO, ita rudi, vt nemo illorum, qui ſic erudirentur, videretur exquiſitius, quàm vulgus hominum, literis, vt ait infra, ſtuduiſſe. NOSTRO, quo Philoſophiam, ius ciuile, & reliquas res, quæ lib. primo de Oratore ſcriptæ ſunt, complectimur. PERFECTIVS, hoc noſtro more. ERVDITVS, Philoſophiæ præceptis inſtructus. nam Peripateticus videtur fuiſſe: quando L. Craſſus libro tertio de Oratore cum eo ſic loquitur: iambum, & trochæum frequentem ſegregat ab Oratore Ariſtoteles Catule veſter: & ibidem paulo poſt: hæc quidem ab iis Philoſophis, quos tu maxime diligis Catule, dicta ſunt: & ſignificat Peripateticos: & ſic alibi ſæpe. MVLTAE LITERAE, quibus fons perfectæ eloquentiæ continetur, vt ait infra. Q. vero Catulum lib. primo de Officiis literatum vocat, & in oratione pro Archia talem fuiſſe oſtendit, vt ſtudium, atque aures ipſi Archiæ adhibere poſſet. NON VITAE SOLVM, ATQVE NATVRAE, poteſt enim quis eſſe comis in vita, vſu, & ratione viuendi, quamuis natura non ſit comis: hic vero comis erat vita, & natura: & ſic oratio ipſa creſcit. ORATIONIS, ſed eius partis, quæ ſermo libro primo de Oratore nominatur. COMITAS, qualis in Lælio fuit, in oratione pro Muræna: & Q. Catulum penè alterũ Lælium Tuſculana quinta vocat: & libro tertio de Oratore inquit: oratio Catuli ſic eſt grauis, vt in ſingulari dignitate omnis tamé adſit humanitas, ac lepos. hinc dictum illius refertur libro ſecundo de Oratore: Catulus à Philippo interrogatus, quid (quaſi Catulus à cane ducatur) latraret, furem ſe videre reſpondit. INCORRVPTA, pura ſic, vt latine loqui penè ſolus videretur, vt lib. tertio de Oratore dicitur. LATINI SERMONIS, Latinæ linguæ, qua, vt ſcribitur libro primo de Officiis, Catuli optime vti putabantur. PERSPICI, ſic exiſtimari ſupra de C. Curione. EIVS, Q. Catuli. CONSVLATV, quem cum C. Mario, vt diximus, geſſit. ſic poſtea Cicero, vt oſtendit libro primo & ſecundo ad Atticum, cõmentarium ſui Conſulatus Græce ſcripſit. REBVS SVIS, quas Conſul, & Proconſul etiam geſsit, vt ex Liuii libro ſexageſimo octauo cognoſcimus. MOLLI, id eſt τῷ μέσῳ, modico, in quo plurimum eſt ſuauitatis: in quo multi floruerunt apud Græcos, ſed Phalereus Demetrius præſtitit cæteris, vt ait in Oratore. Primus enim, quod ſupra dictum eſt, inflexit orationem, & eam mollem, tenerámque reddidit: & ob id libro ſecundo de Oratore genus dicendi mollius, & remiſsius dicitur ſecutus. Vnde apparet, molle genus per modicum recte interpretari. ET XENOPHONTEIO, & tali, quali Xenophon eſt vſus, hoc eſt, molli, vt quędá ſiti πεπιεσμένῳ. Quamuis Marcellinus ſcribat, Xenophontem genere dicendi ἰσχνῷ vſum fuiſſe, nos tamen eum in modico verſatum eſſe credimus, idque quum ex ipſius ſcriptis, tum ex Ciceronis verbis ſuſpicamur. nam ſcribit in Oratore, Xenophontis ſermonem eſſe melle dulciorem: & libro ſecundo de Oratore illa verba: Xenophon leniore quodam ſono eſt vſus, & qui illum impetum oratoris nõ habeat: vehemens fortaſſe minus, ſed aliquanto tamen eſt, vt mihi quidem videtur, dulcior: & in Oratore, Xenophontis voce muſas quaſi locutas ferũt. cum Cicerone ſentit Quintilianus, qui libro decimo capite primo ita ſcribit: quid ego commemorem Xenophontis illam iucunditatem inaffectatá, ſed quam nulla poſsit affectatio conſequi, vt ipſæ finxiſſe ſermonem Gratiæ videantur. Quin Attica muſa, vt ſcribit Laertius, vel, vt eſt apud Suidam Ἀττικὴ μέλιττα ἐπωνομάζετο, propter orationis dulcedinem: atque hæc quidem

omnia

omnia nemo non videt medio, non humili dicendi generi conuenire. nec Cicero hoc loco ſic verba collocaſſet, vt oratio deſcenderet, vt profecto deſcenderet, ſi per molle medium, & per Xenophonteium humile dicendi genus ſignificare voluiſſet. A. FVRIVM, quem Gellius libro decimo octauo in præſcriptione capitis vndecimi Antiatem fuiſſe docet. POETAM, Gellius poetam veterem vocat, & Macrobius libro ſexto multos verſus ponit, quos Virgilius eſt mutuatus ex Furii annalibus. FAMILIAREM SVVM, quamuis figulus, vt dicitur, figulo inuideat, & poëta poëtæ, Deus tamen, vt etiam dicitur, ſimilem ad ſimilem ducit. ob id Catulus vt penè poëta poëtas amabat, vt hic de Furio, & in oratione pro Archia de ipſo Archia conſtat. Quòd vero ipſe Catulus poëta fuerit, carmina, quæ libro primo de Natura Deorum leguntur, & quæ ſunt apud Gellium libro decimo nono capite nono demonſtrant: quæ quidem ita ſunt laſciua, vt Plinius illum merito libro quinto epiſtolarum inter laſciuos numerarit. nec dubitari poteſt, quin is fuerit Catulus pater, quum Cicero libro primo de Natura Deorum patrem vocet: dubitari potius poteſt, ne Valerius Maximus libro ſexto capite nono delicias, ac luxum patris filio tribuat: & ſi fieri potuit, vt patrem filius in ea re ſit imitatus. SCAVRI, ſupra. ILLI TRES, illi tres libri, quos nemo legit. ISTE, iſte Q. Catuli liber. NEC ILLI, nec illi tres libri M. Scauri ſunt noti. SED NEC MEA CVLPA EST, ſic enim corrigitur à doctis, & deſcribitur: vt ſit ſenſus: illi libri mihi non ſunt noti: ſed nec mea culpa eſt: nunquam enim in manus inciderunt meas, quòd illi ſeſe vltro ad legendum offerre debuerunt: quod ſine ioco ita frigide dicitur, vt ne cum ioco quidem ſatis probem, malímque libros veteres ſequi, in quibus eſt ſcriptum: ſed hæc mea culpa eſt: vnde ſenſus hic elicitur: libri illi non ſunt mihi noti: ſed hæc mea culpa eſt, qui nunquam conquiſiui, quia nunquam in manus inciderunt: quum omnino conquirere debuerim: verum nunc à te ſumam, & conquiram iſti poſthac curioſius. NVNC AVTEM, poſtquam ſum à te admonitus. A TE, qui memoriam rerum Romanarum, vt qui optime, tenes: & iſta, vt qui diligentiſſime, conquiris: infra, & in epiſtolis ad Atticum id cognoſcitur. FVIT IGITVR, ἀπαράλειπτον. atque his verbis videtur præponendum, hic ego: vel, inquam. CATVLO, Q. Catulo patre, de quo loquimur. SERMO LATINVS, Latini ſermonis integritas, ſupra. & ſanè Q. Catulus ita loquebatur, vt ei non ſolum Romani Latini ſermonis, ſed etiam Græci ipſi ſolerent ſuæ linguæ ſubtilitatem, elegantiámque concedere. Ita dicebat, vt ambroſia alendus eſſe videretur: cuius ſonus, & ſuauitas L. Craſſum delectabat: quæ quidem omnia Cicero libro ſecundo, & tertio de Oratore ſcribit. QVAE, quum aliæ ſint. LAVS, laus etiam paulo poſt in M. Aurelio Scauro vocatur. DICENDI, dicendi latine. alii legunt, in dicendo. NON MEDIOCRIS, magna, λεγόμενον, eſt enim quaſi fundamentum oratoris locutio emendata, & Latina, vt ait infra. NEGLECTA EST, nam penes quos adhuc fuit, non fuit rationis, aut ſcientiæ, ſed quaſi bonæ conſuetudinis, quod infra dicitur: nec ita multo poſt de M. Antonio loquens, ait: ipſum latine loqui à pleriſque neglectum eſt. NAM, αἰτιολογία hoc modo: ſermo Latinus fuit in Catulo: de cuius ſono vocis, & ſuauitate nihil loquor: nam in filio potuiſti hoc ipſum cognoſcere. SONO VOCIS, ET SVAVITATE, quæ tres L. Craſſum delectabant, vt lib. tertio de Orat. ipſemet affirmat.

APPELLANDARVM, exprimendarum, vt loquitur libro primo de Officiis, vbi ſic eſt ſcriptum: in Catulis ſonus erat dulcis, literæ neque expreſſæ, neque oppreſſæ, ne aut obſcurum eſſet, aut putidum: ſine contentione vox, nec languens, nec canora. QVONIAM, αἰτιολογία, quare expectare non debeat. FILIVM, Q. Lutatium Q. F. Catulum, qui fuit Conſul cum M. Aemilio Lepido an. ab V. C. ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto: quo tempore cum Gaditanis fœdus eſt vel renouatum, vel ictum, vt in oratione pro Cornelio Balbo refert: & M. Lepidus, quum acta Syllæ tentaret reſcindere, bellum excitauit, & ab ipſo Q. Catulo collega Italia pulſus eſt, & in Sardinia fruſtra bellum molitus, periit, vt Liuius libro nonageſimo ſcripſit: quod Cicero in oratione tertia in Catilinam his verbis ſignificauit: diſſenſit M. Lepidus à clariſsimo, & fortiſsimo viro Q. Catulo: & Valerius Maximus libro ſexto capite nono, quum dixit, eum ſua virtute ciuile bellum ingenti motu oriens ſepeliſſe. Tunc etiam Catulus legem de vi armata diſſenſione ciuium Reipub. penè extremis temporibus tulit: cuius Cicero in oratione pro Cælio meminit. Cenſor fuit cum M. Licinio Craſſo: quo magiſtratu vterque ſe abdicauit, quum inter eos ſeditio nata eſſet: quod in Craſſo Plutarchus affirmat. Hic Capitolium reſtituit, quod L. Scipione, & C. Norbano Conſulibus cuſtodum negligentia, vt in Conſulibus ſcribit Caſsiodorus, fuerat concrematum, anno vigeſimo ante Ciceronis Conſulatum, vt in oratione tertia in Catilinam refert: & reſtituit magnificentius, quàm fuit: quæ verba Cicero dixit Verrina ſexta ante Q. Hortenſium, & Q. Metellum Conſules, vt conſtat: Caſsiodorus tamen ſcribit, his Conſulibus à Catulo Capitolium reparatum, & dedicatum fuiſſe. ſed ſiue iam Conſulibus his, ſiue deſignatis. Capitolium eſt reſtitutum; quo pacto ſcribit Suetonius Cæſarem primo die Præturæ rogationem promulgaſſe, qua curationem illam in alium transferebat? fortaſſe ſic eſt interpretandum: transferebat in alium curationem illarum rerum, quæ nondum erant perfectæ, præſertim quum Dion teſtetur, noluiſſe Cæſarem nomen Catuli tolli, vt Pompeius, in quem curationem illam transferebat, id honoris conſequeretur. Deſtitit tamen ab incœpto, & Catulus ſuum honorem retinuit ita, vt eius nomen, quod Valerius Maximus affirmat, in Capitolino faſtigio fulgeret: quod Plinius libro decimo nono capite primo, & Plutarchus in Publicola retulerunt: iccirco Suetonius eum in Galba Capitolinum vocauit. Fuit hic Syllanus vel quia ſequebatur partes optimatium, vel quia meminerat, patrem à Mario iuſſum eſſe mori. ob id etiam fortaſſe apud Salluſtium Macer Tribunus plebis eum Sylla ſæuiorem vocat, quòd Marianos inſectaretur, nec facile Pompeio Tribunitiam poteſtatem, quam Sylla diminuerat, reſtituenti aſſentiebatur, vt Verrina ſecunda dicitur: & inimicitias cum Cæſare, vel quòd ab eo in petitione Pontificatus victus fuerat, vel quia illum oderat vt Marianum, geſsit, vſque adeo, vt impellere voluerit Ciceronem, vt Cæſar inter coniuratos nominaretur: quod neque precibus, neque gratia, neque pretio potuit impetrare, vt Salluſtius ait. Huius autoritas apud Romanos ſemper magna fuit, vt Philippica ſecunda ſcribitur: vnde Cicero Verrina ſecunda hominem ſapientiſsimũ, atque ampliſsimum vocat: & in oratione pro lege Manilia ita ſcribit: Q. Catulus quum ex vobis quæreret, ſi in vno Cn. Pompeio omnia poneretis, ſi quid de eo factum eſſet, in quo ſpem eſſetis habituri: cepit magnum ſuæ virtutis fructum, ac dignitatis, quũ omnes propè vna voce in eo ipſo vos ſpem habituros eſſe dixiſtis. Etenim talis eſt vir, vt nulla res tanta ſit, ac tam difficilis, quã ille non & conſilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere

poſsit: quod Paterculus, & Valerius Maximus etiam ſcripſerunt. In oratione vero pro Seſtio Cicero talem Reipub. propugnatorem quærit, qualis Q. Catulus fuit: quem neque periculi tempeſtas, neque honoris aura potuit vnquam de ſuo curſu vitæ aut ſpe, aut metu dimouere: & lib. primo de Officiis ait: neque quum verſaremur in Repub. Q. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur. Me, inquit idem Cicero in oratione in Piſone, Q. Catulus princeps huius ordinis, & autor publici conſilii frequentiſsimo ſenatu parentem patriæ nominauit. Idem refert in oratione pro Seſtio: vnde videntur erraſſe Plutarchus, & Appianus, qui ſcripſerunt, Ciceronem à Catone patrem patriæ nominatum fuiſſe: niſi forte plures eum ſic appellarunt, vt in oratione pro Seſtio his verbis oſtendit: Me Q. Catulus, me multi alii in ſenatu patrem patriæ nominarunt: ſed Cicero non ſolet in hiſce rebus eos, qui non fuiſſent Conſulares nominare, vt plus autoritatis habere videantur. at eo tempore Cato nondum Prætor fuerat: nec adhuc tantum nominis, & autoritatis habebat, quantum poſtea habuit ita, vt Plutarchus, & Appianus putarint fortaſſe, plus ponderis in re futurum, ſi Catonem pro Catulo ponerent. Hic eſt Catulus, qui de C. Octauio, qui poſtea fuit Auguſtus, ea, quæ ſcribit Suetonius, ſomniauit. hic eſt, qui negabat, fas eſſe, duos Conſules eſſe Romæ Reipub. inimicos: quod in orationibus Poſt reditum in ſenatu, & pro Domo ſcribitur. hic eſt Catulus, qui, quum vidiſſet quendam ex iudicibus, qui corrupti P. Clodium abſoluerant, inquit, quid vos præſidium poſtulabatis? an, ne numi vobis eriperentur, timebatis? hoc libro primo ad Atticum reperies. COGNOVISTI, cognouiſti filium, & cognouiſti vt patris filium, vt eſt in prouerbio: quòd in loquendo patri ſimilis eſſet, vt lib. primo de Officiis videre licet: & cognouiſti, quum vix dum anni ſint quindecim, quum ille deceſsit. Vt enim libro primo ad Atticum, & libro trigeſimo ſeptimo apud Dionem legimus M. Piſone, & M. Meſſala Conſulibus non ita multo poſt Clodii abſolutionem deceſsit. QVANQVAM, correctio. FILIVS, ipſe Q. Catulus. NON FVIT, ita, vt ex eius oratione de patre, poſsis prorſus iudicare. EI, Q. Catulo filio. IN SENTENTIA DICENDA, in ſententia dicenda in ſenatu, cuius princeps fuit, vt ex oratione in Piſonem paulo ante retulimus. PRVDENTIA, quæ requiritur in dicenda ſententia, in qua deliberatur, & conſilium capitur, quod prudentiæ plenum eſſe debet. hæc vero prudentia ſic fuit in Catulo, vt illum Cicero Verrina ſecunda, & in oratione Poſt reditum in ſenatu ſapientiſsimum vocet. ELEGANS QVODDAM, ET ERVDITVM ORATIONIS GENVS, quale fuit in patre, quem ſupra latine locutum rectè, & eruditum fuiſſe dixit: & libro primo de Officiis vtrunque literatum vocat. NEC HABITVS EST, ita, vt poſsis dicere, non poſſe ex oratione filii, qui non fuit orator, de patre, qui orator fuit, iudicari. Pater enim fuit orator quidem, ſed non fuit inter primos: filius vero non fuit ſanè quidem orator, ſed habuit elegans, & eruditum dicendi genus ita, vt inter eos non multum interfuiſſe videatur. πρόληψις. TAMEN, quamuis ego illum inter oratores numerem. PRINCEPS, primus, & quaſi primarius. PATRONORVM, aliter oratorum. QVOSDAM, vt M. Antonium, & L. Craſſum. INFERIOR, inferior illis, qui tunc erant præſtantes. IPSVM, Q. Catulum patrem. COMPARATIONE, qua res omnes facile iudicantur. hoc idem propè infra de L. Philippo dicet. CONTENTVS ESSES, Q. Catulo patre. MELIVS NON QVAERERES, ipſo Q. Catulo patre.

Q. Metellus Numidicus, & eius collega M. Silanus, dicebant de rep. quod eſſet illis viris, & conſulari dignitati ſatis. M. Aurelius Scaurus non ſæpe dicebat, ſed polite: Latinè verò in primis eſt eleganter locutus. Quæ laus eadem in A. Albino bene loquendi fuit. Nam flamen Albinus etiam in numero eſt habitus diſertorum. Q. etiam Cæpio, vir acer, & fortis: cui fortuna belli, crimini, inuidia populi, calamitati fuit, Tum etiam C. & L. Memmii fuerunt, oratores mediocres, accuſatores acres, atque acerbi: itaque in iudicium capitis multos vocauerunt, pro reis non ſæpe dixerunt. Sp. Torius ſatis valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum, vitioſa & inutili lege, vectigale leuauit. M. Marcellus Aeſernini pater, non ille quidem in patronis, ſed & in promptis tamen, & non inexercitatis ad dicendum fuit, vt filius eius P. Lentulus.

Q. METELLVS NVMIDICVS, Q. Cæcilius Metellus Numidicus: quem Cicero libro primo Familiarium, & in oratione pro Cornelio Balbo Lucii filium vocat: qui Conſul cum M. Silano an. ab V. C. ſexcenteſimo quadrageſimo quinto, quum duobus prælijs Iugurtham fudiſſet, & vniuerſam Numidiam vaſtaſſet, triumphauit, & Numidicus eſt appellatus, vt Liuius libro ſexageſimo quinto, Salluſtius, Paterculus, & autor libri de Viris illuſtribus ſcripſerunt. Hic poſtea quum cauſam de pecuniis repetundis diceret, & ipſius tabulæ circumferrentur inſpiciendi nominis cauſa, fuit iudex ex illis equitibus Romanis grauiſsimis viris nemo, quin remoueret oculos, & ſe totum auerteret, ne forte, quod ille in tabulas publicas retuliſſet, dubitaſſe quiſquam, verúmne, an falſum eſſet, videretur: quod ſcriptum libro primo ad Atticum, in oratione pro Cornelio Balbo, & apud Valerium Maximum libro ſecundo capite quinto videbis. Cenſor L. Equitium, vt vocat Valerius Maximus, vel Quintium, vt eſt apud autorem libri de Viris illuſtribus: qui ſe Tib. Gracchi filium ſimulabat, vnde Florus libro tertio capite decimo ſexto, C. Gracchum, & Cicero in oratione pro Seſtio inſitiuum Gracchum vocant: in cenſum recipere noluit: & L. Saturninum, vt in oratione pro Seſtio legimus, notauit. Quare poſtea L. Saturninus Tribunus plebis factus, quum legem agrariam per vim tuliſſet, Metello eo, quòd in eam minime iuraſſet, diem dixit, vt Liuius libro ſexageſimo nono retulit. Ille vero, vt in oratione pro Seſtio ſcriptum videmus, de ciuitate maluit, quàm de ſententia dimoueri: vt cui patriæ ſalus dulcior, quàm conſpectus eſſet: quod in oratione pro Cornelio Balbo ſcripſit. nam quum à bonis ciuibus defenderetur, ne cauſa malorum certaminũ eſſet, in voluntarium exilium Rhodum profectus eſt, ibique legendo, & audiendo magnos viros aduocabat: vt Liuius libro ſexageſimo nono, & Plutarchus oſtendunt: quibus ego libentius aſſentior, quàm autori libri de Viris illuſtribus, qui Smyrnam profectum refert, fortaſſe deceptus, quòd P. Rutilius Smyrnæ, vt ſupra diximus, exulauit. nec ita multo poſt Metellus idem lege Callidia, vt Cicero in oratione pro Plancio, & Valerius Maximus libro quinto capite ſecundo docent, non Claudia, vt male ſcriptum putamus apud autorẽ libri de Viris illuſtribus, in ciuitatem reſtitutus eſt ingenti, vt ait Liuius libro ſexageſimo nono, totius fauore ciuitatis ita,

vt, quod refert Appianus, ferant diem illi non ſuffeciſſe, dum ad portas vrbis obuios quoſque complecteretur. Hinc Cicero in oratione pro Domo illud ſcripſit elogium: Q. Metelli præclarum imperium in re militari fuit, egregia Cenſura, omnis vita plena grauitatis: tamen huius viri laudem ad ſempiternam memoriam temporis calamitas protogauit: & in oratione pro Plancio ſic laudat hoc factum, vt ita concludat: ob illam conſtantiam, qua illud voluntarium vulnus accepit, iuſtiſsimos omnium Metellorum, & clariſsimos triumphos gloriæ laude ſuperauit. ob hæc ipſa Cicero cum hoc vno potiſsimum ſe conferre ſolet, ſed ita tamen, vt rem ſuam præferat: quòd etſi cauſam eius omnes boni probabant, tamen neque ſenatus publice, neque vllus ordo proprie, neque ſuis decretis Italia cuncta ſuſceperat. ad ſuam enim magis ille gloriam, quàm ad perſpicuam ſalutem Reipub. ſpectarat, quum vnus in legem per vim latam iurare noluerat. Ciceronis vero cauſam ſenatus pàlàm, equeſter ordo acerrimé, cuncta Italia publice, omnes boni enixe ſuſceperant: eas res geſſerat, quarum non vnus autor, ſed dux omnium voluntatis fuiſſet: quæque non modò ad ſingularem eius gloriam, ſed ad ſalutem communem omnium ciuium, & propè gentium pertinerent. hæc ſunt in oratione pro Seſtio, vbi alias etiam diſsimilitudines refert, quod ad exilium pertineat. alibi vero ſæpe reditum quoque diſsimilem oſtendit, vt libro primo Familiarium, vbi ſcribit, illum vnius Tribuni plebis rogatione, ſe ab vniuerſa Repub. duce ſenatu, comitante Italia, promulgantibus omnibus, referente Conſule, comitiis centuriatis, cunctis ordinibus, hominibus incumbentibus, omnibus denique viribus ipſius Reipub. recuperatum: vt in orationibus Poſt reditum ad Quirites, & in Senatu, vbi res iſtas pluribus explicat, & addit, pro ſe non cognatos, non affines, vt pro Q. Metello deprecatos fuiſſe. Inimicitias Metellus cum C. Mario geſsit, quòd quum Marius legatus eius eſſet, ab eo Romam miſſus, illum apud populum Romanum criminatus eſt, bellum Iugurthinum ducere, vt ipſe Conſul fieret, vt factus eſt: quam rem Cicero libro tertio de Officiis dicit, quamuis Salluſtius literis criminatum, nec miſſum, ſed dimiſſum ſcribat. Hinc Cicero in orationibus Poſt reditum ad Quirites, & pro Seſtio Marium Metelli inimicum, & in oratione de Prouinciis Conſularibus omnes Metellos Marii inimicos vocat. Hic Metellus adoleſcens Athenis Carneadem iam affectum ſenectute multos dies audiuit, vt L. Craſſus eius familiaris libro tertio de Oratore teſtatur. Itaque vt docto doctus Archias illi iucundus erat, vt in oratione pro Archia ſcriptum videmus. ob id hic à Cicerone, & à Paterculo libro ſecundo inter oratores numeratur. Hic ſua laudatione iuuare Lucium Lucullum ſororis virum noluit: quem tamen autor libri de Viris illuſtribus Metellum male vocat, quum Lucius Lucullus Verrina ſexta dicatur: & ſatis conſtet, Lucium Lucullum patrem Luculli illius, qui cum Mithridate bellum geſsit, ſororis Metelli Numidici virum fuiſſe, & furti condemnatum: quod Plutarchus in Lucullo refert. ea fuit cauſa, cur in oratione Poſt reditum ad Quirites Lucullos ſororis Metelli filios appellarit. EIVS, Q. Metelli Numidici. COLLEGA, in Conſulatu anno ab Vrbe Condita ſexcenteſimo quadrageſimo quinto. hinc Cicero Verrina quarta, & in oratione pro Cornelio M. Silanum Conſularem dixit. M. Marcus, & Marcus à Cicerone Verrina quarta, & in oratione pro Cornelio, à Liuio libro ſexageſimo quinto, ab Eutropio libro quarto, & ab Aſconio in oratione pro Cornelio vocatur: Verrina tamen prima à Cicerone Decimus dicitur: nec dubitari poteſt, quin idem ſit, vt ipſe Cicero Verrina

quarta, & Aſconius in oratione pro Cornelio demonſtrant. SILANVS, M. Iunius Silanus, lege Aſconium. SILANVS, Silanus ſcribi debet, quòd in veterum monimentis Silanus, & apud Plutarchum in Antonio, & apud Dionem libro quadrageſimo ſexto Grece σιλανὸς ſcribatur. Hic eſt M. Iunius Silanus, qui aduerſum Cimbros infeliciter pugnauit, vt Liuius libro ſexageſimo quinto, & Aſconius in oratione pro Cornelio ſcribunt: quàmuis Eutropius dicat Cimbros ab eo in Italia victos fuiſſe. Quin ita ſcribit Aſconius: M. Silanus quinquennio ante Conſul fuerat, quàm Domitius Tribunus plebis: atque ipſe quoque aduerſus Cimbros rem male geſſerat: quam ob cauſam Domitius eum apud populum accuſabat: criminabatur bellum cũ Cimbris iniuſſu populi geſsiſſe, idque principium fuiſſe calamitatũ, quas eo bello populus accepiſſet: ac de eo tabellam quoque dedit: ſed pleniſsime Silanus abſolutus eſt. nam duę ſolæ tribus eum Sergia, & Quirina damnauerunt. Cicero tamen Verrina prima, & quarta ſcribit à Domitio accuſatum propter Egritomari Trãſalpini hoſpitis iniurias: quòd ita nos interpretamur: Silanũ Domitius accuſauit quidem, quòd rem male geſſerat, ſed, vt ad accuſandum deſcenderet, Egritomari hoſpitis iniuriis eſt commotus. Hic plures etiam leges, quibus militiæ ſtipendia minuebantur, abrogauit: quod Aſconius in oratione pro Cornelio refert. ILLIS VIRIS, Q. Metello Numidico, & M. Silano. CONSVLARI DIGNITATI, qua functi fuerant, & poſtea Conſulares erant. SATIS, vt eam tueri poſſent, vt infra de Ser. Sulpicio dicit. M. AVRELIVS SCAVRVS, is eſt M. Aurelius Scaurus, quo poſtulante, quòd is Epheſi ſe Quæſtorem vi prohibitum eſſe dicebat, quo minus è fano Dianæ ſeruum ſuum, qui in illud aſylum confugiſſet, abduceret, Pericles Epheſius homo nobiliſsimus Romam euocatus eſt, quòd autor iniuriæ illius fuiſſe argueretur: vt Verrina tertia relatum eſt. Huic nominis deferendi in L. Flaccum poteſtas non eſt data, quòd Quæſtor eius fuiſſet, Verrina prima: de quo Liuius libro ſexageſimo ſeptimo ad hunc propè modum ſcripſit: M. Aurelius Scaurus legatus Conſulis à Cimbris fuſo exercitu captus eſt, & quum in conſilium ab iis euocatus, deterreret eos, ne alpes tranſirent, Italiam petituri, eo quòd diceret Romanos vinci minime poſſe, à Bolo rege feroci occiſus eſt. Hunc autem vt Paterculus Conſulem, & Oroſius Conſularem vocet, ſupra, vbi de Scauro, & Rutilio locutus eſt, oſtendimus. NON SAEPE, raro. DICEBAT, cauſas. POLITE, ornate, & ſubtiliter. LATINE VERO IN PRIMIS, EST ELEGANTER LOCVTVS, ſic ſupra; Philus perbene latine loqui putabatur. QVAE LAVS, & quidem non mediocris, paulo ante. A. ALBINO, A. Albino Sp. Albini, vt nos putamus, fratre: qui quum eſſet fratris in Africa legatus, Proprętor ab eo relictus, infeliciter prælio aduerſus Iugurtham geſto conflixit, pacémque etiam multum ignominioſam adiecit: quam quidem minime eſſe ſeruandam ſenatus cenſuit, vt Liuius libro ſexageſimo quarto ſcriptum reliquit. hinc, vt ait Salluſtius, illi omnes infeſti, ac maxime, qui bello ſæpe præclari fuerant, quòd armatus dedecore potius, quàm manu ſalutẽ quæſiſſet. ob eam cauſam nos credimus eum poſt fratris Conſulatum annos decem iacuiſſe, & tandem cum M. Antonio Conſulem an. ab V. C. ſexcenteſimo quinquageſimo quinto factum fuiſſe: cuius Conſulatus Cicero in oratione Poſt reditum ad Quirites, Plinius libro octauo capite ſeptimo, & Gellius libro quarto capite ſeptimo meminerunt: niſi forte quis alium Albinum fuiſſe putet. BENE LOQVENDI, bene latine loquendi. nam fuit eadem laus, quæ in Aurelio Scauro fuit. omnes autem tunc Latine loquebantur, ſed omnes non bene. FLAMEN ALBINVS, quærimus hiſtoriam. Q. ETIAM CAEPIO, Q. Seruilius Cæpio cum C. Atilio

Serrano

Serrano Conſul an. ab V.C. ſexcenteſimo quadrageſimo octauo fuit, & vt ſcribit Caſsiodorus, iudicia equitibus, & ſenatoribus communicauit: quam rem Cicero libro primo de Inuentione hiſce verbis ſignificauit: offenſum eſt, quod eorum, qui audiunt, voluntatem lædit: vt ſi quis apud equites Romanos cupidus iudicandi, Cæpionis legem iudiciariam laudet: & libro ſecundo de Oratore: equites à Cæpione erant propter iudicia alienati: de qua quidem lege infra etiam dicetur. Hic Proconſul, vel, vt eſt apud Gellium, Conſul, capta vrbe Gallorum, cui nomen eſt Toloſæ, centum M. ponderis auri, & argenti C X. M. è téplo Apollinis ſuſtulit: quod quum ad Maſsiliam amicam populo Romano vrbem cum præſidiis miſiſſet, interfectis clàm (ſicut quidam conteſtantur) quibus ea cuſtodienda, & peruehenda commiſerat, cuncta per ſcelus furatus fuiſſe narratur. Vnde etiam magna quæſtio poſt Romæ acta eſt, vt apud Oroſium libro quinto capite decimo quinto legimus. Quiſquis vero ex ea direptione aurum attigit, miſero, cruciabilique exitu periit, vt ait Gellius libro tertio capite nono, & Strabo libro quarto pluribus verbis ſcribit, vbi Cæpio pro Scipione in libris Latinis reponi debet. hinc prouerbium factum, aurum Toloſanum. Paulo poſt igitur C. Manlius, & hic Q. Seruilius Cæpio Proconſules à Cimbris prælio victi, caſtriſque binis exuti ſunt: L X X X. mil. militum occiſa, calonum ac lixarum X L. mil. ſecundum populi Romani iuſsionem Cæpionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata ſunt, primóque poſt Regem Tarquiniũ imperium ei abrogatum: quod Liuius libro ſexageſimo ſeptimo ſcripſit; quę verba, quoniam pertinent ad rem, placet paucis interpretari. C. Caius, & Caius à Liuio, Oroſio, Caſsiodoro, & aliis, Marcus tamen ab Eutropio vocatur. PROCONSVLES, ſic etiam Oroſius, Paterculus tamen, & Eutropius Conſules vocant, quaſi vero ſimul, aut eodem anno Conſules fuerunt ita, vt Conſules appellari poſsint. SECVNDVM POPVLI ROMANI IVSSIONEM, nam C. Norbanus populum ſic incitauerat, vt poſtea Sulpicius, quum C. Norbanum accuſaret, vim, fugam, lapidationem, crudelitatem Tribunitiam in Cæpionis graui, miſerabilique caſu, in iudicium vocaret, vt lib. ſecundo de Oratore leges. Quin eum Tribunus plebis ipſe in carcerem coniecit: vnde tamen eum Lucius Rheginus amicus liberauit, nec eatenus egiſſe contentus, etiam fugæ eius comes acceſsit, vt Valerius Maximus libro quarto capite ſeptimo memoriæ prodidit. Hic Tribunus libro primo ad Herennium ſignificatur, vbi ſic eſt ſcriptum: fortunam, vt Cæpio ad Tribunum plebis de exercitus amiſsione. DAMNATI, creditũ eſt, vt ex libro quarto Strabonis didicimus, Cæpionem, quia theſauros Toloſanos attingere fuerat auſus, tot aduerſis caſibus eiectum è patria, vitam ſubuertiſſe, & perinde ac ſacrilegio contaminatũ turpiter interiiſſe. Videtur autem damnatus L. Craſſo Conſule, qui, quod infra dicetur, illum laudauit. BONA PVBLICATA SVNT, aliter Strabo libro quarto ſcribit, Cæpionis filios bonorum hæredes relictos, inter ſcorta obſcœne ea abliguriſſe, & turpiter interiiſſe. FORTVNA BELLI, libro primo ad Herennium. CRIMINI, quòd eius temeritate clades, vt ex Liuio retulimus, accepta erat: quòd eius culpa exercitus deletus à Cimbris, & Teutonibus videbatur, vt Valerius Maximus lib. quarto capite ſeptimo literis mandauit. Dies autem, qua clades accepta eſt, ἡ πρὸ μιᾶς νωνῶν ὀκτωβρίων, vt ait Plutarchus in Lucullo, vbi Scipionem pro Cæpione male ſcriptum videbis. INVIDIA, odio, de quo multa libro ſecundo de Oratore dicuntur. CALAMITATI, de qua diximus: & de qua Cicero in Oratione Antè quàm iret in exilium, habita, ſi modo vnquàm ab eo eſt habita, certe in oratione pro Cornelio Balbo meminit. TVM, iiſdem tempo-

ribus. C. Caius: C. Memmius, qui P. Scipione Naſica, & L. Calphurnio Beſtia Conſulibus Tribunus plebis fuit, &, vt autor eſt Salluſtius, rogationem tulit, vt L. Caſsius, qui tum Prætor erat, ad Iugurtham mitteretur: qua quidem re nobiles offendit, & præſertim M. Aemilium Scaurum, qui poſtea in eum repetundarum reum teſtimonium dixit, quamuis illi non ſit creditum, vt Cicero in oratione pro Fonteio, & Valerius Maximus libro octauo capite quinto teſtantur. Hunc poſtea Conſulatum petentem L. Saturninus occidit: vt Cicero in oratione quarta in Catilinam, Liuius libro ſexageſimo nono, Florus libro tertio capite decimo ſexto, & Oroſius libro quinto capite decimo ſeptimo referunt. L. Lucius: L. Memmius, quem L. Craſſus libro ſecundo de Oratore dixit, comediſſe lacertum Largii, quum eſſet cum eo Tarracinæ de amicula rixatus: & ſenex tria L L L. duo M M. ſic eſſet interpretatus: lacerat lacertum Largii mordax Memmius. Ita vero ſuſpicamur, quia Lucius Caio videtur iunior fuiſſe, & ei ſuperſtes fuiſſe ita, vt diutius L. Craſsi temporibus vixerit: quanquam de Caio etiam dici poſsit. Hic poſtea lege Varia pro ſe videtur infra dixiſſe. MEMMII, à Mneſtheo Troiano dicti, vt poëta libro quinto ſic oſtendit: mox Italus Mneſtheus, genus à quo nomine Memmi: qui plebeii fuerunt, vt Tribunatus oſtendunt, & Cicero epiſtola decima ſexta libri quarti ad Atticum teſtatur: Memmii tamen à Lucretio libro primo clara propago vocatur. MEDIOCRES, Salluſtius tamen in bello Iugurthino ſcribit C. Memmii facundiam claram, pollentémque fuiſſe, & vnam ex tam multis orationibus eius præſcribere exiſtimauit. ACCVSATORES, C. Memmius libro ſecundo de Oratore L. Calphurnii Beſtiæ accuſator appellatur. ACRES, C. Memmium acrem virum Salluſtius in bello Iugurthino, & Oroſius libro quintó capite decimo ſeptimo vocat. ACERBI, hinc fortaſſe mordax L. Memmius dicitur libro ſecundo de Oratore: vbi C. Memmius mordax item cognoſcitur in illo dicto: quum Scaurus nonnullam haberet inuidiam ex eo, quòd Phrygionis Pompeii locupletis hominis bona ſine teſtamento poſſederat, ſederétque aduocatus reo Beſtiæ, quum funus quoddam duceretur, accuſator C. Memmius, vide, inquit, Scaure, mortuus rapitur, ſi potes eſſe poſſeſſor. MVLTOS, & in L. Beſtiam. VOCAVERVNT, quod vituperari ſolet, vt ſupra de M. Bruto dictum eſt. NON SAEPE, raro, vt ſupra. DIXERVNT, quod ſolet laudari. Quid enim, vt ait libro primo de Oratore, tam regium, tam liberale, tam munificum, quàm opẽ ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate. SP. TORIVS, Spurius Borius ab Appiano libro primo, niſi fallor, appellatur, vbi latine ſcriptum hoc modo videbis: Spurius Borius Tribunus plebis legem tulit: tellurem vlterius non eſſe diuidendam, verum poſsidentibus omittendam eſſe: vectigalia autem populo Romano pro expendenda, pecuniámque ex his in diſtributiones redigendam fore. quę res vt conſolationem quandam ob diſtributionem populo attulit, ita ad abundantem multitudinem nihil vtilitatis afferre poterat. Vt enim ego putem eundem eſſe, prænomen Spurius, & temporum ratio facit: contrà mouet, quòd Cicero dicat, agrum publicum ea lege vectigali leuatum, Appianus potius preſſum dicere videatur. aliter P. Torius. VALVIT, vt Tribunus plebis legem vitioſam, & inutilem tulerit. & ſanè Appianus ſuum Borium Tribunum plebis vocat: & Torii, quum tam raro nominentur, non poterant nõ eſſe homines infimi. POPVLARI, ad popularem ſenſum accommodato, grato, iucundo, quo populus in primis delectatur. in quo verſantur mediocres oratores, & qui populo gratificari volunt. IS, Sp. Torius. AGRVM PVBLICVM, vt Campanum, quem Cicero in oratione ſecunda contra Rul-

lum

lum fundum pulcherrimum populi Romani, & fundamentum vectigalium vocat. Hæc porrò vectigalia Cenſoribus locare, niſi in conſpectu populi Romani, non licebat, vt in orationibus prima & ſecunda contra Rullum docet. VITIOSA, ET INVTILI, quum minuerit vectigalia, quæ Romani neruos eſſe Reip. ſemper duxerũt, vt in oratione pro lege Manilia dicit. LEGE, lege, quæ Toria fuit ab eo dicta: de qua libro ſecundo de Oratore tenuem mentionem facit. VECTIGALE, aliter vectigali, quod magis probatur. & hic in verbis, vectigali & leuauit eſt annominatio illa, quam Pontanus alliterationem vocat. LEVAVIT, non liberauit, ſed leuauit. Itaque vectigal non ſuſtulit, ſed aliquantum minuit: quicquid Appianus de ſuo Spurio Borio dicat. M. MARCELLVS, M. Claudius Marcellus. fuerunt vero duæ familiæ Claudiæ: earum quæ, Marcellorum appellata eſt, plebeia: quæ Pulchrorum, patricia, vt Aſconius in oratione pro Scauro, & Suetonius in Tiberio docent. Hic videtur eſſe Marcellus, de quo L. Craſſus libro primo de Oratore ita loquitur: cogebat me M. Marcellus hic noſter, qui nunc Aedilis Curulis eſt; & profectò, niſi nunc ludos faceret, huic noſtro ſermoni intereſſet: ac jam tum erat adoleſcẽtulus his ſtudiis mirifice deditus. & quia deditus erat eloquentiæ ſtudiis, hic illum Cicero inter oratores ponit: quanquam dubitari poteſt, quum ante L. Craſſum collocet. Ille enim L. Craſſo multo erat iunior. Quare fortaſſe ſit ille Marcellus, qui cum L. Craſſus ipſe geſsit inimicitias: & in quem teſtimonium dixit, vt in oratione pro Fonteio refertur. AESERNINI, C. Marcelli Aeſernini, Verrina ſexta, forte ſic appellati, quòd patrem cum Aeſernia captum liberarit, vt ex Liuii libro ſeptuageſimo tertio conijcere licet. NON INEXERCITATIS, exercitatis, λιτότης. VT FILIVS, vt filius fuit in non inexercitatis. EIVS, M. Marcelli: quanquam dubitari poſſe video, quo pacto, quum & Marcellus eſſet ipſe, & Marcelli Aeſernini pater eſſet, nunc etiam P. Lentulum filium habere dicatur: quum Claudia, & Cornelia gentes ſint diuerſæ. ſed hic aliqua fuerit adoptio, neceſſe eſt: vt vel hic P. Lentulus, quũ eſſet prius Claudius Marcellus vt Claudii Marcelli filius, ab aliquo Cornelio Lẽtulo fuerit adoptatus, & ita P. Cornelius Lentulus appellatus: vel certe M. ipſe Marcellus pater, poſtquam iam Marcellum Aeſerninum habuerat filium, in Corneliam familiam ſit aſcitus, & Cn. Cornelius Lentulus Clodianus appellatus, qui fuerit Conſul an. ab V. C. ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo, cuius poſtea filius hic P. Lentulus fuerit. Inter Marcellos certe, & Lentulos affinitas fuit, quòd Lentuli Marcellini reperiantur, & Cicero Verrina prima, & libro decimo quinto Familiarium Marcellos, & Marcellinos ita coniungat, vt eiuſdem penè generis eſſe oſtẽdat. P. LENTVLVS, quis hic fuerit P. Lẽtulus, neſcimus, niſi fuit is, qui poſtea cũ Catilina coniurauit, de quo ſuo loco nos infra dicemus.

falsò. nã Mar- celli Claud- Marcellini C- nelij.

L. etiam Cotta prætorius in mediocrium oratorum numero, dicendi non ita multum laude proceſſerat; ſed de induſtria cum verbis, tum etiam ipſo ſono quaſi ſubruſtico perſequebatur atq. imitabatur antiquitatem. atq. ego & in hoc ipſo Cotta, & in aliis pluribus intelligo, me non ita diſertos homines & retuliſſe in oratorum numerum, & relaturum. eſt enim propoſitum colligere eos, qui hoc munere in ciuitate functi ſint, vt tenerent oratorum locum: quorum quidem quæ fuerit aſcenſio, & quàm in omnibus rebus difficilis optimi perfectio atque abſolutio, ex eo, quod

dicam, exiſtimari poteſt. quàm multi enim iam oratores commemorati ſunt, & quàm diu in eorum enumeratione verſamur; cum tamen ſpiſſe, atque vix, vt dudum ad Demoſthenem & Hyperidem, ſic nunc ad Antonium Craſsúmque peruenimus. nam ego ſic exiſtimo, hos oratores fuiſſe maximos, & in his primum cum Græcorum gloria Latine dicendi copiam æquatam.

L. ETIAM COTTA, L. etiam Aurelius Cotta illius, vt puto, filius, quem ſupra diximus Conſulem an. ab V. C. ſexcenteſimo decimo fuiſſe. PRAETORIVS, qui Prætor fuiſſet. DE INDVSTRIA, videbatur enim grauitate linguæ, ſonóque vocis agreſti gaudere, vt libro tertio de Oratore Craſſus ait: ſic infra: Cotta quia ſe valde dilatandis literis à ſimilitudine Græcæ locutionis abſtraxerat, ſonabátque contrarium Catulo, ſubagreſte quiddam, planéque ſubruſticum, alia quidem quaſi inculta, & ſyluestri via ad eandem laudem peruenerat. VERBIS, ruſticanis. illud enim, quod loquebatur, priſcum viſum iri putabat, ſi planè fuiſſet ruſticanum, vt libro tertio de Oratore dicitur. QVASI SVBRVSTICO, agreſti, libro tertio de Oratore. PERSEQVEBATVR, aliter proſequebatur. ATQVE, digreſsio, qua delectet, & quaſi recreet auditores, & ſe ſimul excuſet, quòd interdum minus diſertos in oratorum numerũ retulerit, & ſit relaturus. IPSO, de quo paulo ante dixi. EST ENIM, αἰτιολογία, quare non ita diſertos etiam referat. PROPOSITVM, propoſitum mihi, qui ſum à vobis rogatus, ſupra. COLLIGERE, & eorum genera ætatibus diſtinguere, ſupra. MVNERE, munere dicendi. QVORVM QVIDEM, quorum quidem oratorum, vel qui oratorum locum tenuerunt. QVAE FVERIT ASCENSIO, quo pacto, & per quos quaſi gradus aſcenderint oratores. IN OMNIBVS REBVS, nedũ in hac, quam ſupra vnam omnium difficillimam eſſe diximus: vel in omnibus rebus, quas habere debet orator, quæ ſunt innumerabiles, vt vel in hoc dialogo, & in libris oratoriis diſputatur. DIFFICILIS, prooœmium libri primi de Oratore lege. OPTIMI, optimæ rei, vel optimi oratoris. QVAM MVLTI ENIM, αἰτιολογία, & ad rem reditus commode factus. COMMEMORATI, à nobis in hoc dialogo. ENVMERATIONE, aliter commemoratione: vt conueniat cum verbo paulo ante poſito, commemorati. VERSAMVR, optimi perfectionem quærentes. TAMEN, quamuis tam multi ſint à nobis commemorati. SPISSE, tarde, difficiliter. ATQVE VIX, ἐπεξήγησις, vel ἐπανόρθωσις. VT DVDVM, peruenimus, quum Græcos oratores commemorauimus. DEMOSTHENEN, ET HYPERIDEM, Græcos oratores perfectos. Vt enim ſupra dictum eſt, perfectus fuit Demoſthenes, & illi proximus Hyperides. NVNC, Latinos oratores commemorantes. ANTONIVM, CRASSVMQVE, Latinos oratores item perfectos. & proponit, quo ſit ordine de his duobus dicturus. PERVENIMVS, poſtquam omnes oratores, qui ante illos fuerunt commemorauimus: & cum interrogatione videtur legendum. NAM, αἰτιολογία, quare M. Antonium, & L. Craſſum cum Demoſthene, & Hyperide vt perfectos cum perfectis contulerit. & eſt πρόληψις. EGO SIC EXISTIMO, quamuis aliter alii exiſtimẽt, vt in prooœmio libri ſecundi de Oratore demonſtrat. HOS, M. Antonium, & L. Craſſum. MAXIMOS, vt hic paulo poſt, & in libris oratoriis oſtenditur. PRIMVM, nam Romani celeriter oratorem complexi ſunt, nec eum primo eruditum, Tuſculana prima: quòd primo dicerent totius dicendi rationis

tionis ignari, libro primo de Oratore. GLORIA, gloria dicendi. nam Græcia ſemper eloquẽtiæ princeps eſſe voluit, vt in proœmio libri primi de Oratore dicitur. COPIAM, quæ tanta fuit, vt Cicero, quod libro primo de Finibus ſcriptum eſt, ita ſenſerit, & ſæpe diſſeruerit, Latinam linguam non modo non inopem, vt vulgo putarent, ſed locupletiorem eſſe, quàm Græcam. AEQVATAM, cõſtat enim, vt Tuſculana prima ſcribitur, ita magnos oratores ad Ciceronis ætatem fuiſſe, vt non multum, aut nihil omnino Græcis cederetur.

Omnia veniebant Antonio in mentem, eáque ſuo quæque loco, vbi plurimum proficere & valere poſſent. vt ab Imperatore equites, pedites, leuis armatura: ſic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. erat memoria ſumma, nulla meditationis ſuſpicio, imparatus ſemper aggredi ad dicendum videbatur, ſed ita erat paratus, vt iudices illo dicente nonnunquam viderentur non ſatis parati ad cauendum fuiſſe. Verba ipſa, non illa quidem elegantiſsimo ſermone; itaque diligenter loquendi laude caruit, (neque tamen eſt admodum inquinate locutus) ſed illa, quæ proprie laus oratoris eſt in verbis: nam ipſum Latine loqui eſt illud quidem, vt paulo ante dixi, in magna laude ponendum, ſed non tam ſua ſponte, quàm quòd eſt à pleriſque neglectum: non enim tam præclarum eſt ſcire Latine, quàm turpe neſcire: neque tam id mihi oratoris boni, quàm ciuis Romani proprium videtur: ſed tamen Antonius in verbis & eligendis, neque id ipſum tam leporis cauſa, quàm ponderis, & collocandis, & comprehenſione deuinciendis, nihil non ad rationem, & tanquam ad artem dirigebat, verum multo magis hoc idem in ſententiarum ornamentis, & conformationibus. quo genere quia præſtat omnibus Demoſthenes, idcirco à doctis oratorum eſt princeps iudicatus.

OMNIA, approbatio vocatur libro primo de Inuentione. probat enim, quod quaſi loco aſſumptionis poſuerat, M. Antonium, & L. Craſſum maximos oratores fuiſſe: & priore loco ponit Antonium, quia, quod ait ipſe libro ſecundo de Oratore, Craſſo triennio maior erat; vel quia, quod in Oratore dicitur, primas eloquentiæ patrum ætas ei tribuebat. VENIEBANT, quòd in eo eſſet acumen ſingulare, libro ſecundo de Oratore. ANTONIO, M. Antonio oratori, de quo deinceps dicemus. Antoniorum gens plebeia fuit, vt ex Tribunatibus cognoſcimus, quamuis nobilis fuerit vſque adeo, vt multi putent eam ab Antone Herculis filio deſcendiſſe: quod M. Antonius Triumuir, vt teſtis eſt Plutarchus, præſe ferebat. MENTEM, qua cogitabat. atque pars hæc pertinet ad inuentionem, quæ res prima ſit in Oratore. EAQVE SVO QVAEQVE LOCO, περίφρασιν diſpoſitionis. eſt enim diſpoſitio, vt libro primo ad Herennium definitur, ordo, & diſtributio rerum, quæ demonſtret, quid, quibúſque locis conueniat, & collocandum ſit: quam rem M. Antonius ipſe libro ſecundo de Oratore pluribus docet. VBI PLVRIMVM PROFICERE, ET VALERE POSSENT,

ea do re ſic idem M. Antonius libro ſecundo de Oratore præcipit: in oratione firmiſsimum quodque ſit primum, dum illud tamen in vtroque teneatur, vt ea, quæ æque excellant, ſeruentur etiam ad perorandum: ſi quę erunt mediocria, in mediam turbam, atque in gregem conijciantur. VT, hæc ſimilitudo ponitur etiam libro ſecundo ad Herennium: diſpoſitio locorum, tanquam inſtructio militum, facillime in dicendo, ſicut illa in pugnando, parere victoriam poterit. IMPERATORE, qui qualis eſſe debeat, præter alios, Cicero in oratione pro lege Manilia, & Onoſander in libro de Imperatore deligendo, pluribus ſcripſerunt. EQVITES, PEDITES, LEVIS ARMATVRA, vt ab imperatore equites, pedites, leuis armatura in acie collocantur. Collocabantur autem in primo exercitati, & veteres milites, quos principes vocabãt: in ſexto vero & vltimo ordine fortiſsimi, ſcutati, & omni genere armorum muniti bellatores, quos antiqui triarios appellabant: in reliquos vero ordines, & mediam aciem reliqui milites conijciebantur, quicunque illi eſſent: vt Vegetius libro tertio capite decimo quarto ſcribit. SIC, ἀνταπόδοσις. ILLO, M. Antonio. COLLOCABANTVR, ſic, vt in ea re ipſe Antonius Q. Catulo ſemper Deus videretur, vt lib. ſecundo de Oratore dicitur, vbi M. Antonium ob eam cauſam induxit eade re diſputantem. ERAT, erat in M. Antonio: & inuertit ordinem, præponítque memoriam elocutioni, ob eam fortaſſe cauſam, quòd in M. Antonio memoria erat præponenda, vt qui ſumma memoria præditus eſſet, & ſermone non elegantiſſimo vteretur. MEMORIA SVMMA, quâ quicquid opus erat, comprehendebat, vt infra dicitur: de qua ſic ipſe libro ſecundo de Oratore loquitur: nihil quiſquam vnquam, me audiente, egit orator, quod non in memoria mea penitus inſederit. NVLLA MEDITATIONIS SVSPICIO, nulla erat ſuſpicio M. Antonium meditatum ad dicendum venire. Itaque illud illi in dicendo vſu venire ſolebat, vt nulla expectaretur ornata oratio, libro primo de Oratore. IMPARATVS, quippe qui ne didiciſſe quidem volebat videri: quòd probabiliorem populo orationem fore cenſeret ſuam, ſi omnino didiciſſe nunquam putaretur. vt libro ſecundo de Oratore ſcriptum eſt: in quo quidem libro ſic ipſe loquitur: ego iſta ſtudia non improbo, moderata modo ſint: opinionem iſtorum ſtudiorum, & ſuſpicionem artificii apud eos, qui res iudicent, oratori aduerſariam eſſe arbitror. imminuit enim & oratoris autoritatem, & orationis fidem. PARATVS, Antonius enim, vt libro ſecundo de Oratore dicitur, non dicebat, niſi prius rem penitus, cauſámque cognouiſſet. ἐλάττω. NON SATIS PARATI, quòd ipſe M. Antonius, vt libro ſecundo de Oratore faciẽdum præcipit, ſic, quod inuenerat, tractabat, vt, qui audiret, artem non cognoſceret. VERBA IPSA, quædam περίφρασις elocutionis, quæ, vt libro primo ad Herennium deſcribitur, eſt idoneorum verborum, & ſententiarum ad inuentionem accommodatio. NON ILLA QVIDEM, erant. & pendet oratio vſque ad illum locum, ſed tamen Antonius: CARVIT, hinc Cicero ſic ait infra: Craſsi magis enitebat oratio. ob eam cauſam libro ſecundo de Oratore M. Antonius inſtituit, & creat oratorem, quem Craſſo & veſtiendum, & ornandum tradat. NEQVE TAMEN EST ADMODVM INQVINATE LOCVTVS, κατὰ παρεικὸν πρόληψιν nequis dicat, oratorem perfectum eum eſſe non poſſe, qui elegantiſsimo ſermone non vteretur. SED ILLA, ſed illa laude caruit. PROPRIE, oratoris enim proprium eſt apte, diſtincte, ornatéque dicere, vt libro primo de Officiis ait, & libro primo de Oratore: hoc proprium oratoris eſt, oratio grauis, & ornata, & hominum ſenſibus, ac mentibus accommodata. IN VERBIS, hinc Cæſar in libro, quem ſcripſit ad Ciceronem, dixit, verborum delectum originem

ginem eſſe eloquentiæ, infra: & L. Craſſus libro tertio de Oratore præcepta elocutionis traditurus, dicendi modum meliorem eſſe dicit, vt Latine, vt plane, vt ornate, vt ad id, quodcunque agitur, apte congruentérque dicamus: nec ita multo poſt concludit, duas partes eſſe faciles, latine loquendi, planéque dicendi: reliquas magnas, implicatas, varias, graues, quibus omnis admiratio ingenii, omnis laus eloquentiæ continetur. in verbis igitur interpretare, in verbis ornate, & ad id, quodcunque agitur, apte, congruentérque dictis. NAM, αἰλολογία, quare dixerit, laudem oratoris in verbis eſſe. PAVLO ANTE DIXI, de Catuli ſermone loquens. MAGNA, non mediocri, ſupra. magna eſt igitur laus, latine, ſed maior ornate loqui: quòd qui ornate, is etiam latine loquatur; ſed non contrà. SVA SPONTE, in laude ponendum. A PLERISQVE, vt à L. Cotta paulo ante: & ab aliis etiam oratoribus. NEGLECTVM, ſic ſupra, laus latine dicendi ab oratoribus pleriſque neglecta eſt: & quia neglecta eſt hæc res à multis, his eſt laudi etiam magnæ, à quibus non eſt neglecta. NON ENIM, αἰλολογία, quare ſua ſponte non ſit in laude ponendum. PRAECLARVM EST SCIRE LATINE, nemo enim vnquam eſt oratorem, quòd latine loqueretur, admiratus, libro tertio de Oratore. TVRPE, irrident enim homines, ſi quis non latine loquatur: librum tertium de Oratore lege. NESCIRE, neſcire latine. ſcire, neſcire, ἀλέκτον. huc videtur Iuuenalis reſpexiſſe, quum ſatyra ſexta dixit: quum ſit turpe magis noſtris neſcire latine. ID, latine loqui. ORATORIS BONI, vt eſt. nam ſi aliter loquatur, irrident, neque eum oratorem tantummodo, ſed hominem non putant: vt ait libro tertio de Oratore. PROPRIVM, ſuauitas enim, quæ exit ex ore, vt apud Græcos Atticorum eſt, ſic in Latino ſermone vrbis Romæ maxime propria fuit: quod libro tertio de Oratore declaratur: & infra hoc modo: hæc elegantia latine loquendi, etiam ſi orator non ſis, & ſis ingenuus ciuis Romanus, tamen neceſſaria eſt. & ſi neceſſaria cuilibet ciui ingenuo, multo magis neceſſaria eſt oratori. SED TAMEN, quamuis Antonius ipſe diligenter loquendi laude caruerit: vel potius, quamuis eius verba non eſſent elegantiſsimo ſermone: & oratio pendet ab illis verbis: non illa quidem. VERBIS, præſertim ſimplicibus, quæ ſunt inuenienda, vt in Partitionibus ait. ELIGENDIS, id quo pacto ſit faciendum, L. Craſſus libro tertio de Oratore docet. LEPORIS, iucunditatis, qua delectaret auditores: quod vnum ex tribus, quæ præſtare debet Orator, vt infra dicetur, eſt. PONDERIS, grauitatis, qua iudices commoueret: quod maximum eſt ex illis tribus, quæ infra dicentur. COLLOCANDIS, collocandis quidem verbis ipſis, ſed coniunctis, quæ ſunt collocanda, vt ait in Partitionibus. Collocationis vero eſt componere, & ſtruere verba ſic, vt neue aſper eorum concurſus, neue hiulcus ſit, ſed quodam modo coagmentatus, & leuis, vt L. Craſſus libro tertio de Oratore docet. COMPREHENSIONE, περίοδον, ambitu, circuitu, continuatione, circunſcriptione: ſic enim in Oratore vocat. aliter compreſsione, ſed ſi quid mutandum eſt, legere oportet; complexione, vt libro tertio de Oratore dixit. DEVINCIENDIS, vinciendis, aſtringendis, illigandis, vt libro tertio de Oratore loquitur: vbi, quod nos etiam ſupra diximus, ſcribit Iſocratem id primum inſtituiſſe. ARTEM, quam L. Craſſus libro tertio de Oratore docet. MAGIS, quàm in verbis. HOC IDEM, faciebat, vt totam orationem ſententiarum quaſi luminibus diſtingueret, & frequentaret,

vt libro tertio de Oratore ſcribitur. ORNAMENTIS, ET CONFORMATIONIBVS, ſupra formas appellauit. QVO GENERE, verborū quidem, ſed ſententiarum tamen potiſsimum ornamentis, & conformationibus, λέξεων εὐρυθμίας, καὶ τῶν τῆς διανοίας περιγραφῶν, vt ait Lucianus, vbi Demoſthenem laudat: elocutione igitur, quæ tanquam genus figuras verborum,; & figuras ſententiarum tanquam ſpecies complectitur. OMNIBVS, omnibus oratoribus. omnes enim oratores, præter Phocionem, non eloquentia ſolum, ſed vita etiam ſuperauit, vt ex Plutarcho vertunt eruditi. qui græce ſic ſcripſit: ἐπεὶ τούς γε καθ' αὐτὸν ῥήτορας ἔξω δὲ λόγου ὑπερβαλεῖν φασὶν καὶ τῷ βίῳ παρῆλθε. DOCTIS, & iccirco dignis, quibus in ea re credatur. locus à teſtibus. PRINCEPS, ſic in libello de Optimo genere oratorum. IVDICATVS, dichoreus loco poſitus, vbi de principe oratorum loquatur.

σχήματα enim quæ vocant Græci, ea maxime ornant oratorem: eáque non tam in verbis pingendis habent pondus, quàm
De actione oratoris in illuminandis ſententiis. ſed cum hæc magna in Antonio, tum actio ſingularis. quæ ſi partienda eſt in geſtum, atque vocem: geſtus erat non verba exprimens, ſed cum ſententiis congruens, manus, humeri, latera, ſupploſio pedis, ſtatus, inceſſus, omniſque motus cum verbis ſententiiſque conſentiens: vox permanens, verum ſubrauca natura: ſed hoc vitium huic vni in bonum conuertebatur: habebat enim flebile quiddam in quæſtionibus, aptúmque cum ad fidem faciendam, tum ad miſericordiam cōmouendam: vt verum videretur in hoc illud, quod Demoſthenem ferunt ei, qui quæſiuiſſet quid primū eſſet in dicendo, actionem, quid ſecundum, idem, & idem tertium, reſpondiſſe. nulla res magis penetrat in animo, eóſque fingit, format, flectit: taléſq. oratores videri facit, quales ipſi ſe videri volunt.

ΣΧΗΜΑΤΑ figuræ, ornamenta, ſupra. & σχήματα tam ad verba, quàm ad ſententias referuntur: Oratorem lege. PINGENDIS, ornandis, diſtinguendis. Vnde Latini colores, & Græci χρώματα vocant ipſas exornationes. Hinc Cicero libro ſecundo ad Atticum ſcripſit, librum ſuum totum Iſocratis μυροθήκιον, atque omneis eius diſcipulorum arculas, ac nonnihil etiam Ariſtotelica pigmenta conſumpſiſſe. ILLVMINANDIS, his luminibus diſtinguendis, vt ait libro tertio de Oratore. HAEC, hæc, quæ ſunt ſupra dicta, quæ breuiter ita repeti poſſunt, inuentio, diſpoſitio, memoria, elocutio. ACTIO, res quinta ex his, quas eſſe in Oratore oportet: quæ pronunciatio in libris ad Herennium ſcriptis vocatur. SINGVLARIS, Antonius enim excellebat actione, infra. SI PARTIENDA, vt partienda, vt in Oratore, lib. tertio ad Herennium, apud Quintilianum lib. vndecimo cap. tertio legimus. GESTVM, motum in Oratore, motum corporis lib. tertio ad Herennium, nunc geſtum, nunc motum apud Quintilianum vocari videbis. VOCEM, vocis figuram, lib. tertio ad Herennium. ERAT, in M. Antonio Oratore. NON VERBA EXPRIMENS, SED CVM SENTENTIIS CONGRVENS, abeſſe enim plurimum à ſaltatore debet orator, vt ſit geſtus ad ſenſus magis, quàm ad verba accōmodatus, vt Quintil. ait lib. vndecimo cap. tertio. aliter nó verba exprimens, ſed cũ ſuis numeris congruens,

MANVS,

MANVS, ſine quibus trunca eſſet actio, ac debilis, vt ait Quintilianus: & præſertim dextra. ſtantes enim in veſtigio, leui dexteræ motu loqui oportet, vt libro tertio ad Herennium docemur. ſiniſtra vero nunquam ſola recte geſtum facit, ſed dextræ ſe frequenter accommodat: vt ſcribit Quintilianus: qua de re ſic etiam libro tertio de Oratore præcipitur: manus eſſe debet minus arguta, digitis ſubſequens verba, non exprimens. [illegible], humerorum raro decens alleuatio, atque contractio eſt: vt ait Quintilianus libro vndecimo capite tertio, vbi & alia [illegible] eade re ſcribit. LATERA, quorum flexio debet eſſe virilis, [illegible] Oratore, & libro tertio de Oratore præcipitur. & Quintilianus in [illegible] cum geſtu conſentiant. SVPPLOSIO, in contentionibus aut inc[illegible], vt lib. tertio de Oratore Craſſus præcipit: quæ de[illegible] tertio ad Herennium: ſed plura Quintilianus ſcribit. P[illegible] ntri, libro tertio ad Herennium: M. vero Antonius hic non [illegible] modo, ſed genu etiam interdum terram tangebat: quod Cicero Tuſculana ſecunda ſe vidiſſe teſtatur. STATVS, qui debet erectus eſſe, & celſus, ait in Oratore. INCESSVS, rarus, nec ita longus, vt in Oratore quærit, quicquid dicat Quintilianus, Plutarchus autem ſcribit, ἐν γάιον γράγχον ῥωμαίων πρῶτον ἐπὶ τοῦ βήματος περιπατεῖν χρήσασθαι, καὶ περισπάσαι τὴν τήβεννον ἐξ ὤμου, λέγοντα, κατὰ τοῦ κλέωνος τοῦ ἀθηναίου ἱστορεῖται, περισπάσαντι τὴν περιβολὴν, καὶ τὸν μηρὸν πατάξαι πρῶτον τῶν δημηγορούντων. CONSENTIENS, motus enim voci debet conſentire, & animo cum ea ſimul parere, vt ait Quintilianus: & libro tertio de Oratore illa verba leges: actio menti congruens eſſe deb[illegible] congruens, vt paulo ante. VOX, quæ vna maxime elo[illegible] commendat, vel ſuſtinet, vt ait libro primo de Orator[illegible] tertio ad Herennium, & apud Quintilianum multa ſc[illegible]ANENS, non fracta, firma; vt vero firma conſeruetur, [illegible] ad Herennium traditur. SVBRAVCA, fuſca, vt li[illegible] capite tertio Quintilianus. VITIVM, quod rauis à [illegible] dicitur, quum vox eſt rauca, quæ clara, & dulcis eſſe debeat, vt [illegible] in Oratore. HVIC, M. Antonio. VNI, quum aliis in malum conuertatur. CONVERTATVR, aliter conuertat, quod recte dici etiam docti defendent. HABEBAT ENIM, αἰτιολογία. habebat autem M. Antonius, qui nunquam dicebat, quin ipſe in commouendis iudicibus, iis ipſis ſenſibus, ad quos illos adducere vellet, permoueretur, vt ait libro ſecundo de Oratore: vel potius habebat vox ipſa rauca, vitium, ſiue rauis. Vox enim rauca neſcio quid flebile videtur habere. IN QVAESTIONIBVS, in rerum capitalium iudiciis potiſsimum, in quibus vel flere M. Antonius ſolebat, vt quum M. Aquilium defendit, libro ſecundo de Oratore. QVVM AD FIDEM FACIENDAM, TVM AD MISERICORDIAM COMMOVENDAM, tunc enim iudices credunt, & tandem commouentur iiſdem motibus, quibus oratorem commotum vident, vt Antonius ipſe libro ſecundo de Oratore diſputat. IN HOC, in hoc M. Antonio. FERVNT, non ſcribunt. hoc enim videtur Cicero potius audiuiſſe, quàm legiſſe: & iccirco neque hic, neque libro tertio de Oratore voluit affirmare, quamuis ita dicat in Oratore: non ſine cauſa Demoſthenes tribuit & primas, & ſecundas, & tertias actioni; quem poſtea Quintilianus libro vndecimo capite tertio, Valerius Maximus libro octauo capite decimo, & Plutarchus in Rhetorum vitis, imitati ſunt. EI, neſcio cui. QVAESIVISSET, rogaſſet, libro tertio de Oratore, interrogaſſet, apud Quintilianum. PRIMVM, ſic lib. tertio de Oratore, ſummũ apud Quintilianum, efficaciſ-

ſimum apud Valerium Maximum. IN DICENDO, ſic libro tertio de Oratore: in toto genere dicendi Quintilian. ACTIONEM, ὑπόκρισιν, ait Valerius Maximus: pronunciationi palmam dedit, inquit Quintilianus: actioni primas, ſecundas, & tertias tribuit, vt libro tertio de Oratore dixit. RESPONDISSE, & recte reſpondiſſe, Cicero libro tertio de Oratore, & in Oratore, & Quintilianus libro vndecimo capite tertio videntur affirmare: ſed libro tertio ad Herennium, non egregie magnam eſſe vtilitatem in pronunciatione ſola iudicari videbis. MAGIS, quàm actio: quæ in dicendo vna dominatur, vt libro tertio de Oratore dicitur. Si enim eloquentia nulla ſine hac, hæc autem ſine eloquentia tanta eſt, certe plurimum in dicendo poteſt, vt in Oratore ratiocinatur. PENETRAT IN ANIMOS, inuadit animos, vt Valerius Maximus libro octauo capite decimo loquitur. mouet animos auditorum. actio enim, quæ præ ſe motum animi fert, omneis mouet, vt lib. tertio de Oratore L. Craſſus ait. FINGIT, FORMAT, FLECTIT, dat actioni, quod eſt proprium totius eloquentiæ: qua mentes alliciuntur, voluntates impelluntur, quò velis, vnde autem velis, deducuntur, vt ait libro primo de Oratore, & libro ſecundo ita: tantam vim habet illa, quæ recte à bono poeta dicta eſt flexanima, atque omnium regina rerum, oratio, vt non modo inclinantem erigere, aut ſtantem inclinare, ſed etiam aduerſantem, & repugnantem, vt imperator bonus, ac fortis, capere poſsit. fingit, formar, flectit, πάρισον eſt, & alliteratio, vt à Pontano vocatur. TALESQVE, bonos, ſummos. nam ſine actione ſummus orator eſſe in numero nullo poteſt; mediocris hac inſtructus ſummos ſæpe ſuperare, vt libro tertio de Oratore, & apud Quintilianum libro vndecimo capite tertio diſputatur. VIDERI VOLVNT, probari volunt, vt ait in Oratore.

Huic alii parem eſſe dicebant, alii anteponebant L. Craſſum. illud quidem certe omnes ita iudicabant, neminem eſſe, qui, horum alterutro patrono, cuiuſquam ingenium requireret. equidẽ quanquam Antonio tantum tribuo, quantum ſupra dixi: tamen Craſſo nihil ſtatuo fieri potuiſſe perfectius. erat ſumma grauitas, erat cum grauitate iunctus facetiarum & vrbanitatis oratorius, non ſcurrilis lepos: Latine loquendi accurata, & ſine moleſtia diligens elegantia: in diſſerendo mira explicatio: cum de iure ciuili, cum de æquo & bono diſputaretur, argumentorum & ſimilitudinum copia. nam vt Antonius coniectura mouenda, aut ſedanda ſuſpicione, aut excitanda, incredibilem vim habebat, ſic in interpretando, in definiendo, in explicanda æquitate, nihil erat Craſſo copioſius: idque cum ſæpe aliàs, tum apud Centumuiros in M. Curii cauſa cognitum eſt. ita enim multa tum contra ſcriptum pro æquo & bono dixit, vt hominem acutiſsimũ Q. Scæuolam, & in iure, in quo illa cauſa vertebatur, paratiſsimum obrueret argumentorum exemplorúmq. copia: atq. ita tum ab his patronis æqualibus, etiã cõſularibus, cauſa illa dicta eſt, cum vterq. ex contraria parte ius ciuile defenderet, vt eloquentium iuris peritiſsimus Craſſus, iuris peritorum eloquentiſsimus Scæuola

puta

putaretur: qui quidem cum peracutus eſſet ad excogitandum, quid in iure, aut in æquo verum aut eſſet, aut non eſſet; tum verbis erat ad rem cum ſumma breuitate mirabiliter aptus. quare ſit nobis orator in hoc interpretandi explanandíque & differendi genere mirabilis, ſic, vt ſimile nihil viderim: in augendo, in ornando, in refellendo magis exiſtimator metuendus, quàm admirandus orator. verum ad Craſſum reuertamur.

HVIC, M. Antonio, de quo nunc aliquid dicendum videtur. M. igitur Antonius quum eſſet Prætor, vel potius Conſul deſignatus quo anno Saturninus eſt interfectus, extra vrbem cum præſidio fuit, in oratione pro C. Rabirio: anno vero ſequenti, id eſt an. ab V. C. ſexcenteſimo quinquageſimo quinto cum A. Poſthumio Albino Conſul fuit, in oratione Poſt reditum ad Quirites: deinde Proconſul in Ciliciam eſt profectus, libro primo, & ſecundo de Oratore. vbi etiam Cenſor fuiſſe dicitur. Fuit etiam legatus, vt infra dicitur. Hunc Cicero libro ſecundo de Oratore putat nullius rei, quæ quidẽ eſſet in his artibus, de quibus aliquid exiſtimare ipſe poſſet, rudem, aut ignarum fuiſſe: ſed quia nolebat ipſe videri didiciſſe, opinio fuit, illum omnino omnis eruditionis expertem, atque ignarum fuiſſe vſque adeo, vt ne tabulas quidem conficere exiſtimaretur, vt libro eodem ſecundo de Oratore ſcribitur: quæ fuit opinio falſa, Verrina tertia: quamuis Aſconius alium Antonium ſignificari male putet. Ipſe M. Antonius libro primo de Oratore ſe literas Græcas ſero, ac leuiter attigiſſe teſtatur. eas vero ſic attigit, vt, quum libro ſecundo de Oratore hiſtoricos Græcos nominaſſet, ac ſcienter, & proprie de vno quoque dixiſſet, ita Cæſar exclamarit, vbi ſunt, qui Antonium Græce negant ſcire? Ius certe ciuile affirmat ipſe neque ſe vnquam didiciſſe, neque tamen in his cauſis, quas in iure poſſet defendere, vnquam iſtam ſcientiam deſideraſſe. Adoleſcens, vt libro ſecundo de Officiis apparet, accuſauit alios fortaſſe, ſed certe Carbonem illum, qui libro nono Familiarium ſutorio atramento abſolutus fuiſſe dicitur. Ipſe contrà poſtea Cenſor à M. Duronio de Ambitu fuit poſtulatus, quum illi dixit Mancia, quod libro ſecundo de Oratore legimus: aliquando tibi tuum negotium agere licebit. Is nihil ſe arbitrabatur ad iudicia, cauſáſque amicorum, præter fidem, & ingenium afferre oportere, Verrina prima: & quaſcunque cauſas erat acturus, eas diligenter, penitúſque volebat cognoſcere, id quod omnibus faciendum ipſe libro ſecundo de Oratore præcipit. Dicebat vero ſenſim, quod cauſæ prodeſſet, Philippica ſecunda, quo loco M. Antonii auum vocat. Is item mirifica ad refellendum conſuetudine vtebatur, vt libro primo de Oratore Craſſus affirmat. Is quum eſſet & conſiliorum in Repub. ſocius, & ſumma cum L. Craſſo familiaritate coniunctus, in cauſis illi nolebat ſuccedere, vt libro primo de Oratore videre licet. M. Antonium Cicero ſemper commendat, appellátque modo virum prudentiſsimum, libro ſexto Familiarium: modó ampliſsimum, Verrina prima: modo ſapientem, & fortem, Verrina ſeptima: modo omnium eloquentiſsimum, Tuſculana quinta: quo loco ſcribit, Cinnam iuſsiſſe caput M. Antonii præcidi, quum Plutarchus, & Appianus affirment, id iuſſu Marii factum fuiſſe: ſed Valerius Maximus libro octauo capite nono demonſtrat, vtrunque verum fuiſſe, quum ſcribit Marianos, Cinnanóſque mucrones eloquentia M. Antonii aliquantum inhibitos fuiſſe. Caput certe M. Antonii abſciſſum ſuis manibus Marius inter epulas per ſummam

animi, ac verborum inſolentiam aliquandiu tenuit: quod Valerius Maximus libro nono capite ſecundo, Liuius libro octuageſimo, Florus libro tertio capite vigeſimo primo, & Lucanus libro ſecundo ſcripſerunt. Hinc Cicero libro tertio de Oratore ita dixit: M. Antonii in his ipſis roſtris, in quibus ille Rempub. conſtantiſsime Conſul defenderat: quæque Cenſor imperatoriis manubiis ornarat, poſitum caput illud fuit, à quo erant multorum ciuium capita ſeruata: & quidem interfectus eſt, quo anno Cinna, & Octauius Conſules fuerũt, vt infra dicetur. Hunc caſum Cicero videtur Philippica prima his verbis optaſſe: acerbiſsimum M. Antonii diem ſupremum malim, quàm L. Cinnæ dominatum, à quo ille crudeliſsime eſt interfectus. & Cicero quidem, quod propemodum optauit, eſt conſecutus. M. Antonius ſolitus erat dicere, iccirco ſe nullam vnquam orationem ſcripſiſſe, vt ſi quid aliquando non opus eſſet ab ſe eſſe dictum, poſſet negare, dixiſſe: vt in oratione pro Cluentio, & libro ſeptimo capite tertio Valerii Maximi legimus. Is libellũ vnum reliquit, in quo dixit illud, quod refertur in Oratore, & libro primo ac ſecundo de Oratore, diſertos ſe vidiſſe multos; eloquentem omnino neminem. PAREM, parem gloria, & laude dicendi: quamuis ratione dicendi inter ſe diſsimiles eſſent, vt in libris oratoriis potiſsimum cognoſcitur. ANTEPONEBANT, alii L. Craſſum M. Antonio anteponebant. in Oratore tamen ita ſcribit: M. Antonio vel primas eloquentiæ patrum noſtrorũ tribuebat ætas. Quod ſi patrum ætas M. Antonio primas eloquentiæ tribuebat, nõ igitur alii L. Craſſum illi anteponebant. Quin Tuſculana quinta M. Antonium vocat eloquentiſsimum omnium, quos audierit. Sed ibi fortaſſe illum tantopere laudat, vt eius caſum iuſtius deplorare videatur: Vel Cicero M. Antonium audiuerat, vt in procemio libri ſecundi de Oratore cognoſci poteſt: Craſſum vero vel non audiuerat, vel certe de illo tum non poterat iudicare, quum penè puer eſſet: vt infra dicemus. In Oratore vero, vbi agit Rhetorem, cui conceſſum eſt & in hiſtoriis, vt ſupra dictum eſt, mentiri, fortaſſe mentitur, præſertim quum à Bruto iuuene cõuinci non poſsit: quumq. velit eius vti teſtimonio, id vt ſit grauius, eum per locum à teſtibus tantopere commendat. Voluit etiam fortaſſe ibi Bruto gratificari, qui genus dicendi diuerſum, vt ſupra diximus, ſequebatur, quod elegans Ciceroni non videbatur, quale ſupra M. Antonii dicendi genus deſcripſit. Hic certe vt hiſtoricus veritatem ſecutus eſt, præſertim præſente Attico, qui vt ſenex ipſum mentientem potuiſſet coarguere, & fortaſſe L. Craſſum ipſe quoque magis probabat, vt in dicendo, & ſcribendo, quod ſatis conſtat, ornatus, qualis fuit Craſſus, qui vel ob id de ornamẽtis orationis libro tertio de Oratore diſputauit. Hinc Atticus infra L. Craſſum M. Antonio in ordine anteponit, vt forte re ipſa anteponendum iudicabat. & ſanè vel Antonius ipſe libro ſecundo de Oratore ſine vlla dubitatione ſic ſtatuit, & iudicat, neminem omniũ tot, & tanta, quanta erant in Craſſo, habuiſſe ornamenta dicendi. Quin illi palmam rerum omnium, quæ ad oratorem pertinent, deferebat, vt libro ſecundo de Oratore dicitur, vbi iudicium quum aliorum, tum Catuli ponitur. qui quum Craſſum audiſſet, fœnũ alios aiebat eſſe oportere. L. CRASSVM, L. Licinium Craſſum, de quo deinceps dicemus. IVDICABANT, quod erat opinio, eos homines non eruditos, ſummam fuiſſe prudentiam, atque incredibilem eloquentiam conſecutos, libro ſecũdo de Oratore. HORVM, M Antonii, & L. Craſsi. ALTERVTRO PATRONO, quum alteruter, aut M. Antonius, aut L. Craſſus eſſet patronus. qui vero neutrum horũ habebat, confugiebat ad Philippum ferè, aut Cæſarem, vt infra dicetur. REQVIRERET, quòd altero horum deberet eſſe contentus, quum illi eſſent

omnium

omnium eloquentiſsimi, neque tum cauſæ ſingulæ defenderentur à pluribus, vt infra dicemus. PERFECTIVS, in facultate dicendi. Hinc Mucius Scæuola illum in dicendo ſemper Deum putauit, vt ait libro primo de Oratore. ERAT, αἰτιολογία, quare ſtatuat Craſſo nihil fieri potuiſſe perfectius. & videtur ita dicere, hæc in Craſſo fuiſſe, præter ea, quæ erant etiam in M. Antonio. SVMMA GRAVITAS, tanta, vt eius etiam ſermo teſtimonii autoritatem haberet, in oratione pro Fonteio. CVM GRAVITATE IVNCTVS, ſic de Q. Fabio Maximo in Catone: comitate condita grauitas. Craſſum vero libro ſecundo de Oratore venuſtiſsimum, vrbaniſsimum, grauiſsimum, & ſeueriſsimum ſimul eſſe contendit ita, vt illi ſalis, ſicut cæterarum rerum palma ſit deferenda. eius oratio erat faceta, vt paulo poſt, & libro primo de Officiis appellatur. FACETIARVM, ET VRBANITATIS, de quibus libro ſecundo de Oratore ſcribit, & Quintilianus libro ſexto cap. quarto, vbi facetum ad decorum, & elegantiam, vrbanum vero potius ad ſermonem refert. ORATORIVS, NON SCVRRILIS, vitandum eſt enim oratori vtrunque, ne aut ſcurrilis iocus ſit, aut inimicus, vt libro ſecundo de Oratore præcipitur. LEPOS, ſic libro primo de Officiis, erat L. Craſſo multus lepos, & infra: quo quidē videtur Antonius caruiſſe. nam Iulio Cæſari quaſi lampada libro ſecundo de Oratore tradidit, quum ad eum locum perueniſſet. SINE MOLESTIA, nam moleſti ſolent eſſe nimis diligentes, vt qui manum de tabula, quod aiunt, tollere neſciant. at Craſſus erat elegātium parciſsimus, paulo poſt: cuius ſententiæ erant ſine pigmentis, fucóque puerili, vt libro ſecundo de Oratore ſcriptum videbis. DILIGENS, contrà M. Antonius diligenter loquendi laude caruit, ſupra. ELEGANTIA, quæ tanta fuit, vt ad filias etiam peruenerit, infra. & ſanè M. Antonius libro ſecundo de Orat. putabat, illum omnia dicendi ornamēta habere. hinc Cic. lib. tertio de Oratore induxit illum hac ipſa de re diſputantem. DISSERENDO, diſputando. & Carneades, vt libro primo de Oratore ſcriptum eſt, dicere ſolebat, L. Craſſum in diſputando ſibi perpugnacem viſum fuiſſe. EXPLICATIO, quædam definitio. eſt enim definitio, vt ait ipſe libro primo de Oratore, earum rerum, quæ ſunt eius rei propriæ, quàm definire volumus, breuis, & circumſcripta quædam explicatio QVVM DE IVRE CIVILI, diſputaretur. quum de iure ciuili, inquit, diſputaretur, mira erat Craſsi explicatio. Ius enim ciuile definitione, genere, & partibus explicabat, vt libro primo de Oratore videre poteris: quod M. Antonius facere non poterat, qui, vt ſupra retulimus, ius ciuile nunquam didicerat: quum L. Craſſus ipſum à Q. Mucio Scæuola ſocero, & à Cælio Antipatro didiciſſet, vt libro primo de Oratore, & ſupra ſcriptum videmus. AEQVO, ET BONO, æquitate, quæ iuri ciuili reſpondet quodam modo, quòd in æquitate voluntas, in iure ſcriptum defendatur & quidem ſæpe ita, vt ſummum ius iniuria etiam in prouerbio dicatur. DISPVTARETVR, in aliqua cauſa, & oratione, vt à Cicerone in oratione potiſsimum pro Cæcinna diſputatur. ARGVMENTORVM, quibus rem ſuam probabat, & aduerſariorum argumenta, & rationes refellebat. SIMILITVDINVM, infra, & libro primo de Oratore vocat exempla, ſed in Topicis ipſe rem ſic explicat: ex eodem ſimilitudinis loco etiam exempla ſumuntur, vt Craſſus in Curiana cauſa exemplis plurimis eſt vſus. NAM, αἰτιολογία per comparationem, ſiue per ſimilitudinem, quum de ſimilitudinum copia loqueretur. MOVENDA, iudicibus, vt ipſi quoque coniecturam de rebus facerent. SEDANDA, comprimenda, vt de inuidia libro ſecundo de Oratore ipſe loquitur. SVSPICIONE, vt timoris, quod Cicero in oratione pro Milone poſtea fecit: aut alterius rei. EXCITANDA,

vt inuidia lib. ſecundo de Oratore. HABEBAT, habebat ipſe M. Antonius: qui libro ſecundo de Oratore ſic ait: tradẽmus etiam, quæ nos ſequi in dicendo, quæq. maxime ſpectare ſolemus. Docuit enim iam nos longa vita, vſúſq. rerum maximarum, vt quibus in rebus animi hominum mouerentur, teneremus. INTERPRETANDO, præſertim iure: nam Craſſus, vt ait ipſe libro primo de Oratore, hoc ſibi præſidium iam inde ab adoleſcentia compararat non ſolum ad cauſarum vſum, ſed etiam ad decus, atque ornamentum ſenectutis. Res tamen alias etiam poterat interpretari. DEFINIENDO, etiam iure, vt libro primo de Oratore ſe poſſe facere oſtendit: & ſi alias etiam res poterat definire. AEQVITATE, cuius patrocinium præſertim in cauſa M. Curii Craſſus arripuit, libro primo de Oratore. COPIOSIVS, hinc tam ſæpe in eo fuiſſe argumentorum, & ſimilitudinum copiam dicit. CENTVMVIROS, quos populus Romanus voluit de priuatis hæreditatibus iudicare, vt ait in oratione ſecunda contra Rullum: quamuis de aliis etiam rebus iudicarent, vt lib. primo de Oratore cognoſcimus: de quibus in Dialogo de Oratoribus Cornelius Tacitus ita ſcribit: cauſæ centumuirales, quæ nunc primũ obtinent locum, adeo ſplendore aliorum iudiciorum obruebantur, vt neq. Ciceronis, neque Cæſaris, neque Bruti, neque Calui, non denique vllius magni oratoris liber apud Centumuiros dictus legatur. M. Marci, & Marcum Cicero vocat vbique, præterquam libro ſecundo de Oratore ſemel Maniũ, vt ſupra de M. Curio diximus. CVRII, qui, quod libro ſecundo de Oratore legimus, à Coponio fuit hæres inſtitutus: cuius aduerſarius poſtea fuit M. Coponius, vt infra dicetur. CAVSA, quæ, vt nos ex multis Ciceronis locis collegimus, fuit talis: Coponius quidam ſic hæredem inſtituit, vt ſi filius natus eſſet in decem menſibus, iſque mortuus prius, quàm in ſuam tutelam veniſſet, M. Curius ſecundus hæres hæreditatem obtineret. ſed quum filius non eſſet natus, & ob id ne mortuus quidem, M. Coponius vt teſtatoris propinquus hæreditatem ex ſcripto, quia ſcriptum erat, ſi natus, & mortuus eſſet, & neque natus, neque mortuus erat: M. vero Curius ex teſtatoris voluntate, quæ videbatur fuiſſe, vt ipſe ſecundus hæres eſſet, petebat. Itaq. Q. Mucius Scæuola Pontifex M. Coponii patronus hoc probare volebat, M. Curiũ, quum ita hæres inſtitutus eſſet, ſi pupillus ante mortuus eſſet, quàm in ſuam tutelam veniſſet, pupillo non nato hæredem eſſe non poſſe: L. vero Craſſus probauit, M. Curium, qui hæres inſtitutus eſſet ita, mortuo poſthumo filio, quum filius non modo non mortuus, ſed ne natus quidem eſſet, hæredem eſſe oportere. Hac de re Boëtius in Topicis ita ſcribit: Quidam prægnantem vxorem relinquens, ſcripſit hæredem poſthumum, eique etiam alium ſubſtituit ſecundum, qui Curius vocabatur, ea conditione, vt, ſi poſthumus, qui intra menſes decem proximos naſceretur, ante moreretur, quàm in ſuam tutelam perueniſſet, id eſt ante obiret diem, quàm teſtamentum iure facere poſſet, ſecundus hæres ſuccederet: quòd ſi ad id tempus perueniſſet, quo jam firmo iudicio in ſuam tutelam receptus, iure ciuili inſtituto poſſet hærede defungi, ſecundus hæres, id eſt Curius non ſuccederet: quæ vocatur ſubſtitutio pupillaris. quæſitum eſt, an valeret ita inſtituta ratio. Sed de rebus huiuſcemodi iuriſconſulti libro vigeſimo octauo Digeſtorum plura ſcribunt. ITA ENIM, αἰτιολογία. CONTRA, vt dicatur contra ſcriptum, & pro ſcripto, libro ſecundo de Inuentione, & libro ſecundo ad Herennium leges. SCRIPTVM, quod Scæuola defendebat, infra. PRO AEQVO, ET BONO, pro æquitate, cuius patrocinium Craſſus arripuit, vt ſupra retulimus. ACVTISSIMVM, peracutum, paulo poſt: & ingenio, prudentiáque acutiſsimum libro primo de Oratore vocat. Q. SCAEVOLAM, Q. Mucium Scæuolam

 Pontif.

Pontificem, de quo dicemus: nam de Q. Mucio Scæuola Augure ſupra diximus. IN IVRE, in iure ciuili. ILLA CAVSA, clariſsima M. Curii cauſa, & M. Coponii, libro primo de Oratore. VERTEBATVR, hinc Craſſus libro primo de Oratore ſic loquitur: num deſtitit vterq. noſtrum in ea cauſa, in autoritatibus, in exemplis, in teſtamentorum formulis, hoc eſt, in medio iure verſari? PARATISSIMVM, aliter peritiſsimum. vtrumques recte. certe libro primo de Oratore Scæuola omnium diſciplina iuris ciuili eruditiſſimus à L. Craſſo vocatur. OBRVERET, vt obruit ita, vt probarit, M. Curium hæredem eſſe oportere, quod in oratione pro Cæcina refertur. ARGVMENTORVM, EXEMPLORVMQVE COPIA, argumentorum, & ſimilitudinum copia, ſupra. HIS PATRONIS, L. Craſſo, & Q. Scæuola. AEQVALIBVS, vt libro primo de Oratore dicitur, & deinceps oſtendetur. CONSVLARIBVS, nam Conſules ſimul an. ab V. C. ſexcenteſimo quinquageſimo nono fuerunt: vnde L. Craſſus libro primo de Oratore Scæuolam æqualem, & collegam ſuum vocat. CAVSA ILLA, M. Curii, & M. Coponis. DICTA EST, magno hominum concurſu, & expectatione, libro primo de Oratore: & dicta paulo ante, quàm Cicero in forum veniret, vt inuenies in oratione pro Cæcina: quanquam à morte Craſsi ad id tempus, quo Cicero in forum ad dicendum venit, decem anni minimum numerantur. Craſſus certe libro primo de Oratore, ſe nuper eam defendiſſe dicit: & ſi Conſularis, vt hic dicitur, eam defendit, neceſſe eſt, paulo ante mortem defenderit: quando treis annos ſummum videtur vixiſſe Conſularis. VTERQVE, Craſſus, & Scæuola. DEFENDERET, quum vterque in medio iure ciuili verſaretur, libro primo de Oratore: & Q. quidem Scæuola multa de autoritate patris, qui ſemper ius illud eſſe defenderat: multa de conſeruando iure ciuili dixit, infra: & ob id libro primo de Oratore ab Antonio paterni iuris defenſor, & quaſi patrimonii ſui propugnator appellatur. Craſſus vero non ita cauſam egit, vt contra iuriſconſultos diceret, ſed vt hoc diceret, illud, quod Scæuola defendebat, non eſſe iuris, & in eam rem non ſolum rationes afferret, ſed etiam Q. Mucio ſocero ſuo, multiſque peritiſsimis hominibus autoribus vteretur, vt in oratione pro Cæcina refertur. ELOQVENTIVM IVRISPERITISSIMVS CRASSVS, IVRISPERITORVM ELOQVENTISSIMVS SCAEVOLA PVTARETVR, hoc totum Scæuolæ L. Craſſus lib. primo de Oratore tribuit. QVI QVIDEM, Scæuola. PERACVTVS, acutiſsimus, paulo ante. EXCOGITANDVM, vt quum excogitauit, naſci prius oportere, quàm emori: quod totum Craſſus illuſit, vt libro primo de Oratore dicitur. IN IVRE, in iure ciuili. AEQVO, æquitate. VERVM, rectum, iuſtum, vt epiſtola prima libri ſecundi ad Atticum oſtendimus. VERBIS, oratione, qua maxime limatus erat, atque ſubtilis, libro primo de Oratore. SVMMA BREVITATE, nam breuiter, & preſſe dicebat, infra. MIRABILITER APTVS, nam quum perite, & ſcienter, tum breuiter, & preſſe, & ſatis ornate, & pereleganter dicebat, infra. QVARE, quum talis fuerit Scæuola. SIT, Scæuola: INTERPRETANDI, excogitandi, quid in iure verũ aut eſſet, aut nõ eſſet, vt paulo ante dixit. EXPLANANDI, aliter explicandi. ET DISSERENDI, aliter ediſſerẽdi. MIRABILIS, quòd præter iuris ſcientiã, etiam dicendi copiam aſſumpſiſſet, libro primo de Oratore. VIDERIM, ego Cicero, qui auditor illius fui, vt ait in Lælio. IN AVGENDO, IN ORNANDO, vide ſupra, vbi de Ser. Galbæ digreſsione diximus. IN REFELLENDO, quæ contrà dicerentur: quæ pars eſt vna orationis. ADMIRANDVS, aliter mirabilis. REVERTAMVR, poſtquam ſumus ad Scæuolam digreſsi.

Tum Brutus, Etſi ſatis, inquit, mihi videbar habere cognitum Scæuolam ex iis rebus, quas audiebam ſæpe ex C. Rutilio, quo vtebatur propter familiaritatem Scæuolæ noſtri: tamen iſta mihi eius dicendi tanta laus nota non erat: itaque cepi voluptatem, tam ornatum virum, támque excellens ingenium fuiſſe in noſtra Repub. Hic ego, Noli, inquam, Brute exiſtimare his duobus quidquam fuiſſe in noſtra ciuitate præſtantius. nam vt paulo ante dixi conſultorum alterum diſertiſsimum, diſertorum alterum conſultiſsimum fuiſſe: ſic in reliquis rebus ita diſsimiles erant inter ſeſe, ſtatuere vt tamen non poſſes, vtrius te malles ſimiliorem. Craſſus erat elegantium parciſsimus, Scæuola parcorum elegantiſsimus. Craſſus in ſumma comitate habebat etiam ſeueritatis ſatis: Scæuolæ multa in ſeueritate non deerat tamen comitas. licet omnia hoc modo. ſed vereor, ne fingi videantur hæc, vt dicantur à me quodam modo. res ſe tamen ſic habet. cum omnis virtus ſit, vt veſtra Brute vetus Academia dixit, mediocritas: vterque horum medium quiddam volebat ſequi: ſed ita cadebat, vt alter ex alterius laude partem, vterque autem ſuam totam haberet. Tum Brutus, Cum ex tua oratione mihi videor, inquit, bene Craſſum, & Scæuolam cognouiſſe: tum de te, & de Ser. Sulpitio cogitans, eſſe quandam vobis cum illis ſimilitudinem iudico. Quonam, inquam, iſtuc modo? Quia mihi & tu videris, inquit, tantum iuris ciuilis ſcire voluiſſe, quantum ſatis eſſet oratori; & Seruius eloquentiæ tantum aſſumpſiſſe, vt ius ciuile facile poſsit tueri: ætatéſque veſtræ, vt illorum, nihil, aut non ferè multum differunt. Et ego, De me, inquam, dicere nihil eſt neceſſe: de Seruio autem & tu probe dicis, & ego dicam, quod ſentio. Non enim facile quem dixerim plus ſtudii, quàm illum, & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum diſciplinas adhibuiſſe. nam & in iiſdem exercitationibus ineunte ætate fuimus: & poſtea Rhodum vnà ille etiam profectus eſt, quo melior eſſet, & doctior: & inde vt rediit, videtur mihi in ſecunda arte primus eſſe maluiſſe, quàm in prima ſecundus. atque haud ſcio an par principibus eſſe potuiſſet: ſed fortaſſe maluit, id quod eſt adeptus, longe omnium non eiuſdem modo ætatis, ſed eorum etiam, qui fuiſſent, in iure ciuili eſſe princeps.

HABERE COGNITVM, cognouiſſe, vt paulo poſt quaſi interpretatur. Veteres autem ita ſæpe ſunt locuti. EX IIS REBVS, & ex orationibus, infra. C. RVTILIO, C. Rutilio neſcioquo. QVO, C. Rutilio. VTEBATVR, Q. Mucius Scæuola Pontifex. SCAEVOLAE NOSTRI, aliter Scæuolæ. hoc ait: Scæuola Pontifex vtebatur Rutilio propter familiaritatem,

quam

quam habebat cum altero Scæuola, quicunque is fuerit: quanquam locus non caret mendi ſuſpicione. EIVS, Scæuolæ Pontificis. NON ERAT, Scæuolæ dicendi laus nón erat nota mihi ante, quàm tu iſta nobis referres. CEPI, ex iſta relatione tua. HIS DVOBVS, L. Craſſo, & Q. Scæuola Pontifice. NAM, αἰτιολογία. DIXI, idem, quod ſequitur, ſed diuerſis verbis, & ordine. CONSVLTORVM, iuriſperitorum. ALTERVM, Scæuolam Pontificem. DISERTISSIMVM, eloquentiſsimum. DISERTORVM, eloquentium. ALTERVM, L. Craſſum. CONSVLTISSIMVM, iuriſperitiſsimum. FVISSE, & ita diſsimiles in eo quoque fuiſſe. RELIQVIS REBVS, quarum nonnullas ponit. NON POSSES, vſque adeo vterque in ſuo genere laudandus erat. PARCISSIMVS, quippe quòd in eo eſſet ſine moleſtia diligens elegantia, ſupra: & ſine vllo fuco veritatis color, infra. aliter peritiſsimus, ſed ita vereor, ne bis idem dicat. PARCORVM, aliter peritiſsimorum, male, vt puto. ELEGANTISSIMVS, hinc Brutus paulo poſt ait: Scæuolæ dicendi elegantiam ſatis ex iis orationibus, quas reliquit, habemus cognitam: & infra nihil illò elegantius eſſe dicitur. HABEBAT, habebat enim cum grauitate iunctum leporem, ſupra. LICET, licet dicere. OMNIA, res omnes illorum. HOC MODO, quo cœpi. A ME, vt oratore, & iuriſperito: atque L. Craſsi vt oratoris, & Scæuolæ vt iuriſconſulti, & mei præceptoris ſtudioſo. QVODAM MODO, oratorio quodam modo. OMNIS VIRTVS, Philoſophi, qui fuerunt à Platone, & Ariſtotele, dixerunt, omnes virtutes mediocritate quadam eſſe moderatas, vt ait in oratione pro Muræna: vt mittam, quæ libro ſecundo ad Nicomachum ſcribit Ariſtoteles. VESTRA, tua Brute, qui ſectam illam ſecutus es; ſupra. VETVS ACADEMIA, de qua ſupra diximus. HORVM, L. Craſsi, & Q. Scæuolæ Pontificis. ALTER EX ALTERIVS LAVDE, Craſſus ex iure ciuili laude Scæuolæ, & Scæuola ex eloquentia laude Craſsi. SVAM TOTAM HABERET, Craſſus eloquentiam, Scæuola iuris ſcientiam. COGNOVISSE, cognitum habere, dixit ſupra. SER. SVLPICIO, Seruio Sulpicio Q. F. Lemonia Rufo, vt Philippica nona vocatur. ILLIS, L. Craſſo, & Q. Scæuola Pontifice. TANTVM, & tantum, vt iure dicere potueris in oratione pro Muræna: ſi mihi homini vehementer occupato ſtomachum moueritis, triduo me iuriſconſultum eſſe profitebor. SCIRE VOLVISSE, quum iuris ciuilis ſtudioſus multum operæ Scæuolis dabas, vt ait infra, & in Lælio. ORATORI, cui iuris ciuilis ſcientia ſit neceſſaria, vt libro primo de Oratore Craſſus oſtendit. ASSVMPSISSE, hinc ſcribit Pomponius iuriſconſultus, in cauſis orandis illum à principio primum locum, aut certe poſt M. Tullium obtinuiſſe. Vide quod infra dicitur. POSSIT TVERI, vt Scæuola tuebatur. ILLORVM, L. Craſsi, & Q. Scæuolæ Pontificis, quos æquales ſupra dixit. NIHIL, AVT NON FERE MVLTVM DIFFERVNT, nam Cicero, quod ſcribit ipſe, ſuo, id eſt quadrageſimo tertio ætatis anno Conſul fuit: & Ser. Sulpicius Conſulatum petiit, vt ſuo anno Conſul eſſet, id eſt anno, qui Ciceronis Conſulatum ſecutus eſt: ſed repulſam tulit, vt in oratione pro Muræna videmus. Itaque Cicero videtur anno duntaxat maior fuiſſe, ſi modo Ser. Sulpicius anno ſuo Prætor fuerat. NIHIL EST NECESSE, ne arroganter dicere videamur. NON ENIM αἰτιολογία; qua probat, quod dixit Brutus, & eodem tempore dicit ipſe, quid ſentiat. QVEM, aliquem. DIXERIM, aliter dixeris, recte, vt puto, vt ſic probet. probè dicis Brute, nō enim aliquem facile dixeris plus ſtudii ad diſciplinas adhibuiſſe. ILLVM, Ser. Sulpicium. BONARVM RERVM, aliter bonarum artium. NAM, αἰτιολογία αἰτιολογίας. IISDEM, quæ vero eſſent illa, infra de ſe loquens, ipſe dicit: vt

in omnium doctrinarum meditatione verſari, in Dialectica exerceri, ſic tamen, vt ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus eſſet. Declamabat enim Cicero, idque ſæpius græce, quàm latine. eadem faciebat Ser. Sulpicius. hinc ad eum Cicero ſcribens, ait: Te autem ab initio ætatis memoria teneo ſumme omnium doctrinarum ſtudioſum fuiſſe, omniáque, quæ à ſapientiſsimis ad bene viuendum tradita eſſent, ſummo ſtudio, curáque didiciſſe. RHODVM, quò ego veni, meque ad eundem, quem Romæ audiueram, Molonē applicaui, infra. QVO MELIOR ESSET, ET DOCTIOR, & propè mutaretur, vt ego quoque propè ſum mutatus, infra. INDE, Rhodo. IN SECVNDA ARTE, in iuris ſcientia, cui ſecundas etiam in oratione pro Muræna, & in Oratore tribuit, fortaſſe vt orator de facultate dicendi loquens, & hic de oratoribus ſcribens: lib. ſecūdo de Officiis certe vt Philoſophus iuris ciuilis ſcientiam anteponere videtur, & huic finitimam dicendi facultatem collocare. PRIMVS, αὐλικτῶν. ſic Cæſar malebat eſſe primus in oppidulo, quàm Romæ ſecundus. MALVISSE, præſertim quum audiuiſſet à Scæuola Pontifice, quod refert Pomponius, turpe eſſe patricio, & nobili viro, & cauſas oranti, ius, in quo verſaretur, ignorare. IN PRIMA, in prima arte, in eloquentia, quæ ſemper in Repub. Romana primas tenuit, vt ait in Oratore. SECVNDVS, poſt ipſum Ciceronē; vt ſcribit Pomponius: quanquam non credimus Ciceronem huc reſpexiſſe, ſed potius quaſi de more ſic locutum fuiſſe. PAR, in eloquentia. PRINCIPIBVS, oratoribus, vt Hortenſio, & aliis. POTVISSET, ſi voluiſſet. ESSE PRINCEPS, omnes enim, qui ex omni ætate hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, ſi vnum in locum conferantur, cum Ser. Sulpicio non ſunt comparandi, Philippica nona. Hunc ſignificauit libro ſecundo de Officiis his verbis: contigit, quum is eſſet, qui omnes ſuperiores, quibus honore par eſſet, ſcientia facile viciſſet: & libro primo de Legibus: hæc res quondam à multis claris viris, nunc ab vno ſumma autoritate viro, & ſcientia ſuſtinetūr.

Hic Brutus, Ain tu, inquit? etiam ne Q. Scæuolæ Seruium noſtrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute exiſtimo, iuris ciuilis magnum vſum & apud Scæuolam, & apud multos fuiſſe, artem in hoc vno: quod nunquam effeciſſet ipſius iuris ſciētia, niſi eam præterea didiciſſet artem, quæ doceret rem vniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambiguam primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera & falſa iudicarētur, & quæ quibus propoſitis eſſent, quæque non eſſent conſequentia. hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam quaſi lucem ad ea, quæ confuſe ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte, inquam, intelligis. ſed adiunxit etiam & literarum ſcientiam, & loquendi elegantiam: quæ ex ſcriptis eius, quorum ſimilia nulla ſunt, facillime perſpici poteſt. cúmque dicendi cauſa duobus peritiſsimis operam dediſſet, L. Lucilio Balbo, C. Aquilio Gallo: Galli hominis acuti & exercitati promptam in agendo, & in reſpondendo celeritatem ſubtilitate diligentiáque ſuperauit: Balbi docti & eruditi hominis in

nis in vtraq. re conſideratam tarditatem vicit, expediendis conficiendiſq. rebus.ſic & habet,quod vterq. eorum habuit:& expleuit, quod vtriq. defuit. itaq. vt Craſſus mihi videtur ſapientius feciſſe, quàm Scæuola: (hic enim cauſas ſtudioſe recipiebat, in quibus à Craſſo ſuperabatur: ille ſe conſuli volebat,ne qua in re inferior eſſet,quàm Scæuola)ſic Seruius ſapientiſsime. cum enim duæ ciuiles artes ac forenſes plurimum & laudis haberent,& gratiæ, perfecit, vt altera præſtare omnibus; ex altera tantum aſſumeret quantum eſſet & ad tuendum ius ciuile, & ad obtinendam conſularem dignitatem ſatis.

AIN TV, comici ſæpe ſic loquūtur. Q. SCAEVOLAE, Q. Scæuolæ Pōtifici, quē ſupra tantopere cōmendaſti:quemq. Craſſus lib. primo de Orat. omniū diſciplina iuris ciuilis eruditiſsimum vocauit. SERVIVM, Ser. Sulpicium. NOSTRVM, tibi Cic. amicū,vt in oratione pro Muræna, & lib. quarto Famil. cognoſcitur: & Attico, vt apparet epiſtola decima octaua libri decimi tertii Famil. & mihi propter Catonē auunculum meū, qui Murænam eius cauſā videtur accuſaſſe,vt in oratione pro Muræna leges:vel quia illum audiui,infra. ANTEPONIS? videris enim anteponere,quū ſic omnium principē vocas, vt ne Scæuolam quidem excipias. SIC ENIM, tacitæ reſponſionis ἀλλολογία. nam ſic reddit rationem perinde,ac ſi reſpondiſſet,ſe anteponere.& fortaſſe tacuit,ne quem offenderet. SCAEVOLAM, Scæuolam Pontificem. MVLTOS, vt M. Brutum, P. Scæuolam, P. Craſſum, P. Rutilium, Q. Scæuolam Augurem, & alios. ARTEM, quam L. Craſſus olim ſe adhibiturum lib. primo, & ſecundo de Oratore pollicetur. IN HOC VNO, in hoc vno iuriſconſulto Ser. Sulpicio. EFFECISSET, quod effecit,vt artē adipiſceretur,& vnus eſſet, qui quæ confuſa erāt, digereret. nulli enim fuerant, qui illa artificioſe digeſta generatim cōponerent,lib. primo de Orat. IVRIS, aliter iuris ciuilis. SCIENTIA, cognitione. DIDICISSET, Ser. Sulpicius. ARTEM, Dialecticam, quæ fuit extrinſecus adhibenda, lib. primo de Oratore:quam quidem deinceps περιφράσει quadam deſcribit,qua omnia penè illius munia complectitur. REM VNIVERSAM, genus, quod ſui ſimiles communione quadam,ſpecie autem differentes duas,aut plures complectitur partes:quod ipſe Cicero libro primo de Oratore ſcribit,vt Dialecticos, & alios, qui de genere loquūtur,mittamus. TRIBVERE, diuidere, διαιρεῖσθαι, vt dicunt Græci,& pręſertim Plato,qui in Sophiſta hoc idem ſic propè dicit: τὸ κατὰ γένη διαιρεῖσθαι, καὶ μήτε ταὐτὸν εἶδος ἕτερον ἡγήσασθαι, μήτε ἕτερον ὂν ταὐτόν, μῶν οὐ τῆς διαλεκτικῆς φήσομεν ἐπιστήμης εἶναι; PARTES, quæ generibus iis, ex quib. emanāt,ſubiiciūtur,vt lib. primo de Orat. dicit. nec dubito, quin Cic. quū Plat. verba paulo ante à nobis relata, nunc videatur exprimere, per partes ſpecies, ſiue formas ſignificet:quamuis in Topicis neget formas idē eſſe, quod partes:ſed Boëtius interpretatur,ſpecies ſępe partes, partes vero nūquā ſpecies appellari:vt iam poſsimus affirmare, hic ſpecies partes appellari:quāquā poteſt etiam partes vere dicere,vt in Orat. hac eadē de re loquēs, dicit, pręſertim quū paulo ante rē vniuerſam dixerit: vbi ſi genus poſuiſſet, hic etiā fortaſſe ſpecies diceret. LATENTEM EXPLICARE DEFINIENDO, περίφρασις quędā definitionis, quæ in Topicis dicitur oratio, quæ id, quod definitur, explicat, quid ſit: ne, quę vel ab ipſo Cic. lib. primo de Orat. & alibi, vel à Philoſophis de hac ipſa definitione dicūtur, hac cōgeramus: illud nemo dubitat, quin Dialecticæ ſit definire: quū Boëtius in Topicis ita dicat: omnis vis Logicæ diſciplinæ aut definit,

aut partitur, aut colligit:& Cic.Tuſculana quinta:differẽdi ratio rem definit: quanquã Rodulph.Agricola hoc ipſum putat ad eam partẽ Philoſophię, quæ ſit τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ, pertinere: ſed Plato libro ſeptimo de Rep.Dialecticæ tribuit. OBSCVRAM EXPLANARE INTERPRETANDO, perſpicuitatẽ quandã deſcribit,quę in verborum,ſententiarúmq. exornationibus vt eſt oratoris, ſic in ordine,diſpoſitionéq.rerũ pertinet ad Dialecticũ,vt Rodolph.Agricola de fine Dialecticæ loquẽs,docet:& cognoſcitur ex illa Cic.deſcriptione lib.ſecũdo de Finibus Dialectica cõtinet omnẽ perſpiciendi, quid in quaq. re ſit,ſcientiam. Perſpicere enim nõ poſſumus,niſi res obſcura explanetur. AMBIGVAM PRIMVM VIDERE, nam primo tradit ambiguorũ intelligentiã,vt ait lib. ſecũdo Academicarũ quæſtionum. Hinc M.Antonius lib.ſecũdo de Orat.ſic ait:ambiguorũ cõplura genera ſunt, quæ mihi videntur ii melius noſſe, qui Dialectici appellantur. DISTINGVERE, hæc enim diſciplina ambigua diſtinguit, vt in Oratore,& lib.primo de Finibus ait. REGVLAM, quam μέθοδον Ariſtoteles in principio Topicorũ vocat,hãc Cic.regulam,viam, artẽ, rationẽ,& ſcientiam, Boëtius vero,& Rodolphus Agricola formã argumentationis,& regulã ſolent appellare.Hanc vero Dialecticæ partẽ,quę veri,& falſi quaſi diſceptatrix,& iudex à Cic.dicitur, κριτικὴν Quintil.appellat, cũ pars altera τοπικὴ ab omnibus, pręſertim à Cic.dicatur.mitto nũc,quę Boëtius,& alii περὶ τῶν ἀναλυτικῶν ſcribũt. VERA, ET FALSA IVDICARENTVR, aliter vera, & falſa diiudicarentur. hinc lib.ſecũdo de Orat.Dialectica dicitur ars bene differendi,& vera,ac falſa diiudicãdi:& Tuſculana quinta,ratio,& ſcientia differẽdi, quæ vera,& falſa diiudicat. QVAE QVIBVS PROPOSITIS ESSENT, QVAEQVE NON ESSENT CONSEQVENTIA, Dialectica,inquit in Partitionibus,quibus poſitis quid ſequatur,diſtinguit,& iudicat:& Tuſculana quinta,ſequẽtia adiungit:& lib.ſecũdo Academicarũ quæſtionũ,iudicat, quid ſequatur quamq. rem, quid repugnet:& in Orat.cernit cõſequentia,repugnãtia videt:& lib.primo de Legibus,ars intelligẽdi,quid quamq. rem ſequatur,& quid ſit cuiq. cõtrariũ. HIC, Ser.Sulpicius. HANC ARTEM, Dialecticã,quam Cic.ferè ſemper artẽ vocat, quanquam lib.ſecundo de Orat.perſonæ ſeruiens, dubitare videatur,vt nos à principio,& ſupra,vbi de Tuberone loquitur,diximus. MAXIMAM, μεγίστην etiam Plato, ſed ἐπιστήμην, non τέχνην in Sophiſta vocat. AD EA, quæ ad ius pertinebant. CONFVSE, quòd nulli fuerãt,qui illa artificioſe digeſta generatim cõponerent,vt lib.primo de Orat.demõſtrat. AB ALIIS, ab aliis iuriſconſultis,& patronis. AVT RESPONDEBANTVR, AVT AGEBANTVR, quòd vero confuſe reſpõderentur,aut agerẽtur,in oratione pro Muræna docet:atq. hic penè deſcribit iuriſconſultũ, qui lib.primo de Oratore, is definitur, qui ſit & ad reſpõdendum,& ad agẽdum,& ad cauẽdum peritus:vnde reſpõſa,actiones,& cautiones ſolent appellari:ſed hic,& paulo poſt tertiam partem omittit, quòd forte in actione cautionẽ voluerit cõtineri. DIALECTICAM,interpretatur,quod ſupra pluribus verbis circũſcripſit. DICERE, ſignificare. INQVIT, inquit Brutus. INTELLIGIS, tu Brute. ADIVNXIT, Ser.Sulpicius. LITERARVM SCIENTIAM, literarũ cognitionẽ,vt lib.tertio de Orat.Hippiæ tribuit:Grãmaticã quamper literas ſolet ſignificare, vt,quum lib.tertio de Orat. ſcribit,literas ab Ariſtophane tractatas fuiſſe. LOQVENDI ELEGANTIAM, hinc Cic.εἰρωνευόμενος fortaſſe,quãuis id neget,ad ipſum ſcribit,ſe cedere ſcriptorum eius ſubtilitati,& elegãtiæ. EX SCRIPTIS, vt tribus orationib. de quibus etiã Quintil.lib.decimo cap.primo meminit,& aliis ſcriptis, quæ tũc extabãt.nũc duæ tantũ epiſtolæ reperiũtur. DICENDI, legendũ putamus, diſcendi: quòd peritis operã demus,vt diſcamus, non vt dicamus: diſcimus vero, vt poſtea etiam dicamus. PERITISSIMIS, iuris ciuilis. L. LVCILIO BALBO,

credi

credimus L. Lucilium, quem libro tertio Familiarium commendat, huius filium: Q. vero Lucilium Balbum, qui in libris de Natura Deorum loquitur, fratrem fuiſſe: atque Lucilios, poſt Lucilium poëtã, qui dicitur alumnus Aruncæ à Iuuenale, Romæ eſſe cœpiſſe: quicquid alii ſcribant. C. AQVILIO GALLO, quum C. Aquilius Gallus fuerit collega Ciceronis in Prætura, vt diximus, & ob id etiam Ciceronis, & Sulpicii æqualis, quæri poteſt, an idem Sulpicii præceptor eſſe potuerit. an potius pater Sulpicii præceptor, & filius Ciceronis collega: quod vt ſimile vero videatur, nihil tamen affirmamus, præſertim quum Pomponius oſtendat, Sulpicium iam grandem iuri operam dare cœpiſſe, ita, vt etiam filium audire potuerit. & filium dicimus, quoniam ſupra, vbi de lege Aquilia mentio facta eſt, oſtendimus duos Aquilios fuiſſe. quamuis recentiores ſcriptores vni omnia tribuant. Aquilios porrò Sex. Pompeius ſcribit ab aquilo id eſt nigro colore dictos fuiſſe: qui patricii videntur fuiſſe, quando C. Aquilius à Liuio libro ſecundo Conſul dicitur multo ante, quàm plebeii Conſules fierent: quamuis Vlpianus libro nono titulo ſecundo Digeſtorum ſcribat, legem Aquiliam ab Aquilio Tribuno plebis latam fuiſſe. nam ſi Aquilius Tribunus plebis fuit, certe plebeius fuit. Dicamus igitur, quod ſæpe diximus, duplicem gentem fuiſſe, vel Vlpianum eſſe deceptum. GALLI, C. Aquilii Galli, & inuertit ordinem propoſitionis, vt ſæpe facit. ACVTI, in definiendo, libro tertio de Officiis, & in cauendo, in oratione pro Cæcina. EXERCITATI, in iure ciuili, & iudiciis, in oratione pro Quintio, & epiſtola prima libri primi ad Atticum. PROMPTAM, hominis acuti promptam in agendo celeritatem. PROMPTAM IN AGENDO, aliter promptam, & paratam in agendo, quod ſequimur, vt paria paribus reſpondeant, hominis acuti promptam in agendo celeritatem: hominis exercitati paratam in reſpondendo celeritatem. IN AGENDO, ET IN RESPONDENDO, vt paulo ante diximus: ſed hic mutauit ordinem, vt omnia reſpónderent. CELERITATEM, celeritatem ingenii, quod in oratione pro Cæcina vt magnum commendat: ſic ingenii celeritatem ſupra de L. Bruto loquens, dixit. SVBTILITATE, hominis acuti promptam in agendo celeritatem ſubtilitate ſuperauit: quæ quidem ſubtilitas etiam in ſcriptis ipſius fuit, vt libro quarto Familiarium teſtatur. DILIGENTIAQVE, hominis exercitati paratam in reſpondendo celeritatem diligentia, id eſt, vt M. Antonius libro ſecundo de Oratore complectitur, cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, aſsiduitate, & labore ſuperauit. BALBI, L. Lucilii Balbi. DOCTI, ET ERVDITI, peritiſsimi, paulo ante. doctum vero, & eruditum Cicero ſæpe iungit. IN VTRAQVE RE, in agendo, & in reſpondendo. CONSIDERATAM, hoc verbo voluit oſtendere, tarditatem non fuiſſe prorſus naturalem, ſed eum ſolitum fuiſſe lente, quod aiunt, feſtinare. TARDITATEM, opponit celeritati κατ' ἀντίθετον. VICIT EXPEDIENDIS, CONFICIENDISQVE REBVS, vicit, quia maturius res expediebat, & conficiebat: quamuis ipſe quoque cunctator à M. Cælio libro octauo Familiarium vocetur. Poſſet etiam dici, vicit, quia magis etiam conſiderata tarditate faciebat: niſi, quod ſequitur, repugnaret. HABET, Ser. Sulpicius. VTERQVE EORVM HABVIT, Gallus quidem celeritatem, ſed Balbus tarditatem. EXPLEVIT, maturitatem quandam adhibuit, quæ videtur vtrique illorum defuiſſe: quum celer alter, alter tardus eſſet. CRASSVS, L. Craſſus orator. FECISSE, in eo, quod ſequitur. SCAEVOLA, Q. Mucius Scæuola Pontifex. HIC, Scæuola Põtifex, & reſpondet viciniori. ENIM, αἰτιολογία, κατὰ πλήρωσιν. CAVSAS, quaſcũq. RECIPIEBAT, defendẽdas, & ſic oratoris

partes agebat. SVPERABATVR, vt in cauſa M. Curii ſuperatus eſt, ſupra. Quũ videret igitur ſe in cauſis defendendis à Craſſo ſuperari, nõ ſatis ſapienter faciebat, eas quũ tam ſtudioſe recipiebat. ILLE, L. Craſſus. CONSVLI, de iure. VOLEBAT, aliter ſolebat. aliter nolebat, recte. nolebat Craſſus de iure reſpõdere: ne, quũ in orandis cauſis ſuperior eſſet, ſi de iure reſpõdiſſet, aliqua in re videri poſſet inferior Scæuola ipſo, qui diſciplina iuris ciuilis omnium eſſet eruditiſsimus. Malebat igitur Craſſus in arte dicendi primus, quàm in iure ciuili ſecũdus eſſe, vt Ser. Sulpicius cõtrà maluit in ſecunda primus, quàm in prima ſecũdus eſſe, vt ſupra dixit. SIC SERVIVS SAPIENTISSIME, ſic Ser. Sulpicius videtur ſapiẽtiſsime in eo, quod ſequitur, feciſſe. QVVM ENIM, εὐλογία, quòd Ser. Sulpicius ſapiẽtiſsime fecerit. DVAE, eloquentia, & iuris ciuilis ſciẽtia. in Oratore. CIVILES, ad res ciuiũ defendendas accommodatę: & videtur reſpicere ad id, quod Ariſtoteles lib. primo ad Nicomachũ ſcribit, eſſe τὴν πολιτικὴν, ὑφ' ἣν τὰς ἐντιμοτάτας τῶν δυνάμεων ὁρῶμεν οὖσας οἷον στρατηγικὴν, οἰκονομικὴν, καὶ ῥητορικήν. credimus & cum his iuris ſcientiã cenſeri. ARTES, nũc iuris ſcientiam, & eloquentiam artes vocat, quamuis dubitetur, vt de eloquentia diximus. Ariſtoteles certe in his, quæ paulo ante retulimus ῥητορικὴν inter δυνάμεις ponit. FORENSES, quæ in foro potiſsimũ exerceantur. LAVDIS, hinc eloquentia ſupra ſæpe laus eſt appellata: & iuris ciuilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio, vt libro ſecundo de Officiis ait, quicquid in oratione pro Muræna, cauſæ ſeruiẽs, dicat. GRATIAE, in eloquentia quidem ſemper plurimum fuit gratiæ, vt ait in Oratore, quũ plurimas pariat gratias, vt in oratione pro Murænadixit. In iure vero cauere, conſilio iuuare, atque hoc ſcientiæ genere prodeſſe quamplurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. Hæc enim opera grata multis eſt, & ad beneficiis aſtringendos homines accommodata, vt ait libro ſecundo de Officiis, quamuis aliter in Oratore, & in oratione pro Muræna dicat. PERFECIT, Ser. Sulpicius. VT ALTERA, vt iuris ciuilis cognitione, & ſcientia. PRAESTARET OMNIBVS, princeps omnium eſſet, vt ſupra dictum eſt. EX ALTERA, ex eloquentia. AD TVENDVM IVS CIVILE, ſupra. OBTINENDAM, adipiſcendã, conſequendam. ob hanc enim dicendi facultatem homines ſæpe etiam ignobiles Conſulatum ſunt conſecuti, in oratione pro Muræna: vel potius, obtinẽdam, tenendam, ſuſtinendam, & tuendam, atq. conſeruandam: vt neceſsitudinẽ obtinere, & conſeruare in epiſtolis ad Q. fratrem. ſic infra, Cn. Domitius Conſularem dignitatem tueretur: & ſupra, L. Paulus perſonã principis ciuis facile dicendo tuebatur: idẽ de Metello, & Silano etiam dixit. CONSVLAREM, nam Ser. Sulpicius Conſul an. ab V. C. ſeptingenteſimo tertio cum M. Claudio Marcello fuit.

Tum Brutus, Ita prorſus, inquit, & antea putabam. audiui enim nuper eum ſtudioſe, & frequenter Sami, cum ex eo, ius noſtrum Pontificium qua ex parte cum iure ciuili cõiunctum eſſet, vellem cognoſcere: & nunc meum iudicium multo magis confirmo teſtimonio & iudicio tuo; ſimul illud gaudeo, quòd & æqualitas veſtra, & pares honorũ gradus, & artium ſtudiorúmque quaſi finitima vicinitas tantũ abeſt ab obtrectatione, & inuidia, quæ ſolet lacerare pleroſque, vti ea nõ modo non exulcerare veſtrã gratiã, ſed etiam cõciliare videatur. quali enim te erga illũ perſpicio, tali illum in te voluntate iudicióq. cognoui. itaque doleo & illius

conſilio,

conſilio, & tua voce populum R. carere tandiu. quod cum per ſe dolendum eſt, tum multo magis conſideranti, ad quos iſta non tranſlata ſint, ſed neſcio quo pacto deuenerint. Hic Atticus, Dixeram, inquit, à principio, de Repub. vt ſileremus: itaq. faciamus: nam ſi iſto modo volumus ſingulas res deſiderare, non modo quærendi, ſed ne lugendi quidem finem reperiemus.

ITA, vt de Ser. Sulpicio dicis. AVDIVI ENIM, αἰτιολογία. NVPER, & ſi videtur penè ἀδιήκτον de tempore hoc ipſo diuinare, nos tamen coniicimus annum fuiſſe, quo Cæſar Conſul IIII. fuit, & bellum in Hiſpania cum Pompeii filiis geſsit: quo quidem anno Tullia Ciceronis deceſsit, & Brutus, ac Ser. Sulpicius in Aſia fuerunt. & Brutus quidem ita, vt inde literas conſolatorias, vt à principio dictum eſt, ad Ciceronē ſcripſerit: Ser. vero Sulpicius ſcripſit, quū ex Aſia rediiſſet: vt in eius literis cognoſces. Fieri potuit igitur, vt vel ſimul ex Aſia decedentes, Samum venerint: vel alter decedens, alter in Aſiam proficiſcens, Sami obuii ſint facti, & ita ſint collocuti. ſic etiam Marcellum Mitylenis Brutus vidit, vt infra dicitur. EVM, Ser. Sulpicium. SAMI, ſic libro quinto ad Atticum: multitudo mihi Sami præſto fuit: & Verrina ſexta, Iuno Sami violata: ſic Cretæ, poëta libro tertio: & Varro lib. primo de Agricultura: ſic Ithacæ, libro tertio de Officiis: ſic Siciliæ, Verrina ſexta: ſic Cypri, Cæſar libro tertio de Bello ciuili: vel potius Sami, vt Regii, Bononię, quòd Samos etiam ſit vrbs in oratione pro lege Manilia. & ſanè ſæpe vrbes nominibus ſuarum inſularum ſolent appellari. EO, Ser. Sulpicio. IVS NOSTRVM, quo quidem nos Romani vtimur: vel noſtrum, qui ſumus Pontifices. Brutus enim videtur Pontifex fuiſſe, quum Cicero ad eum illa verba ſcribat: Ciceronem noſtrum in veſtrū collegium cooptari volo. PONTIFICIVM, quod hodie canonicum vocant. CONIVNCTVM ESSET, vt hodie quoq. coniunctum eſt ita tamen, vt ſeparatim diſcatur: & ſæpe multi ſint iuris ciuilis peritiſsimi, qui ius Pontificium prorſus ignorent: contrà ius Pontificium nemo ferè diſcit, niſi prius ius ciuile aliqua ex parte intelligat, quamuis Pontificium profiteatur. MEVM IVDICIVM, de Ser. Sulpicio. TVO, qui de illo ita, vt dixiſti, iudices. AEQVALITAS, æqualitas ętatum, quæ nihil, aut non ferè multum differunt, vt ſupra diximus. PARES, nam fuit vterque Quæſtor, Aedilis, Prætor, & Conſul: vt de magiſtratibus Ciceronis infra dicetur: de magiſtratibus vero Ser. Sulpicii in orationē pro Muræna, & in epiſtolis Familiaribus refertur, quamuis Aedilitas potius ſignificetur, quàm dicatur. QVASI, mollit tranſlationem ab agris, domibus, & huiuſcemodi rebus ſumptam, quæ ſequitur. FINITIMA VICINITAS, quæ ſit inter eloquentiam, & ius ciuile tanta, quanta libro primo de Oratore à L. Craſſo demonſtratur. OBTRECTATIONE, ET INVIDIA, aliter obtrectatione inuidiæ: vt ſit, obtrectatione, quæ ex inuidia naſcitur. SOLET, quòd figulus figulo, vt aiunt, inuideat. LACERARE PLEROSQVE, carpere, & contumeliis inuidioſos multos lacerare: vel pleroſque lacerare, & exedere: vel vtrumq. ſimul facere: inuidia enim, vt ait Ouidius, lib. ſecundo Metamorphoſeos, carpítque, & carpitur vnà, ſuppliciúmq. ſuū eſt. VTI, vt particulam hoc loco frequentius vſurpare ſolet. EA, vicinitas artium, & ſtudiorū. QVALI ENIM, αἰτιολογία, quare videatur conciliare. ILLVM, Ser. Sulpicium. PERSPICIO, audiens, te tam bene de illo ſentientem, & prædicantem. COGNOVI, fortaſſè Sami. paulo ante. ILLIVS CONSILIO, conſilio illius vt iuriſconſulti, qui conſultus reſpondet, & cōſilium dat. μερισμόν.

TVA VOCE, vt oratoris, cuius actioni, quæ in geſtum, & vocem diuiditur, primas, ſecundas, & tertias tribuit Demoſthenes, vt diximus. Brutus igitur conſilium Ser. Sulpicio vt iuriſconſulto, Ciceroni vero vt oratori vocem κατὰ μισθὸν tribuit. TANDIV, circiter annos quinque, quot ab initio belli ciuilis ad hoc tempus numerantur. CONSIDERANTI, mihi, vel potius cuilibet. AD QVOS, ad quàm ſceleſtos: & Cæſarianos ſignificat: quos Cicero nunquam homines putauit, epiſtola vigeſima ſecunda libri noni ad Atticum: & Brutus, reliquíque Pompeiani videre non poterant: Atticus vero νεκύιαν appellabat, vt libro nono ad Atticum leges. ISTA, Reſp. quæque ad Rempub. pertinent· NON TRANSLATA SINT, quod ſæpe ciues ſua ſponte faciunt, vt Romani, quum ad Decemuiros tranſtulerunt. Tranſlatio à ruſticis, qui ſuas arbores transferunt. Vt vero Rerump. mutationes fiant, Plato libro octauo de Repub. ſcripſit, & Theophraſtus, vt ex Cicerone didicimus. NESCIO QVO PACTO, ſeditione ciuili, & Pompeii, qui Romam deſeruit, imprudentia. DEVENERINT, & quaſi inciderint. DIXERAM, his verbis: eo ad te animo venimus, vt de Repub. eſſet ſilentiũ. NAM, αἰτιολογία quare ita ſit faciendum. ISTO MODO, quo tu Brute Ser. Sulpicii conſilium, & M. Tullii vocem deſideraſti. DESIDERARE, vt res amiſſas, quas ſolemus deſiderare. QVAERENDI, deſiderandi. aliter querendi. REPERIEMVS, non reperiemus finem, tanta eſt rerum amiſſarum multitudo.

Pergamus ergo, inquam, ad reliqua, & inſtitutum ordinem perſequamur. Paratus igitur veniebat Craſſus: expectabatur: audiebatur à principio ſtatim, quod erat apud eum ſemper accuratum: expectatione dignus videbatur: non multa iactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra ſupploſio pedis, vehemens & interdum irata & plena iuſti doloris oratio; multæ, & cum grauitate facetiæ; quódque difficile eſt, idem & perornatus, & perbreuis. iam in altercando inuenit parem neminem. verſatus eſt in omni ferè genere cauſarum. mature in locum principum oratorum venit. accuſauit C. Carbonem, eloquentiſsimum hominem, admodum adoleſcens: ſummam ingenii non laudem modo, ſed etiam admirationem eſt conſecutus. defendit poſtea Liciniam virginem, cum annos XXVII. natus eſſet: in ea ipſa cauſa fuit eloquentiſsimus, orationíſque eius ſcriptas quaſdam partes reliquit. voluit adoleſcens in colonia Narbonenſi cauſæ popularis aliquid attingere, eámq. coloniam, vt fecit, ipſe deducere. extat in eam legem ſenior, vt ita dicam, quàm illa ætas ferebat, oratio. multæ deinde cauſæ, ſed ita tacitus Tribunatus, vt, niſi in eo magiſtratu cœnauiſſet apud præconem Granium, ídque nobis narrauiſſet Lucilius, Tribunum pleb. neſciremus fuiſſe.

PERGAMVS ERGO, pergamus ergo, quum ſit de Repub. ſilendum. aliter pergamus, ego, vt ſit, ego inquam, pergamus ad reliqua. INSTITVTVM, vt oratorum genera diſtingueremus ætatibus, ſupra. PARATVS, vtis, qui quamuis non tam exiſtimari vellet non didiciſſe, quàm Rhetorum

præcepta

præcepta deſpicere, ea tamē in omni ſermone tractabat, vt nihil eſſe ei nouū, nihil inauditum videretur, vt lib. ſecundo de Orat. legitur: iccirco paratus ſemper videbatur, & ſi cauſas etiam meditabatur ita, vt ſemper paratus venire videretur contrà, atque Antonius, qui ſemper imparatus aggredi ad dicendum videbatur, ſupra. Quum L. igitur Craſſus paratus, meditatúſque ad dicendum veniret, libro ſecundo de Officiis, vbi de illo fit mentio, vel præmeditatum leges, vel impræmeditatum tolles. IGITVR, vt ad rem reuertamur. VENIEBAT, ad dicendum. CRASSVS, L. Craſſus. EXPECTABATVR, vt orator perfectus. Contingebat igitur illi, quod optat infra Cicero. Volo, inquit, hoc oratori contingat, vt, quum auditum ſit, eum eſſe dicturum, locus in ſubſelliis occupetur, compleatur tribunal, gratioſi ſcribæ ſint in dando, & cedendo loco, corona multiplex, iudex erectus. AVDIEBATVR A PRINCIPIO STATIM, nam, quum ſurgebat, ſignificabatur à corona ſilentium, vt optat infra. QVOD, quod principiū. EVM, L. Craſſum. ACCVRATVM, quale debet eſſe. nam, vt libro ſecundo de Oratore præcipitur, principia dicendi ſemper quum accurata, & acuta, & instructa ſententiis, apta verbis, tum vero cauſarum propria eſſe debent. EXPECTATIONE DSGNVS VIDEBATVR, quippe quem Mucius Scæuola Deum in dicendo ſemper putaret, vt libro primo de Oratore dicitur. NON MVLTA, non multa iactatio corporis, ſed modica, vt præcipit in Oratore, de actione loquens: nam multa iactatio reprehenditur, vt infra in Curione. NON INCLINATIO VOCIS, nam ſi inclinata, vlulantíque voce more Aſiatico canere cœpiſſet, quis eum ferret? aut quis potius non iuberet auferri? vt ait in Oratore: & Quintilianus libro vndecimo capite tertio ita ſcribit: ſint quædam non ita magnæ vocis declinationes. NVLLA INAMBVLATIO, nullus inceſſus, vt ſupra de Antonio diximus. Probatur tamen inceſſus, ſi ſit rarus, vt ait in Oratore, & Quintilianus libro vndecimo capite tertio ita refert: conuenit etiam ambulatio quędam propter immodicas laudationum moras: item, ambulantem loqui ita demum oportet, ſi in cauſis publicis, in quibus ſunt multi iudices, quod dicimus, quaſi ſingulis inculcare peculiariter velimus. Craſſus tamen non ambulabat, vt libro tertio de Oratore, ſic de ſe loquens, oſtendit: Quibus veſtigiis primum inſtiti, in iis ferè ſoleo perorare. aliter nulla ambulatio. NON CREBRA, nam debet eſſe rara, vt ſupra de M. Antonio dictum eſt. SVPPLOSIO PEDIS, quam Sulpicius imitabatur, vt ſcriptum eſt libro tertio de Oratore. VEHEMENS, ET INTERDVM IRATA, ET PLENA IVSTI DOLORIS ORATIO, deſcribit τὸ παθητικὸν genus orationis, quod vehemens, incenſum, & incitatum eſt, vt in Oratore docet: quod M. Antonius item libro ſecundo de Oratore deſcribit, ſic cum L. ipſo Craſſo loquens: Hæc mehercule ego Craſſe quum à te tractantur in cauſis, horrere ſoleo, tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor, oculis, vultu, geſtu, digito denique iſto tuo ſignificari ſolet: tantum eſt flumen grauiſsimorum, optimorúmque verborum, tam integræ ſententiæ, tam veræ, tam nouæ, tam ſine pigmentis, fucóque puerili, vt mihi non ſolum tu incendere iudices, ſed ipſe ardere videaris. MVLTAE, ET CVM GRAVITATE FACETIAE, cum grauitate iunctus facetiarum, & vrbanitatis oratorius, non ſcurrilis lepos, ſupra. DIFFICILE EST, dum vis enim orationem ornare, neceſſe eſt, pluribus vtaris, & ita breuis eſſe non potes: quòd ſi contrà breuitati ſtudeas, periculum eſt, ne, quod ait Horatius, obſcurus fias, tantum abeſt, vt ornatus eſſe poſsis. IDEM, L. Craſſus. PERORNATVS, ita, vt, quod alibi etiam diximus, M. Antonius libro ſecundo de Oratore, ſic ſtatuat, & iudicet, neminem omnium tot, & tanta, quanta

fuerunt in Craſſo, habuiſſe ornamenta dicendi. PERBREVIS, ſic M. Antonius libro ſecundo de Oratore ait: breuis eſt L. Craſsi oratio, ſi tum eſt breuitas, quum tantum verborum eſt, quantum neceſſe eſt: & L. Craſſus ipſe libro primo de Oratore: neque grauabor breuiter meo more, quid quaque de re ſentiam, dicere. IN ALTERCANDO, in altercatione, de qua tanquam oratori neceſſaria Quintilianus libro ſexto capite quinto præcepta tradit: Cicero vero libro primo ad Atticum quandam quaſi formam altercationis deſcribit. IN OMNI FERE GENERE CAVSARVM, nam tria ſunt genera cauſarum, iudicii, deliberationis, laudationis: in quibus veriſimile eſt L. Craſſum oratorem tantum eſſe verſatũ: & ſi plurima etiam genera libro ſecundo de Officiis eſſe dicuntur, quæ eloquentiam deſiderẽt. MATVRE, nam mature etiam in forum venit: quare libro primo de Oratore ſic ait: ante ad agendum, quàm ad cognoſcendum venimus: & libro tertio, omnium maturrime ad publicas cauſas acceſsi: & libro ſecundo, puer in forũ veni. ACCVSAVIT, L. Cæcilio Metello, L. Aurelio Cotta Conſulibus: qui quidem annus Carbonis ipſius, quem accuſauit, Conſulatum eſt conſecutus. hoc cognoſces, ſi numerabis annos à Cępione Cõſule, quo anno Craſſus, vt infra dicitur, eſt natus, ad annum ipſius Craſsi vigeſimum primum, quo Carbonem accuſauit, vt dicemus. C. CARBONEM, de quo ſupra diximus. ELOQVENTISSIMVM, qualem ſupra deſcripſit. ADMODVM ADOLESCENS, ſic libro ſecundo de Officiis: adoleſcentulus libro primo de Oratore: annos natus vnum & viginti libro tertio de Oratore: quamuis Cornelius Tacitus in Dialogo de Oratoribus decimum nonum ætatis annum ſcripſiſſe videatur: quem viri etiam docti defendunt, & dicunt, eum per numerum XXI. ſcripſiſſe, & poſtea numerum ſic eſſe mutatum, XIX. verum quum ſtatim addat, Cæſarem anno vno & vigeſimo accuſaſſe, dixiſſet, opinor, eadem ætate, aut tale quid, aut ſimul vtrumque iunxiſſet. INGENII, cuius præſidiis erat munitus, quod Verrina quinta legimus. EST CONSECVTVS, non aliunde mutuatus eſt, ſed ſibi ipſe peperit, vt libro ſecundo de Officiis inuenies: mitto, quod Valerius Maximus libro ſexto capite quinto ſcribit, ſcrinium cum ſeruo ab eo Carboni remiſſum fuiſſe. atque hic Cicero dichoreo vſus eſt, quum de laude tanti oratoris loqueretur. Craſſus vero, quamuis tantam laudem eſſet conſecutus, ſe tamen nullius rei tam pœnitere dicebat, quàm quòd vnquam C. Carbonem in iudicium vocauiſſet, vt Verrina quinta ſcriptum, & cauſam relatam videmus. DEFENDIT, de inceſtu, vt ſupra Curionis pro Ser. Fuluio de inceſtu oratio nominatur. LICINIAM, vt propinquam: nam Craſſus erat Licinius: certe ſummo loco natã, & ſanctiſsimo ſacerdotio præditam, vt in oratione pro Domo dicitur, de inceſtu vero accuſatam. Lucius enim Veturius eques Romanus Aemiliam virginẽ Veſtalem furtiuo ſtupro polluit. Duas præterea virgines Veſtales eadem Aemilia ad participationem inceſti ſolicitatas contubernalibus ſui corruptoris expoſuit, ac tradidit. Videant tamẽ eruditi, an is fuerit T. Beturius, de quo poſt dicetur. Indicium per ſeruum eſt factum. hiſtoria legitur apud Paulum Oroſium libro quinto capite decimo quinto. Tunc igitur L. Craſſus, vt hic ait Cicero, Liciniam defendit. Itaque Aemilia condemnata eſt, & Licinia, ac Marcia ſunt abſolutæ: ſed quum Sex. Peduceus Tribunus plebis criminaretur L. Metellum Pontificem Maximum, totúmque collegium Põtificum male iudicaſſe de inceſtu virginum Veſtalium, quòd vnam modo Aemiliam damnarat, abſoluerat autem duas Marciam, & Liciniam, populus L. Caſsium creauit, qui de eiſdem virginibus quæreret: iſque & vtraſq. eas, & præterea complures alias, nimia etiam, vt exiſtimatio eſt, vſus aſperitate,

damna

damnauit. Hæc nos ex Aſconio, Liuio libro ſexageſimo tertio, & Oroſio libro quinto capite decimo quinto collegimus: quam rem ſupra loquentes de Curionis oratione nobili paucis indicauimus. QVVM ANNOS XXVII. NATVS ESSET. Cæcilio Metello, Papirio Carbone Conſulibus, an. ab V.C. ſexcenteſimo quadrageſimo primo, vt nos putamus. EIVS, quam tunc habuit. RELIQVIT, reliquit igitur eius orationis ſcriptas quaſdam partes, orationem de Colonia Narbonenſi, & alteram de Lege Seruilia, vt hic, lib. ſecundo de Oratore, & in oratione pro Cluentio Cicero teſtis eſt: defenſionem pro Q. Cæpione, & orationem in Cenſura habitam, vt infra videbimus: perpauca quædam, vt ait in Oratore: orationem, cuius verba quædam ponit Cicero Paradoxo quinto, & libro primo de Oratore: tam multa Craſſus, inquam, reliquit: & tamen Cicero in prooemio libri ſecundi de Oratore ſic ait: Craſſus admodum nihil ſcripti reliquit: quod vix ego defendi poſſe puto, quin pugnet: niſi forte ſic interpreteris: reliquit quidem multa Craſſus, ſed nihil, vnde prorſus, qualis, & quantus eſſet, cognoſci poſſet. Id enim ibi agit Cicero. Scio fore, qui dicant, Ciceronem tum, quum libros oratorios ſcripſit, nondum Craſsi orationes legiſſe, quas poſtea legerit prius, quàm Brutum conſcriberet. at libro ſecundo de Oratore duas Craſsi orationes nominat. Dicant potius Ciceronem vel hac in parte, ſi licet dicere, negligentem fuiſſe, vel ὑπερβολικῶς locutum, vt libro tertio de Oratore de Socrate, quem dicat literam nullam reliquiſſe, quum Diogenes in vita verſus illius ponat, & ipſemet apud Platonem in Phędone ſe quædam Aeſopi more ſcripſiſſe teſtetur. Placet mihi tamen ſic interpretari: nihil Craſſus ſcripſit, ſcilicet de arte, vt Antonius nihil orationis reliquit. Ait enim: Antonius non multum, quod quidem extet; & idipſum adoleſcens: Craſſus nihil admodum ſcripti reliquit. Contrà in Oratore: Craſsi perpauca ſunt, nihil Antonii: quòd in Oratore de orationibus, libro vero ſecundo de Oratore de arte loqui videatur. ADOLESCENS, annos duos & viginti natus, quotà Cæpione Conſule, quo tempore natus eſt Craſſus, ad M. Porcium Catonem, & Q. Marcium Regem Conſules, quo tempore Narbo deducta eſt colonia, vt Eutropius, & Paterculus ſcribunt, numerantur. COLONIA, ciuium Romanorum, vt in oratione pro Fonteio leges. Decumanorum, inquit Plinius libro tertio capite quarto: quòd, vt quidam volunt, milites decimæ legionis in eam coloniam ſint deducti. alii tamen putãt, à Cæſare Dictatore milites martiæ legionis in eam coloniam miſſos, & ob id Narbonem Martium à ſcriptoribus appellari: nec vident à Cicerone Marcium dici in oratione pro Fonteio, quæ dicta fuit multos annos ante, quàm Cæſar Dictator fieret. Nec me mouet, quod in Tiberio ſcribit Suetonius, Tiberii patrem ad eam coloniam deducendam miſſum fuiſſe. ſic enim interpretor. Prius à L. Craſſo deducta eſt colonia, & Narbo Marcius forte à Q. Marcio, qui tunc erat Conſul, appellata: deinde à Cæſare miſsis nouis colonis quaſi inſtaurata. CAVSAE POPVLARIS, vt eſt populare deducere colonos, & illis agros aſsignare, quod ex orationibus contra Rullum cognoſces. ALIQVID, non multum. nam poſtea partes optimatium ſecutus eſt, vt in prooemio libri tertii de Oratore patet. ATTINGERE, vt gratus eſſet populo, quum de autoritate ſenatus detraheret, quod in oratione pro Cluentio ſcriptum vidimus. EXTAT, extabat tunc; vt oſtendit etiam libro ſecundo de Oratore. IN EAM LEGEM, contra rogationem eam, quæ contra coloniam Narbonenſem ferebatur, vt ait in oratione pro Cluentio, vbi orationem Craſsi diſſuaſionem vocat. potuit tamen in eadem oratione rogationem contrariam diſſuadere, & Q. Marcii Conſulis, vt opinor, rogationem de Colonia Narbonenſi ſuadere: vt nos in-

terpretari poſsimus, in eam legem, pro ea lege, hoc eſt pro lege Marcia, vt infra loquitur: in legem Cæpionis oratio. SENIOR, ſtylo, & genere dicendi remiſsiori, & maturiori, quali ſenes vti ſolent, ſcripta. VT ITA DICAM, accipit veniam, quia ſenior oratio non dicitur neque ſatis proprie, neque ſecundum præcepta Grammaticorum, qui ſeniorem tantum maſculini generis, vt ipſi loquuntur, eſſe contendunt: quamuis Cicero libro ſecundo de legibus, vim & ætatem ſeniorem, & infra autoritatem ſeniorem, & Tibullus libro primo elegia ſexta fœminam ſenem dixerit. AETAS ILLA, duorum & viginti annorum, vt diximus. MVLTAE DEINDE CAVSAE, à L. Craſſo ſunt dictæ. TACITVS, de quo ſcriptum ſit nihil. & ita ſæpe loquuntur ſcriptores, vt etiam Grammatici cognouerunt. TRIBVNATVS, Tribunatus L. Licinii Craſsi. Vnde apparet Licinios plebeios fuiſſe, quanquam Liuius id etiam teſtatur, qui libro quinto ſcribit, P. Licinium Caluum primũ è plebe Tribunum Conſulari poteſtate creatum fuiſſe. COENAVISSET, L. Craſſus. PRAECONEM, hinc ille iocus in oratione pro Plancio: quum P. Naſica Conſul, edicto iuſtitio, domum deſcendens, Granium rogaſſet, quid triſtis eſſet: an quòd auctiones eſſent? imò vero, inquit, quòd legiones. Granius enim præco erat, cuius voce in auctionibus vtebantur, & Naſica Conſul delectum habebat. GRANIVM, Q. Granium, infra: quo nemo fuit dicacior, vt libro ſecundo de Oratore deſcribitur. is L. Craſsi, & M. Antonii voluntatem aſperioribus facetiis ſæpe perſtrinxit impune, vt in oratione pro Plancio ſcribitur: quamuis illorum eſſet familiaris, vt hic cognoſcitur, & libro ſecundo de Oratore dicitur. is eſt Granius, de quo nos multa Lucilius, vt ait infra, ſcripſit, & induxit illum dicentem illud, quod nos epiſtola tertia libri ſexti ad Atticum correximus: non contemnere ſe, & reges odiſſe ſuperbos. ſcripſit & illud Lucilius, quod apud Gellium libro quarto capite decimoſeptimo leges hoc modo: conicere in verſus dictum Præconis volebam Granii. NOBIS NARRAVISSET, aliter nobis bis narrauiſſet, idque fortaſſe recte, vt ita dicat: Lucilius poëta in ſuis ſcriptis id bis ita ſcripſit, vt nobis legentibus narrare videatur, vt epiſtola decima libri ſecundi Familiariũ: Clitarchus tibi ſæpe narrauit. nec aliter interpretari potes, ſi Lucilius is eſt poëta, qui, vt ex ſcriptis Euſebii colliges, vixdum nato Cicerone deceſsit ita, vt præſens præſenti narrare non potuerit: & tamen veriſimile eſt, poëtam ſignificari, qui de Granio tam multa, vt infra dicitur, ſcripſerit. Si quis tamen L. Lucilium Balbum, de quo dictũ eſt ſupra, aut alium ſignificari putat, haud equidem ſcio, quid poſsim contradicere. LVCILIVS, C. Lucilius poëta, de quo libro ſecundo de Oratore neſcio quid ſcribitur: vel L. Lucilius Balbus, vt diximus. aliter Lucinius. TRIBVNVM PLEB. NESCIREMVS FVISSE, L. Craſſum.

Ita prorſus, inquit Brutus. ſed ne de Scæuolæ quidem Tribunatu quidquam audiuiſſe videor, & eum collegam Craſsi credo fuiſſe. Omnibus quidem aliis, inquam, in magiſtratibus, ſed Tribunus anno poſt fuit, eóque in roſtris ſedente ſuaſit Seruiliam legem Craſſus. nam Cenſuram ſine Scæuola geſsit. eum enim magiſtratum nemo vnquam Scæuolarum petiuit. ſed hæc Craſsi cum edita oratio eſt, quam te ſæpe legiſſe certo ſcio, quatuor & triginta tum habebat annos, totidémque annis mihi ætate præſtabat. iis enim Conſulibus eam legem ſuaſit, quibus nati

ſumus,

ſumus, cum ipſe eſſet Q. Cæpione Conſule natus, & C. Lælio, triennio ipſo minor, quàm Antonius. quod idcirco poſui, vt, dicendi Latine prima maturitas in qua ætate extitiſſet, poſſet notari; & intelligeretur iam ad ſummum penè eſſe perductam, vt eo nihil ferme quiſquam addere poſſet, niſi qui à philoſophia, à iure ciuili, ab hiſtoria fuiſſet inſtructior. Erit, inquit M. Brutus, aut iam eſt iſte, quem expectas? Neſcio, inquam. ſed eſt etiam L. Craſsi in Conſulatu pro Q. Cæpione, defenſione iuncta, non breuis, vt laudatio, vt oratio autem, breuis, poſtrema Cenſoris oratio, qua anno duodequinquageſimo vſus eſt. in his omnibus ineſt quidam ſine vllo fuco veritatis color. quin etiam comprehenſio, & ambitus ille verborum (ſi ſic periodum appellari placet) erat apud illum contractus, & breuis, & in membra quædam, quæ κῶλα Græci vocant, diſpertiebat orationem lubentius.

SCAEVOLAE, Q. Mutii Scæuolæ Pontificis. EVM, Scæuolam. COLLEGAM, in Tribunatu. CREDO, & ex eo coniicio, quòd in aliis magiſtratibus collega fuit. OMNIBVS, Quæſtura, vnde Quæſtor Craſſus ex Macedonia venit Athenas, libro primo de Oratore: & Quæſtor in Aſia fuit, libro tertio de Oratore: vel ex Aſia per Macedoniam venit Athenas, vt fieri poterat, vt epiſtola octaua libri tertii ad Atticum cognoſcitur. Nec à foro vnquam diutius, quàm Quæſtor abfuit, libro ſecundo de Oratore. fuit etiã, vt puto, Quæſtor vrbanus Aedilitate, qua cum omnium hominum moderatiſsimo Q. Mucio magnificentiſsime functus eſt, libro ſecũdo de Officiis. Prætura, cuius neſcio an apud Ciceronem mentio fiat. Conſulatu, de quo ſupra diximus, & infra, vbi de caſtellanis triumphis agit, dicemus. In his omnibus magiſtratibus Q. Scæuola Pontifex L. Craſsi collega fuit, quamuis eius magiſtratus in ſcriptis, quæ nunc extant, raro nominentur, præter Conſulatum, in quo dicitur à Valerio Maximo libro octauo cap. decimo ſexto Aſiam tam ſancte, & tam fortiter obtinuiſſe, vt ſenatus deinceps in eam prouinciã ituris magiſtratibus exemplum, atque formam officii Scæuolam decreto ſuo proponeret: qua tamen de re nos ſupra dubitauimus. QVIDEM, vt tu Brute coniicere videris. IN MAGISTRATIBVS, L. Craſsi collega fuit. TRIBVNVS, Tribunus plebis. ANNO POST, anno poſt L. Craſſum Tribunũ plebis, FVIT, Scæuola. EOQVE, Q. Scæuola Pontifice. ROSTRIS, ex quibus agebatur cum populo: quem locum ad agendum ampliſsimum, & ad dicendum ornatiſsimum in oratione pro lege Manilia vocat. SEDENTE, vt Tribuno plebis, qui plebi poſſet, ſi forte opus fuiſſet, auxilium ferre: cuius rei ergò Tribuni plebis creabantur, vt libro tertio de Legibus oſtenditur: vel ſedente, hoc eſt, præſente, vt illud libro primo Familiarium Cn. Pompeio ſedente. SVASIT, hinc infra, & in oratione pro Cluentio ſuaſionem legis Seruiliæ vocat. SERVILIAM LEGEM, legem Q. Seruilii Cæpionis, paulo poſt. CRASSVS, L. Craſſus. SINE SCAEVOLA, cum quo reliquos magiſtratus, præter Tribunatum, geſsit. Fuit quidem Craſſus augur etiam ſine Scæuola, vt libro primo de Oratore loquens Augur Scæuola demonſtrat, ſed Auguratus in hiſce magiſtratibus non ſolet numerari. GESSIT, geſsit vero cum Cn. Domitio Aenobarbo, paulo poſt. EVM ENIM MAGISTRA-

TVM, Cenſuram. & eſt ἀνακολουθία, quare ſine Scæuola geſſerit Cenſurã. PETIVIT, Liuius tamen libro quadrageſimo tertio ſcribit, P. Mucium Scæuolam Cenſuram petiſſe, quamuis repulſam tulerit. HAEC, qua Seruiliam legem ſuaſit. LEGISSE, quòd in illa oratione multa grauiter, multa leniter, multa aſpere, multa facete dicta ſint, infra. QVATVOR ET TRIGINTA, tot enim numerãtur. TVM, C. Atilio Serrano, Q. Seruilio Cæpione Conſulibus, vt nos putamus, & Gellius libro decimo quinto capite vigeſimo octauo, quamuis ibi Q. Atilium ſcriptum videamus. TOTIDEMQVE ANNIS, quatuor, & triginta. MIHI AETATE PRAESTABAT, me natu maior erat. HIS ENIM CONSVLIBVS, C. Atilio Serrano, Q. Seruilio Cæpione, vt diximus: ἀνακολουθία. EAM LEGEM, Seruiliam. NATI SVMVS, aliud agens Cicero, vel ſimulans agere, ſuum etiam negotium agit, & vitam ſuam penè totam in hoc Dialogo paucis, ſed diuerſis locis, ne res ita facile cognoſcatur, deſcribit. Quare nos quoque ſuis locis ea, quæ deeſſe videbũtur, addemus, præſertim quum vitam illius ab aliis negligenter ſcriptam videamus. Ortus eſt igitur Cicero loco equeſtri, vt ſupra diximus, matre, quam Plutarchus ὀλβίαν vocat, quamuis aliqui locupletem vertant: quam tamen Heluiam, vel Eluiam Euſebius, & Eutropius appellant: patre vero M. Tullio, qui quum eſſet infirma valetudine, in Arpinati villa ferè ætatem egit in literis, libro ſecundo de Legibus: &, quum Cicero Conſulatum peteret, deceſsit, quod libro primo ad Atticum, & apud Aſconium ſcriptum videbis: Plutarchus tamen ita ſcribit: περὶ δὲ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ἦν πυθέσθαι μέτριον. οἱ μὲν γὰρ ἐν κναφείῳ τινὶ καὶ γενέσθαι, καὶ τραφῆναι τὸν ἄνδρα λέγουσιν: hoc Dion libro quadrageſimo ſexto dixit. Vt vero ſcribit ipſe libro ſecundo de Legibus, natus eſt in Arpinati villa, III. Non. Ian. quod epiſtola quinta libri ſeptimi, & epiſtola quadrageſima prima libri decimi tertii ad Atticum legimus: & maior natu Q. fratre fuit, vt epiſtola quarta libri primi, & epiſtola nona libri vndecimi ad Atticum cognoſces. An vero prodigium de virgine icta fulmine, quod Eutropius refert, ad Ciceronem pertineat, docti iudicabunt. IPSE, L. Licinius Craſſus. Q. CAEPIONE, Q. Seruilio Cæpione, de quo ſupra diximus: ſed quum Cicero ipſe, & alii ſcriptores ſoleant Conſules hoc modo iungere: Q. Cæpione, C. Lælio Conſulibus: credere poſſumus, Ciceronem hoc loco dedita opera ſeparaſſe, vt hoc quaſi ſigno admoneret, penè fatum fuiſſe, vt vterque Craſſus, & Cicero ipſe Conſule nominis eiuſdem, hoc eſt, Q. Seruilio Cæpione, tam diuerſo tempore naſcerentur. Alia cauſa eſt, cur infra dicat, Sylla Conſule, & Pompeio, vt ibi dicemus. CONSVLE, an. ab V. C. ſexcenteſimo decimo quarto. C. LAELIO, de quo diximus. TRIENNIO IPSO, triennio integro. Ita vero ſæpe loquitur Cicero, vt epiſtola vigeſima prima libri tertii ad Atticum collegimus. Quare nihil forte mutandum fuerat libro ſecundo de Oratore, vbi prius, quadriennio, legebatur: quòd triennium fuerit integrum, ſed quadriennium minus integrum. MINOR, ſic libro ſecundo de Orarore. ANTONIVS, M. Antonius, qui libro ſecundo de Oratore hoc idem affirmat. QVOD, quam rem, quod tempus. ICCIRCO POSVI, πρόληψις ne quis dicat, vt dicere poſsit, iccirco poſuiſſe, vt de ſe loqueretur. PRIMA MATVRITAS, quamuis enim quædam Latini ſermonis inregritas in Catulo, vt dixit ſupra, fuerit, nondum tamen erat illa maturitas, quæ paulo poſt in Craſſo fuit. POSSET NOTARI, poſſet cognoſci hac Conſulum, & temporis notatione. IAM, iam tum, quũ L. Craſſus viueret. EO, ad eam maturitatem. NIHIL FERME QVISQVAM ADDERE POSSET, ſic libro primo de Oratore: paulum hic aliquid poterit addere. NISI QVI, quæ ſequuntur, ita dicit, vt, quod etiam Brutus intellexit, de

xit, de ſe dicere voluiſſe videatur. A PHILOSOPHIA, ad quam admirabili quodam ſtudio incitatus Cic. ſe totum Philoni tradidit, infra. A IVRE CIVILI, cuius tantum ſcire voluit Cicero, quantum ſatis eſſet oratori, ſupra. AB HISTORIA, cuius ita peritus Cicero fuit, vt ab eo poſtularetur, vel potius flagitaretur, libro primo de Legibus. AVT, quaſi correctio. & hæc particula videtur oſtendere, legendum eſſe ſine interrogatione: quòd affirmet, non quærat: & affirmans, eum ſignificat eſſe Ciceronem, vt M. Antonius libro primo de Oratore eodem penè modo ita quaſi diuinat: qui eloquens dici poſsit, aut hic èſt iam Craſſus: aut ſi quis pari fuerit ingenio, pluráque, quàm hic, & audierit, & lectitarit, & ſcripſerit. Per me tamen licet, vt quiuis cum interrogatíone legat, præſertim quum Cicero quaſi rogatus reſpondeat. ISTE, orator. NESCIO, futurus ſit, an ſit iſte orator. SED, ad rem reditus. ETIAM, præter ea, quæ diximus. IN CONSVLATV, quo tempore Q. Cæpio fuit condemnatus, quamuis Liuius libro ſexageſimo ſeptimo ſcribat illum ante ſecundum C. Marii Conſulatum damnatum fuiſſe. Sed vel Liuius errauit, vel Florus ordinem mutauit. Nos certe colligimus illum L. Craſſo Conſule in iudicium vocatum fuiſſe: & ita colligimus: C. Norbanus Tribunus plebis ipſum Q. Cæpionem accuſauit, vt libro ſecundo de Oratore videre licet: Tribunus vero plebis eſſe non potuit, niſi aliquot annis poſt Conſulatum M. Antonii. cuius Quæſtor fuiſſet, vt libro ſecundo de Oratore dicitur. at L. Craſſus triennio poſt M. Antonium Conſul fuit. M. item Antonius Norbanum Cenſorius defendit, vt ex libro ſecundo de Oratore conſtat. Cenſorius vero eſſe vix potuit, niſi duobus annis minimum poſt Craſsi Conſulatum. Itaque res ſic optime quadrat: L. Craſſo Conſule Norbanus Cæpioné accuſauit, & ipſe Norbanus finito Tribunatu à Sulpicio fuit in iudicium vocatus, quem M. Antonius Cenſorius defendit. Sunt, qui putét, hic legi oportere, in Cenſura, ſed quum paulo poſt dicat, poſtrema Cenſoris oratio, non probatur, ne bis idem dicat. Q. CAEPIONE, Q. Seruilio Cæpione, de quo diximus: cuius legem Craſſus ſuàſit. DEFENSIONE, defendebant autem Q. Cæpionem de amiſsione exercitus, culpam in fortunam transferentes, libro primo ad Herennium. NON BREVIS, ſatis longa, λιτότης, & [illegible], quum paulo poſt ſequatur breuis. LAVDATIO, talis, qualis in iudicio dari ſolebat à laudatoribus. In iudiciis enim rei laudatores dabant, ſed qui decem dare non poterat, honeſtius erat ei nullum dare, quàm illum quaſi legitimum numerũ conſuetudinis non explere, vt ait Verrina ſeptima. CENSORIS ORATIO, L. Craſsi ipſius Cenſoris oratio: Cenſoria oratio, paulo poſt. DVODEQVINQVAGESIMO, quadrageſimo octauo: quem Craſſus agebat P. Claudio, M. Perpenna Coſs. VSVS EST, contra Cn. Domitium collegam, vt paulo poſt dicetur. IN HIS OMNIBVS, orationibus Craſsi. SINE VLLO FVCO, ſine pigmentis, fucóque puerili, lib. ſecundo de Orat. VERITATIS COLOR, nõ fucatus nitor, ſupra. tranſlatio à fœminis, ab his præſertim, quæ fucũ ſæpe, quod dicitur, faciũt. COMPREHENSIO, ET AMBITVS, vide ſupra, vbi de M. Antonio diximus. PERIODVM, περίοδον in Orat. ſcribit. APPELLARI PLACET, aliter appellare placet. ILLVM, L. Craſſum, qui lib. tertio de Orat. cõplexionem verborũ, quæ volui vno ſpiritu poſſet, longiſsimã iudicauit. CONTRACTVS, ET BREVIS, debet enim eſſe neq. breuior, quàm ſatis eſt, neq. lõgior, vt ait in Orat. ΚΩΛΑ, in Orat. vbi docet, quæ ſint κῶλα, quę κόμματα, de quibus Ariſtoteles, Demetrius Phalereus, & Aquila Romanus, præter alios, ſcripſerunt. DISPERTIEBAT, ſic enim plerũq. dicebat: idq. genus dicẽdi Cic. maxime probabat, vt ait in Orat.

Hoc loco Brutus, Quandoquidem tu iſtos oratores, inquit, tantopere laudas, vellem aliquid Antonio præter illum de ratione dicendi ſanè exilem libellum, plura Craſſo libuiſſet ſcribere: cum enim omnibus memoriam ſui, tum etiam diſciplinam dicendi nobis reliquiſſent. Nam Scæuolæ dicendi elegantiam ſatis ex iis orationibus, quas reliquit, habemus cognitam. Et ego, Mihi quidem à pueritia quaſi magiſtra fuit, inquam, illa in legem Cæpionis oratio: in qua & auctoritas ornatur ſenatus, quo pro ordine illa dicuntur; & inuidia concitatur in iudicum, & accuſatorum factionem, contra quorum potentiam populariter, tum dicendum fuit. multa in illa oratione grauiter, multa leniter, multa aſpere, multa facete dicta ſunt: plura etiam dicta, quàm ſcripta: quod ex quibuſdam capitibus expoſitis, nec explicatis intelligi poteſt. Ipſa illa cenſoria contra Cn. Domitium collegam non eſt oratio, ſed quaſi capita rerum, & orationis commentarium paulo plenius: nulla eſt enim altercatio clamoribus vnquam habita maioribus: & uero fuit in hoc & popularis dictio excellens. Antonii genus dicendi multo aptius iudiciis, quàm concionibus.

HOC LOCO BRVTVS, dixit. ISTOS ORATORES, M. Antonium, & L. Craſſum. ANTONIO, M. Antonio. ILLVM, qui illo imprudente, & inuito excidit, & in manus hominum peruenit, libro primo de Oratore. DE RATIONE DICENDI, de Rhetorica. SANE EXILEM, vnum, in Oratore: non multum ſcripti reliquit, idque adoleſcens, libro ſecundo de Oratore. LIBELLVM, in quo ſcripſit, diſertos ſe vidiſſe multos, eloquentem omnino neminem, in Oratore, & libro primo de Oratore. PLVRA, quàm ſcripſit. LIBVISSET, nam ſi libuiſſet, ſcripſiſſent, quum tales eſſent, vt poſſent ſcribere: ſed non libuit illis, & præſertim M. Antonio qui nullam vnquam ſcripſit orationem. QVVM ENIM, αἰτιολογία. OMNIBVS, qui ſcripta illorum legiſſent. MEMORIAM SVI, quæ iam propemodum conſenuiſſet, niſi tu Cicero illam libris oratoriis immortalem reddidiſſes, libro ſecundo de Oratore. DISCIPLINAM DICENDI, quam nos ſequeremur, illorum ſcriptiones videntes. NOBIS, qui dicendi rationem ſectamur. RELIQVISSENT, ſi plura ſcribere voluiſſent. NAM, ratio, cur idem in Scæuola non requirat. SCAEVOLAE, Pontificis, ſupra. ELEGANTIAM, fuit enim Scæuola parcorum elegantiſsimus, ſupra. Hic Scæuola, vt pauca quædam de ipſo repetamus, P. Scæuolæ filius fuit, infra: quod etſi difficile cognoſcitur, tu tamen ita colliges: P. Licinius Craſſus, de quo ſupra diximus, P. Scæuolæ frater fuit, vt ibi demonſtratum eſt. Porrò Scæuola Pontifex huius P. Scæuolæ fratris filius fuit, vt L. Craſſus lib. primo de Orat. dicit. Quare dubium non eſt, quin is ſignificetur lib. tertio de Officiis illis verbis: Q. Scæuola P. F. quũ poſtulaſſet, vt ſibi fundus, cuius emptor erat, ſemel indicaretur, idq. venditor ita feciſſet, dixit, ſe pluris æſtimare, & addidit centum millia. Hic eſt ille, vt ſupra in Scæuola Augure diximus, quẽ Fimbria vulnerauit, in oratione pro Roſcio Amerino: quẽ poſtea Damaſippus interfecit velut fauẽtem Syllę partibus, & quidẽ ante ſimulachrũ Veſtę Carbone III. Mario filio

Conſu

Conſulibus: quod Paterculus libro ſecundo, & Oroſius libro quinto capite decimo nono ſcribunt. Damaſippus igitur, non Damaſcius legi debet apud Liuium libro octuageſimo ſexto: quem Brutum vocat Appianus, ſed Florus nomen tacet. Cicero igitur lib. tertio de Natura Deorum Scæuolæ mortem ſic deflet: temperantiæ, prudentiæq. ſpecimen ante ſimulachrum Veſtæ Pontifex maximus eſt Q. Scæuola trucidatus: & libro tertio de Oratore: neque Craſſus collegæ ſui Pontificis maximi ſanguine ſimulachrum Veſtæ reſperſum eſſe vidit. an is in prouinciam ſit profectus, ſupra, vbi de Rutilii accuſatione loquitur, quæſiuimus. ET EGO, dixi. MIHI QVIDEM, ſic pendet oratio: tu Brute ita dicis: ſi M. Antonius, & L. Craſſus plura ſcripſiſſent, diſciplinam dicendi nobis reliquiſſent: verum dicis. mihi quidem, & quæ ſequuntur. MAGISTRA, hinc Atticus infra Ciceroni ſic reſpondet. tu ſuaſionem legis Seruiliæ tibi magiſtram fuiſſe dicebas. LEGEM CAEPIONIS, legem Seruiliam, quam Q. Seruilius Cæpio Conſul tulit: qua, vt ſcribit Caſſiodorus, iudicia equitibus, & ſenatoribus communicauit: quam rem nos ſupra pluribus verbis explicauimus. hanc legem ſignificat in oratione pro Rabirio his verbis: hoc totidem verbis translatum caput eſt, quod fuit non modo in Cornelia, ſed etiam ante in lege Seruilia. Loquitur enim de iudiciis: quum in oratione vero pro Cornelio Balbo loquatur de rebus, quę non multum ad iudicia pertinere videantur, dubitari poteſt, an eadem ſit in illis verbis: num fundos igitur factos populos Latinos arbitramur aut Seruilia lege, aut cæteris, quibus Latinis hominibus erat propoſitum aliqua ex re præmium ciuitatis? Tulit & Seruilius Glaucia legem, de qua ſuo loco dicetur. ORATIO, ſuaſio, infra. ORNATVR, nam Craſſus in ſuaſione legis Seruiliæ ſummis ornauit ſenatum laudibus: quum in diſſuaſione rogationis eius, quæ contra coloniam Narbonenſem ferebatur, quantum potuit, de autoritate ſenatus detraxiſſet: vnde M. Brutus capita alterna inter ſe contraria recitanda curauit, vt in oratione pro Cluentio, & libro ſecundo de Oratore leges. DICVNTVR, vt illi iudicia communicentur, vt ait Caſſiodorus. IVDICVM, equitum, qui tum lege Sempronia iudicabant, vt ſcribit Aſconius. hinc M. Brutus multa in equites Romanos ex ea oratione aſperius dicta recitauit, quo animi illorum iudicum in Craſſum incenderentur: orationem pro Cluentio lege. POPVLARITER, quamuis enim ſenatum laudaret, quia tamen res ad populi commodum pertinentes dicebat, non poterat non populariter etiam dicere. DICENDVM FVIT, L. Craſſo. ORATIONE, ſuaſione. GRAVITER, grauiter, & leniter, vt aſpere, & facete κατ' ἀντίθετα opponit. EXPOSITIS, in ipſa oratione. ILLA CENSORIA, Cenſoris oratio, ſupra: cuius verba quædam M. Antonius libro ſecundo de Oratore profert. CONTRA, oratio contra collegam: oratio, quam contra collegam Craſſus Cenſor habuit, libro ſecundo de Oratore. In ea videtur illud dixiſſe, quod in Nerone ſcribit Suetonius: non eſſe mirandum, quòd æneam barbam Domitius haberet, cui eſſet os ferreum, cor plumbeum. CN. DOMITIVM, infra. COLLEGAM, in Cenſura, quo tempore L. Craſſus edicto ſuo magiſtros dicendi ſuſtulit, libro tertio de Oratore: vel vterque, vt Suetonius in libello de Claris Rhetoribus, & Gellius libro decimo quinto capite vndecimo ſcribunt: qui totum etiam edictum ponunt. Plura Plinius lib. decimo ſeptimo capite primo, Valerius Maximus lib. nono cap. primo, & Macrob. lib. tertio referunt. NVLLA EST ENIM, εὐλογία, quare ſit cōmentarium paulo plenius. ALTERCATIO, ſupra. MAIORIBVS,

nec concio maior vnquam fuit, nec apud populum grauior oratio, quàm L. Craſsi contra collegam in Cenſura, neq. lepore,& feſtiuitate conditior, lib. ſecundo de Oratore. HOC, L. Craſſo. POPVLARIS, ad conciones populares maxime accommodata, vbi ſæpe fit altercatio, in qua inuenit parem neminem, vt ſupra dixit Cicero, qui, vt videmus, Craſſum omnibus anteponit, vt ſe ipſe quaſi deſcribat, quem ſub perſona Craſsi ſæpe ſignificat, vt etiam Quintilianus intellexit. Hic Craſſus quum multa de L. Philippo Conſule queſtus eſſet, & permulta vehementiſsima animi contentione dixiſſet, dicitur ei latus condoluiſſe, ſudórque multus eſſe conſecutus: ex quo quum cohorruiſſet, cum febri domum rediit, diéque ſeptimo eſt lateris dolore conſumptus, libro tertio de Oratore. ANTONII, M. Antonii, ſupra. IVDICIIS, de quibus, id eſt de cauſis recipiendis, & agendis ipſe plura tradit præcepta libro ſecundo de Oratore.

Hoc loco ipſum Domitium non relinquo. nam etſi non fuit in oratorum numero, tamen pono ſatis in eo fuiſſe orationis, atq. ingenii, quo & magiſtratus perſonam, & conſularem dignitatem tueretur. quod idem de C. Cælio dixerim, induſtriam in eo ſummam fuiſſe, ſummáſque virtutes, eloquentiæ tantum, quod eſſet in rebus priuatis amicis eius, in Repub. ipſius dignitati ſatis. Eodem tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus Latine & diligenter loquentibus numeratus eſt: qui tamen ſumma nobilitate hominem, cognatione, ſodalitate, collegio, ſumma etiam eloquentia, L. Philippum in Conſulatus petitione ſuperauit. Eodem tempore C. Clodius, etſi propter ſummam nobilitatem, & ſingularē potentiam magnus erat, tamen etiam eloquentiæ quandam mediocritatē afferebat. Eiuſdem ferè temporis fuit eques Romanus C. Titius: qui meo iudicio eò perueniſſe videtur, quò potuit ferè Latinus orator ſine Græcis literis, & ſine multo vſu peruenire. huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum vrbanitatis habent, vt penè Attico ſtylo ſcriptæ eſſe videantur. eaſdem argutias in tragœdias ſatis ille quidem acute, ſed parum tragice tranſtulit. quem ſtudebat imitari L. Afranius poeta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, vt ſcitis, diſertus. Fuit etiam Q. Rubrius Varro, qui à ſenatu hoſtis cum C. Mario iudicatus eſt, acer & vehemens accuſator.

HOC LOCO, quo loquor de M. Antonio, L. Craſſo, & Q. Scæuola Pōt. IPSVM, quem paulo ante dixi L. Craſsi in Cenſura collegam fuiſſe. DOMITIVM, Cn. Domitium Aenobarbum, qui M. Silanum, vt ſupra diximus, accuſauit: qui Tribunus plebis C. Mario III. L. Aurelio Oreſte Conſulibus legem tulit, vt ſacerdotes, quos antea collegæ ſufficiebant, populus crearet, quod Paterculus libro ſecundo refert. Pontificibus enim offenſior, quòd alium potius, quàm ſe, in patris ſui locū cooptaſſent, ius ſacerdotū ſubrogandorum à collegis ad populum tranſtulit, vt Suetonius in Nerone teſtatur. hinc Cicero in oratione ſecunda contra Rullum ita ſcribit:

de ſacer

de ſacerdotiis Cn. Domitius Tribunus plebis vir clariſsimus tulit, quòd populus per religionem ſacerdotia mandare non poterat, vt minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui eſſet factus, is à collegio cooptaretur: quam legem Domitiam in epiſtolis ad M. Brutum vocat: qua Cn. ipſe Domitius poſtea Pontifex Maximus Populi ſuffragio creatus eſt, vt Liuius libro ſexageſimo ſeptimo ſcripſit. Tribunus etiam plebis iratus M. Scauro, quòd eum in Augurum collegium non cooptauerat, diem ei dixit apud populum, & multam irrogauit, quòd eius opera ſacra multa populi Romani diminuta eſſe diceret, quod ſcribit Aſconius. In Conſulatu vero, quem geſsit cum C. Caſsio Longino an. ab V. C. ſexcenteſimo quinquageſimo octauo, Allobrogibus, Aruerniſque ſuperatis, elephanto per prouinciam inuectus eſt, turba militum quaſi inter ſolennia triumphi proſequente: quod Suetonius in Nerone refert. In eo tanta fuit grauitas, tanta autoritas, vt, quod eſſet ab eo obiectum L. Craſſo in Cenſura, vt dictum eſt, collegæ, lepore magis eleuandum, quàm contentione frangendum videretur, vt libro ſecundo de Oratore dicitur. Dixit tamen eum treis vxores extuliſſe, quod apud Plutarchum legimus; vt apud Suetonium in Nerone duas familias Domitias fuiſſe. NON RELINQVO, ſed ipſum quoque numerandum puto, λιπότινω. NAM, αἰτιολογία, quare non relinquat. NON FVIT, Cn. Domitius. PONO, duco, arbitror, τίθημι. aliter pone. ORATIONIS, ATQVE INGENII, quum prius ſit ingenium, quàm oratio, videtur ordinem mutaſſe, vt oratio creſceret. TVERETVR, obtineret, vt ſupra de Ser. Sulpicio locutus eſt. IDEM, quod de Cn. Domitio dixi. C. CAELIO, C. Cælio Caldo; qui fuit homo nouus, vt leges apud Ciceronem libro primo de Oratore, & Verrina ſeptima, & apud Q. fratrem in libro de Petitione Conſulatus. Fuit æqualis Craſsi, cui maximo honori fuit illa ipſa, quamcunq. aſſequi potuit, in dicendo mediocritas, libro primo de Oratore. Hic iudex abſoluit eum iniuriarum, qui Lucilium poëtam in ſcena nominatim læſerat, libro ſecundo ad Herennium. Quæſturam quum peteret, repulſam tulit, vt ait in oratione pro Plancio, quamuis ibi Q. Cælius male legatur, quum C. Cælius legi debeat. Is non mediocribus inimicitiis, ac laboribus contendit, vt ad ſummos honores perueniret, Verrina ſeptima. Itaque poſtea Conſulatum cum duobus hominibus nobiliſsimis petiuit, & Conſul eſt factus, vt Q. frater in lib. de Petitione Cōſulatus ſcribit: quē quidem magiſtratū an. ab V. C. ſexcenteſimo ſexageſimo cum L. Domitio Aenobarbo geſsit. INDVSTRIAM, nam laboribus contendit, vt ad honores, quod diximus perueniret. ELOQVENTIAE TANTVM, mediocritas in dicendo, lib. primo de Orat. EODEM TEMPORE, nam ſequenti anno cum C. Valerio Flacco, vt Plin. lib. decimo nono cap. tertio refert, Conſul fuit. M. HERENNIVS, Herennii plebeii fuerunt, vt apud Ciceronem lib. primo ad Atticum Tribunatus pl. oſtendit. TAMEN, quamuis eſſet plebeius, & in mediocribus oratoribus numeratus. SVMMA NOBILITATE, ſic in oratione pro Muræna: & lib. ſecundo de Officiis virum in primis clarum vocat. COGNATIONE, Marcia gente patricia, vt ſupra de L. Marcio diximus, quamuis hic L. Marcius Philippus videatur plebeius fuiſſe, quum dicatur à Cicerone lib. ſecundo de Officiis in Tribunatu legē agrariam tuliſſe. SODALITATE, in qua multos haberet ſodales, qui poterant illi ſuffragari, vt fieri ſolebat ita, vt lex Licinia de ſodalitiis ſit lata; vt eſt in oratione pro Plancio, & olim ſenatuſconſultum factum, vt ſodalitates, decuriatiq. diſcederent, vt epiſtola tertia libri ſecundi ad Q. fratrem ſcribitur. In veterum monimentis Titios ſodales fuiſſe legimus. Huiuſcemodi ſocietatem ſuperioribus annis Venetiis fieri vidimus, in quam recipiebantur, illi

tantum, qui multum opibus poterant. COLLEGIO, videri poteſt propemodum ἑταιρίῳ, quando apud iuriſconſultos ſodales dicuntur, qui ſunt eiuſdem collegii. hic enim collegium non Augurum, aut Pontificum interpretor, ſed vnum ex his collegiis, quæ poſtea ſenatus ſuſtulit, & Clodius reſtituit, quod in oratione in Piſonem vidimus. SVMMA, ſic tamen ſumma, vt ipſe L. Craſſo, & M. Antonio proximus accederet, non illis maior eſſet, infra. ELOQVENTIA, qua florentiſsimus in oratione pro Quintio dicitur. L. PHILIPPVM, de quo dicemus. SVPERAVIT, quod nemo, vt ait in oratione pro Muræna, fuiſſet arbitratus. EODEM TEMPORE, fuit enim Conſul inter ipſum M. Herennium, & L. Philippũ. C. CLODIVS, C. Clodius Ap. F. Pulcher, qui magnificentiſsime Aedilitate libro ſecundo de Officiis functus eſſe dicitur: hinc Verrina ſexta ſic ait: C. Claudius, cuius Aedilitatem magnificentiſsimam ſcimus fuiſſe, vſus eſt hoc cupidine tandiu, dum forum Diis immortalibus, populóque Romano habuit ornatum: & in oratione de Reſponſis: P. Clodius Athenionis, aut Spartaci exemplo, ludos facere maluit, quàm Caii, aut Appii Claudiorum. Is Prætor in Sicilia fuit, & leges Haleſinis dedit, Verrina quarta: deinde cum M. Perpéna an. ab V. C. ſexcenteſimo ſexageſimo ſecũdo Conſul fuit, vt Caſsiodorus ait, quamuis Perpennæ cognomen Claudiorũ male apponat: & qui ſuperioribus annis Conſules collegit hunc P. Claudium male vocat. SVMMAM NOBILITATEM, gentis Claudiæ, de qua Suetonius in Tiberio multa ſcribit, & nos ſupra de Appio Cæco quædam diximus. POTENTIAM, hinc in oratione pro Plancio potentiſsimum, & clariſsimum ciuem vocat. AFFEREBAT, dichoreus. EIVSDEM FERE TEMPORIS, aliter iiſdem ferè temporibus. C. TITIVS, de quo ſcriptum nihil nos præterea vidimus. GRAECIS LITERIS, quæ multum iuuent, vt ſupra de Sulpicio Gallo diximus. VSV, qui omnium magiſtrorum præcepta ſuperat, libro primo de Oratore: qui magiſter eſt optimus, in oratione pro Rabirio: quem penes arbitrium eſt, vis, & norma loquendi, vt ait Horatius. exercitatione, quæ omnia poſſe dicitur. PERVENIRE, dichoreus. HVSVS, C. Titii. TANTVM, repetitio. ARGVTIARVM, quæ in ſententiis ſpectari ſolent. nam ſententiæ ſi ſunt argutæ delectant, vt ait in libello de Optimo genere oratorum. EXEMPLORVM, quæ quantum proſint oratori quum Cicero libro primo de Oratore, tum Quintilianus libro quinto capite vndecimo pluribus diſputauit. VRBANITATIS, ioci, ſalis, facetiarum, de quibus libro ſecundo de Oratore diſputatur. ATTICO, ſcito, & eleganti, qualis eſt Atticus, qui prouerbio lepos Atticus etiam dicitur: quem Cicero maxime probauit. nec enim Titius Attice id eſt græce ſcripſit. ſic Latinum ἀττικισμὸν epiſtola decima ſexta libri quarti ad Atticum, ἀττικώτερα libro primo, & ἀττικώτατα libro decimo quinto ad Atticum: vel Attico, faceto, quòd Attici in eo genere pręter cæteros excellerent, lib. ſecundo de Oratore. ESSE VIDEANTVR, trochæus cum pæane tertio, vel dactyloſcolius: certe numerus, quo Cicero frequenter vtitur. TRAGOEDIAS, quas C. Titius ipſe ſcripſit. vnde videtur interpres Horatii deceptus, qui putauit eundem Titium fuiſſe, Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus, & eum, qui ſcripſit tragœdias: quum hic multo ante floruerit, & ille tẽpore Auguſti vixerit: quanquam ille potuit etiam vtrunq. præſtare. ILLE, C. Titius. PARVM TRAGSCE, quum argutiæ dicantur potiſsimum delectandi cauſa, & omne genus ſcripti grauitate tragœdia vincat, nec quicquam habeat, in quo ſit argutiis locus. QVEM, C. Titium. IMITARI, in ſcribendis fabulis, hiſq. argutiis admiſcendis. L. AFRANSVS POETA, cuius vitam Crinitus, & Lilius ſcripſerunt. HOMO PERARGVTVS SN FA-

BVLIS

BVLCS QVIDEM, quippe qui argutias, Titium imitatus, in fabulas tranſtulerit. aliter homo peracutus in fabulis quidem. ETIAM, VT SCITIS, DISERTVS, præterquam quòd in fabulis argutus fuit, etiam diſertus fuit ita, vt hic inter oratores locum habere poſsit: id quod vos ſcitis, qui illum vidiſtis, vel potius illius ſcripta legiſtis. FVIT ETIAM, iiſdem temporibus. Q. RVBRIVS VARRO, cuius hiſtoriam quærent alii. A SENATV, qui duodecim hoſtes iudicauit, vt Liuius libro ſeptuageſimo ſeptimo, & Paterculus libro ſecundo ſcribunt: in his C. Marium patré, & filium, quibus alios addit Appianus: ſed neque ipſe, neque ſcriptor alius Q. Rubrium, quod ego ſciam, nominauit. C. MARIO, patre, cuius vitã Plutarchus, & alii ſcribũt.

In eo genere ſanè probabilis, doctus autem Græcis literis, propinquus noſter, factus ad dicendum, M. Gratidius, M. Antonii perfamiliaris: cuius præfectus cum eſſet in Cilicia, eſt interfectus: qui accuſauit C. Fimbriam, M. Marii Gratidiani pater. Atque etiam apud ſocios, & Latinos oratores habiti ſunt Q. Vectius Vectianus è Marſis, quem ipſe cognoui, prudens vir, & in dicendo breuis: Q. & D. Valerii Sorani, vicini, & familiares mei, non tam in dicendo admirabiles, quàm docti & Græcis literis & Latinis: C. Ruſticellus Bononienſis, is quidem & exercitatus, & natura volubilis: omnium autem eloquentiſsimus extra hanc vrbem T. Betutius Barrus Aſculanus, cuius ſunt aliquot orationes Aſculi habitæ, illa Romæ contra Cæpionem, nobilis ſanè: cui orationi Cæpionis ore reſpondit Aelius; qui ſcriptitauit orationes multas, orator ipſe nunquam fuit. Apud maiores autem noſtros video diſertiſsimum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum, Ti. Gracchi P. F. ferè ætate. eius autem oratio eſt pro Fregellanis coloniſque Latinis habita in ſenatu.

EO GENERE, accuſatorio. PROPINQVVS NOSTER, auus enim noſter Maru Gratidii ſororem in matrimonio habuit, libro tertio de Legibus. hinc libro tertio de Officiis Marium Gratidianum propinquum vocat: & epiſtola quadrageſima prima libri duodecimi ad Atticum C. Marius quidã Ciceronem per cognationem, quæ ſecum eſſet, rogat. FACTVS, aliter facetus. M. GRATIDIVS, M. Marius Gratidius: cuius videtur is vel filius, vel propinquus fuiſſe, qui fuit Q. fratris legatus, vt epiſtola prima libri primi ad Q. fratrem, & in oratione pro Flacco legitur: quem Cicero magni faciebat, vt epiſtola prima, ſecunda, tertia, & quarta libri ſeptimi Familiariũ, ac epiſtola octaua libri ſecundi ad Q. fratrem teſtatur. M. ANTONII, oratoris, de quo ſupra. CILICIA, quò M. Antonius Proconſul profectus eſſe dicitur lib. primo de Oratore. QVI, M. Marius Gratidius. C. FIMBRIAM, illum, opinor, de quo ſupra diximus. M. MARII GRATIDIANI, non dubito, quin hic ſit ille, qui libro primo de Oratore, & libro tertio de Officiis dicitur cum Sergio Aurata de venditis ædibus litigaſſe: quem poſtea Sergius Catilina vel ob id fortaſſe, quòd cum ſuo propinquo litigaſſet, vel quòd Marianus eſſet, interfecit, vt Q. frater in libello de Petitione Conſulatus, Aſco-

nius in oratione contra Catilinam, & Antonium, Plutarchus in Sylla: & Seneca libro tertio capite decimo octauo teſtantur: de quo plura nos infra dicemus. Nunc quærimus, qua ratione M. Marius Gratidianus dicatur. nam ſi natus è M. Mario Gratidio eſt, & à Fimbria adoptatus, C. Flauius Fimbria Gratidianus debuit appellari: ſin è Fimbria natus, & in Marios, ſiue Gratidios per adoptionem tranſlatus, Marius Gratidius Flauianus debuit vocari: niſi Cicero, vt alii, vetus nomen voluit retinere, vt in T. Pomponio Attico fecit, quamuis illum ſciret Q. Cæcilium Pomponianum Atticum vocari debere. Diximus autem, videri à Fimbria adoptatum fuiſſe, quia in libris veteribus ita legimus: qui accuſauit C. Fimbriam M. Marii Gratidiani patrem. Verum ſi pater legatur, vt in pluribus libris legitur, non erit dubium, quin M. Marius Gratidianus M. Gratidii, de quo loquitur Cicero, filius fuerit, à quocunque ſit adoptatus. SOCIOS, ET LATINOS, ſic etiam ſupra ſeiunxit ſocios, & nomen Latinum, & Liuius libro octauo ſociorum, nominiſque Latini defectionem dixit. Q. VECTIVS VECTIANVS, de quo quidem nos nihil inuenimus. MARSIS, quos Plinins non in Latio, ſed in quarta regione Italiæ collocat, & Ptolemæus eorum ciuitates à Latinorum ciuitatibus ſeparat. Marſi porrò ſocii populi Romani videntur fuiſſe, quum M. Valerius Maximus illis victis fœdus à Liuio lib. decimo reſtituiſſe dicatur. Ordinem igitur propoſitum Cicero ſeruat, quũ prius oratorem ex ſociis, quàm ex Latinis ponat. In Marſis autem Vectius nomen frequens videtur fuiſſe, quum Philippica etiam duodecima P. Vectius Marſorum dux appelletur. Q. Quintus Valerius Soranus, qui lib. tertio de Oratore togatorũ omnium literatiſsimus appellatur. eum nos eſſe credimus, quem Plinius, & Solinus ſcribunt pœnas luiſſe, quòd Vrbis nomen enunciaſſet. D. Decimus Valerius Soranus, de quo pauca ſcribũtur. SORANI, à Sora, quam nec Plinius à Latio ſeiungit, & Ptolemæus inter vrbes Latinas numerat: & ita poſt ſociorũ oratorem Latinos ordine ſuo ponit. & ſanè lib. etiam tertio de Oratore, Soranum vt Latinum nominat. VICINI, Romæ, non in patria. nam Sora multum diſtat ab Arpino. vel vicini ruri. Sic enim Cicero ſæpe ſuos vicinos appellat. FAMILIARES MEI, vt homines doctiſsimi. C. RVSTICELLVS BONONIENSIS, hodie quoque Bononiæ ſunt Ruſticelli. atque hoc loco Cicero videtur voluiſſe ſocios, & Latinos ſimul complecti, quòd Bononienſes antea fortaſſe ſocii fuiſſent, poſtea certe Latini coloni, vt Liuius, Paterculus, & Plinius ſcribunt. VOLVBILIS, ſic Carbo ſupra volubilis orator appellatur. HANC VRBEM, Romam. T. BETVTIVS BARRVS, is fortaſſe, quem maledicum, & mordacẽ ſignificat Horatius ſatyra ſeptima, & Porphyrion eius interpres ſatyra ſexta ſcribit, inceſtum cum Aemilia Veſtali feciſſe. Illis certe temporibus tres virgines Veſtales ſunt damnatæ, vt ſupra diximus. aliter T. Berutius Barrus. ASCVLANVS, Aſculum ponitur à Plinio in quinta regione Italiæ, & colonia Piceni nobiliſsima vocatur. SVNT, extant. ILLA, oratio. ROMAE, habita. CAEPIONEM, Q. Seruiliũ Cæpionem, cui fortuna belli crimini, inuidia populi calamitati fuit, ſupra. CAEPIONIS ORE RESPONDIT AELIVS, Aelius eam ſcripſit orationem, qua Cæpio T. Betutii Barri orationi reſpondit, quod infra etiam dicetur. ORATIONES MVLTAS, quas alii dicerent, infra. IPSE, Aelius. NVNQVAM FVIT, orator enim nec ſtuduit vnquam eſſe, nec fuit, infra. EX LATIO, vbi erant Fregellæ, vt hic apparet, & Liuius oſtendit libro octauo, vbi ſcribit Fregellas coloniam eſſe deductam, & eum agrum fuiſſe Volſcorum, quos Plinius in Latio ponit. L. PAPIRIVM, de quo ſcriptum nihil legimus. TI. GRACCHI P. F. Tiberii Sempronii Gracchi Publii filii, qui bis Conſul,

& Cenſor,

&Cenſor, & pater Gracchorum fuit, ſupra. AETATE, in qua bis Conſul fuit, vt ſupra ſcripſimus. EIVS, L. Papirii Fregellani. EST, extat. FREGELLANIS, iam tum fortaſſe ſuſpectis, ne deficerent, vt poſtea defecerũt, vt ſupra de L. Opimio retulimus. COLONISQVE LATINIS, colonis olim in Latium deductis: quãquam malo legere, coloniiſque Latinis, vt ita dicat: Papirius Fregellanus habuit orationem pro Fregellanis, & pro cæteris coloniis Latinis, vt olim M. Sextius Fregellanus pro duodeuiginti coloniis reſpõdit, vt ait Liuius libro vigeſimo ſeptimo, vbi, & libro vigeſimo nono colonias Latinas penè omnes numerat atque ipſe, & alii ſæpe colonias Latinas, raro colonos Latinos ſolent dicere. HABITA, à L. Papirio Romæ.

Tum Brutus, Quid tu igitur, inquit, tribuis iſtis externis quaſi oratoribus? Quid cenſes, inquam, niſi idem, quod vrbanis, præter vnum, quòd non eſt eorum vrbanitate quadam quaſi colorata oratio? Et Brutus, Qui eſt, inquit, iſte tandem vrbanitatis color? Neſcio, inquam: tantum eſſe quendam ſcio. Id tu Brute iam intelliges, cum in Galliam veneris. audies tu quidem etiam verba quædam non trita Romæ: ſed hæc mutari, dediſciq. poſſunt. illud eſt maius, quòd in vocibus noſtrorum oratorum recinit quiddam, & reſonat vrbanius. nec hoc in Oratoribus modo apparet, ſed etiam in cæteris. ego memini, T. Tincam Placentinum, hominem facetiſsimum, cum familiari noſtro Q. Granio præcone dicacitate certare. Eon', inquit Brutus, de quo multa Lucilius? Iſto ipſo: ſed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat neſcio quo ſapore vernaculo: vt ego iam non mirer illud Theophraſto accidiſſe, quod dicitur; cum percontaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet; & reſpondiſſet illa, atque addidiſſet, Hoſpes non pote minoris; tuliſſe eum moleſte, ſe non effugere hoſpitis ſpeciem, cum ætatem ageret Athenis, optiméque loqueretur. omnium, ſicut opinor, in noſtris eſt quidam vrbanorum, ſicut ille Atticorum, ſonus. ſed domum redeamus, id eſt ad noſtros reuertamur.

QVASI, hæc particula commode in medio ponitur, quoniam vtriq. verbo poteſt ſeruire: quaſi oratoribus, quòd habiti ſint, non fuerint oratores, paulo ante: vel quaſi oratoribus Romam miſsis, vt mittuntur oratores, & legati: quum L. Papirius pro Fregellanis, & coloniis Latinis Romæ in ſenatu ſit locutus. Potes etiam coniungere cum ſuperiore verbo, quaſi externis, quòd extra vrbem Romam eſſent nati: vel iungas cum vtroque verbo, quaſi oratoribus externis, quòd Romam quaſi externi oratores venerint. CENSES, tribuere me. IDEM, aliter id. VRBANIS, in vrbe natis. EORVM, externorum quaſi oratorum. VRBANITATE QVADAM, vrbana, & Romana quadam elegantia. QVASI COLORATA, tranſlationem paulo duriorem hac particula, quaſi, mollit. ISTE, quem tu Cicero colorem videris vocare, quum dicis orationem coloratam. NESCIO, quum res ea ſit, quæ facilius intelligi, quàm dici poſsit. QVENDAM, colorẽ. SCIO, quippe

qui libro tertio de Oratore hac de re plura ſcripſerim. ID, eſſe quendam colorem vrbanitatis Romanæ. INTELLIGES, audiens contrarium. GALLIAM, citeriorem. VENERIS, aliquando: vel paulo poſt, vt eas obuiam Cæſari ex Hiſpania reuertenti, vt libro decimo tertio ad Atticum legimus: quanquam id factum eſt poſt mortem Marcelli, qui infra viuere dicitur: ſed fortaſſe proficiſci cogitarat, & interea Marcellus fuit interfectus: vel vt eam prouinciam regas: ſed tum de tempore naſcitur dubitatio, quòd Plutarchus ita ſcribat in Bruto: μέλλων διαβαίνειν εἰς λιβύην καῖσαρ ἐπὶ κάτωνα, καὶ σκηπίωνα, βρούτῳ τὴν ἐντὸς ἄλπεων γαλατίαν ἐπέτρεψεν: quod Cicero epiſtola ſexta libri ſexti Familiarum his verbis videtur confirmare: Cæſar Caſsium ſibi legauit, Brutum Galliæ præfecit, Sulpicium Græciæ: Marcellum, cui maxime ſuccenſebat, cum ſumma illius dignitate reſtituit: & epiſtola vndecima libri decimi tertii Familiarium ad ipſum Brutum hoc modo ſcribens: his temporibus à me Brunduſio cum literis, & mandatis profectus eſt ad Cæſarem. atqui tum Brutus erat, vt opinor, in Gallia, & Cæſar in Aegypto potius, quàm in Africa bellum gerebat. Hoc vero loco dicit, quum in Galliam veneris, & dicit poſt Tulliæ mortem, quæ tempore belli Hiſpaniẽſis obiit, vt ſupra diximus, & libro duodecimo ad Atticum cognoſcitur. Illud accedit, quòd in Oratore ſcribit, ſe, quum Brutus eſſet in Gallia, abſoluto Catone, oratorem ipſum aggreſſum fuiſſe. at Catonem abſoluit, dum Cæſar in Hiſpania bellum gereret. neque enim Catonem potuit abſoluere, niſi finito bello Africo, in quo ſe Cato interfecit. Brutus præterea prius in Aſia fuerat, & inde literas conſolatorias ad Ciceronem ſcripſerat, vt in principio diximus. Itaq. dicendum videtur, Brutum poſt Tulliæ mortẽ Galliæ præfuiſſe: niſi forte multo prius illum Cæſar Galliæ præfecit, quàm ille in prouinciam ſit profectus. Vel repetamus, quod diximus, exordium, in quo de Tulliæ morte fit mentio, multo poſt ipſum librũ factum: vel librũ ipſum diuerſis temporibus ſcriptum fuiſſe. ETIAM VERBA, aliter ea verba. HAEC, verba. POSSVNT, dá, quod opus eſt, affert ratio, docent literæ, confirmat cõſuetudo & legendi, & loquendi, libro tertio de Oratore. ILLVD, illa ſuauitas, lib. tertio de Oratore. NOSTRORVM, vrbanorum. VRBANIVS, hinc lib. tertio de Oratore ita ſcribit: noſtri minus ſtudent literis, quàm Latini, tamen ex iſtis, quos noſtis, vrbanis, in quibus minimum eſt literarum, nemo eſt, quin literatiſsimum togatorum omnium Q. Valerium Soranum lenitate vocis, atq. ipſo oris preſſu, & ſono facile vincat. T. TINCAM, aliter T. Tineam. apud Quintilianum vero libro primo capite decimo Tingam ſcriptum vidimus. Q. GRANIO, de quo ſupra. EON' eóne. MVLTA, ſcripſit, & quidem libro vndecimo, vt oſtendit Gellius libro quarto capite decimo ſeptimo. LVCILIVS, poëta, cuius vitam Crinitus, & Lilius ſcribunt: ISTO IPSO, Q. Granio. SED TINCAM, ἐπανάληψις. NESCIO QVO SAPORE, neſcio qua ſuauitate, quæ exibat ex ore, vt ait libro tertio de Oratore, tranſlatio. VERNACVLO, domeſtico, vrbano, patrio, Romano, qui nunc opponitur Placentino. NON MIRER, quum hoc ipſum ego intelligam. THEOPHRASTO, philoſopho, ſupra. ANICVLA QVADAM, anu Attica, vt Quintilianus libro octauo capite primo. RESPONDISSET, quãti venderet. NON POTE MINORIS, non poteſt minoris emi. aliter non poteſt minoris. alii, non potes minoris. OPTIMEQVE LOQVERETVR, vnde Theophraſtus à diuinitate loquendi fuit appellatus, vt ſupra plurimis verbis oſtendimus. OMNIVM, SICVT OPINOR, IN NOSTRIS EST, aliter omnium. ſic, vt opinor, in noſtris eſt. recte, vt nos putamus, vt ita dicat: Theophraſtus optime omnium loqueretur. deinde addat, quæ ſequũtur. NOSTRIS, Romanis. ATTICORVM, ſic libro

ſic libro tertio de Oratore: ſuauitas loquendi vt apud Græcos Atticorum, ſic in Latino ſermone huius eſt vrbis maxime propria. DOMVM REDEAMVS, prouerbii ſpeciem habet, & , quid ſignificet, verba, quæ ſequuntur, oſtendunt. ID EST AD NOSTROS REVERTAMVR, interpretatio potius à Cicerone poſita, quàm ab aliquo, vt multi ſuſpicantur, addita. nam poſſet aliquis illud, domum redeamus, ad rem reuertamur, vel aliter interpretari.

Duobus igitur ſummis Craſſo & Antonio L. Philippus proximus accedebat, ſed longo interuallo tamen proximus. itaque eum, etſi nemo intercedebat qui ſe illi anteferret, neque ſecundum tamen, neque tertium dixerim. nec enim in quadrigis eum ſecundum numerauerim, aut tertium, qui vix è carceribus exierit, cum palmam iam primus acceperit: nec in oratoribus, qui tantum abſit à primo, vix vt in eodem curriculo eſſe videatur. ſed tamen erant ea in Philippo, quæ qui ſine comparatione illorum ſpectaret, ſatis magna diceret, ſumma libertas in oratione, multæ facetiæ, ſatis creber in reperiendis, ſolutus in explicandis ſententiis. erat etiam in primis, vt temporibus illis, Græcis doctrinis inſtitutus, in altercando cum aliquo aculeo, & maledicto facetus. Horum ætati propè coniunctus L. Gellius, non tam vendibilis orator, quàm vt neſcires quid ei deeſſet: nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec Romanarum rerum immemor, & verbis ſolutus ſatis, ſed in magnos oratores inciderat eius ætas: multam tamen operam amicis, & vtilem præbuit: atque ita diu vixit, vt multarum ætatum oratoribus implicaretur, multum etiam in cauſis verſaretur.

SVMMIS, oratoribus. CRASSO, ET ANTONIO, ſupra. L. PHILIPPVS, L. Marcius Philippus, qui gloriari ſolebat, ſe ſine vllo munere adeptũ eſſe omnia, quæ haberentur ampliſsima, libro ſecundo de Officiis: Tribunus tamen militum fieri non potuit, in oratione pro Plancio. Hic in Tribunatu plebis, quum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari paſſus eſt, & in eo vehementer ſe moderatum præbuit, ſed quum in agendo multa populariter, tum illud male dixit, non eſſe in ciuitate duo millia hominum, qui rem haberent, libro ſecundo de Officiis. Hic primum in Conſulatus petitione à M. Herennio fuit ſuperatus, vt ſupra dictum eſt: deinde tamen Conſul eſt factus cum Sex. Iulio Cæſare an. ab V.C. ſexcenteſimo ſexageſimo tertio: quo quidem anno vehementer in cauſam principum eſt inuectus, libro primo de Oratore: & ita inuectus eſt, vt conſtaret, eum dixiſſe: videndum ſibi aliud eſſe conſilium: illo ſenatu ſe Rempub. gerere non poſſe. & quum poſtea L. Craſſus illi homini & vehementi, & diſerto, & in primis forti ad reſiſtendum quaſi quaſdam faces verborum admouiſſet, non tulit, & grauiter exarſit, pignoribúſque ablatis Craſſum inſtituit coërcere, vt libro tertio de Oratore ſcribitur. quem quidem, concionantem ſe quum eſſet auſus interpellare, M. Druſus, obtorta gula, in carcerem detrudendum curauit, vt Valerius Maximus libro nono capite quinto, & Florus libro tertio capite decimo ſeptimo ſcribunt. Cenſor fuit cum M. Perpenna, quod Verrina ter-

tia,& apud Valerium Maximum libro octauo capite decimo quarto refertur: & auunculum ſuum præteriit in recitando ſenatu. nihil enim poterat dicere, quare rata non eſſent,quæ erant acta in ea Repub.in qua ſe illis temporibus Cenſorem eſſe voluiſſet,in oratione pro Domo: & tunc forte dixit ſententiam, cui ſenatus eſt aſſenſus, vt quas ciuitates L. Sylla pecunia accepta ex S.C. liberauiſſet,hæ rurſus vectigales eſſent, neq. his pecunia, quam pro libertate dederant, redderetur: quam quidem ſententiam non vtilem Cicero lib. tertio de Officiis exiſtimat.Huius L.Philippi extat oratio apud Salluſtium,in qua cenſet, vt Ap. Claudius Interrex cum Q. Catulo Proconſule,& cæteris,quibus imperium eſt,vrbi præſidio ſint:operam dent,nequid Reſpub.detrimenti capiat. Hic, quum bellum Sertorianum Conſules recuſarent, pro Conſulibus ſe Pompeium mittere dixit, non pro Conſule, quod in oratione pro lege Manilia, & Philippica vndecima legimus. Hic vno tempore cum ſuis inimiciſsimis rediit in gratiam, quibus cum omnibus eadē Reſp. reconciliauit, quæ alienarat, vt ait in oratione de Prouinciis Conſularibus. Ob haſce res omnes dicitur in oratione pro Quintio eloquentia, grauitate, honore florentiſsimus. LONGO INTERVALLO, hunc locum ſummus poëta in librum quintum ita tranſtulit: proximus huic, longo ſed proximus interuallo inſequitur Salius. EVM, L. Philippũ. INTERCEDBBAT, inter ipſum L. Philippum, & illos Craſſum, & Antonium. NEC ENIM, αἰ[?]ιολογία, & ὁμοίωσις IN QVADRIGIS, in quadrigarum curriculo. SED TAMEN, quamuis eum neque ſecundum, neque tertium dixerim. SIN COMPARATIONE, ſic de Q. Catulo ſupra. ILLORVM, L. Craſsi, & M. Antonii. SVMMA LIBERTAS IN ORATIONE, quòd libere loqueretur, vt quum dixit, videndum ſibi eſſe aliud conſilium, quod paulo ante retulimus. Nec meditabatur, quod erat dicturus: qui ita ſolebat ad dicendum ſurgere, vt, quod primum verbum habiturus eſſet, neſciret: & aiebat idem, quū brachium calefeciſſet, tunc ſe ſolere pugnare, vt refertur libro ſecundo de Oratore. hęc libertas forte grauem reddebat, qualem vocat infra. MVLTAE FACETIAE, multus lepos, libro primo de Officiis. hinc forte ſuauem, & facetum vocat infra. ERAT, ipſe L.Philippus. IN PRIMIS, in primis inſtitutus: ſic libro ſecundo de Oratore, Philippus in primis diſertus, atque eruditus. VT TEMPORIBVS ILLIS, ſic ſupra de D. Bruto, & de L. Cælio Antipatro locutus eſt. PACETVS, vt quum Q. Catulum rogauit, quid latraret: item quum, producto puſillo teſte, dixit, licet rogare? tum Quæſitor properans, modo breuiter: hic ille, non accuſabis, perpuſillum rogabo, libro ſecundo de Oratore. HORVM, L. Craſsi, M. Antonii, & L. Philippi. L. GELLIVS, L. Gellius Publicola, qui omnibus honoribus ad Cenſuram vſque defunctus eſt, vt Valerius Maximus libro quinto capite nono refert. Nam Prætor fuit, & ex Prætura Proconſul in Græciam venit, vt libro primo de Legibus eſt ſcriptum. Conſul item fuit cum Cn. Cornelio Lentulo an.ab V.C. ſexcenteſimo octuageſimo ſecūdo, & Chryſum acerrime pugnantem prælio oppreſsit, vt ait Oroſius libro quinto capite vigeſimo quarto, ſed ipſe à Spartaco victus eſt acie, vt Liuius libro nonageſimo ſexto ſcripſit. Nos igitur credimus Verrina quarta ſic legi oportere: Cn. Lentulus, & L. Gellius Conſules, non autem, Cn. Lentulus, & Lucullus, vt nunc legitur. Cenſores etiam, vt Plutarchus in Pompeio pluribus oſtendit, ſimul fuerunt: & aſperam Cenſuram egε tunt, quatuor & ſexaginta ſenatu motis, Liuius libro nonageſimo octauo, & in his C. Antonio, qui poſtea fuit Ciceronis collega, vt refert Aſconius. Bello vero Piratico Gellius idem Pompeii fuit legatus, vt Florus libro tertio capite ſexto, & Appianus in Mithridatico ſcribunt.

ſcribunt. NEC ENIM ERAT INDOCTVS, αἰτιολογία, & λιτότης, ſatis doctus erat. nam Carbonem illum eloquentiſsimum audiuerat, ſupra. NEC TARDVS AD EXCOGITANDVM, quod pertinet ad inuentionem. ROMANARVM RERVM, quarum monimenta, & omnis vetuſtatis exempla oratori Romano nota eſſe debere Craſſus lib. primo de Oratore putat. IMMEMOR, ad memoriam refertur. VERBIS SOLVTVS SATIS, hoc eſt ad elocutionem referendum. MAGNOS ORATORES, L. Craſſum, M. Antonium, & L. Philippum. AMICIS, vt Liguri, cuius cauſam defendit, Verrina tertia. DIV VIXIT, quippe qui Carboni contubernalis in Conſulatu, & annis poſt minimum quadraginta Conſul ipſe fuerit. VERSARETVR, ita, vt diſcere moderationem potuerit, qua erga filium vſus eſſe dicitur à Valerio Maximo libro quinto capite nono.

Iiſdem ferè temporibus D. Brutus, is, qui Conſul cum Mamerco fuit, homo & Græcis doctus literis, & Latinis. Dicebat etiam L. Scipio non imperite. Cneúſque Pompeius Sex. F. aliquem numerum obtinebat. nam Sex. frater eius præſtantiſsimũ ingenium contulerat ad ſummam iuris ciuilis, & ad perfectam geometriæ, rerum Stoicarum ſcientiam. Item in iure, & ante hos M. Brutus, & paulo poſt eum C. Bilienus, homo per ſe magnus, propè ſimili ratione ſummus euaſerat: qui Conſul factus eſſet, niſi in Marianos Conſulatus, & in eas petitionis anguſtias incidiſſet. Cn. autẽ Octauii eloquentia, quæ fuerat ante Conſulatum ignorata, in Conſulatu multis concionibus eſt vehementer probata. Sed ab eis, qui tantum in dicentium numero, non in oratorum fuerunt, iam ad oratores reuertamur. Cenſeo, inquit Atticus: eloquentes enim videbare, non ſedulos velle conquirere.

IISDEM FERE TEMPORIBVS, inter enim L. Gellii, & D. Bruti Conſulatus anni quatuor numerantur. D. BRVTVS, D. Brutus, qui Iulianus in Conſulibus appellatur. MAMERCO, M. Aemilio Mamerco. FVIT, anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. DICEBAT, vt orator, vel potius ſimpliciter, quum dicentes ab oratoribus paulo poſt ſeparet. L. SCIPIO, L. Cornelius Scipio Aſiaticus, vt in Conſulibus legitur: quem tamen alii Naſicam vocant, quòd in Dione Græco libro quadrageſimo Scipionem Pompeii ſocerum Naſicæ filium dici videant, quem hunc eſſe arbitrantur: & putant recte dici Naſicam, cuius proauus Naſica fuerit, vt ex libro tertio de Oratore ſuſpicantur. Non enim L. Craſſus id aperte teſtatur, quamuis par ſit credere, illum Naſicam ſignificari, qui Pontifex Maximus in Catone dicatur. Verum mouet illud, quòd Naſicæ ferè omnes Publium prænomen habent, & hic Lucius ab omnibus appellatur. ſed ſiue Naſica, ſiue Aſiaticus appelletur, Conſul cum C. Norbano an. ab V. C. ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo fuit, vt bene fecerint, qui in oratione pro Quintio, Scipione, & Norbano deſcripſerunt, quum prius male, Spurione, & Norbano, legeretur. His Conſulibus quæ prodigia ſint viſa, Iulius Obſequens refert. Cum hoc Scipione Conſule Sylla in colloquium venit inter Cales, & Theanum, Philippica duodecima, & ipſius exercitum ita corrupit, vt paulo poſt illum ab exercitu relictum ceperit,

ac dimiſerit, vt Liuius libro octuageſimo quinto, Plutarchus in Sylla, & Appianus libro primo dicunt: quem tamen poſtea proſcripſit, vt Oroſius libro quinto capite vigeſimo primo ſcribit, & Cicero ſignificat epiſtola decima octaua libri noni ad Atticum, & libro tertio de Oratore, vbi teſtatur, L. Craſſum non vidiſſe generi exilium. Iuit enim Maſsiliam, vt ſcriptum eſt in oratione pro Seſtio, qui Maſsiliam profectus dicitur, vt ipſum Scipionem ſocerum ſuum videre, conſolarique poſſet: quamuis in multis libris ibi C. Scipionem male ſcriptum videamus: aliter L. Piſo. NON IMPERITE, ſatis perite, ἀπείρως. CNEVSQVE POMPEIVS, Cn. Pompeius Strabo, qui Prætor à Picentibus victus, non ita multo poſt eoſdem fudit, Liuius autor libro ſeptuageſimo quarto, & Oroſius libro quinto capite decimo octauo. Conſul cum L. Porcio Catone an. ab V. C. ſexcenteſimo ſexageſimo quinto Marſos acie vicit, quo tempore Cicero in exercitu fuit, Philippica duodecima, & multi nobiles legati, in oratione pro Fonteio: & Veſtinos in deditionem accepit, vt Liuius libro ſeptuageſimo quarto, & ſequenti retulit. Tunc, vt opinor, etiam Tranſpadanas colonias deduxit, vt Aſconius eſt teſtis. Proconſul vero Veſtinos eoſdem, qui forte defecerant, & Pelignos in deditionem accepit, Liuius lib. ſeptuageſimo quinto, Aſculum cepit, & triumphauit, vt ſcriptũ apud Oroſium lib. quinto cap. decimo octauo, & in veterum Conſulibus inuenies: quod & Cicero in oratione in Piſonem ſignificauit, & Aſconius addidit, de Picentibus triumphauit: ſed ante Q. Pompeium Conſulem ad capiendum ab eo Proconſule exercitum profectum interficiendum curauit, vt Liuius lib. ſeptuageſimo ſeptimo, & Appian. lib. primo ſcripſerunt. Quũ vero bellum, quod Cinna, & Marius inferebant vrbi, opprimi inter initia potuiſſet, eiuſdẽ fraude confirmatũ eſt: qui vtranq. partem fouendo, Cinnæ vires dedit, nec, niſi profligatis optimatium rebus, auxilium tulit, vt ait Liuius lib. ſeptuageſimo nono. Hic tandem fulgure, vt ſcribit Appian. eſt extinctus: cuius cadauer è lecto detraxit, & proiecit populus, qui illum oderat tantũ, quantũ poſtea filium dilexit, vt Plutarch. in Pompeio ſcribit. SEX. F. Sexti filius, Philippica duodecima: in veterũ Cõſulibus additur etiam, CN. N. hoc eſt, Cnei nepos. ALIQVEM NVMERVM, inter oratores. OBTINEBAT, hinc T. Albutium voluit accuſare, Verrina prima. SEX. Sextus Pompeius, de quo lib. primo & tertio de Orat. fit mentio. FRATER EIVS, ſic Philippica duodecima, memini Sex. Põpeium fratrẽ Conſulis ad colloquium Roma venire, doctũ virum, atq. ſapientẽ: quem Scato dux Marſorũ quũ ſalutaſſet, quem te appellem? inquit. at ille, voluntate hoſpitẽ, neceſsitate hoſtem. IVRIS CIVILIS, hinc à nõnullis inter iuriſcõſultos numeratur. GEOMETRIAE, in qua illum multũ operæ poſuiſſe Cic. ſe cognouiſſe lib. primo de Officiis affirmat. RERVM STOICARVM, ob id illũ inter Stoicos lib. tertio de Orat. numerat, lib. vero primo de Orat. hominẽ eruditũ in Philoſophia, & Philippica duodecima doctũ virum, & ſapientem vocat. HOS, L. Gellium, D. Brutũ, L. Scipionẽ, Cn. & Sex. Pompeios. M. BRVTVS, credimus hunc eſſe patrẽ Bruti Accuſatoris, quem ſupra virum optimum, & iuris peritiſsimũ vocauit, vt ibi diximus. EVM, M. Brutum. C. BILIENVS, nihil credimus extare, vnde, quis hic eſſet Bilienus, cognoſci poſsit, niſi forte legatur, Bellienus, vt ſit C. Annius Bellienus, cuius in oratione pro Fonteio fit mentio. ſcribit etiam Aſconius neſcio quem L. Bellienũ L. Catilinæ auunculum damnatũ fuiſſe. PER SE, ſua virtute. SIMILI, ac M. Brutus. CONSVLATVS, ſeptem PETITIONIS, Conſulatus. ANGVSTIAS, quibus excludebantur, qui non poterant potentioribus aduerſari. INCIDISSET, dichoreus. CN. AVTEM OCTAVII, hunc nos putamus filium fuiſſe illius

illius Cn. Octauii, qui lib. primo de Oratore conſularis appellatur. Hic Aedilitate præteritus, tamē poſtea Conſul eſt factus, vt ait in oratione pro Plancio. Conſul igitur armis ex vrbe collegam ſuum L. Cinnā expulit, in oratione tertia in Catilinā: qui quidem Cinna non ita multo poſt reuerſus, illi præcidi caput iuſsit, Tuſculana quinta, & pro roſtris exponi, vt Florus lib. tertio cap. vigeſimo primo ſcribit: ſed Liuius lib. ſeptuageſimo nono, & ſequenti, Appianus lib. primo, Plutarchus in Vitis, Eutrop. Paterculus, Oroſius, & alii plura ſcripſerunt. CONCIONIBVS, quas Octauius habuit, dum Cinnæ leges pernicioſas ferenti reſiſtebat, vt Liuius lib. ſeptuageſimo nono ſcripſit. SED, ad rem reditus. VIDEBARE, à principio.

Feſtiuitate igitur, & facetiis, inquam, C. Iulius L. F. & ſuperioribus & æqualibus ſuis omnibus præſtitit, oratórq; fuit minime ille quidem vehemens, ſed nemo vnquam vrbanitate, nemo lepore, nemo ſuauitate conditior. ſunt eius aliquot orationes, ex quibus, ſicut ex eiuſdem tragœdiis, lenitas eius ſine neruis perſpici poteſt. Eius æqualis P. Cethegus: cui de Repub. ſatis ſuppeditabat oratio: totam enim tenebat eam, penitúſque cognorat: itaque in ſenatu conſularium authoritatem aſſequebatur, ſed in cauſis publicis nihil, priuatis ſatis veterator videbatur. Erat in priuatis cauſis Q. Lucretius Veſpillo & acutus, & iuriſperitus: nam Aphilia aptior concionibus, quàm iudiciis. prudens etiam T. Annius Velina, & in eius generis cauſis orator ſanè tolerabilis.

FESTIVITATE IGITVR, ET FACETIIS, videtur voluiſſe complecti illa duo facetiarum genera, quæ C. hic Iulius lib. ſecundo de Oratore facit: quorum alterum perpetuam feſtiuitatem, alterum dicacitatem habet. C. Caius. obſeruatum autem, notatúmque eſt in primis, Cæſares omnes, quibus Caius prænomen fuit, ferro periiſſe, iam inde ab eo, qui Cinnanis temporibus ſit occiſus, vt ait Suetonius in Caligula. IVLIVS, C. Iulius Cæſar Strabo, vt à Paterculo, & Suetonio vocatur: qui rogatus ab Sardis T. Albutium accuſauit, Verrina prima, & libro ſecundo de Officiis, & orationē pro Sardis, vt ait Suetonius in Cæſare reliquit. huic ſubſcripſiſſe Scæuolam Augurem videri nobis ſupra diximus. Aedilis Curulis L. Cæſare, P. Rutilio Conſulibus fuit, vt infra dicetur. & ædilitius quidem occiſus eſt, ſed tantum in ciuitate potuit, vt cauſa belli ciuilis contentio eius cum Sulpicio Tribuno plebis fuerit. nam ſperabat, & id agebat hic Cæſar, vt omiſſa Prætura Conſul fieret: cui quum primis temporibus iure Sulpicius reſiſteret, poſtea nimia contentione ad ferrum, & arma proceſsit, vt ait Aſconius: eam petitionem extraordinariam infra Cicero vocat. ob hæc illi poſtea Cinna præcidi caput iuſsit, Tuſculana quinta. nam caput eius hoſpitis Hetruſci ſcelere proditum cum L. Iulii fratris capite iacuit, libro tertio de Oratore, & quidem in roſtris, vt Liuius libro octuageſimo ſcripſit, L. Cinna, & Cn. Octauio Conſulibus, infra. in antiquitatibus vrbis ita ſcriptum vidimus: C. Iulius L. F. Cæſar Strabo Aed. Cur. Q. Tr. Mil. bis X VIR. agr. dand. adtr. iud. Pontif. L. F. Lucii filius, libro primo de Orat. OMNIBVS, præſertim oratoribus, de quibus loquitur. PRAESTITIT, excelluit, libro ſecundo de Oratore, vbi vel ob id ea de re loquitur ipſe. nam fuit in eo ſpecimen humanitatis, ſalis, ſuauitatis, leporis, Tuſculana quinta. hinc libro primo de Officiis ita Cicero loquitur: erat in L. Craſſo,

& in L. Philippo multus lepos, maior etiam, magíſque de induſtria in C. Cæſare: nec ita multo poſt: ſale vero conditus, & facetiis Cæſar Catuli patris frater vicit omnes: & Craſſus libro tertio de Oratore: quid noſter hic Cæſar? nónne nouam quandam rationem attulit orationis, & dicendi genus induxit própè ſingulare? Quis vnquam res præter hunc tragicas penè comice, triſtes remiſſe, ſeueras hilare, forenſes ſcenica venuſtate tractauit? atque ita, vt neque iocus magnitudine rerum excluderetur, nec grauitas facetiis minueretur: & Antonius libro ſecundo de Oratore: Cæſar inuſitatum noſtris oratoribus leporem quendam, & ſalem eſt conſecutus. MINIME ILLE QVIDEM VEHEMENS, quippe quum res tragicas penè comice, triſtes remiſſe, ſeueras hilare, forenſes ſcenica propè venuſtate tractaret, vt retulimus. NEMO, repetitio. CONDITIOR, ſic libro primo de Officiis, vt diximus. TRAGOEDIIS, Cæſar idem inter primos temporis ſui oratores, & tragicus poëta bonus admodum habitus eſt. huius ſunt enim tragœdiæ, quæ inſcribuntur Iulii, vt ſcribit Aſconius. EIVS, C. Iulii Cæſaris. P. CETHEGVS, P. Cornelius Cethegus, qui in oratione pro Cluentio Stalenum dicitur admonuiſſe. PENITVSQVE COGNORAT, videtur ἐπεξήγησιν illius verbi, tenebat, quod ambigue dictum videri poterat, præſertim quum Plutarchus in Lucullo, Appianus libro primo, & Aſconius in interpretatione Verrinæ primæ ſcribant, Cethegum tantum in Repub. potuiſſe, vt eam tenuiſſe dici iure poſſet. AVTORITATEM, aliter dignitatem. CAVSIS PVBLICIS, vt repetundarum, ambitus, maieſtatis, & cæteris, quæ Reipub. cauſa conſtituebantur, vt ait Aſconius. PRIVATIS, cauſis rerum priuatarum. VETERATOR, hinc fortaſſe Staleno conſilium minus fidele dedit in oratione pro Cluentio. ſic ſupra L. Cotta veterator appellatur. Q. LVCRETIVS, quis hic fuerit ignoramus, illud ſcire videmur, Lucretios patricios fuiſſe, quum tot Lucretii Conſules legantur ante, quàm plebeii crearentur. VESPILLO, ita ſcribit autor libelli de Viris illuſtribus: Tib. Gracchi corpus Lucretii Aedilis manu in Tyberim miſſum eſt. vnde ille Veſpillo dictus. Hunc igitur illius filium, vel nepotem fuiſſe credimus. apud Cæſarem libro tertio de Bello ciuili, vbi nunc legitur, Lucretius Hiſpillo, forte ſcribi debet, Lucretius Veſpillo, vt ſit filius huius, quem Cicero nunc nominat. NAM, hic παρένθεσις eſt quædam. APHILIA, aliter à filia. aliter Aſilia. aliter Afilia. ſed quoquo modo legatur, videtur ſignificare, Q. Lucretium, quem Liuius libro octuageſimo octauo & ſequenti, & Aſconius Aſellam, Paterculus vero, Plutarchus, & Appianus Ofellam vocant. & quoniam Græce ὀφέλλα ſcribitur, vnde Ophella fortaſſe à veteribus deſcribebatur, natus error videtur, vt hic Aphiſia pro Ophella ſcribatur: niſi forte quis putet, ἀφιλίαν appellatū, quòd quum eſſet Marianus, ad Syllam transfugerit, legibus amicitiæ contemptis. Scribit enim Paterculus eum ad Syllam transfugiſſe: quem tamen poſtea Conſulatum petentem Sylla interficiendum curauit, vt Liuius, Plutarchus, & Appianus oſtendunt. ſic igitur ait Cicero: Q. Lucretius Veſpillo erat in cauſis priuatis acutus, & iuriſperitus: nam Q. Lucretius Ofella erat aptior concionibus. Quintus enim dicitur ab Appiano. APTIOR CONCIONIBVS, hinc populus indigne tulit interfectum fuiſſe, vt Liuius libro octuageſimo nono teſtatus eſt. QVAM IVDICIIS, quàm cauſis præſertim priuatis, in quibus alter Lucretius erat acutus, & iuriſperitus. T. ANNIVS, is, quem in oratione pro Cluentio hominem honeſtiſsimū, neceſſarium, & amicum ſuum vocat. ſic enim nos putamus. Annii porrò plebeii fuerunt: vnde T. Annius Milo Tribunus plebis fuit. VELINA, ex tribu Velina,

vt inter

vt interpretaretur Aſconius, qui ſcribit ita: Romilia nomen eſt tribus, ablatiui caſus, vt ſit ex Romilia. Moris autem fuit, quum aliquis ciuis Romanus oſtendendus eſſet, ſignificaretur aut à prænomine ſuo, aut à nomine, aut à cognomine, aut à tribu, in qua cenſeretur. ſic alibi: L. Claudium Palatina. Velina vero tribus erat, vt Cicero epiſtola decima quarta libri quarti ad Atticũ, & Horatius epiſtola ſexta libri primi demonſtrant. IN EIVS GENERIS CAVSIS, in cauſis priuatis, in quibus Veſpillo acutus, Annius vero tolerabilis: quod vero pertinet ad Lucretium Ofellam, videtur poſitum, vt diximus, ἐν τῇ παρεκβάσει. SANE TOLERABILIS, quũ tamen vix ſingulis ætatibus ſinguli tolerabiles oratores inuenti ſint, vt ait libro primo de Oratore.

In eodem genere cauſarum multum erat T. Iuuencius, nimis ille quidem lentus in dicendo, & penè frigidus, ſed & callidus, & in capiendo aduerſario verſutus, & præterea nec indoctus, & magna cum iuris ciuilis intelligentia. Cuius auditor P. Orbius, meus ferè æqualis, in dicendo non nimis exercitatus, in iure autẽ ciuili non inferior, quàm magiſter fuit. Nam T. Aufidius, qui vixit ad ſummam ſenectutem, volebat eſſe ſimilis horum, eratq. & bonus vir, & innocens, ſed dicebat parum. Nec ſanè plus frater eius M. Virgilius, qui Tribunus pleb. L. Syllæ Imperatori diem dixit. Eius collega P. Magius in dicendo paulo tamen copioſior. Sed omnium oratorum, ſiue rabularum, qui & planè indocti, aut inurbani, aut ruſtici etiam fuerunt, quos quidem ego cognouerim, ſolutiſsimum in dicendo, & acutiſsimum iudico noſtri ordinis Q. Sertorium, equeſtris C. Gorgonium.

IN EODEM GENERE CAVSARVM, in iiſdem cauſis priuatis. T. IVVENTIVS, inuenire adhuc hiſtoriam non potuimus, illud in oratione pro Plancio inuenimus, Iuuentiam gentem ex municipio Tuſculano oriundam Conſularem fuiſſe, ſed tamen plebeiam, quando Iuuentius Laterenſis ibi dicitur petere Tribunatum plebis cœpiſſe: in qua fuerint hæc cognomina, Pedo, vt M Iuuentius Pedo in oratione pro Cluentio: Thalna, vt M. Iuuentius Thalna in veterum Conſulibus, quamuis alii Taluam, alii Talnam, alii Talpam epiſtola ſexta libri decimi ſexti ad Atticum ſcribant: & Laterenſis, vt M. Iuuentius Laterenſis, quod in oratione pro Plancio, & apud Paterculum videbis. IN CAPIENDO ADVERSARIO, aliter in capiendo aduerſarios, quod poſſe dici ſupra demonſtrauimus. NEC INDOCTVS, λιτότης. P. ORBIVS, & hunc adhuc quærimus. MAGISTER, T. Iuuentius. T. AVFIDIVS, is videtur eſſe, quem in oratione pro Flacco Aſiæ Prætorem vocat, & Valerius Maximus Proconſulem lib. ſexto cap. decimo, vbi docet gentem Aufidiam humilem fuiſſe, quamuis etiam Conſularis fuerit, vt in Conſulibus anni ab Vrbe Condita ſexcenteſimi octuageſimi tertii cognoſcitur. HORVM, quos paulo ante nominaui. NEC SANE PLVS, dicebat. FRATER, vel ex matre tantum, vel ex patre, & matre quidem, ſed in aliam familiam adoptatus. aliter enim Aufidius ipſe quoque diceretur. niſi forte Aufidius ipſe fuit adoptatus. M. VIRGILIVS, ne hunc quidem inuenimus. DIEM DIXIT, L. Syllæ ex Cappadocia reuertenti Cenſorinus, vt ait Plutarchus, δίκην ἔλαχε δώρων ὡς πολλὰ χρήματα συνειλοχότι παρὰ τ̃ νόμον ἐκ φίλης καὶ συμμάχου βασιλείας. Videtur igitur dicendum, vel

Plutarchum à Cicerone diſſentire: vel ab vtroque Virgilio, & Cenſorino, ſed diuerſo tempore, & diuerſa de cauſa, Syllam accuſatum fuiſſe: vel hunc M. Virgilium Cenſorinum, quod tamen adhuc non legimus: vel potius hic M. Verginium legendum, quando Plutarchus ita ſcribit in Sylla: κίννας δίκην ἐπὶ τῷ σύλλᾳ παρεσκεύασε, καὶ κατηγορεῖν ἐπέστησεν οὐεργίνιον ἕνα τῶν δημάρχων, hoc eſt, Cinna accuſationem Syllæ parauit, & accuſationi Verginium vnum ex Tribunis plebis præfecit: ſed tunc oportebit interpretari, Syllæ imperatori delecto contra Mithridatem, contra quem relicto iudicio profectus eſt. EIVS, M. Virgilii, vel M. Virginii. COLLEGA, in Tribunatu plebis. P. MAGIVS, hic obſcurus eſt, ſed Magii videntur Larinates fuiſſe ex oratione pro Cluentio. COPIOSIOR, ipſo P. Magio. SOLVTISSIMVM, aliter ſolertiſſimũ. NOSTRI ORDINIS, ſenatorii. Tunc enim Cicero erat ordinis ſenatorii, quamuis loco equeſtri ortus eſſet, vt diximus. Q. SERTORIVM, cuius vitam ſcribit Plutarchus, qui, quod ad eloquentiam pertineat, hoc ait: ἦν καὶ σερτώριος καὶ πρὸς δίκας ἱκανὸς, καὶ τινα δύναμιν ἐν τῇ πόλει μειράκιον ὢν ἀπὸ τοῦ λέγειν ἔσχεν. EQVESTRIS, ordinis. C. GORGONIVM, hominem nobis prorſus ignotũ.

Fuit etiam facilis, & expeditus ad dicendum, & vitæ ſplendore multo, & ingenio ſanè probabili T. Iunius L. filius Tribunitius: quo accuſante P. Seſtius Prætor deſignatus damnatus eſt ambitus. is proceſsiſſet honoribus longius, niſi ſemper infirma atque etiam ægra valetudine fuiſſet. Atque ego præclare intelligo, me in eorum commemoratione verſari, qui nec habiti ſint oratores, neque fuerint, prætericique à me aliquot ex veteribus commemoratione, aut laude dignos: ſed hoc quidem ignoratione. quid enim eſt ſuperioris ætatis, quod ſcribi poſsit de iis, de quibus nulla monimenta loquuntur nec aliorum, nec ipſorũ? de iis autem, quos ipſi vidimus, neminem ferè prætermittimus eorum, quos aliquando dicentes vidimus. volo enim ſciri, in tanta, & tam vetere Repub. maximis præmiis eloquentiæ propoſitis, omneis cupiſſe dicere, non plurimos auſos eſſe, potuiſſe paucos. ego tamen ita de vnoquoque dicam, vt intelligi poſſit, quem exiſtimem clamatorem, quem oratorem fuiſſe. Iiſdem ferè temporibus, ætate inferiores paulo quàm Iulius, ſed æquales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Varius, Cn. Pomponius, C. Curio, L. Fuſius, M. Druſus, P. Antiſtius: nec vlla ætate vberior oratorum fœtus fuit. ex his Cotta & Sulpicius, cum meo iudicio, tum omnium, facile primas tulerunt,

EXPEDITVS, aliter expolitus. T. IVNIVS L. FILIVS, tam pater, quàm filius in vetuſtatis quaſi tenebris latent. TRIBVNITIVS, qui Tribunus plebis fuerat. P. SESTIVS, exiſtimauimus olim hunc eſſe P. Seſtium, pro quo Ciceronis extat oratio: & ita ratiocinabamur: Cicero quidem loquitur hic de his, qui vel maiores ipſo natu, vel ipſi æquales fuerunt, ſed fieri tamen potuit, vt T. Iunius iam ſenex P. Seſtium iuuenem accuſarit:

itáque in noſtris etiam ϰαλῶς ſcripſimus. Nunc vero aliter ratiocinamur, P. Seſtium iuniorem fuiſſe, quàm vt Prætor deſignatus à quoquam eorum, qui hic numerantur, accuſari potuerit, præſertim quum mos eſſet, vt adoleſcentes, non ſenes, accuſarent, vt libro ſecundo de Officiis oſtenditur. Atq. P. Seſtium, quem Cicero defendit, non poſſe ſignificari hoc modo colliges: P. Seſtius, quem Cicero defendit, Tribunus plebis fuit P. Lentulo, & Q. Metello Conſulibus, vt ſatis conſtat ex Ciceronis orationibus: & anno ſequenti de vi fuit accuſatus, &, Cicerone defendente, abſolutus, vt oratio ipſa docet, & epiſtola tertia, & quarta libri ſecundi ad Q. fratrem. Tribunatum vero plebis Aedilitas ſequi ſolebat, & Aedilitatem Prætura ita tamen, vt inter Tribunatum, & Aedilitatem ſæpe plures, inter Aedilitatem, & Præturam duo minimum anni intercederent. at inter abſolutionem P. Seſtii, & Conſulatum Sulpicii, & Marcelli, quibus Conſulibus Cicero in Ciliciam Proconſul eſt profectus, quatuor anni ſummum numerantur: quibus haud equidem ſcio, an P. Seſtius Aedilis fieri, Aedilitatem gerere, Prætor deſignari, & deſignatus ambitus damnari potuerit. Illud quidem certe ſatis conſtat eum poſt Ciceronis in Ciliciam profectionem Romæ fuiſſe, epiſtola decima ſeptima libri quinti ad Atticum: & initio belli ciuilis literas quaſdam Pompeii ſcripſiſſe. Quin ego iuſto ſacramento contendam, tum demum P. Seſtium Prætorem fuiſſe. Siquidem Cicero epiſtola vigeſima tertia libri octaui ad Atticum, P. Seſtium numerat inter eos, qui erant cum imperio, qui videntur ii Prætores fuiſſe, quos Cæſar libro primo de Bello ciuili ſcribit paludatos votis nuncupatis exiiſſe. Illud accedit, quod idem Cicero refert epiſtola ſeptima libri vndecimi ad Atticum, à Cæſare P. Seſtio conceſſum poſtea fuiſſe, vt iiſdem lictoribus vteretur. Poſſit igitur hic videri pater P. Seſtii, præſertim quum Publius dicatur, vt filius patris prænomē quaſi de mo re referat, niſi Cicero P. Seſtium Lucii filium vocet epiſtola ſexta libri quinti Familiarium: quæ res facit, vt ego nunc demum putem, hunc, de quo nunc loquitur, vel illum eſſe, vel potius patrem illius P. Seſtii eſſe, ad quem epiſtolam decimam octauam libri quinti Familiarium ſcribit. nam vocat illum Publii filium, cuius etiam filium Publium videtur ibidem vocare, quum P. Seſtius ab ipſo defenſus oratione, quæ nunc extat, Lucii filius, & Lucii pater epiſtola ſexta libri quinti, & epiſtola octaua libri decimi tertii Familiarium dicatur. Illud item dici poteſt, Ciceronem in ea epiſtola, quam ſcribit ad P. Seſtium P. F. nullam mentionem beneficiorum facere, quæ à P. Seſtio acceperat, de quibus omnino aliquid dixiſſet, ſi ad ſuum P. Seſtium ſcriberet. Id etiam confirmat coniecturam, quod in eadem epiſtola legimus, illum P. Seſtium, quo tempore Cicero fuit reuocatus, diutius abfuiſſe, quum P. Seſtius Ciceronis amicus Romæ tum certe fuerit. lege orationem pro Seſtio, & librum ſecundum ad Q. fratrem. Seſtia gens plebeia fuit, quod Tribunatus plebis oſtendit, & Liuius, qui libro ſexto ſcribit, L. Seſtium de plebe primum Conſulem factum fuiſſe. PRAETOR, vrbanus. IS, T. Iunius L. F. ATQVE EGO, ad rem reditus, vt ſupra. QVID ENIM, αἰτιολογία, quare ſit hæc ignoratio: quia nemo de his oratoribus ſcripſit ita, vt cognoſci poſſint. IIS, oratoribus veteribus, quos prætereo. ALIORVM, ſcriptorum. IPSORVM, oratorum. Oratores enim Latini ſcripta, ex quibus iudicium fieri poſſet, non multa ſanè reliquerant, vt ait libro ſecundo de Oratore. DE IIS, oratoribus. ALIQVANDO DICENTES VIDIMVS, aliter aliquando vidimus. non male. nam forte dixiſſet: dicentes audiuimus. VOLO ENIM, αἰτιολογία, quare neminem prætermittat. TANTA, quanta fuit Romana, qua nulla vnquam maior fuit. VETERE,

annorum ſeptingentorum ſeptem, vel circiter. MAXIMIS, ita, vt nulla fuerint ampliora, libro primo de Oratore. PROPOSITIS, vel ad gratiã, vel ad opes, vel ad dignitatem, vt loquitur lib. primo de Oratore. OMNEIS, penè omneis. neque enim veriſimile eſt, omneis cupiſſe dicere; niſi reſpiciat ad illud, omnes ſcire deſiderant. plures quidem huic arti, quàm cæteris inſeruiebant, vt ipſe libro primo de Oratore teſtatur. NON PLVRIMOS, aliquot, vt eos, quos ſupra nominauit, λιτότης. AVSOS ESSE, dicere. POTVISSE, dicere. PAVCOS, memoria dignos perpaucos, vt L. Craſſum, M. Antonium, & alios, quos ſupra poſuit. EGO TAMEN, propoſitio quædam. DICAM, deinceps. IISDEM FERE TEMPORIBVS, quibus fuerunt illi, quos ſupra commemoraui. narratio quædam poſt illam propoſitionem. IVLIVS, C. Iulius Cæſar Strabo. ſupra. AEQVALES, C. Iulii Cæſaris, & inter ſe. nam Cotta, & Sulpicius C. Iulii Cæſaris æquales lib. ſecundo de Oratore, inter ſe vero libro primo, ſecundo, & tertio cognoſcuntur. C. COTTA, P SVLPICIVS, Q. VARIVS, CN. POMPONIVS, C. CVRIO, L. FVSIVS, M. DRVSVS, P. ANTISTIVS, de quibus omnibus eſt dicturus, ſed ordinem mutabit interdum: quem nos etiam ſequemur. M. DRVSVS, P. ANTISTIVS: NEC VLLA, aliter M. Druſus: nec vlla: omittitur, inquam P. Antiſtius. & ſane illum longe ab aliis infra ſeparat, vbi nos hac de re plura dicemus, & oſtendemus, vix ita legi poſſe, quamuis in Romano libro, vt aiunt, ita legatur. aliter M. Druſus patricius: nec vlla. nec ita legi poteſt, quando Liuia domus, vt in Tiberio ſcribit Suetonius plebeia fuit ita, vt M. Liuius Druſus patricius dici nõ poſſit. VBERIOR, quàm iſta ętate. FOETVS, trãſlatio. EX HIS, quos hic nominaui. QVVM MEO IVDICIO, TVM OMNIVM, ſic Horatius in arte poëtica: Tu quid ego, & populus mecum deſideret, audi. PRIMAS, primas partes. TVLERVNT, inter æquales.

Hic Atticus, Quo modo iſtuc dicis, inquit, cum tuo iudicio, tum omnium? ſemper ne in oratore probando aut improbando vulgi iudicium cum intelligentium iudicio congruit; an alii probantur à multitudine, alii autem ab iis, qui intelligunt? Recte requiris, inquam, Attice: ſed audies ex me fortaſſe, quod non omnes probent. An tu, inquit, id laboras, ſi huic modo Bruto probaturus es? Plane, inquam, Attice diſputationem hanc de oratore probando, aut improbando multo malim tibi, & Bruto placere: eloquentiam autem meam populo probari velim. etenim neceſſe eſt, qui ita dicat, vt à multitudine probetur, eundem doctis probari. nam quid in dicendo rectum ſit, aut prauum, ego iudicabo; ſi modo is ſum, qui id poſſim, aut ſciam iudicare; qualis vero ſit orator, ex eo, quod is dicendo efficiet, poterit intelligi.

ATTICVS, vt qui miraretur, iudicium multitudinis in hac re propemodum à Cicerone ſuo præponi, quum dicat illa verba: quum meo iudicio, tum omnium. atque hoc facit Cicero, vt delectandi cauſa more ſuo digrediatur. SEMPER NE, πρόβλημα, vel ζήτημα, quod infra ſoluet Cicero. INTELLIGENTIVM, qualis tu es. PROBANTVR A MVLTITVDINE, aliter probantur multitudine. AB IIS, QVI INTELLIGVNT, ab intelligentibus, paulo ante.

lo ante: ſed Cicero voluit variare. RECTE REQVIRIS, quoniam digna res eſt, quæ requiratur. AVDIES, de eo, quod requiris. AN TV, INQVIT, ID LABORAS, SI HVIC MODO BRVTO PROBATVRVS ES? quaſi dicat, neque laborare, neque curare debes, quid alii ſentiant, modo Brutus vir tantus probet, & aliquis Bruto ſimilis: quòd eius iudicium pluris, quàm omnium, id eſt multitudinis ſit faciendum. aliter an tu, inquit, adlaboraſſe huic modo Bruto probaturus es? male. MALIM TIBI, ET BRVTO PLACERE, malim tibi, & Bruto vt viris doctis, quàm populo, & indoctæ multitudini placere. POPVLO, à populo, à multitudine, cuius iudicio nos orationes probari volumus. popularis eſt enim iſta facultas, & effectus eloquentiæ eſt audientium approbatio, Tuſculana ſecunda. Itaque in dicendo vitium eſt vel maximum, à vulgari genere orationis, atq. à conſuetudine communis ſenſus abhorrere, libro primo de Oratore. Ob id Cicero vſum loquendi populo conceſsit, ſcientiam ſibì reſeruauit, vt ait in Oratore. atque hæc quidem omnia vt orator ſcribit, vt Philoſophus vero longe aliter & ſentit, & loquitur. VELIM, non dixit, malim: quoniam & à multitudine, & ab ipſis volebat probari. ETENIM, αἰτιολογία, quare velit eloquentiam ſuam populo probari. QVI ITA DICAT, aliter qui dicat, male, quamuis ſic etiam legi poſsit. NAM, αἰτιολογία αἰτιολογίας. RECTVM SIT, AVT PRAVVM, ἀντίθετον. EGO, vt vir doctus, & præſertim artis dicendi peritus. SI MODO IS SVM, vitat arrogantiam.

Tria ſunt enim, vt quidem ego ſentio, quæ ſint efficienda dicendo; vt doceatur is, apud quem dicetur, vt delectetur, vt moueatur vehementius. quibus virtutibus oratoris horum quidque efficiatur, aut quibus vitiis orator aut non aſſequatur hæc, aut etiam in his labatur & cadat, artifex aliquis iudicabit. efficiatur autem ab oratore, nec ne, vt ii, qui audiunt, ita afficiantur, vt orator velit; vulgi aſſenſu, & populari approbatione iudicari ſolet. itaque nunquam de bono oratore, aut non bono doctis hominibus cum populo diſſenſio fuit. an cenſes, dum illi viguerunt, quos ante dixi, non eoſdem gradus oratorem vulgi iudicio doctorum fuiſſe? de populo ſi quem ita rogauiſſes, Quis eſt in hac ciuitate eloquentiſsimus? in Antonio & Craſſo aut dubitaret, aut hunc alius, illum alius diceret. nemo ne Philippum, tam ſuauem oratorem, tam grauem, tam facetum, his anteferret, quem noſmetipſi, qui hæc arte aliqua volumus expendere, proximum illis fuiſſe diximus? nemo profecto. id enim ipſum eſt ſummi oratoris, ſummum oratorem populo videri. Quare tibicen Antigenidas dixerit diſcipulo ſanè frigenti ad populum, Mihi cane, & muſis: ego huic Bruto dicenti, vt ſolet, apud multitudinē. Mihi cane & populo mi Brute, dixerim: vt qui audient, quid efficiatur, ego, etiam cur id efficiatur, intelligam. Credit iis, quæ dicuntur, qui audit oratorem; vera putat; aſſentitur; probat; fidem facit oratio. tu artifex quid quæris amplius? delectatur audiens multitudo, & ducitur oratione, & quaſi voluptate

quadam perfunditur. quid habes, quod diſputes? gaudet, dolet: ridet, plorat: fauet, odit: contemnit, inuidet: ad miſericordiam inducitur, ad pudendum, ad pigendum: iraſcitur, miratur: ſperat, timet: hæc perinde accidunt, vt eorum, qui adſunt, mentes verbis, & ſententiis, & actione tractantur. quid eſt, quòd expectetur docti alicuius ſententia? quod enim probat multitudo, hoc idem doctis probandum eſt. denique hoc ſpecimen eſt popularis iudicii, in quo nunquam fuit populo cum doctis intelligentibusque diſſenſio. cum multi eſſent oratores in vario genere dicendi, quis vnquam ex his excellere iudicatus eſt vulgi iudicio, qui non idem à doctis probaretur? quando autem dubium fuiſſet apud patres noſtros eligendi cui patroni daretur optio, quin aut Antonium optaret, aut Craſſum? aderant multi alii: tamen, vtrum de his potius, dubitaſſet aliquis; quin alterum, nemo. quid, adoleſcentibus nobis, cum eſſet Cotta & Hortenſius, num quis, cui quidem eligendi poteſtas eſſet, quenquam his anteponebat?

TRIA SVNT, idem non ita multo poſt repetit, & in Oratore ita ſcribit: erit eloquens is, qui in foro, cauſiſque ciuilibus ita dicet, vt probet, vt delectet, vt flectat: & in libello de Optimo genere oratorum: optimus eſt orator, qui dicẽdo animos audientium & docet, & delectat, & permouet: quod ipſum probauit etiam libro ſecundo de Oratore, & Quintilianus libro tertio capite quinto, nec aduerſatur Rodolphus Agricola libro primo capite primo, ſed Lippus Brandulinus in libris de Ratione ſcribendi, quos annis ſuperioribus emendauimus ipſi, delectare in mouendi parte collocandum putat, quòd delectare nihil aliud eſſe dicat, quàm animum ad lætitiam, ad voluptatem, ad cupiditatem, & ſpem concitare. verũ Cic. aliam rationem ſecutus videtur: quamuis in Partitionibus ipſe quoque duo tãtum ponat. hac etiam de re ſupra, vbi de Ser. Galba loquitur, quædam diximus. ENIM, αἰτιολογίᾳ, qua probat, intelligi poſſe, qualis orator ſit ex eo, quod is dicendo efficiat. VT QVIDEM EGO SENTIO, quamuis alii aliter ſentiant, qui totũ opus in res, & affectus partiuntur, vt ait Quintilianus libro tertio capite quinto. DOCEATVR, quod eſt debitum, vide libellum de Optimo genere oratorum. nam probare, ſiue docere neceſsitatis eſt, vt inquit in Oratore: quod in attenuato dicendi genere commode fieri ſolet. vnde oratores, qui in eo genere verſantur, in Oratore dicuntur tenues, acuti, omnia docentes. IS, APVD QVEM DICETVR, auditor, [illegible]. DELECTETVR, quod eſt honorarium, vt in libello de Optimo genere oratorum dicitur, & in oratore ſuauitatis eſſe: quod oratores mediocres efficiunt: ſiquidem modicum genus, vt ait in Oratore, eſt in delectando. MOVEATVR, quod eſt neceſſarium, vt affirmat in libello de Optimo genere oratorum: quod item ſit victoriæ, vt ait in Oratore, vbi docet, hoc effici ab his oratoribus, qui vehementes, graues, copioſi, & grandes appellantur. VEHEMENTIVS, hinc genus dicendi, in quo verſantur oratores, qui hoc faciunt, in Oratore vehemẽs vocatur. QVIBVS VIRTVTIBVS, ſenſus eſt: vir aliquis doctus facile iudicabit, quibus virtutibus orator docere, vel delectare, vel mouere poſsit, ac

ſoleat:

ſoleat:quibuſque rurſus vitiis neque docere, neque delectare, neque mouere poſsit,aut certe in his labi,& cadere ſoleat:populus vero iudicabit, dicendóne orator doceat,delectet, & moueat,an contrà nihil horum faciat. atque hæc differentia eſt inter doctos, & multitudinem. QVIBVS VIRTVTIBVS ORATORIS, quibus virtutibus oratoriis, vt forte legendum eſt, vt ſupra de Catone. HORVM, horũ trium,quæ diximus, QVIBVS VITIIS, ἀσύνδετον. HAEC, hæc tria,de quibus loquimur. IN HIS, in his tribus. ARTIFEX ALIQVIS, Rhetor aliquis:aliquis, qui dicendi artem norit. IVDICABIT, quippe qui artem dicendi norit ita,vt poſsit iudicare,nec illud audire, ne ſutor vltra crepidam,aut illud,quam quis norit artem,in hac ſe exerceat. Poterit vero iudicare,quia ſcit, in arte ſcriptum eſſe,quibus argumentis, & rationibus orator docere, vel probare debeat, libro ſecundo ad Herennium,vt alios libros nunc mittam:quæ verba, quæ facetiæ delectent:quæ res animos auditorum moueãt,libro ſecundo de Oratore. EFFICIATVR, vnde poſsit intelligi, qualis orator ſit. II, QVI AVDIVNT, auditores. AFFICIANTVR, aut doceantur,aut delectentur,aut moueãtur. VT ORATOR VELIT, qui certe vult vel docere, vel delectare,vel mouere,vel omnia hæc ſimul facere. VVLGI ASSENSV, ET POPVLARI APPROBATIONE IVDICARI SOLET, popularis eſt enim iſta facultas,& effectus eloquentię eſt audientium approbatio,vt ſupra ex Tuſculana ſecunda retulimus. ITAQVE, quum res ita, vt diximus, habeat. BONO, probando,ſupra. NON BONO, improbando,ſupra, ἀσύνδετον. DOCTIS HOMINIBVS CVM POPVLO DISSENSIO FVIT, etſi doctis hominibus cum populo hac de re diſſenſio nunquam fuit,ne mihi quidem eſſe debet:ſed potius eſt dicendum, quum meo iudicio,tum omnium, vt ſupra dixi. AN CENSES, probat per interrogationem,nunquam doctis hominibus cum populo hac de re diſſenſionem fuiſſe. ILLI, L. Craſſus, M. Antonius, L.Philippus, L. Gellius,L. Scipio,& reliqui. ANTE, ante,quàm ad C. Cottæ, & P.Sulpicii ætatẽ peruenirem. FVISSE? quaſi dicat: vulgus,& docti gradus oratorum eoſdem, non diuerſos faciebant, & idem de illis iudicabant. ROGAVISSES, quiſpiam rogauiſſet. QVIS, μίμησις. ANTONIO, ET CRASSO, M. Antonio, & L.Craſſo,ſupra. DVBITARET, quòd multi pares illos iudicabant, ſupra. HVNC, L.Craſſum,quem multi Antonio anteponebant,ſupra. ILLVM, M.Antonium,cui multi primas eloquentiæ tribuebant, vt videbis in Oratore. DICERET, eloquentiſsimum. PHILIPPVM, L.Philippum,ſupra. TAM SVAVEM ORATOREM, TAM GRAVEM, TAM FACETVM, in eo ſuprà libertatem,& facetias agnouit. HIS, M. Antonio,& L.Craſſo. NOSMETIPSI, qui docti ſumus. HAEC, quæ ad oratores pertinent. ARTE ALIQVA, quam didicimus. VOLVMVS, vt docti. PROXIMVM, ſed longo interuallo tamen proximum,ſupra. ILLIS, M.Antonio, & L.Craſſo. DIXIMVS? diximus,& diximus idem,quod aliquis de populo rogatus etiam diceret. NEMO PROFECTO, nemo profectò L.Philippum M. Antonio,& L.Craſſo anteferret. Subiectio quædam. ID ENIM, αἰτιολογία, quare nemo anteferret, quia nemini ex populo videbatur anteferendus: & γνώμη, qua concludit,eum ſummum oratorem eſſe, qui populo ſummus orator eſſe videatur. TIBICEN, tibicen à Valerio Maximo libro tertio capite ſeptimo, & à Gellio libro decimo quinto capite decimo ſeptimo,& μονῳδὸς αὐλῳδὸς à Suida vocatur. ANTIGENIDAS, ἀντιγενίδης ſcribitur à Suida, vnde Antigenides verti deberet,ſed ἀντιγενίδας à Plutarcho in Demetrio, & Antigenidas à Latinis Cicerone, Valerio Maximo, Gellio, & aliis ſemper appellatur: qui Θηβαῖος fuit, vt ait Suidas. DIXERIT, συγχώρησις. DISCI-

PVLO, Iſmeniæ, vt multi putant. FRIGENTI AD POPVLVM, parum feliciter populo ſe approbanti, vt ait Valerius Maximus. MIHI, tuo magiſtro, & huius artis perito ſic, vt hac de re poſſim iudicare, quod populus imperitus facere neſciat. CANE, quando friges ad populum. MVSIS, quæ nihil ſint, niſi μέλοσ ἁρμονικὸν, & ob id Orpheus putauit μοῦσαι quaſi μελοῦσαι dictas fuiſſe. EGO, quaſi contrà. HVIC BRVTO, qui nobiſcum loquitur. DICENTI, cauſas agenti, oranti. DICENTI, VT SOLET, dicenti, quod ſæpe facit. Appium enim, Deiotarum, & alios defendit, vt diximus, & dicemus. vel dicenti, vt ſolet, dicenti eo modo, quo ſolet, & eo genere dicendi vtenti, quod ipſe probat: de quo ſupra nos diximus. Eſt enim ἀστεϊσμὸσ, ne videatur Brutum prorſus reprehendere, quem tamen, aliud agens, modeſte monet, vt eo dicendi genere vtatur, quod & à doctis, & à populo probetur. APVD MVLTITVDINEM, in foro, & concione. quod ſi populum dixiſſet, concionem tantum complecti videretur. MIHI, vt homini docto. POPVLO, cui ſummum oratorem videri, id ipſum eſt ſummi oratoris: ſupra. MI BRVTE, blande loquitur, ne monens offendat. DIXERIM, ego quidem amico, ſed Antigenidas ſuo diſcipulo dixit. VT, ſi quemadmodum interpreteris, ſic, particula paulo poſt requiritur: ſin, velut, vt qui audiat, vel, vt qui audiant, legas neceſſe eſt, & dicas: cane populo, velut qui audiant. Verũ ſi paulo accuratius conſideraueris, hanc particulam, vt, hic ſuperuacaneam veluti ex ſuperioris verbi fine factam cognoſces. nos, vt nunc eſt, eam tollendam iudicamus, & ſic interpretandum: qui audient, intelligent, quid efficiatur. ego etiam, cur id efficiatur, intelligam: qui ſenſus ſupra etiam eſt expreſſus. Potes tamen etiam ſic interpretari: tu cane, vt illi, qui audient, intelligãt, & vt ego intelligam. niſi enim canas, neque illi, neque ego poſſim intelligere, quid efficiatur, aut cur efficiatur. QVI AVDIENT, QVID EFFICIATVR, auditores intelligent, & approbatione iudicabunt: efficiatur ab oratore necne, vt ipſi, qui audiunt, ſic afficiantur, vt orator velit, ſupra. EGO, vt vir doctus, vt artifex, ſupra. CVR, quibus virtutibus oratoriis, ſupra. ID, aliter ita. INTELLIGAM, ex arte. CREDIT, probat Cicero, quod dixerat, eos, qui audient, intellecturos, quid efficiatur. & probat Cicero, quod diximus, & dum probat, probat item oratorem efficere illud primum è tribus, vt doceat: vtiturque oratione ſubtili, & preſſa, qualis tribuitur oratori tenui, qui docet commode, vt oſtendit in Oratore. atque hoc quidem loco, ſi, particula videri poteſt neceſſaria. DICVNTVR, ab oratore. QVI AVDIT ORATOREM, qui eſt auditor oratoris, quicunque is auditor ſit. VERA PVTAT, ASSENTITVR, PROBAT, auditor, & eſt articulus. FIDEM FACIT, auditori. ORATIO, quam dicit orator: qui dum facit hæc, illud efficit, vt doceat, quod è tribus eſt primum, ſupra. TV ARTIFEX, tu, qui ex arte vis iudicare. QVID QVAERIS AMPLIVS? quum ea fiant, quæ ad docendum pertineant, omnia, & auditor ea fieri cognoſcat, quid tu ex arte tua potes addere? atque hoc quidem primæ parti appoſuit, vt ſecundæ, & tertię illud idem penè, ſed diuerſis verbis apponet. DELECTATVR AVDIENS, quod eſt ſecundum ex tribus, quæ oratori ſunt efficienda: quod dum refert Cicero, exprimit nobis orationem, qua mediocres oratores, qui potiſſimum delectant, vtuntur: quam illuſtrant quaſi ſtellæ quædam tranſlata verba, atque immutata, vt ait in Oratore: & hic verba transfert, vt videre licet. DVCITVR ORATIONE, tranſlatio. QVASI, tranſlationem, quam putat paulo duriorem, hac particula, quaſi, mollit, vt libro tertio de Oratore præcipit. VOLVPTATE QVADAM PERFVNDITVR, ſic Demetrius Phalereus animos ſuauitate perfundebat, ſupra. QVID HABES, QVOD DISPV

DISPVTES? tu artifex quid potes hic diſputare? reſpondendum eſt, nihil. GAVDET, gaudet, dolet, & cætera, quæ hic dicuntur, facit, id eſt mouetur ab oratore, à quo diximus tertio loco hoc efficiendum eſſe: quod quo pacto ſit efficiendum, M. Antonius lib. ſecundo de Orat. docet, ſed Cic. hic exprimit orationem, qua ſoleat orator vti in permouendo. Genus enim orationis, quod in Oratore vocat παθητικὸν, vehemens eſſe debet, incenſum, & incitatum: oratores vero, qui hoc genere vtuntur, & hoc efficiunt, ſunt vehementes, varii, copioſi, graues, ad permouendos, & conuertendos animos inſtructi, & parati, vt in Oratore deſcribuntur. hic eſt frequens ἀντίθετον ἀσύνδετον, & πάρισον. VERBIS, ET SENTENTIIS, ET ACTIONE, epilogus quidam complectens ſuperiora: quòd verbis doceamus, ſententiis delectemus, actione magis moueamus. TRACTANTVR, ab oratore. QVID EST, nihil eſt, reſpõde. QVOD ENIM, αἰτιολογία, quare docti ſententia nõ ſit expectanda. OISSENSIO, ſupra. ESSENT, olim. QVIS, quaſi dicat, nullus. QVANDO AVTEM, ab exemplo. ANTONIVM, M. Antoniũ, ſupra. OPTARET, eligeret, adoptaret: paulo ante optio ponitur. ADERANT, erant, tũc viuebãt. MVLTI ALII, vt Catulus, Philippus, & alii. VTRVM, optaret. DE HIS, M. Antonio, & L. Craſſo. ALTERVM, optaret. NEMO, dubitaſſet. QVID ADOLESCENTIBVS NOBIS, iterũ ab exemplo. ESSET, orator. COTTA, ET HORTENSIVS, de quibus infra dicetur. NVM QVIS, num quis anteponebat? quaſi dicat, nullus. ELIGENDI, optandi. POTESTAS ESSET, nõ videtur poteſtas omnibus fuiſſe patronos eligẽdi, vt hinc colligi poteſt, & ex verbis, quæ lib. ſecũdo de Orat. ita leguntur: vt ille Siculus, cui Prætor Scipio patronũ cauſę dabat hoſpitem ſuũ hominẽ nobilem, ſed admodum ſtultũ, quæſo, inquit, Prætor aduerſario meo da iſtũ patronũ. nam ſi Prætor quibuſdam dabat, nõ erat omnibus poteſtas eligẽdi. In nõnullis certe ciuitatibus patroni publice conſtituebãtur, vt in oratione pro Muræna dicitur. Plures tamẽ patronos eligebant, vt ſatis cõſtat, & infra ſæpe legitur, ad Philippũ confugiebat: ſed Prætor iis dabat, qui nõ habebant, vt oſtendit Vlpianus lib. tertio titulo primo Digeſtorũ, ait Prætor, ſi nõ habebunt aduocatum, ego dabo. QVENQVAM, ex æqualibus. HIS, Cottæ, & Hortenſio.

Tum Brutus, Quid tu, inquit, quæris alios? de te ipſo non nequid optarent rei, quid ipſe Hortẽſius iudicaret, videbamus? qui cum partiretur tecũ cauſas, (ſæpe enim interfui) perorandi locũ, vbi plurimũ pollet oratio, ſemper tibi relinquebat. Faciebat ille quidem, inquam, & mihi beneuolentia credo ductus tribuebat omnia. ſed ego, quæ de me populi ſit opinio, neſcio: de reliquis hoc affirmo, qui vulgi opinione diſertiſsimi habiti ſint, eoſdem intelligentium quoq. iudicio fuiſſe probatiſsimos. nec enim poſſet idem Demoſthenes dicere, quod dixiſſe Antimachũ Clarium poëtã ferunt. qui cum conuocatis auditoribus legeret eis magnũ illud, quod nouiſtis, volumen ſuũ, & eum legentem omnes præter Platonem reliquiſſent, Legam, inquit, nihilo minus: Plato enim mihi vnus inſtar eſt omniũ. me illum. & recte: poëma enim reconditum paucorum approbatione, oratio popularis ad ſenſum vulgi debet moueri. at ſi eundẽ hunc Platonẽ vnum auditorem haberet Demoſthenes; cum eſſet relictus à cæteris, verbum

facere non poſſet, quid tu Brute poſſes, ſi te, vt Curionem quondam, concio reliquiſſet? Ego vero, inquit ille, vt me tibi indicem, in eis etiam cauſis, in quibus omnis res nobis cum iudicibus eſt, non cum populo, tamen, ſi à corona relictus ſim, non queam dicere.

REI, vt vulgus. HORTENSIVS, vt homo doctus, cui cum populo in ea re nulla vnquam fuit diſſenſio. VIDEBAMVS, ante bellum ciuile. PARTIRETVR, vtitur hoc verbo, loquens de Hortenſio, qui partitiones attulerat, infra. CAVSAS, quas ſimul defendebatis, & in quibus coniunctiſſime verſabimini, infra. SAEPE ENIM, αἰτιολογία, quare hoc dicere poſſit, vel ſciat. INTERFVS, dum vos diceretis. PLVRIMVM POLLET ORATIO, quòd ibi aut perturbentur, aut tranquillentur animi, vt ait in Topicis. hinc docet in Oratore, perorationem inflammatam, reſtinguentémque concludere. TIBI, qui excellere in peroratione videbaris, in Oratore. RELINQVEBAT, vt alii: qua quidem de re ſic in Oratore ſcribit: Quid ego de miſerationibus loquar? quibus eo ſum vſus pluribus, quòd etiamſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant: in quo vt viderer excellere nõ ingenio, ſed dolore aſſequebar. ſic pro Muræna, & pro Cornelio Balbo perorauit. Relinquebant autem perorandi locũ Ciceroni, quòd inferiores patroni prius dicebãt, & vti quemq. patronorũ minimum putabant, ita eum primum volebant dicere, vt lib. ſecundo de Orat. legimus, FACIEBAT, perorandi locũ relinquebat. ILLE, Hortenſius. BENEVOLENTIA, vt in exordio huius libri eſt dictũ. CREDO, quamuis pleriq. aliter ſentirent, ibidem. TRIBVEBAT OMNIA, & ſic vt doctus bene de me iudicabat, vt Brute dixiſti. ordinem vero vertit in reſpondendo Cicero, quoniam de populi iudicio plura dicturus erat, vt poſtea dicit. DE ME, vt oratore. POPVLI, quos tu reos Brute dixiſti. NESCIO, neſcire volo, quia de me nihil eſt neceſſe dicere, vt ſupra dixit. HOC AFFIRMO, quod etiam ſupra ſæpius affirmaui. NEC ENIM, αἰτιολογία. DEMOSTHENES, quiuis orator bonus, qualis fuit Demoſthenes. ANTIMACHVM, Hipparchi filium, vt Suidas, & Lilius ſcribunt. CLARIVM, à Claro monte, de quo meminit Vibius Sequeſter, qui putat ab eo monte Clarium Apollinem etiam vocatum fuiſſe. alii Clarum vrbem fuiſſe putant, certe locum Colophoni vicinum, vnde Apollo Clarius, & Antimachus Clarius poëta ſint appellati: vt ab Ouidio elegia quinta libri primi de Triſtibus: nec tantũ Claro Lyde eſt dilecta poëtæ. Hic tamẽ in aliis libris legimus, clarũ, fortaſſe melius: quòd vt dicimus ſæpe exẽpli cauſa, Virgilius nobilis, & clarus poëta, ſic raro dicimus, Virgilius Mantuanus poëta. Antimachus præterea Colophonius à Suida, Athenæo, & aliis, nõ Clarius appellatur: Quòd ſi quis arguat, Clarum locũ Colophoni vicinũ fuiſſe, & à vicinis locis licere claros homines appellare, dicã poëtis, non oratoribus, & hiſtoricis hoc ipſum concedi. POETAM, ita, vt vnus ſit è ſex illis, qui per excellentiã poëtæ nominantur, vt interpres Oppiani ſcribit, & Lilius refert. FERVNT, ſcriptores, quos nobis videre non licuit: niſi forte famam ſequitur. QVVM CONVOCATIS, concurſus, de quo ſupra. aliter quum vocatis. AVDITORIBVS, qui audirent carmina, quæ poëtæ legebant: qua de re Iuuenalis, Martialis, & Horat. & alii ſæpe queri ſolẽt, quòd poëtæ nimis acerbi recitatores eſſent, quos ſemel arripuiſſent, legẽdo penè occidentes, vt ait Horat. in arte: quos quidẽ poëtas Cic in epiſtolis ad Q. fratrem μουσοπατάγους, vel, vt alii legũt, μουσοπατάκτους appellat.

LEGE

LEGERET, recitaret. MAGNVM ILLVD, QVOD NOVISTIS, VOLVMEN SVVM, Thebaida, quod opus magnum fuit. nam libros quatuor & viginti ſcripſit ante, quàm duces ad vrbem perduceret, vt Lilius in Poëtis refert. PLATONEM, quo fuit paulo ſenior Antimachus. γέγονε γὰρ πρὸ πλάτωνος, vt ait Suidas. VNVS, prouerbium, vnus multorum inſtar. ME ILLVM, alii legunt, merito ille, male, quum quia ſic multæ literæ ſunt addendæ: tum quia bis idem penè diceret, merito & recte. alii, millium, non fortaſſe male, vt ſit: omnium millium, κατ' ὑπερβολὴν pro eo, quod Cicero dixit epiſtola quinta libri ſecundi ad Atticum, vnus pro centum millibus: & epiſtola decima libri decimi ſexti, εἷς ἐμοὶ μύριοι: qua in re ὑπερβολὴ mollit id, quod durum in locutione videri poſſit, quòd non ita frequenter, omnia millia, dicamus. Si quis tamen hoc non probat, videat, an legi poſſit: hæc illum, vt addatur in verborum conſtructione, dixiſſe ferunt: vel, militum, id eſt, vnus inſtar omnium militum, quod olim fortaſſe aliquis imperator dixerat, & tunc Antimachus vſurpauit. ET RECTE, dixiſſe ferunt. idem propè dixit Arbuſcula apud Horatium ſatyra decima libri primi. POEMA ENIM, αἰτιολογία, quare recte dixerit. POEMA ENIM RECONDITVM PAVCORVM APPROBATIONE, ORATIO POPVLARIS AD SENSVM VVLGI DEBET MOVERI, locutio, vt opinor, mouit viros doctos, vt exiſtimarint, hic aliquid mutandum. Non enim ſatis latine dicitur, poëma debet moueri approbatione paucorum: vel, oratio debet moueri ad ſenſum vulgi. Itaque legunt hoc modo: poëma enim reconditum paucorum approbationē, oratio popularis aſſenſum vulgi debet mereri: quod latine dici videatur, vt laudem mereri. nos tamen quum ex coniectura, tum ex libro etiam veteri ſic legendum putamus: poëma enim reconditum paucorum approbationem, oratio popularis aſſenſum vulgi debet mouere. nam mouere approbationem ſæpe apud Ciceronem leges. PAVCORVM, nam bonus poëta paucis etiam lectoribus debet eſſe contentus, vt ſatyra decima libri primi Horatius oſtendit. ORATIO POPVLARIS ASSENSVM VVLGI, ſingula ſingulis, oratio poëmati, popularis recondito, aſſenſus approbationi, vulgus paucis opponuntur. AT, contrà. EVNDEM, quem habuit Antimachus. DEMOSTHENES, quilibet orator bonus, vt paulo ante. ESSET RELICTVS, Antimachus. VERBVM FACERE NON POSSET, quoniam in conuentu, & frequentia oratorū ſtudia niti ſolent, quòd alaeritatem populi concurſus ſoleat afferre, vt in oratione pro Deiotaro refert? QVID TV BRVTE POSSES, lego: quid tu Brute? poſſes, hoc eſt: quid tu Brute faceres? poſſes verbū facere? CVRIONEM, de quo paulo poſt, vt ſumus polliciti, dicemus. QVONDAM, reliquit, infra. CONCIO, vniuerſa. RELIQVISSET? vel relinqueret, vel paulo ante, potuiſſes, videtur debuiſſe dicere, niſi mutet ſæpe tempora. ILLE, Brutus, CVM IVDICIBVS EST, in foro, vbi cauſæ ſolent agi. NON CVM POPVLO, in roſtris, in concione. A CORONA, ab his, qui in foro, dum cauſæ aguntur, ſolent adeſſe, quos Aſconius coronā populi circum ſubſellia ſtantē interpretatur, recte, ſi omittat vocē, populi. nā populi cōcio, nō corona, vt hic apparet, dicitur: etſi populus pro multitudine ponitur. à corona igitur, nedū à cōcione, RELICTVS SIM, cōcurſus, vt ille à principio, cōſecutus ſum. & fortaſſe locutio, qua Brutus vteretur. nā Cic. meo quidē iudicio, dixiſſet, relinquar. & relictus ſim, vt Curio relictus fuit.

Ita ſe, inquam, res habet: vt, ſi tibiæ inflatæ non referant ſonum, abiiciendas eas ſibi tibicen putet: ſic oratori populi aures tanquam tibiæ ſunt: eæ ſi inflatum non recipiunt, aut ſi

auditor omnino tanquam equus non facit, agitandi finis faciendus eſt. hoc tamen intereſt, quòd vulgus interdum non probandum oratorē probat, ſed probat ſine comparatione, cum à mediocri, aut etiam à malo delectatur; eo eſt contentus, eſſe melius non ſentit: illud quod eſt, qualecunque eſt, probat. tenet enim aures vel mediocris orator, ſit modo aliquid in eo: nec res vlla plus apud animos hominum, quàm ordo & ornatus orationis valet. quare quis ex populo, cum Q. Scæuolam pro M. Coponio dicentem audiret in ea cauſa, de qua ante dixi, quidquam politius, aut elegantius, aut omnino melius aut expectaret, aut poſſe fieri putaret? cum is hoc probare vellet, M. Curium, cum ita hæres inſtitutus eſſet, ſi pupillus ante mortuus eſſet, quàm in ſuam tutelam veniſſet, pupillo non nato hæredem eſſe non poſſe: quid ille non dixit de teſtamentorum iure, de antiquis formulis? quid, quemadmodum ſcribi oportuiſſet, ſi etiam filio non nato hæres inſtitueretur? quàm captioſum eſſe populo, quod ſcriptum eſſet negligi, & opinione quæri voluntates; & interpretatione diſertorum, ſcripta ſimplicium hominum peruertere? quàm ille multa de autoritate patris ſui, qui ſemper ius illud eſſe defenderat? quàm omnino multa de conſeruando iure ciuili? quæ quidem omnia cum perite, & ſcienter, tum & breuiter, & preſſe, & ſatis ornate, & perreleganter diceret; quis eſſet in populo, qui aut expectaret, aut fieri poſſe quidquam melius putaret?

ITA, vt diximus. VT, comparatio, ſiue ſimilitudo. NON REFERANT, non reddant. SONVM, intra ipſas quaſi conformatum. PVTET, cur enim velit habere, quas inutiles videat. SIC, ἀντιστρόφως. EAE, aures populi tanquam tibiæ. INFLATVM, oratoris vocem, tanquam inflatum. NON RECIPIVNT, ſed audire recuſant, relicto oratore. AVT SI, altera ſimilitudo. OMNINO, omnino equus non facit: vel locutio eſt, qua veteres in hac re vtebantur, volentes ſignificare, equum non laborare, nec ſimul contendere, quamuis illum agitaret auriga, quòd facere cum aliquo, facere vnà, pro ſimul ſentire, & quaſi idem facere boni ſcriptores dicunt: vel in hoc verbo, omnino, mendum eſt: quod tamen non ita facile tolli poteſt. Videtur quidem certe debere verbum eſſe, quod ſimul, ὁμόσε, ὁμοῦ, aut tale quid ſignificet, quod pertineat ad curſum conficiendum, quem agitator non poſſit conficere, niſi ſimul equus laboret. Quin ſi nolit equus currere, aut non poſſit, agitator ceſſet, neceſſe eſt. TANQVAM, hæc particula oſtendit eſſe ſimilitudinem. EQVVS, ἵππος, nec vllo modo æquus cum diphthongo, vt quidam volunt, legi poteſt, quando ſatis ex ipſis verbis apparet, Ciceronem de equo animali loqui, quem in certaminibus aurigæ agitabant. AGITANDI, impellendi: hinc agitatores aurigę dicebantur, qui equos in Circenſibus, aliiſq. certaminibus agitabant, de quibus ſæpe fit mentio à ſcriptoribus, quum factiones illorũ deſcribunt. FINIS FACIENDVS EST, equus enim, qui non faciat, agitatur fruſtra. Itaque melius eſt agitandi finem facere, quàm fruſtra laborare.

HOC,

HOC, quod ſequitur. TAMEN, quamuis diſputarim ſupra nunquam populo cum doctis hac in re diſſenſionem fuiſſe. INTEREST, inter vulgus, & hominem doctum. & prius quidem, quod ad vulgus pertinet, exponit: deinde, quod ad hominem doctum, ſed differt in eum vſque locum: at vero intelligens, & doctus. NON PROBANDVM, improbandum, ſupra. PROBAT, probat non probandum, ὀξύμωρον quoddam. SED, niſi hoc addidiſſet, contraria dicere videretur. nam ſupra dixerat: neceſſe eſt, qui dicat, vt à multitudine probetur, eundem à doctis probari. SINE COMPARATIONE, ſic ſupra de Q. Catulo dixit. QVVM A MEDIOCRI, AVT ETIAM A MALO DELECTATVR, aliter quum mediocri, aut etiam malo delectetur. EO, oratore mediocri, vel etiam malo. CONTENTVS, vulgus contentus eſt, latine dici, Grammatici facile probant: ego tamen hic malim legere, cõtentum, quòd Ciceronem ſic frequentius loqui videam. NON SENTIT, vulgus. TENET ENIM, αἰτιολογία, quare probet. AVRES; aures populi, tanquam ſuas tibias, ſupra. VEL MEDIOCRIS, nedum vehemens. ALIQVID, quo tenere poſsit. IN EO, in oratore mediocri. NEC RES, γνώμη ORDO, ET ORNATVS, quibus mediocres oratores vtuntur. afferunt enim æqualitem: omnémque orationem ornamentis modicis verborum, ſententiarúmque diſtinguunt, vt in Oratore loquitur. QVARE, ab exemplo per interrogationem. Q. SCAEVOLAM, Pontificẽ, ſupra. M. COPONIO, Coponii teſtatoris propinquo, vt ſupra diximus. DICENTEM, & ex ſcripto teſtamentorum iura defendentem, vt lib. primo de Oratore legitur. IN EA CAVSA, in cauſa M. Curii, quam ſupra expoſuimus. DIXI, vbi de L. Craſſo, & Q. Scęuola ſum locutus. POLITIVS, nam Scæuola lib. primo de Oratore maxime limatus, & ſubtilis appellatur. ELEGANTIVS, Scæuola parcorum elegãtiſsimus ſupra vocatus eſt. MELIVS, nihil enim Scæuola, & Craſſo in noſtra ciuitate fuit præſtantius, ſupra. IS, Q. Scæuola. HOC, quod ſequitur. INSTITVTVS, ſubſtitutus. hæredes enim inſtituti dicuntur primo gradu, ſubſtituti, ſecundo, vel tertio, vt ait Modeſtinus libro vigeſimo octauo titulo ſexto Digeſtorum. at hic pupillus erat hæres inſtitutus, M. Curius ſubſtitutus: ſed Cicero hanc diſtinctionem noluit ſeruare, ſed dicere, hæredem ſecundum inſtituere. Itaq. hoc loco ſic interpretandum eſt: hæres ſecundus inſtitutus: quamuis Boëtius in Topicis dicat, hæredem ſecundum ſubſtituit: quum dicendum ſit vel cum Cicerone, hęredem ſecundum inſtituere, vel cum iuriſconſultis, hæredẽ ſubſtituere: poſſes etiam dicere more Ciceronis, hæredem inſtituere ſecundũ filium. Sic enim lib. primo de Orat. loquitur. SI PVPILLVS ANTE MORTVVS ESSET, QVÀM IN SVAM TVTELAM VENISSET, ſi filius natus eſſet in decẽ menſibus, iſq. mortuus prius, quàm in ſuã tutelam veniſſet, in Topicis. QVÀM IN SVAM TVTELAM VENISSET, quàm teſtamentũ iure facere poſſet, vt Boëtius interpretatur, nec diſſentit Vlpian. dũ lib. trigeſimo ſecundo titulo primo Digeſtorum rem ipſam pluribus explicat. PVPILLO NON NATO HAEREDEM ESSE NON POSSE, negabat enim Scæuola, niſi poſthumus & natus, & ante, quàm in ſuam tutelam veniſſet, mortuus eſſet, hæredem eum eſſe poſſe, qui eſſet ſecundũ poſthumũ & natũ, & mortuũ hęres inſtitutus: quod lib. primo de Orat. ſcribitur. ILLE, Scæuola. DE TESTAMENTORVM IVRE, nã ex ſcripto teſtamentorũ iura defendebat, vt ait lib. primo de Orat. ANTIQVIS FORMVLIS? quibus antiqui ſcribẽdis teſtamẽtis vterentur. FORMVLIS? QVID, QVEMADMODVM, aliter formulis? quẽadmodũ. forte legendũ: formulis, quẽadmodũ, vt ſit, quid nõ dixit de formulis, quemadmodum, hoc eſt, de modo, quo. SCRIBI OPORTVISSET,

SI ETIAM FILIO NON NATO HAERES INSTITVERETVR, diſputauit Scæuola, quibus verbis ſcribi teſtamentum illud oportuiſſet, ſi Coponius Curium hæredem eſſe voluiſſet, etiamſi filius nõ eſſet natus: vti poſtea colligeret ita: non eſt ſcriptum ita, ergo Curius hæres eſſe non debet. Cui Craſſus ita reſpondit: ſi nullum erit teſtamentum recte factum, niſi quod tu ſcripſeris, omnes ad te ciues cum tabulis veniemus, omnium teſtamenta tu ſcribes ſolus, libro ſecundo de Oratore. QVA'M CAPTIOSVM, qui ſcriptum defendunt, docent, quàm periculoſum ſit à ſcripto recedere, libro ſecundo ad Herennium. ESSE POPVLO, eſſet populo, nos legimus. OPINIONE QVAERI VOLVNTATES, vt quærebantur à Craſſo, quod Scæuola voluit ſignificare. DISERTORVM, qualis erat L. Craſſus. SIMPLICIVM, non cautorum, qualis fuit Coponius, vt Scæuola voluit innuere. PERVERTERE, quum aliter, atque ſcriptum ſit, interpretantur. ILLE, Scæuola. MVLTA, dixit. AVTORITATE, nam quum patris autoritate vti vellet, penè neceſſe fuit, vt eum quaſi per locum à teſtibus commendaret. PATRIS SVI, P. Mucii Scæuolæ, vt ſupra diximus. IVS ILLVD ESSE DEFENDERAT? quod ipſe Q. Scæuola tunc etiam defendebat: vnde paterni iuris defenſor, & quaſi patrimonii propugnator ſui dicitur ab Antonio libro ſecundo de Oratore. DE CONSERVANDO IVRE CIVILI, vterque enim ex contraria parte ius ciuile defendebat, vt ſupra dictum eſt. OMNIA, ſupra dicta. PERITE, ET SCIENTER, quòd eſſet eruditiſsimus, libro primo de Oratore. ſcienter, & perite libro ſecundo de Oratore dixit, TVM ET BREVITER, nam verbis erat ad rem cum ſumma breuitate mirabiliter aptus, ſupra. aliter tum ita breuiter. PRESSE, nam ſubtilis libro primo de Oratore dicitur. & ſubtiliter, & preſſe dicere idem propemodum videtur eſſe. SATIS ORNATE, ET PERELEGANTER, nihil enim illo politius, & elegantius, ſupra. PVTARET? ſupra.

At vero vt contra Craſſus ab adoleſcente delicato, qui in litore ambulans ſcalmum reperiſſet, ob eámque rem ædificare nauem concupiuiſſet, exorſus eſt, ſimiliter Scæuolam ex vno ſcalmo captionis Centumuirale iudicium hæreditatis effeciſſe: hoc in illo initio conſecutus, multis eiuſdem generis ſententiis delectauit, animóſque omnium, qui aderant, in hilaritatem à ſeueritate traduxit; quod eſt vnum ex tribus, quæ dixi ab oratore effici debere. deinde hoc voluiſſe eum, qui teſtamentum feciſſet, hoc ſenſiſſe, quoquo modo filius non eſſet, qui in ſuam tutelam veniret, ſiue non natus, ſiue ante mortuus, Curius hæres vt eſſet; ita ſcribere pleroſque, & id valere, & valuiſſe ſemper. hæc & multa eiuſmodi dicens, fidem faciebat: quod eſt ex tribus oratoris officiis alterum. deinde æquum bonum teſtamentorum ſententias voluntatéſque tutatus eſt; quanta eſſet in verbis captio, cum in cæteris rebus, tum in teſtamentis, ſi negligerentur voluntates; quantam ſibi potentiam Scæuola aſſumeret, ſi nemo auderet teſtamentum facere poſtea, niſi de illius ſententia. Hæc cum grauiter, cum ab exemplis copioſe, cum varie, tum etiam ridicule, & facete explicans, eam admirationem aſ-

ſenſionémque commouit, dixiſſe vt contra nemo videretur. hoc erat oratoris officium partitione tertium, genere maximum. hic ille de populo iudex, qui ſeparatim alterũ admiratus eſſet, idem audito altero iudicium ſuum contemneret: at vero intelligens, & doctus, audiens Scæuolam, ſentiret eſſe quoddam vberius dicendi genus, & ornatius. ab vtroque autem cauſa perorata, ſi quæreretur vter præſtaret orator: nunquam profecto ſapientis iudicium à iudicio vulgi diſcreparet. quî præſtat igitur intelligens imperito? magna re, & difficili: ſi quidem magnum eſt ſcire quibus rebus efficiatur, amittaturue dicendo illud quidquid eſt, quod aut effici dicendo oportet, aut amitti non oportet. præſtat etiam illo doctus auditor indocto, quòd ſæpe, cum oratores duo, aut plures populi iudicio probantur, quod dicendi genus optimum ſit, intelligit. nam illud, quod populo non probatur, ne intelligenti quidem auditori probari poteſt.

CRASSVS, L. Craſſus, qui cauſam M. Curii defendebat, libro primo de Oratore. AB ADOLESCENTE DELICATO, ſi, vt ſcriptum eſt libro primo ad Herennium, defeſſi fuerint auditores, ab aliqua re, quæ riſum mouere poſsit, exordiemur, ab apologo, vt hic Craſſus exorſus videtur, niſi malimus ſimilitudinem, quàm apologum vocare, quum paulo poſt Cicero dicat, ſimiliter. CAPTIONIS, quia dixerat, captioſum eſſe populo, quod ſcriptum eſſet, negligi, ſupra. CENTVMVIRALE IVDICIVM HAEREDITATIS EFFECISSE, conſtituiſſe iudicium de illa hæreditate centumuirale, quod centumuiri facere ſolebant, vt libro primo de Oratore videre licet. DELECTAVIT, quum multo maiorem partem ſententiarum ſale ſuo, & lepore, & politiſsimis facetiis pellexit, vt libro primo de Oratore dicitur. HILARITATEM, nam Curiana defenſio tota redundauit hilaritate quadam, & ioco, libro ſecundo de Oratore, ita, vt iudicium plenum hilaritatis fuerit, ac lætitiæ, libro primo de Oratore. VNVM, ſupra ſecundo loco poſitum, vt auditor delectetur, hic ordinem mutat. DIXI, ſupra. DEINDE, dixit L. Craſſus. HOC, Curius hæres vt eſſet, paulo poſt. VOLVISSE, hinc paulo poſt, voluntates tutatus eſt. EVM, Coponium, ſupra. HOC, repetitio. HOC SENSISSE, hac mente fuiſſe, libro primo de Oratore. QVOQVO MODO FILIVS NON ESSET, QVI IN SVAM TVTELAM VENIRET, ſi filius non eſſet, qui in tutelam veniret, libro primo de Oratore. CVRIVS HAERES VT ESSET, vt M. Curius eſſet hæres, libro primo de Oratore. ITA SCRIBERE PLEROSQVE, ET ID VALERE, ET VALVISSE SEMPER, hæc omnia ſolent diſputare, qui dicunt à ſententia, libro ſecundo ad Herenn. FIDEM FACIEBAT, docebat, probabat, ſupra. ALTERVM, hic ſecundum, ſupra primum, vt auditor doceatur. AEQVVM BONVM, æquitatem, cuius patrocinium Craſſus arripuit, libro primo de Oratore: quod faciunt, qui à ſententiã dicunt, libro ſecundo ad Herenn. TESTAMENTORVM SENTENTIAS, VOLVNTATESQVE TVTATVS EST, defenſionem teſtamentorum, ac voluntatis mortuorum arripuit, libro primo de Oratore: & probauit omnibus M. Curium hæredem eſſe oportere, vt dicitur in oratione pro Cæcina, vbi ſunt illa verba: Quæ res igitur valuit? voluntas: quæ ſi, tacitis no-

bis, intelligi poſſet, verbis omnino non vteremur: quia non poteſt, verba reperta ſunt, non quæ impedirent, ſed quæ indicarent voluntatem. CAPTIO, par pro pari retulit Scæuolæ, qui dixerat, captioſum eſſe populo, quod ſcriptum eſſet, negligi, ſupra. IN CAETERIS REBVS, quæ ſcribi ſolent. IN TESTAMENTIS, quæ in priuatis actis debent eſſe firmiſsima, Philippica ſecunda. SI NEGLIGERENTVR VOLVNTATES, eſt enim calumniatoris officium, verba, & literas ſequi, negligere voluntatem, libro ſecundo ad Herenn. POSTEA, ſi Curius vinceretur. ILLIVS, Scæuolæ. hac de re libro ſecundo de Oratore ita ſcribit: nam ſi, inquam Scæuola, nullum erit teſtamentum recte factum, niſi quod tu ſcripſeris, omnes ad te ciues cum tabulis veniemus, omnium teſtamenta tu ſcribes vnus, quod etiam ſupra retulimus. GRAVITER, parcebat enim aduerſarii dignitati, in quo ipſo ſeruabat ſuam, libro ſecundo de Oratore. AB EXEMPLIS COPIOSE, exemplorum copia, ſupra. exemplis enim plurimis vſus eſt, vt ait in Topicis, & lib. primo de Oratore. VARIE, ornate, in oratione pro Cæcina. RIDICVLE, ET FACETE, quum multa & ex legibus, & ex ſenatuſconſultis, & ex vita, ac ſermone communi non modo acute, ſed etiam ridicule, ac facete colligeret, lib. primo de Oratore. COMMOVIT, apud auditores. VIDERETVR, quamuis Scæuola dixiſſet. TERTIVM, vt auditor moueatur vehemẽtius, ſupra. GENERE MAXIMVM, genere optimum, vt in libello de Optimo genere oratorum pluribus diſputat. HIC, tunc; vel in ea re. ALTERVM, Scæuolam. ADMIRATVS ESSET, & probaſſet ſine comparatione, ſupra. ALTERO, L. Craſſo. CONTEMNERET, quòd male iudicaſſet. AT, contra. AVDIENS, prius. ESSE QVODDAM, quod Scæuola nõ aſſequeretur. VTROQVE, Scæuola, & Craſſo. CAVSA, quacunque, vel Curiana: QVAERERETVR, à docto, & à iudice de populo. VTER, Scæuola, an Craſſus. NVNQVAM PROFECTO SAPIENTIS IVDICIVM A IVDICIO VVLGI DISCREPARET, nunquam eſſet populo cum doctis, intelligentibúſque diſſenſio, ſupra. QVI, quare αἰτιολογικῶς. IGITVR, ſi nunquam ſapientis iudicium à iudicio vulgi diſcrepat. MAGNA RE, ET DIFFICILI, intelligens re magna, & difficili præſtat imperito. SIQVIDEM, αἰτιολογία, quare magna re, & difficili præſtet. MAGNVM, magnum, & difficile, debuit dicere, quum dixiſſet, magna re, & difficili, ſed putauit, magnum ſatis eſſe, quòd difficile ſoleat eſſe, quod ſit magnum. Magnum vero, & difficile eſt artem dicendi ſcire, quam rem vnam eſſe omnium difficillimam ſupra dixit. QVIBVS REBVS EFFICIATVR, AMITTATVRVE, quibus virtutibus oratoriis quicque efficiatur, aut quibus vitiis orator aut non aſſequatur, aut labatur, & cadat, ſupra. EFFICI, quid vero effici debeat, ſupra dictum eſt. PRAESTAT ETIAM, duabus iam rebus præſtat. Itaque intereſt, vt ſupra dixit. ILLO, illa re, quæ ſequitur. QVOD, ex pluribus, quibus illi oratores vtantur. INTELLIGIT, quum populus tantum probet, ſed cur probandum ſit, non intelligat: doctus vero ſtatim cognoſcat. ſic vulgus Hortenſium probabat, ſed non intelligebat, illud dicendi genus non eſſe optimum. NAM, αἰτιολογία, quare probet. PROBARI POTEST, ſupra.

Vt enim ex neruorum ſono in fidibus, quàm ſcienter ii pulſi ſint, intelligi ſolet: ſic ex animorum motu cernitur, quid tractandis his perficiat orator. itaque intelligens dicendi exiſtimator non aſsidens, & attente audiens, ſed vno aſpectu, & præteriens de oratore ſæpe iudicat. videt oſcitantem iudicem, loquentem cum

cum altero, nonnunquam etiam circulantem, mittentem ad horas, quæſitorem, vt dimittat, rogantem: intelligit oratorem in ea cauſa non adeſſe, qui poſsit animis iudicum admouere orationem, tanquam fidibus manum. idem ſi præteriens aſpexerit erectos intuentes iudices, vt aut doceri de re, idque etiam vultu probare videantur; aut, vt auem cantu aliquo, ſic illos viderit oratione quaſi ſuſpenſos teneri; aut, id quod maxime opus eſt, miſericordia, odio, motu animi aliquo perturbatos eſſe vehementius: ea ſi præteriens, vt dixi, aſpexerit, ſi nihil audierit, tamen oratorem verſari in illo iudicio, & opus oratorium fieri, aut perfectum iam eſſe, profecto intelliget.

VT ENIM, *αἰτιολογία*, quare intelligat, eáque per comparationem, ſiue ſimilitudinem. NERVORVM, cordarum intentarum, quæ ad quenque tactum reſpondent, libro tertio de Oratore. SONO, nerui enim in fidibus ita ſonant, vt ſunt pulſi, libro tertio de Oratore: & ſæpe pulſis aliis reſonant alii, libro ſecundo de Diuinatione.. II, nerui. aliter ei, vtrunque recte, ſi Grammaticis credimus, qui docent, vtrunque recte dici. PVLSI, plectro, vel digitis. INTELLIGI SOLET, à ſciente. in fidibus enim, & in tibiis, quamuis paulum diſcrepent, tamen id à ſciente animaduerti ſolet, libro primo de Officiis. SIC, *ἀνταπόδοσις*. ANIMORVM, eorum, qui audiunt. CERNITVR, ab intelligente. TRACTANDIS, orator enim bonus peragrat per animos hominum, ſenſus, mentéſque pertractat, libro primo de Oratore. HIS, animis. PERFICIAT ORATOR, an efficiat illa tria, quæ ſupra ſunt dicta. ITAQVE, paulatim concludit hoc, quod incœperat. INTELLIGENS DICENDI EXISTIMATOR, qui quod dicendi genus optimum ſit, intelligit, vt paulo ante dixit. NON ASSIDENS, ET ATTENTE AVDIENS, etiamſi neque aſsideat, neque attente audiat, vt vulgus. VNO ASPECTV, ET PRAETERIENS, ſi præteriens, aſpexerit, vt paulo poſt loquitur. VIDET, iſte dicendi exiſtimator intelligens: & eſt *αἰτιολογία*, vt poſsit iudicare, & quidem de improbando, deinde de probando. OSCITANTEM, quod eſt indicium vagi animi, & allucinantis, & fluxæ, atque apertæ ſecuritatis, Gellius hoc ſcribit libro quarto capite vigeſimo. LOQVENTEM CVM ALTERO, vt faciunt, qui non libenter audiunt. CIRCVLANTEM, caput in circulo conferentem, vt alii interpretantur: vel ſe vertentem, & ſic quaſi circulum facientem: vel alios propè ſedentes ſic alloquentem, vt circulum facere videatur. MITTENTEM AD HORAS, mittentem ſeruum, miniſtrum, vel alium quempiam ad clepſydram, vt videat, an aqua defluxerit, & horæ ad dicendum datæ, ſint demonſtratæ, an breui ſint demonſtrandæ ita, vt poſſit liberari iudex ipſe, ne talem oratorem audiat. QVAESITOREM, quæſtionis iudicem: Prætorem, qui præſit quæſtioni, vt in oratione pro Muræna docet. DIMITTAT, conſilium, vt olim Q. Maximus dimiſit, quum L. Craſſus exanimatus eſt, libro primo de Oratore. ROGANTEM, ſolet enim iudex interdum rogare Quæſitorem, vt conſilium dimittat. INTELLIGIT, intelligens dicendi exiſtimator. CAVSA, quæ dicitur. NON ADESSE, eum. ADMOVERE, ita, vt eos moueat, quo ex motu cerni poſsit, quid orator efficiat. MANVM, qua nerui pulſentur, ſupra. IDEM, intelligens dicendi exiſtimator, de quo ſupra. & hoc pertinet ad iudican-

dum de Oratore bono. ERECTOS INTVENTES, aliter arrectos intuentes: ἀντίθετον, quo ſuperioribus hoc opponit. INTVENTES, in oratorem ipſum dicentem. AVT DOCERI, quod primum efficere debet orator, ſupra. DE RE, qua de dicitur. VVLTV, qui quot animi motus ſunt, tot ſignificationes, & commutationes poteſt efficere, libro tertio de Oratore. PROBARE, quod dicitur. AVT, hic loquitur de ſecundo, quod efficere debet orator, vt auditor delectetur, ſupra. VT, ſimilitudo. CANTV, quo ſolent aucupes vti, vel fiſtula, vt aues decipiant: vnde dixit ſapiens ille: fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps. SIC, ἀνταπόδοσις. ILLOS, iudices. QVASI, mollit, quod durum videbatur. TENERI, duci, vt ſupra dixit. AVT ID, hoc eſt tertium, quod efficere debet orator, vt auditor moueatur vehementius, ſupra. QVOD MAXIME OPVS EST, quia permouere neceſſarium eſt, vt ait in libello de Optimo genere oratorum. MISERICORDIA, ODIO, ἀντίθετον. MOTV ANIMI ALIQVO, ſic locutus eſt, ne plura de motibus animi diceret. PERTVRBATOS, motos, ſupra. EA, quæ diximus. SI PRAETERIENS, VT DIXI, ASPEXERIT, ἐπανάληψις. ORATOREM, oratorem bonum. ORATOREM VERSARI IN ILLO IVDICIO, in ſcena eſſe Roſcium, infra. OPVS ORATORIVM FIERI, hoc eſt, auditorem doceri, delectari, & vehementius moueri. PERFECTVM IAM ESSE, auditorem iam doctum, delectatum, & commotum fuiſſe.

Cum hæc diſſeruiſſem, vterque aſſenſus eſt, & ego tanquam de integro ordiens, Quando igitur, inquam, à Cotta & Sulpicio hæc omnis fluxit oratio, cum hos maxime iudicio illorum hominum, & illius ætatis dixiſſem probatos, reuertar ad eos ipſos: tum reliquos, vt inſtitui, deinceps perſequar. Quoniam ergo oratorum bonorũ (hos enim quærimus) duo genera ſunt, vnum attenuate preſséque, alterũ ſublate ampléque dicentium: etſi id melius eſt, quod ſplendidius & magnificentius, tamen in bonis omnia, quæ ſumma ſunt, iure laudantur. ſed cauenda eſt preſſo illi oratori inopia & ieiunitas, amplo autem inflatum & corruptum orationis genus. inueniebat igitur acute Cotta, dicebat pure ac ſolute: & vt ad infirmitatem laterum perſcienter contentionem omnem remiſerat, ſic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus. nihil erat in eius oratione niſi ſincerum, nihil niſi ſiccum atque ſanum: illúdque maximum, quòd, cum contentione orationis flectere animos iudicum vix poſſet, nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat vt idem facerent à ſe commoti, quod à Sulpicio concitati. Fuit enim Sulpicius vel maxime omnium, quos quidem ego audiuerim, grandis, &, vt ita dicam, tragicus orator. vox cum magna, tum ſuauis & ſplendida: geſtus, & motus corporis ita venuſtus, vt tamen ad forum, non ad ſcenam inſtitutus videretur. incitata & volubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio. Craſſum hic volebat imitari, Cotta malebat

lebat Antonium: ſed ab hoc vis aberat Antonii, Craſsi ab illo lepos.

QVVM, ad rem reuertitur. HAEC, quæ ſupra dixi. DISSERVISSEM, aliter dixiſſem. VTERQVE, Brutus, & Atticus. DE INTEGRO ORDIENS, quod ordiri cœperam, repetens. HAEC OMNIS, in qua de vulgi, & hominis docti iudicio diſputauimus. FLVXIT, ex eo, quod ego dixeram, Cottam, & Sulpicium quum meo iudicio, tum omnium facile primas inter ſuos æquales tuliſſe. HOS, Cottam, & Sulpicium. ET ILLIVS AETATIS, hoc ſupra non dixit, niſi in voce, omnium, complexus eſt: vel hoc loco eſt ἐπεξήγησιν, illorum hominum, id eſt illius ætatis: quamuis ita forte poſsis interpretari, & illius meæ ætatis, quia ſupra dixerat, meo iudicio, & omnium. Quod ſi probas, probes etiam neceſſe eſt, ita locutum, illius ætatis, vt excuſaretur, ſi forte tunc ita iuuenis erraſſet. PROBATOS, facile primas tuliſſe, ſupra. EOS IPSOS, Cottam, & Sulpicium. RELIQVOS, Varium, Pomponium, Curionem, Fuſium, Druſum, quos ſupra propoſui me eſſe dicturum: vel reliquos omneis, de quibus in hoc dialogo toto ſum dicturus. VT INSTITVI, vt ſupra propoſui: vel vt inſtitui à principio, quum inſtitui oratorum genera diſtinguere ætatibus, quod ſupra dictum eſt. HOS, bonos. QVAERIMVS, quamuis interdum aliquos referamus, qui ne oratores quidem ſunt habiti, ſupra. DVO GENERA, vide, quæ diximus ſupra, vbi de Ser. Galba ſumus locuti. VNVM ATTENVATE, PRESSEQVE, ALTERVM SVBLATE, AMPLEQVE DICENTIVM, hic omittit genus mediocriter dicentium, vt ſupra de Ser. Galba diximus. SVBLATE, AMPLEQVE, aliter ſublate, altéque. ID, genus. MELIVS EST, de duobus loquens ſic dixit, in libello vero de Optimo genere oratorum, eſt omnium optimum. SPLENDIDIVS, ET MAGNIFICENTIVS, in quo qui verſantur, grandiloqui, vehementes, varii, copioſi, graues, ad permouendos, & conuertendos animos inſtructi, & parati in Oratore dicuntur. TAMEN, γνώμη. IN BONIS, in his, quæ bona ſunt, vt bonum eſt genus etiam attenuate, preſséque dicentium: quod nunc probat, vt Cottam laudet, qui genere illo vtebatur, & in eo ſummus erat ita, vt merito deberet laudari. CAVENDA EST, cauenda eſt inopia, & ieiunitas, quòd ſint finitima vitia, & propinqua, libro quarto ad Herennium, vbi ſic ſcribitur: qui non poſſunt in illa facetiſsima verborum attenuatione commode verſari, veniunt ad aridum, & exangue genus orationis, quod non alienum exile nominari. PRESSO ILLI ORATORI, attenuate, preſséque dicenti: libro tamen ſecundo de Oratore, Thucydidem preſſum vocat, quem ſupra diximus in vehementi ſiue grandi dicendi genere verſatum fuiſſe. INOPIA, ET IEIVNITAS, ſic infra ieiunitatem, & ſiccitatem, & inopiam dixit: quod genus orationis aridum, exangue, & exile libro quarto ad Herennium vocatur. AMPLO AVTEM, oratori autem ſublate, ampléque dicenti. INFLATVM, ET CORRVPTVM, quod turget, & inflatum eſt, & ſuffultum dicitur libro quarto ad Herennium. GENVS, cauendum, vt vitium finitimum, & propinquum, vt diximus. INVENIEBAT, ab inuentione, quæ prima debet eſſe in oratore, Cottam, vt Antonium ſupra, & alios, commendat. IGITVR, vt eò reuertar, vnde fluxit oratio. ACVTE, nam Cotta ſummo ingenio fuit præditus, vt ait Cicero in oratione in Piſonem: hinc libro primo de Oratore dicitur genus dicendi acutiſsimum, ac ſubtiliſsimum eſſe conſecutus. COTTA, C. Aurelius Cotta: & Caius apud Ciceronem, Salluſtium, Aſconium, Caſsio-

dorum, & in veterum monimentis appellatur, non Lucius, vt quidam male ſcribunt. Is, vt ſupra diximus, Rutiliæ filius fuit, qui, quod libro ſecundo de Officiis eſt ſcriptum, gloriari ſolebat, ſe ſine vllo munere adeptum eſſe omnia, quæ haberentur ampliſsima, quod Philippus etiam dicebat. Conſul igitur cum L. Octauio an. ab V.C. ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono fuit, &, vt in oratione pro C. Cornelio Cicero ſcripſit, paulum Tribunis plebis non poteſtatis, ſed dignitatis addidit, hoc eſt, vt interpretatur Aſconius, legem tulit, vt Tribunis plebis liceret poſtea alios magiſtratus capere, quod lege Syllæ iis erat ademptum: quod Macer Tribunus plebis apud Salluſtium in oratione quadam his verbis ſignificat: C. Cotta ex factione media Conſul aliter, quàm metu iura quædam Tribunis plebis reſtituit. Dicitur Cotta in oratione pro C. Cornelio, de ſuis legibus abrogandis ipſe ad ſenatum retuliſſe: deinde, vt infra dicitur, ex Conſulatu in Galliam eſt profectus: & triumphi cupiditate, nullo certo hoſte, flagrauit: quem tamen honorem illi mors ademit, vt ait Cic. in oratione in Piſonem: vbi ſic Aſconius ſcribit: fuit C. Cotta orator ille compar P. Sulpicii, qui eſt in dialogis Ciceronis de Oratore ſcriptis: qui, quum decretus illi eſſet triumphus, mortuus eſt ante diem triumphi, quum cicatrix vulneris eius, quod ante plures annos in prælio acceperat, reſciſſa eſſet repente. Apud Salluſtium extat oratio tanquam ab eo Conſule habita. De cæteris eius magiſtratibus nihil ſcriptum video, niſi tum Tribunatum plebis eum petiiſſe, quum L. Craſſus, M. Antonius, & alii de oratore finguntur diſputaſſe, eóque magiſtratu per inuidiam depulſum fuiſſe: vt libro primo, & tertio de Oratore leges: vbi Cicero refert illum ſibi locos, ac ſententias illius diſputationis tradidiſſe. nam Cicero libro primo de Natura Deorum ſuum familiarem vocat ob id fortaſſe, quòd vterque orator eſſet, & Academicus, vt in ipſis libris de Natura Deorum deſcribitur Cotta, & Pontifex appellatur. Is quum eſſet in ambitione artifex, dicere ſolebat, ſe operam ſuam, quod non contra officium rogaretur, polliceri ſolere omnibus, impertire iis, apud quos optime poni arbitraretur, ideóque ſe negare nemini, quòd ſæpe cauſa, cur is, cui pollicitus eſſet, non vteretur, ſæpe, vt magis eſſet vacuus, quàm putaſſet: hoc Q. Cicero in libello de Petitione Conſulatus ſcribit. Cætera vero ſuis locis dicuntur. DICEBAT PVRE, ET SOLVTE, nam Cotta remiſſus erat, & lenis, & propriis verbis comprehendens ſolute, & facile ſententiam, infra: & libro tertio de Oratore, Cotta limatus erat, ſubtilis, rem explicans propriis, aptíſque verbis. REMISERAT, hinc remiſſus infra dicitur. Idem Cicero libro primo de Legibus poſtea ſe feciſſe teſtatur. GENVS, attenuatum, vt diximus: vel ἀστεῖος, quod ſit come, iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum, vt ait in Orat. NIHIL, repetitio. EIVS, C. Cottæ. SINCERVM, purum. nam pure dicebat, paulo ante. SICCVM, ATQVE SANVM, ſiccos, atque ſanos oratores, in quibus non ſit vitioſa abundantia, in libello de Optimo genere oratorum vocat. VIX POSSET, quòd ipſam contentionem remiſerat, ſupra. EO GENERE, amplo, vehementi, & quo flectuntur animi. DICERET, qui nihil ample diceret, in Oratore. TRACTANDO TAMEN IMPELLEBAT, nam ſemper in cauſa hærebat, & quod iudici probandum eſſet, quum acutiſsime vidiſſet, omiſſis cæteris argumentis, in eo mentem, orationémque defigebat, vt libro tertio de Oratore ſcribitur. FACERENT, ſecundum illum, quem defendebat ipſe, iudicarent: certe, quod diceret, probarent. COMMOTI, oratione etiam attenuata, quam Cicero hoc verbo, & numero exprimit. SVLPICIO, de quo dicendum, CONCITATI, ampla, grandi, & concitata

oratione,

oratione, quam verbo item Cic.& numero nobis exprimit. Atque hoc loco nos de Ioãne Cæſario,& Io. Bapt. Gyraldo viris doctiſsimis,quorũ alter Romæ, alter Ferrariæ literas profitetur, ex his quæ ſæpius à multis audiuimus, idẽ propemodũ,quod Cic.de Sulpicio, & Cotta, iudicamus. FVIT ENIM, εὐλογία, qua docet,cur dixerit, iudices à Sulpicio concitatos fuiſſe, quaque commode à Cotta ad Sulpicium tranſit. SVLPICIVS, P.Sulpicius Rufus, vt à Valerio Maximo vocatur:cuius eloquentiam accuſatio illuſtrauit, quũ ſeditioſum,& inutilem ciuem C.Norbanũ in iudicium vocauit,vt lib. ſecundo de Officiis,& lib.primo de Orat.ſcribitur.fuit vero C.Cottæ propè æquali,lib.tertio de Orat.hinc lib.primo de Orat.ita ſcriptum eſt : C. Cotta tum Trib.pleb.petebat,& P.Sulpicius deinceps eum magiſtratum petiturus putabatur:quem poſtea eſt adeptus, & ab initiis bonarũ actionum ad perditas, vt loquitur Aſconius,progreſſus eſt,quũ prius eſſet rectiſsima voluntate,vt ait Paterculus : quod & initium bellorũ ciuilium fuit. nam primum interceſsit, ne exules,quibus cauſam dicere non licuiſſet,reducerentur:deinde idem immutata voluntate,quum eandem legem ferret,aliam ſe ferre dicebat propter nominum cõmutationem.nam non exules, ſed vi eiectos ſe reducere aiebat, lib.ſecũdo ad Herenn.hinc Liuius ita lib.ſeptuageſimo ſeptimo ſcripſit:Quũ P.Sulpicius Trib.pl.autore C.Mario,pernicioſas leges promulgaſſet, vt exules reuocarẽtur, & noui ciues, libertiniq. diſtribuerẽtur in tribus.& vt Marius aduerſus Mithridatẽ Ponti regem dux crearetur:& aduerſantibus Conſulibus Q. Pompeio, & L. Syllæ vim intuliſſet, occiſo Q. Põpeii Cõſulis filio, genero Syllæ, L. Sylla Conſul cum exercitu in vrbem venit, & aduerſus factionẽ Sulpicii, & Marii in ipſa vrbe pugnauit, eámq. expulit:ex quo duodecim à ſenatu hoſtes, inter quos C. Marius pater,& filius,iudicati ſunt. P. Sulpicius, quũ in quadam villa lateret, indicio ſerui ſui retractus, & occiſus eſt:ſeruus,vt præmiũ promiſſum indicii haberet,manumiſſus eſt,& ob ſcelus domini proditi de ſaxo deiectus eſt. Idẽ propè ſcribũt Val.Max.lib.ſexto cap. quinto,Plutar.in Sylla,& Paterculus hoc modo:Sulpicium aſſecuti equites, in Laurẽtinis paludibus iugulauere, capútq. eius erectũ, & oſtentatum pro roſtris, velut omen imminentis proſcriptionis fuit. Hinc in oratione tertia in Catilinam Cic.ſic ait:L.Sylla P.Sulpicium oppreſsit.libro vero quarto ad Herenn. ita ſcriptum videbis : Sulpicio, cui paulo ante omnia concedebant, eum breui ſpatio non modo viuere, ſed etiam ſepeliri prohibuerunt:& libro item primo ad Herenn. In hominem transfertur crimen, vt ſi accuſetur is, qui P. Sulpicium ſe fateatur occidiſſe, & id iuſſu Conſulum defendat,vt eos dicat non modo imperaſſe,ſed rationem quoq. oſtendiſſe, quare id facere liceret. Cic.autem lib.tertio de Orat.ſic rem totam cõplectitur. Sulpicius,qui in eadem inuidiæ flamma fuiſſet, quibuſcum priuatus coniunctiſsime vixerat,hos in Tribunatu ſpoliare inſtituit omni dignitate : cui quidem ad ſummam gloriam eloquentiæ floreſcenti ferro erepta vita eſt,& pœna temeritatis non ſine magno Reip.malo conſtituta. Vixerat autẽ coniunctiſsime cum Q.Pompeio,qui tunc Conſul erat,vt in Lælio legimus.Hunc Sulpicium Plutarchus in Sylla ἀνθρώπων οὐδενὸς δεύτερον ἐν τοῖς ἄκροις κακίαις vocat,& alia ſcribit,quæ videre poteris. GRANDIS, omnino enim in illud genus eum Craſſi magnificum, atque præclarum natura ipſa ducebat, vt libro ſecundo de Oratore dicitur. Hinc eum in oratione de Reſponſis ita deſcribit : quid ego de P. Sulpicio loquar? cuius tanta in dicendo grauitas, tanta iucunditas, tanta vbertas fuit, vt poſſet, vel vt prudentes errarent, vel vt boni minus bene ſentirent, perficere dicendo. VT ITA DICAM, accipit veniam, dicturus, tragicus orator, quod dure dictum videri poterat.

TRAGICVS, vehemens, grandiloquus, quales perſonæ tragicæ, quæ ſæpe retinent ampullas, & ſeſquipedalia verba, & non proiiciunt, vt ait Horatius. Vnde prouerbium, τραγικῶς λέγειν. nam omne genus ſcripti grauitate tragœdia vincit. Sulpicius igitur talis erat, acer, vt ait Paterculus, & fortiſsimo quodam animi impetu vtebatur, vt libro tertio de Orat. ſcriptum videmus. Ariſtoteles quoq. lib. tertio Rhetoricæ σεμνὸν, καὶ τραγικὸν iungit. MAGNA, pleniſsima, & maxima, lib. tertio de Orat. quin libro primo de Orat. Craſſus affirmat, ſe neminem audiſſe voce pleniorem, nec id ipſum libro ſecundo M. Antonius negat. SVAVIS, neminem voce ſuauiorem Craſſus audiuerat, vt ait lib. primo de Orat. SPLENDIDA, clara, quod vnum eſt è duobus, quę ſequimur in voce, libro primo de Officiis. vox talis in Pompeio fuit, infra. GESTVS, ET MOTVS, creſcit oratio, nam motus plus complectitur. VENVSTVS, aptus, lib. primo, & ſecundo de Orat. cum dignitate, lib. tertio de Orat. AD FORVM, NON AD SCENAM INSTITVTVS VIDERETVR, conuenit enim, in geſtu nec venuſtatem conſpiciendam, nec turpitudinem eſſe, ne aut hiſtriones, aut operarii videamur eſſe, lib. tertio ad Herenn. INCITATA, ET VOLVBILIS, vtebatur enim celeri, & concitata oratione, quod erat ingenii, lib. ſecundo de Orat. NEC EA REDVNDANS TAMEN, NEC CIRCVNFLVENS ORATIO, quamuis à principio verbis efferueſcentibus, & paulo nimium redundantibus vteretur, quod erat ætatis: ſed poſtea rationem mutarat, lib. ſecundo de Orat. CRASSVM, L. Craſſum oratorē, ſupra. HIC, P. Sulpicius. VOLEBAT IMITARI, nam L. Craſsi amore incenſus, ab eo nuſquā diſcedebat, lib. primo de Orat. & ab Antonio monitus Craſſum ipſum imitabatur, lib. ſecūdo, & tertio de Orat. COTTA MALEBAT ANTONIVM, C. Cotta malebat imitari M. Antoniū hinc lib. ſecūdo de Orat. quū etiam tum in lecto Craſſus eſſet, & apud eum Sulpicius ſederet, Antonius cum Cotta in porticu inambulabat. AB HOC, C. Cotta. VIS, δύναμις. ABERAT, quia contentionem omnem remiſerat, ſupra. ANTONII, in quo quum alia magna, tum actio fuit ſingularis. AB ILLO, P. Sulpicio. LEPOS, ſupra.

O magnam, inquit, artem, Brutus: ſiquidem iſtis, cum ſummi eſſent oratores, duæ res maximæ altera alteri defuit. Atque in his oratoribus illud animaduertendum eſt, poſſe eſſe ſummos, qui inter ſe ſint diſsimiles. nihil enim tam diſsimile, quàm Cotta Sulpicio; & vterque æqualibus ſuis plurimum præſtitit. quare hoc doctoris intelligētis eſt, videre quò ferat natura ſua quenque; & ea duce vtentem ſic inſtituere, vt Iſocratem in acerrimo ingenio Theopompi, & leniſsimo Ephori dixiſſe traditum eſt, alteri ſe calcaria adhibere, alteri frænos. Sulpicii orationes quæ feruntur, eas poſt mortem eius ſcripſiſſe P. Canutius putatur æqualis meus, homo extra noſtrum ordinem meo iudicio diſertiſsimus. ipſius Sulpicii nulla oratio eſt: ſæpéque ex eo audiui, cum ſe ſcribere neque conſueſſe, neque poſſe diceret. Cottæ pro ſe lege Varia quæ inſcribitur, eam L. Aelius ſcripſit Cottæ rogatu. fuit is omnino vir egregius, & eques Romanus cū primis honeſtus; idémq. eruditiſsimus & Græcis literis, & Latinis, antiquitatíſque noſtræ & in inuentis rebus, & in actis, ſcriptorūq. veterū literate

peritus:

peritus . quam ſcientiam Varro noſter acceptã ab illo,auctámq. per ſeſe vir ingenio præſtãs,omníq. doctrina,pluribus & illuſtrioribus literis explicauit . ſed idem Aelius Stoicus eſſe voluit, orator autẽ nec ſtuduit vnquam,nec fuit:ſcribebat tamen orationes, quas alii dicerẽt, vt Q. Metello F. vt Q. Cæpioni, vt Q. Pompeio Rufo: quanquam is etiam ipſe ſcripſit eas, quibus pro ſe eſt vſus, ſed nõ ſine Aelio. his enim ſcriptis etiam ipſe interfui, cum eſſem apud Aelium adoleſcens, eúmque audire perſtudioſe ſolerem. Cottam autem miror, ſummum ipſum oratorem, minimeq. ineptum, Aelianas leueis oratiunculas voluiſſe exiſtimari ſuas.

O, ἐπιφώνημα. MAGNAM, quæ ſummos faciat oratores, & diſsimiles, & quibus etiã aliquid deſit. ARTEM, dicendi. SIQVIDEM, αἰτιολογία, quare magna. ISTIS, Cottę, & Sulpicio. DVAE RES, vis Antonii, & lepos Craſsi. MAXIMAE, lege librũ ſecundum de Orat. ALTERA ALTERI, vis Cottæ, lepos Sulpicio. ATQVE, loquitur Cicero. HIS, Cotta, & Sulpicio. NIHIL ENIM, αἰτιολογία. COTTA, preſſius orator, ſupra. SVLPICIO, grãdi oratori, ſupra. PRAESTITIT, nam primas ipſi tulerũt, ſupra. QVARE, quũ Cotta, & Sulpicius tam diſsimiles fuerint, & tamen ſummi. DOCTORIS, Rhetoris, vel cuiuſlibet, vt ſit γνώμη. VIDERE, vt faciebat Apollonius, lib. primo de Oratore, & faciendum præcipit Antonius libro ſecundo de Oratore. QVO, ad quod genus dicendi, vel ad quod ſtudium: ſi ſit γνώμη. EA DVCE VTENTEM SIC INSTITVERE, ad cuiuſq. enim naturam inſtitutio doctoris eſt accommodanda. ISOCRATEM, ſupra. ACERRIMO, exultante verborum audacia, libro tertio de Oratore, elatione, atque altitudine orationis vtente, ſupra. LENISSIMO, hinc lenis orator in Oratore dicitur, quòd cunctaretur, & quaſi verecundaretur, libro tertio de Oratore. EPHORI, Ephorus Demophili filius Κυμαῖος fuit, vt Plutarchus in Iſocrate, & Suidas ſcribunt. Hunc, quum profeciſſet nihil, è ludo digreſſum, & mox à patre, ſecunda mercede pacta, remiſſum Iſocrates ἄφορον vocabat: ad quem erudiendum multum ſtudiũ contulit, quum & materiam illi ad chriam ſuppeditaret, vt Plutarchus ſcribit. Hic, vt ait Suidas, in moribus quidem ſimplex fuit, in hiſtoriæ vero explicatione ſupinus, & languidus, vt qui virium nihil haberet: qui ſcripſit librum, quem ἐπιχώριον inſcripſit, vt Plutarchus in Homeri vita teſtatur. Hinc Cicero libro ſecundo de Oratore, & Quintilianus lib. decimo inter hiſtoricos ipſum numerant, quamuis idem Cicero in Oratore vocet oratorem. DIXISSE, vt Plato de Ariſtotele, & Xenocrate dicebat, quod Diogenes in Xenocrate refert. TRADITVM EST, à ſcriptoribus antiquis, quorum ſcripta nunc non extant: ſed Cicero ipſe lib. tertio de Orat. & lib. ſexto ad Atticum, Quintilianus lib. ſecũdo cap. nono, & Suidas tradunt. ALTERI, Ephoro, lib. tertio de Oratore. CALCARIA, κέντρον, vt ait Suidas. ALTERI, Theopompo, libro tertio de Oratore. FRENOS, χαλινόν, vt ait Suidas. P. CANVTIVS, in oratione pro Cluẽtio. aliter P. Camitius. AEQVALIS MEVS, vt cognoſcitur in oratione pro Cluentio. NOSTRVM ORDINEM, ſenatorium, vt puto. DISERTISSIMVS, eloquentiſsimus, in primis ingenioſus, & in dicẽdo exercitatus, ac peritus in oratione pro Cluẽtio vocatur. NEQVE CONSVESSE, ne domeſticus etiam labor accederet ad forenſem, vt ſupra de Galba dixit. aliter neque conſueuiſſe. COTTAE, C. Cottæ. PRO SE LEGE VARIA QVAE IN-

SCRIBITVR, aliter pro lege Varia quæ inſcribitur, id eſt, quæ inſcribitur, oratio C. Cottæ pro lege Varia: de qua dicetur infra. EAM, orationem. L. AELIVS, de quo plura inuenire non potuimus, quàm hic dicuntur: niſi quòd Plinius libro nono capite trigeſimo quinto, & Chariſius libro primo L. Aelium Stilonem vocant: vnde cognoſcimus apud Quintilianum libro decimo ſic legendum eſſe. Hoc loco L. Aelium nobis talem deſcribit Cicero, qualem nos hodie Ludouicum Caſteluetrium Mutinenſem eſſe iudicamus. COTTAE, C. Cottæ. IS, L. Aelius. PERITVS, ita peritus, vt Varro libro primo Academicarum quæſtionum ita loquatur: Feci, vt multa nota eſſent noſtris; à Græcis enim peti non poterant, ac poſt L. Aelii noſtri occaſum ne à Latinis quidem. & ipſemet Varro libro tertio capite duodecimo de Re ruſtica L. Aelium autorem ſequitur. VARRO, M. Terentius Varro. NOSTER, ſupra. ILLO, L. Aelio. INGENIO, quod tantum fuit, vt illud etiam Cic. lib. decimo tertio ad Atticum vereatur. OMNIQVE DOCTRINA, ſic etiam Philippica ſecunda. PLVRIBVS, pluribus literis, pluribus libris, pluribus ſcriptis. Sic enim literas interdum poni diximus in principio. Plura vero ſcripſit Varro, quàm alius quiſpiam, vt lib. primo Academicarum quæſtionũ, & Philippica ſecunda Cic. teſtatur. ſed de Varronis libris in Zephyro, ſi Deus volet, plura dicemus. IDEM AELIVS, idem L. Aelius, de quo dicere cœpimus. STOICVS ESSE VOLVIT, & qui Stoici volunt eſſe, nõ ſolent eſſe oratores, quòd Stoici traducti à diſputando ad dicendum inopes reperiuntur, ſupra. NEC STVDVIT VNQVAM, eſſe. NEC FVIT, orator ipſe nunquam fuit, ſupra. SCRIBEBAT, ſcriptitabat, ſupra. ORATIONES, orationes multas, ſupra. Q. METELLO, vix ſciri poſſe certo credimus, quis hic Q. Metellus fuerit, quũ tot eo tẽpore fuerint Metelli: quia tamen cum duobus Conſularibus numeratur, & videtur accuſatus fuiſſe ſic, vt L. Aelii oratione vſus ad ſe defendendum dicatur, putamus hũc eſſe Q. Cęcilium Metellum Nepotẽ Balearici filium, qui Conſul cũ T. Didio an. ab V.C. ſexcẽteſimo quinquageſimo ſexto fuit, & à C. Curione patre fuit accuſatus, vt Aſconius ſcribit. F. Filio ſcilicet Balearici, vt diximus: ſed quia raro, & penè nunquam filius ſine patris prænomine ſcribitur, videndum eſt, ne F. fecit, interpretandũ ſit, & dicendum: Aelius ſcribebat orationes, quas alii dicerẽt, vt fecit Q. Metello, vt locutio ſit, qualis illa in oratione in Piſonẽ: huius te cupiditati obſequi dixiſti, ſicuti ego feciſſem in collega meo. Nec ego magnopere repugnẽ, ſi quis exiſtimet hãc notã, ſiue literã delendam, vt è proxime ſequẽti natam, quæ ſit u, quòd F. Aeolicũ digãma vocetur, & pro u ſæpe ponatur, vt Serfius, pro Seruius: qua de re plura ſcribunt Grãmatici. Q. CAEPIONI, cuius ore reſpõdit Aelius orationi, quam T. Betutius Barrus cũtra Cæpionẽ ipſum ſcripſerat, ſupra. Q. POMPEIO RVFO, qui Prætor vrbanus paucis diebus ante, quàm L. Craſſus de Orat. loqueretur, lib. primo de Orat. & poſtea Conſul cũ L. Cornelio Sylla an. ab V.C. ſexcẽteſimo ſexageſimo ſexto fuit, vt Cic. in oratione prima & ſecũda cõtra Rullum meminit: cuius etiam Conſulis filium, eundẽmq. Syllæ generum P. Sulpicius, de quo diximus, per emiſſarios factionis ſuæ interfecit, vt Liuius lib. ſeptuageſimo ſeptimo, & Paterculus lib. ſecũdo ſcribũt: Nec ita multo poſt Q. ipſe Põpeius adhuc Cõſul ab exercitu Cn. Põpeii Strabonis Procõſulis ſeditione, ſed quã dux excitauerat, interfectus eſt. IS, Q. Põpeius Rufus. EAS, orationes. PRO SE EST VSVS, vt arbitror aduerſus P. Sulpiciũ, qui Trib. pl. ab eo, qui tũ erat Conſul diſſidebat, quicũ cõiunctiſſime, & amãtiſſime vixerat, vt in Lælio ſcribitur. hinc Craſſus lib. primo de Orat. cũ Sulpicio, & aliis loquens, dixit, Q. Põpeii Prætoris vrbani familiaris noſtri. vel potius quum pro ſe lege Varia diceret, infra.

infra. NON SINE AELIO, non ſine L. Aelio, & videtur ad illud reſpicere, Hercules non ſine Theſeo. HIS, orationibus. ENIM, αἰτιολογία, quo pacto ſcire hoc ipſum potuerit. SCRIPTIS, alii maluntlegere, ſcribendis. EVMQVE, vt hominem eruditiſsimum, vt ſupra vocauit. COTTAM, C. Cottam. SVMMVM IPSVM ORATOREM, ſupra. LEVES, vt à Stoico ſcriptas, & ab eo, qui orator nec ſtuduit vnquam, nec fuit, ſupra. VOLVISSE, quum L. Aelium rogauit, vt eam ſcriberet, quæ pro Varia lege inſcribebatur, ſupra.

His duobus eiuſdem ætatis annumerabatur nemo tertius: ſed mihi placebat Pomponius maxime, vel dicam minime diſplicebat. locus erat omnino in maximis cauſis præter eos, de quibus ſupra dixi, nemini: propterea quòd Antonius, qui maxime expetebatur, facilis in cauſis recipiendis erat, faſtidioſior Craſſus, ſed tamen recipiebat: horum qui neutrum habebat, confugiebat ad Philipum ferè, aut ad Cæſarem: Cotta & Sulpicius expetebantur. ita ab iis ſex patronis cauſæ illuſtres agebantur: neque tam multa, quàm noſtra ætate, iudicia fiebant: neque hoc, quod nunc fit, vt cauſæ ſingulæ defenderentur à pluribus: quo nihil eſt vitioſius. reſpondemus iis, quos non audiuimus. in quo primum ſæpe aliter eſt dictum, aliter ad nos relatum: deinde magni intereſt coràm videre me, quemadmodum aduerſarius de quaque re aſſeueret; maxime autem, quemadmodum quæque res audiatur. ſed nihil vitioſius, quàm, cum vnum corpus debeat eſſe defenſionis, naſci de integro cauſam, cum ſit ab altero perorata. omnium enim cauſarum vnum eſt naturale principium, vna peroratio: reliquæ partes, quaſi membra ſuo quæque loco locata, ſuam & vim, & dignitatem tenent.

HIS DVOBVS, C. Cottæ, & P. Sulpicio. nam L. Aelium, & Q. Pompeium Rufum, quos laudauit, aliud agens, nominauit, quum de illis ſupra ne ſe quidem dicturum propoſuiſſet. EIVSDEM AETATIS, cuius Cotta, & Sulpicius fuerunt. ANNVMERABATVR, ab aliis. TERTIVS, orator. SED, quamuis ab aliis nemo tertius annumeraretur. PLACEBAT, Pomponius mihi placebat vt tertius, quamuis in propoſitione Q. Varium tertio loco poſuerim, ordinem, vt nunc facio, poſtea mutaturus, & tamen infra ſuo loco, & ordine de Pomponio relaturus. POMPONIVS, Cn. Pomponius, infra. VEL DICAM, correctio. MINIME DISPLICEBAT, λιτότης eſt hoc loco, ἀνέλικτον προσονομασία, vt quiuis intelligere poterit. DISPLICEBAT, dichoreus. LOCVS ERAT, αἰτιολογία, quare Pomponius quum ſatis bonus orator eſſet, tamen ne tertius quidem illis duobus annumerabatur: quia tunc etiam viuebant illi magni oratores, quos ſupra dixit, ita, vt, præter eos, nemini locus eſſe poſſet in magnis cauſis, in quibus boni oratores potiſsimum cognoſcuntur. MAXIMIS CAVSIS, in quibus de magnis rebus agitur, vt ſunt cauſæ repetundarum, ambitus, & maieſtatis, & reliquæ huiuſcemodi. EOS, M. Antonium, L. Craſſum, L. Philippum, C. Cæſarem, C. Cottam, & P. Sulpicium.

PROPTEREA QVOD, αἰτιολογία αἰτιολογίας, quare nemini locus erat. ANTONIVS, M. Antonius, ſupra. EXPETEBATVR, expetebatur à reis patronus, quia tantus erat, quantus ſupra deſcriptus eſt. FACILIS, & quum vir tantus facile cauſas reciperet, quis non mallet illum, quàm alium quempiam patronum eligere? FASTIDIOSIOR, in cauſis recipiendis. CRASSVS, L. Craſſus. SED TAMEN, quamuis in cauſis recipiendis eſſet faſtidioſior. RECIPIEBAT, cauſas. HORVM, M. Antonii, & L. Craſsi. HABEBAT, patronum. CONFVGIEBAT, ſi modo eligendi patroni poteſtas erat, vt ſupra diximus. PHILIPPVM, L. Philippum, qui M. Antonio, & L. Craſſo proximus accedebat, ſupra. CAESAREM, C. Iulium Cæſarem, qui facetiis æqualibus præſtitit, ſupra. COTTA, ET SVLPICIVS, de quibus ſupra diximus. EXPETEBANTVR, quòd æqualibus ſuis plurimum præſtarent, ſupra. AB IIS SEX PATRONIS, M. Antonio, L. Craſſo, L. Philippo, C. Cæſare, C. Cotta, & P. Sulpicio. AGEBANTVR, ſic, vt, præter eos, in maximis cauſis nemini locus eſſet. NEQVE TAM MVLTA, altera αἰτιολογία, quare duobus illis nemo tertius annumeraretur, quia tam multa iudicia tum non fiebant, & quæ fiebant, in his illi ſex patroni regnabant: & ita neq. Pomponius, neque alius poterat excellere. FIEBANT, quamuis etiam multo ante plura fieri cœpiſſent, vt ſupra de Carbone dictũ eſt: ſed indies plura poſtea ſunt facta. NEQVE HOC, fiebat. & eſt tertia αἰτιολογία, quia tunc tot patroni vnam cauſam non defendebant: quod ſi factum fuiſſet, præter illos ſex ſupra dictos, aliis etiam locus in cauſis maximis eſſe potuiſſet. M. tamen Antonius lib. ſecundo de Orat. ita loquitur: illos errare arbitror, qui, ſi quando (id quod nunquam mihi placuit) plureis adhibent patronos, vti quemque eorum minimum putant eſſe, ita eum primum volunt dicere: quæ verba oſtendunt, tum quoque morem fuiſſe, vt ſingulæ cauſæ defenderentur à pluribus, quod hic Cicero negat, ſed negat ita, vt velit dicere, quamuis etiam tum plures adhiberentur patroni, ſua tamen ætate multo plures adhibitos fuiſſe, quod Aſconius hiſce verbis clarius oſtendit: Defenderunt Scaurum ſex patroni, quum ad id tempus raro quiſquam pluribus, quàm quatuor vteretur: ac poſt bella ciuilia ante legem Iuliam ad duodenos patronos eſt peruentum. QVO NIHIL EST VITIOSIVS, ob id M. Antonio nunquam placuit, vt paulo ante retulimus. RESPONDEMVS, αἰτιολογία, quare ſit vitioſum. IIS, aduerſariis. NON AVDIVIMVS, quòd abeſſemus. Neque enim patroni omnes ſimul conueniebant. EST DICTVM, ab aduerſariis. RELATVM, à clientibus, vel ab aliis, qui aduerſarios dicentes audiuerint. MAGNI INTEREST, quoniam qui videt, orationem ſuam poteſt ad vnam quanque rem, prout ab aduerſario dicta, vel à iudicibus audita fuerit, accommodare. ME, & quemlibet patronum. AVDIATVR, à iudicibus. dichoreus. SED NIHIL VITIOSIVS, ἐπανάληψις. NASCI DE INTEGRO CAVSAM, videtur enim de integro cauſa naſci, quũ illam iam peroratã ab alio alius dicit. OMNIVM ENIM CAVSARVM, αἰτιολογία, quare ſit vitioſum, quod dixit, ſed αἰτιολογία, quæ cohærere nõ videatur, niſi ſic dicas: vitioſum eſt illud, quoniam difficile, & penè ἀδύνατον eſt cauere, ne aliquid dicas, quod non conueniat eius orationi, qui ante te dixerit: quum vix in oratione poſsis effugere, quin interdum aliquid dicas, quod contrarium videatur: quamuis oratio duas minimum partes habeat ita naturales, vt vix errare poſsis: reliquæ tamen ita ſunt collocandæ, vt prorſus reſpondeant. Sed & reliquas partes Cicero libro ſecundo de Oratore vt naturales ita deſcribit: vt aliquid ante rem dicamus, deinde vt rem exponamus, poſt vt eam probemus, noſtris præſidiis

diis confirmandis, contrariis refutandis, deinde vt concludamus, atque ita peroremus, hoc dicendi genus natura ipſa præſcribit. hoc tamen loco duas potiſsimum partes naturales eſſe dicit, principium, & perorationem, & quidem omnium cauſarum, quòd natura nos doceat, vt aliquid ante quamlibet rem, ſiue cauſam dicamus, & peroremus, quamuis cauſarum omnium propria principia eſſe debeant, vt ait libro ſecundo de Oratore: ſed vix aliquid in principiis, & perorationibus dici poteſt, quod magnopere poſsit repugnare. RELIQVAE PARTES, narratio, diuiſio, confutatio, & confirmatio. MEMBRA, tranſlatio. LOCATA, vt à M. Antonio locabantur, ſupra: quamuis ibi de diſpoſitione parte orationis loquatur, vt diximus, tamen huc etiam referri poteſt.

Cum autem difficile ſit in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, vt ſibi ipſe non conueniat: quanto difficilius cauere, ne quid dicas, quod non conueniat eius orationi, qui ante dixerit? ſed quia & labor multo maior eſt totam cauſam, quàm partem dicere; & quia plures ineuntur gratiæ, ſi vno tempore dicas pro pluribus: idcirco hanc conſuetudinem lubenter aſciuimus. erant tamen, quibus videretur illius ætatis tertius Curio, quia ſplendidioribus fortaſſe verbis vtebatur, & quia Latine non peſsime loquebatur, vſu credo aliquo domeſtico, nam literarum admodum nihil ſciebat. ſed magni intereſt, quos quiſque audiat quotidie domi, quibuſcum loquatur à puero, quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur. legimus epiſtolas Corneliæ matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos, quàm in ſermone matris. auditus eſt nobis Læliæ Caii filiæ ſæpe ſermo: ergo illam patris elegantia tinctam vidimus, & filias eius Mutias ambas, quarum ſermo mihi fuit notus; & neptes Licinias, quas nos quidem ambas, hanc vero Scipionis etiam tu Brute credo aliquando audiſti loquentem. Ego vero, ac lubenter quidem, inquit Brutus; & eo lubentius, quòd L. Craſsi erat filia. Quid Craſſum, inquam, illum cenſes iſtius Liciniæ filium, Craſsi teſtamento qui fuit adoptatus? Summo iſte quidem dicitur ingenio fuiſſe, inquit. & vero hic Scipio collega meus mihi ſanè bene & loqui videtur, & dicere. Recte, inquam, iudicas Brute. etenim iſtius genus eſt ex ipſius ſapientiæ ſtirpe generatum. nam & de duobus auis iam diximus, Scipione, & Craſſo; & de tribus proauis; Q. Metello, cuius quatuor filii; P. Scipione, qui ex dominatu Ti. Gracchi priuatus in libertatem Rempub. vindicauit; Q. Scæuola Augure, qui peritiſsimus iuris, idémque patronus eſt habitus. iam duorum abauorum quàm eſt illuſtre nomen, P. Scipionis, qui bis Conſul fuit, qui eſt Corculum dictus, alterius omnium ſapientiſsimi C. Lælii? O generoſam, inquit, ſtirpem, &, tan-

ambas Mutias

quam in vnam arborem plura genera, ſic in iſtam domum multorum inſitam atque illuminatam ſapientiam.

DIFFICILE, vt poſtea difficile fuit M. Antonio, quicum Cicero Philippica ſecunda ſic loquitur: tam eras excors, vt tota in oratione tecum ipſe pugnares: vt non modo non cohærentia inter ſe diceres, ſed maxime disiuncta, atque contraria: vt non tanta mecum, quanta tibi tecum eſſet contentio. LONGA, quum ſæpe in breui oratione, atque adeo in ſcriptis id fiat, vt infra de Curione dicetur. IPSE, orator quiuis. QVANTO, argumentatio ex cõparatione maiorũ hoc modo: ſi quis aliquid ita ſolet dicere, vt ipſe ſibi non conueniat, multo magis poterit dicere, quod nõ conueniat eius orationi, qui ante dixerit. EIVS, oratoris. DIXERIT, in ea cauſa, quã tu quoq. defendas. SED QVIA, duplex αἰτιολογία, quare, quum vitioſum ſit, tamen fiat: quia vitatur labor ille maior, & gratiæ plures ineuntur. TOTAM CAVSAM, quam totam dicat, qui ſolus eſt patronus, neceſſe eſt. SI VNO TEMPORE DICAS PRO PLVRIBVS, nam quum plures vnam dicunt cauſam, eam ſic partiuntur, vt & eam quiſque minore labore dicat, id eſt ſuam partem defendat: & poſsit etiam eodem penè tempore, iiſdem certe diebus, quibus illa agitur, alias cauſas apud alios iudices defendere. Quòd ſi eam ſolus diceret, & maiorem laborem in ea ſuſtineret, nec, in ea occupatus, pro aliis poſſet dicere. CONSVETVDINEM, vt cauſæ ſingulæ defendantur à pluribus. ASCIVIMVS, quamuis eſſet vitioſa, vt dictum eſt. ERANT, aliqui. ad rem reuertitur. TAMEN, quamuis dixerim, mihi Pomponium minime diſplicuiſſe. ILLIVS AETATIS, eiuſdem ætatis, paulo ante. TERTIVS, quamuis ab aliis nemo tertius annumeraretur, ſupra. CVRIO, C. Scribonius Curio C. Curionis oratoris, de quo ſupra diximus, filius, libro ſecundo de Oratore: & C. Curionis, de quo dicetur infra, pater. Huic Burbuleius cognomen impoſuit, vt Plinius libro ſeptimo capite duodecimo, & Valerius Maximus lib. nono capite decimo quinto ſcribunt: qui adoleſcens contra M. Antonium apud Centumuiros pro fratribus Coſsis dixit, libro ſecundo de Oratore: & Q. Cæcilium Metellum Nepotem Balearici filium, vt ait Aſconius, accuſauit. Hic gloriari ſolebat, ſe ſine vllo munere adeptum eſſe omnia, quæ haberentur ampliſsima, libro ſecundo de Officiis. Tribunus igitur plebis, vt infra videre licet, fuit L. Cæſare, P. Rutilio Conſulibus: ac diu ſiluit, vt ſemel à concione vniuerſa relictus eſt. Videtur in Aſia Prætor fuiſſe: certe ibi quum eſſet, illi Sylla imperauit, vt Nicomedem, & Ariobarzanem in Cappadociam deduceret, vt Appianus in Mithridatico refert. Eius etiam opera in capiendis Athenis vſum Syllam fuiſſe teſtis eſt Plutarchus. Deinde cum Cn. Octauio an. ab V. C. ſexcenteſimo ſeptuageſimo octauo Conſul fuit, vt Plinius oſtendit libro ſecundo capite trigeſimo quinto: de quo Macer Tribunus plebis ſic apud Salluſtium loquitur. Dein C. Curio ad exitium vſque inſontis Tribuni dominatus eſt. Proconſul vero poſtea Dardanos in Thracia domuit, vt Liuius libro nonageſimo quinto ſcripſit: quum legionem vnam ex quinque tumultuantem coërcuiſſet, vt Frontinus libro quarto capite primo refert: vbi tamen M. Curio pro C. Curione male legitur. Vt vero Dardanorum ferociam in modo Lernæę ſerpentis renaſcentem extinxerit, Marcellinus libro vigeſimo nono docet. ex quo cognoſcimus in eo fuiſſe prudentiam, quam Cicero in oratione pro lege Manilia commendat. Eutropius vero libro ſexto ita refert: C. Scribonius Curio poſt Conſulatum Dardanos vicit, & vſque ad Danubium penetrauit, triumphúmque meruit, & intra trien-

nium

nium finem bello dedit. Hinc Cicero in oratione in Piſonem ſe C. Curionis triumphum vidiſſe teſtatur. Fuit etiam Pontifex, vt in oratione de Reſponſis apparet: cuius locum tum filius videtur petiiſſe, quum Cicero libro ſecundo Familiarium ſcripſit ad eum, ſe de ſacerdotio laboraſſe, & ſi ſcio Auguratũ poſſe ſignificari. Hic Ciceronis amiciſsimus fuit ita, vt eius Conſulatum ἀποθέωσιν, vt libro primo ad Atticum leges, appellaret. Id in ſcriptis Ciceronis ſæpe cognoſcitur: Cicero tamen illum ſæpe mordebat, vt infra, & Verrina tertia illis verbis: paucos homines, vt leuiſsime dicam, arrogantes: quæ ſic Aſconius interpretatur: Catulum, Hortenſium, Curionémq. ſignificat. Hic non ita multo ante, quàm Cicero in Ciliciam proficiſceretur, deceſsit, vt ex libro ſecundo Familiarium cognoſcimus: quum vir optimus fuiſſet, vt Valerius Maximus libro nono capite primo hiſce verbis oſtendit: mutatio in domo Curionum extitit: ſiquidem forum noſtrum & patris grauiſsimũ ſupercilium, & filii ſexcenties ſeſtertium æris alieni aſpexit. SPLENDIDIORIBVS, C. Curio verborum grauitate, & elegantia, & copia ſuam quandam expreſsit quaſi formam, figurámque dicendi, vt libro ſecundo de Oratore ſcribitur, & infra hoc modo: Curio nonnulla verborũ copia, nullo alio bono, tenuit oratorum locum. NON PESSIME, λιτότης. DOMESTICO, quòd domus eius patrio inſtituto puro ſermone aſſuefacta fuerat, infra: nam pater fuit eloquentiſsimus, vt ex libris oratoriis ſupra retulimus. NAM, αἰτιολογία hoc modo: qui latine bene loquuntur, id aut vſu, aut literis faciunt: hic literas neſciebat, vſu igitur bene latine loquebatur. LITERARVM, quibus fons perfectæ eloquentiæ continetur, infra. NIHIL SCIEBAT, quippe qui eſſet indoctus, & rudis, infra. SED, probat, quod dixit, Curionem vſu domeſtico bene latine locutum fuiſſe. MAGNI INTEREST, adeo in teneris conſueſcere multum eſt, vt ait Poëta: qua de re Quintilianus, & Plutarchus plura ſcribunt. PATRES, in quibus quamplurimum eſſe eruditionis Quintilianus optat. PAEDAGOGI, qui aut ſint eruditi planè, aut ſe non eſſe eruditos ſciant, vt libro primo quærit Quintilianus. MATRES, in quibus idem, quod in patribus optat Quintilianus: & in matribus nutrices complecti videtur: quòd nutrix mater ſæpe dicatur, vt in Quæſtura probauimus. LEGIMVS, non probat, quod de patribus, & pædagogis dixit, quòd probandum non ſit, quod omnes norunt, & quod etiam tunc fiebat: quod vero pertinet ad matres, quia raro fiebat, quòd raræ tunc quoque eſſent fœminæ, quæ literas diſcerent, exemplis probandum iudicauit. EPISTOLAS, quibus Corneliæ doctiſsimus ſermo in poſteros quoque traditus eſt, vt Quintilianus libro primo capite primo loquitur. CORNELIAE, ſupra. GRACCHORVM, Tib. & C. Gracchorum, ſupra. FILIOS, Tib. & C. Gracchos potiſsimum. IN GREMIO, in quo filii ſolent educari. Suus enim cuique filius olim ex caſta parente natus non in cella emptæ nutricis, ſed gremio, ac ſinu matris educabatur, quod Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus ſcribit. aliter ingenio. SERMONE, & quidem doctiſsimo, vt ait Quintilianus. AVDITVS EST NOBIS, qui à patre ita eramus deducti ad Scæuolam ipſius Læliæ maritum, vt, quoad poſſemus, & liceret, à ſenis latere nunquam diſcederemus, in Lælio: id vero quum faceremus, ipſius etiam Læliæ ſermonẽ ſæpe audiuimus. LAELIAE, quæ Q. Mucio Scæuolæ Auguri nupſit, vt ſupra dictum eſt. CAII, C. Lælii ſapientis, ſupra. ILLAM, Læliam. PATRIS, C. Lælii: ELEGANTIA, elegantiam in Lælio, & vim in Galba ſupra poſuit. TINCTAM, ita quidem, vt L. Craſſus libro tertio de Oratore ita dicat: quum audio ſocrum meam Læliam, ſic audio, vt Plautum mihi, aut Næuium videar audire: ſono

ipſo vocis ita recto, & ſimplici eſt, vt nihil oſtentationis, aut imitationis afferre videatur: ex quo ſic locutum eius patrem iudico: & Quintilianus libro primo capite primo, Lælii filia reddidiſſe in loquendo paternam eloquentiam elegantiorem dicitur. MVCIAS, Q. Mucii Scæuolæ Auguris, & Læliæ filias, & Mucias à patre de more nominatas. AMBAS, quarum altera L. Craſſo nupſit, libro primo de Oratore: altera C. Mario, vt nos putamus. Plutarchus certe Mucium Marii πενθερὸν vocat: ob id fortaſſe Marius L. Craſsi affinis à Cicerone libro primo de Oratore, & in oratione pro Cornelio Balbo vocatur. Scimus quidem, quod idem Plutarchus in Cæſare ſcribit, Marium Iuliam vxorem habuiſſe, ſed duas habere potuit. Videtur etiã Marius filius L. Craſsi filiam vxorem duxiſſe, vnde Marius quidam, qui ſe Marii filium eſſe dicebat, L. Craſſum auum ſuum vocabat, vt epiſtola quadrageſima prima libri duodecimi ad Atticum leges. MIHI, qui illas vidi. NEPTES, ipſius Læliæ, vt è filia ipſius, & L. Craſſo natas. LICINIAS, L. Licinii Craſsi, & Muciæ filias. QVAS NOS QVIDEM, loquentes audiuimus. AMBAS, quarum alteram duxit Scipio, vt hic dicetur: alteram C. Marius C. F. vnde ſe natum Herophilus prædicabat, vt Valerius Maximus libro nono capite decimo ſexto ſcribit: qui ſe Marii ſepties Conſulis, & L. Craſsi oratoris nepotem vocabat, quod epiſtola quadrageſima prima libri duodecimi, & epiſtola octaua libri decimi quarti ad Atticum ſcriptum videbis. HANC VERO SCIPIONIS, hanc vero Liciniam vxorem L. Scipionis, de quo ſupra diximus. aliter hanc vero vxorem Scipionis: quæ videtur interpretatio inſerta. CRASSI, oratoris tanti. CRASSVM, prius appellatum Scipionem, quum L. Scipionis, & Liciniæ filius eſſet, quamuis de illo nos nihil præterea ſcriptum viderimus. ISTIVS LICINIAE, quæ L. Craſsi filia, & L. Scipionis vxor fuit. CRASSI, L. Craſsi oratoris, qui nullum filium naturalem videtur reliquiſſe. TESTAMENTO QVI FVIT ADOPTATVS? ſic C. Cæſar C. Octauiũ in familiam, noménque adoptauit, vt loquitur Suetonius: ſic Q. Cæcilius Atticum teſtamento adoptauit, vt Cornelius Nepos ſcribit. ISTE, iſte Craſſus adoptatus. FVISSE, apparet iampridem mortuum fuiſſe. SCIPIO, Publius, vt putamus, vel Lucius, vt eſt apud Appianum libro ſecundo, Scipio L. Scipionis, vt diximus ſupra, & Liciniæ alter filius, qui & ipſe adoptatus, Q. Metellus Q. F. Pius Scipio fuit appellatus, vt epiſtola octaua libri octaui Familiarium legitur: qui quum fuiſſet Conſul cum Pompeio genero, & bellũ cum Cæſare in Africa geſsiſſet, ſe ipſe tandem interfecit: quod etſi factum eſt ante, quàm dialogus hic fieret, Brutus tamen de illo tanquam viuo loquitur: niſi forte prius hic dialogus fuerit cœptus, & poſtea, quo tempore diximus, abſolutus: vel hic alius ſit Scipio, cuius hiſtoriam nos inuenire non potuerimus. COLLEGA MEVS, in Pontificatu. nam Brutus, vt ſupra diximus, Pontifex fuit, & Scipio inter Pontifices numeratur in orationibus de Reſpõſis, & pro Domo: & Suetonius id affirmat in Tiberio: quamuis Cæſar libro tertio de Bello ciuili dicat, illum de Cæſaris ſacerdotio contendiſſe: ſed tum volebat, opinor, ille Pontifex maximus fieri, quum Pontifex minor eſſet. LOQVI VIDETVR, ET DICERE, loqui non eſt idem, & dicere. nam diſputandi ratio, & loquendi dialecticorum eſt, oratorum autem dicendi, & ornandi, vt ait in Oratore. ETENIM, αἰτιολογία, quare Brutus bene iudicet. ISTIVS, Scipionis. EX IPSIVS SAPIENTIAE STIRPE GENERATVM, eſt quædam ὑπερβολή. NAM, αἰτιολογία. DVOBVS AVIS, P. Scipione paterno, & L. Craſſo materno. SCIPIONE, P. Scipione, qui in Conſulatu mortuus eſt, vt ſupra dictum eſt. CRASSO, L. Craſſo: Q. ME-

TELLO,

TELLO, Q. Cæcilio Macedonico, ſupra. CVIVS QVATVOR FILII, quos ſupra nominauimus: & tres filiæ nuptæ, libro quinto de Finibus, vna Lucullo, Plutarchus autor in Lucullo: altera Seruilio: vnde Metellus auus P. Seruilii dicitur in oratione pro Domo: & tertia P. Scipioni, qui, vt diximus, in Conſulatu mortuus eſt, quique fuit auus huius Scipionis, de quo loquimur: & ita Q. Metellus Macedonicus proauus, vt hic, & in oratione pro Domo vocatur: quam rem ſignificat in oratione Poſt reditū in ſenatu his verbis: ſororū filii Luculli, Seruilii, Scipiones: vbi ſorores inter ſe ſoleo interpretari, quòd neq. Numidici, neq. Metelli Nepotis ſorores eſſent, quicum iungūtur. P. SCIPIONE, P. Cornelio Scipione Naſica Serapione, de quo ſupra: qui pater fuit P. Scipionis, qui in Cōſulatu mortuus eſt, & ita proauus huius Scipionis. VINDICAVIT, ſupra. Q. SCAEVOLA AVGVRE, de quo ſupra: qui pater fuit Muciæ L. Craſsi vxoris, vnde nata eſt Licinia huius Scipionis mater, & ſic Q. Scæuola Augur proauus huius Scipionis fuit. PERITISSIMVS IVRIS, iuris enim ciuilis intelligentia, atque omni prudentiæ genere præſtitit, ſupra. PATRONVS, orator: ſed non poteſt legi, patronus, quum is Scæuola in oratorum numero non fuerit, vt ſupra dictum eſt: aliter vero hic legitur, percomis & ſanè comis fuit Scæuola, qualis in Lælio deſcribitur, & libro primo de Oratore his verbis: Tum Scæuola comiter, vt ſolebat, inquit. ABAVORVM, huius Scipionis. P. SCIPIONIS, qui pater fuit Serapionis, Serapio P. Scipionis, Publius L. Scipionis, L. Scipio huius pater fuit: & ſic P. Scipio Corculum dictus huius abauus fuit. QVI BIS CONSVL FVIT, & Cenſor, ſupra. DICTVS, appellatus, ſupra. SAPIENTISSIMI, ſupra, & in Lælio. & vltimo poſuit loco, quod magis probat, huius Scipionis genus ex ipſius ſapientiæ ſtirpe generatum. C. LAELII? ſupra. is pater fuit Læliæ, quæ nupſit Q. Scæuolæ Auguri: vnde nata eſt Mucia L. Craſsi vxor, & mater Liciniæ, ex qua natus eſt hic Scipio, cuius ipſe Lælius ob id abauus fuit. O, ἐπιφώνημα. STIRPEM, huius Scipionis. TANQVAM, ſimilitudo. PLVRA GENERA, inſita. ſolent interdum plura genera, ſiue ſpecies fructuum, vel arborum in vnam arborem inſeri, vt nos ſæpe vidimus, ex vna arbore pira, mala, & alia huiuſcemodi legi. SIC, ἀπόδοσις. ISTAM DOMVM, huius Scipionis. MVLTORVM, P. Scipionis, L. Craſsi, Q. Metelli, P. Scipionis, Q. Scæuolæ Auguris, P. Scipionis, & C. Lælii, quos hic paulo ante nominauimus.

Similiter igitur ſuſpicor (vt conferamus parua magnis) Curionis, etſi pupillus relictus eſt, patrio fuiſſe inſtituto puro ſermone aſſuefactam domum: & eo magis hoc iudico, quòd neminem ex iis quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognoui in omni genere honeſtarum artium tam indoctum, tam rudem. nullum ille poetam nouerat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat: non publicum ius, non priuatum, & ciuile cognouerat: quanquam id quidem fuit etiam in aliis, & magnis quidem oratoribus, quos parum his inſtructos artibus vidimus, vt Sulpicium, vt Antonium. ſed ii tamen vnum illud habebant, dicendi opus elaboratum: idque cum conſtaret ex quinque notiſsimis partibus, nemo in aliqua parte earum omnino nihil poterat: in quacunque enim vna plane claudicaret,

orator eſſe non poſſet. ſed tamen alius in alia excellebat magis. reperiebat, quid dici opus eſſet, & quo modo præparare, & quo loco locari, memoriaque ea comprehendebat Antonius: excellebat autem actione: erantque ei quædam ex his paria cum Craſſo, quædam etiam ſuperiora. at Craſsi magis enitebat oratio. nec vero Sulpicio, neque Cottæ dicere poſſumus, neque cuiquam bono oratori rem vllam ex illis quinque partibus planè atque omnino defuiſſe. itaque in Curione hoc veriſsime iudicari poteſt, nulla re vna magis oratorem commendari, quàm verborum ſplendore & copia. nam cum tardus in cogitando, tum in inſtruendo diſsipatus fuit. reliqua duo ſunt, agere, & meminiſſe. in vtroque cachinnos irridentium commouebat. motus erat is, quem & C. Iulius in perpetuum notauit, cum ex eo in vtranque partem toto corpore vacillante quæſiuit, quis loqueretur è lintre. & Cn. Sicinius, homo impurus, ſed admodum ridiculus, neque aliud in eo oratoris ſimile quidquam; is cum Tribunus plebis Curionem & Octauium Conſules produxiſſet; Curioque multa dixiſſet ſedente Cn. Octauio collega, qui deuinctus erat faſciis, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus: nunquam, inquit, Octaui collegæ tuo gratiam referes; qui niſi ſe ſuo more iactauiſſet, hodie te iſtic muſcæ comediſſent. Memoria autem ita fuit nulla, vt aliquoties, tria cum propoſuiſſet, aut quartum adderet, aut tertium quæreret. qui in iudicio priuato vel maximo, cum ego pro Titinia Cottæ perorauiſſem, ille contra me pro Ser. Næuio diceret, ſubito totam cauſam oblitus eſt, idque veneficiis & cantionibus Titiniæ factum eſſe dicebat. magna hæc immemoris ingenii ſigna: ſed nihil turpius, quàm quòd etiam in ſcriptis obliuiſceretur quid paulo ante poſuiſſet, vt in eo libro, vbi ſe exeuntem è ſenatu, & cum Panſa noſtro, & cum Curione filio colloquentem facit, cum ſenatum Cæſar Conſul habuiſſet, omniſque ille ſermo ductus è percunctatione filii, quid in ſenatu eſſet actum. in quo multis verbis cum inueheretur in Cæſarem Curio; diſputatioque eſſet inter eos, vt eſt conſuetudo dialogorum: cum ſermo eſſet inſtitutus ſenatu miſſo, quem ſenatum Cæſar Conſul habuiſſet, reprehendit eas res, quas idem Cæſar anno poſt, & deinceps reliquis annis adminiſtrauiſſet in Gallia.

SIMILITER IGITVR, ad rem reuertitur. PARVA MAGNIS, res paruas Curionis cum rebus magnis Scipionis. CVRIONIS, de quo quum prius loqueremur, huc digreſsi ſumus. PATRIO, C. Curionis patris viri eloquentiſsimi, ſupra. PVRO SERMONE, quali Curio pater vtebatur. ASSVEFACTAM DOMVM, & ex eo Curionem ipſum latine non peſsime locutum

cutum fuiſſe. ſic enim videtur addendum. HOC, Curionem vſu domeſtico latine non peſsime locutum fuiſſe. QVO'D, αἰτιολογία, quare ſic iudicet, vt ſupra, nam literarum admodum nihil ſciebat: quam nunc pluribus probat. ALIQVO IN NVMERO, oratorum. TAM INDOCTVM, TAM RVDEM, quippe qui literarum nihil ſciret, ſupra. NVLLVM, repetitio. NVLLVM ILLE POETAM NOVERAT, NVLLVM LEGERAT ORATOREM, quum tamen oratori legendi ſint poëtæ, cognoſcenda hiſtoria, omnium bonarum artium ſcriptores, ac doctores & legendi, & peruolutandi, libro primo de Oratore. nam loquendi elegantia legendis oratoribus, & poëtis augetur, vt ait libro tertio de Oratore. NVLLAM MEMORIAM ANTIQVITATIS COLLEGERAT, quæ tamen oratori ſit colligenda, vt libro primo de Oratore, & in Oratore Cicero docet. NON PVBLICVM IVS, quũ tamen oratori iuris publici autoritas ſubiecta eſſe debeat, lib. primo de Oratore. eſt autem publicum ius, quod ad ſtatum Reipub. Romanæ ſpectat, vt ait Vlpianus lib. primo titulo primo Digeſtorum. Ius, inquit Cicero in Partitionibus, publicum, lex, ſenatuſconſultum, fœdus. NON PRIVATVM, ius priuatum, vt ſcribit Vlpianus, eſt, quod ad ſingulorum vtilitatem ſpectat: de quo Cicero in Partitionibus ita loquitur: priuatum ius, tabulæ, pactum, conuentum, ſtipulatio: quod quidem ius qui ignorat, non poteſt in priuatarum rerum cauſis, & iudiciis, vt orator, verſari, libro primo de Oratore. CIVILE, ius ciuile, cuius ſcientia oratori eſt neceſſaria, vt libro primo de Oratore diſputatur. ID QVIDEM, ius ciuile non cognoſcere: etſi videtur omnia complecti, quæ dixit: quòd nemo eſſet adhuc, qui illa complecteretur, vt infra dicet. ARTIBVS, quas Curionem diximus ignoraſſe. SVLPICIVM, P. Sulpicium, ſupra. ANTONIVM, M. Antonium parum his artibus inſtructum: & niſi appoſuiſſet, parum, pugnaret prorſus cum eo, quod libro ſecundo de Oratore ſcripſit: nullius rei, quæ quidem eſſet in his artibus, de quibus aliquid exiſtimare poſſet, Antonium rudem, aut ignarum ſibi viſum fuiſſe. II, oratores. TAMEN, quamuis aliis artibus parum eſſent inſtructi. HABEBANT, quod Curio non habebat. DICENDI OPVS, facultatem dicendi, artem dicendi, eloquentiam, ſupra in principio. QVINQVE, inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria, & pronunciatione, ſiue actione, ſupra. NEMO IN ALIQVA PARTE EARVM OMNINO NIHIL POTERAT, omnes in ſingulis partibus aliquid poterant ita, vt nulla pars eſſet, in qua aliquis nihil omnino poſſet. IN QVACVNQVE, γνώμη. VNA, vna parte ex quinque. ORATOR ESSE NON POSSET, oportet enim in oratore quinque illas partes eſſe, inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, & pronunciationem, lib. primo ad Herenn. SED TAMEN, quamuis orator eſſe non poſſet, qui in aliqua parte claudicaret. IN ALIA, in alia parte. EXCELLEBAT MAGIS, quàm alius. REPERIEBAT QVID DICI OPVS ESSET, hæc eſt inuentio. ET QVO MODO PRAEPARARE, ET QVO LOCO LOCARI, opus eſſet. diſpoſitio: &, loco locari, προσωπομαχσία eſt. MEMORIAQVE EA COMPREHENDEBAT, memoria. ANTONIVS, M. Antonius. EXCELLEBAT AVTEM ACTIONE, quæ fuit in eo ſingularis, ſupra. atq. hic omittit elocutionem, quam ſtatim, de Craſſo loquens, reddit. EI, M. Antonio. EX HIS, inuentione, diſpoſitione, memoria, & actione. PARIA, vt inuentio, diſpoſitio, memoria. CRASSO, L. Craſſo. SVPERIORA, vt actio. MAGIS ENITEBAT ORATIO, & ſic Craſſus in elocutione magis excellebat, quãuis Antonius in ea quoq. aliquid poſſet, vt ſupra oſtẽdit, & hic vult ſignificare. SVLPICIO, P. Sulpicio, ſupra. COTTAE, C. Cottę, ſupra. QVINQVE PARTIBVS,

quas modo diximus. OMNINO DEFVISSE, in quacunque enim vna planè claudicaret, orator eſſe non poſſet. ITAQVE, vt ad Curionem reuertamur. IN CVRIONE, de quo loquimur. HOC, quod ſequitur. NVLLA RE VNA, quum quinque requirantur. MAGIS ORATOREM COMMENDARI, ſic libro tertio de Oratore: in quo igitur homines exhorreſcunt? quem ſtupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem Deū, vt ita dicam, inter homines putant? qui diſtinctè, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate, & verbis, & rebus dicunt, & in ipſa oratione quaſi quendam numerum, verſúmque conficiunt, id eſt, quod dico, ornate. & ibidem paulo ante affirmat in partibus elocutionis omnem admirationem ingenii, omnem laudem eloquentiæ contineri. VERBORVM SPLENDORE, ET COPIA, copia nonnulla verborum, infra: elocutione. nam L. Craſſus lib. tertio de Orat. dum præcepta tradit elocutionis, hæc, & alia requirit. paulo poſt Cic. verborum bonitatem vocat, & celeritatem. NAM, αἰτιολογία, elocutione oratorem magis commendari, quum Curio ea vna ſit commendatus, qui in cæteris partibus parum, aut nihil potius potuerit. TARDVS quum animi, atque ingenii celeres quidam motus eſſe debeant: qui ad excogitandum ſint acuti, libro primo de Oratore. huic tamen Curioni in oratione pro lege Manilia cauſæ ſeruiens, ingenium tribuit. IN COGITANDO, in excogitando, in inueniendo, in inuentione. IN INSTRVENDO, in diſponendo, in diſpoſitione. DISSIPATVS, quum orator potius quaſi collectus eſſe debeat, & M. Antonium imitari: à quo, vt ab imperatore equites, pedites, leuis armatura, in maxime opportunis orationis partibus, quæ inuenerat, collocabantur, ſupra. RELIQVA DVO SVNT, quum iam de elocutione, inuentione, & diſpoſitione, quamuis ordine conuerſo, ſit dictū. AGERE, ET MEMINISSE, actio, & memoria, in quibus ordinem vertit, quòd de memoria ſit plura dicturus. IN VTROQVE, ἐν τῷ agere, & ἐν τῷ meminiſſe, in actione, & memoria. COMMOVEBAT, Curio. MOTVS, αἰτιολογία, quare in actione cachinos Curio commoueret. MOTVS, geſtus, de quo ſupra diximus, quum de M. Antonio loqueremur. C. IVLIVS, qui feſtiuitate, & facetiis & ſuperioribus, & æqualibus ſuis omnibus pręſtitit, ſupra: apud Quintilianum lib. vndecimo capite tertio Iunius male ſcribitur. IN PERPETVVM NOTAVIT, ſic notauit, vt ea nota fuerit perpetua. IN VTRANQVE PARTEM TOTO CORPORE VACILLANTE, quum reprehendenda ſit illa frequens, & concitata in vtranque partem nutatio, vt Quintilianus libro vndecimo capite tertio docet. LOQVERETVR E LINTRE, nam qui vacillant in vtranque partem, loquentes, è lintre loqui videntur: quòd linter quum ſit nauicula, facile in vtranque partem vacillat, ſi quis modo velit in eo ſtare, & loqui, vt Romani loquentes, ſtabant, infra. CN. SICINIVS, illum eſſe credimus, de quo Plutarchus ita ſcribit in Craſſo: ὁ πλεῖστα πράγματα παρέχων τοῖς καθ' αὐτὸν ἄρχουσι, καὶ δημαγωγῶν σινάμωρος, πρὸς τὸν εἰπόντα, τί δὴ μόνον οὐ σπαράττει τὸν Κράσσον, ἀλλὰ παρίησιν αὐτὸν, χόρτον ἔχειν φησὶν ἐπὶ κέρατος. Sicinii vero plebeii fuerunt. nam Sicinius primus Tribunus plebis fuit, vt Liuius libro ſecundo ſcribit: & hic Sicinius Tribunus plebis hoc loco dicitur. HOMO IMPVRVS, ὡς παρέχων πράγματα τοῖς ἄρχουσι, vt ait Plutarchus. RIDICVLVS, facetus, quique diceret ea, quibus homines riderent, non ipſe rideretur: id docet, quod ſequitur, & Grammatici viderunt. ſic infra C. Seruilius Glaucia ridiculus appellatur. QVICQVAM, præter hoc, quòd ridiculus, & facetus erat: quod in Oratore debet eſſe, vt libro ſecundo de Oratore diſputatur. IS, Cn. Sicinius. CVRIONEM, de quo loquimur. OCTAVIVM,

Cn. Octa

Cn. Octauium M. F. libro ſecundo de Finibus: qui in Cilicia deceſsit, quum Proconſul eam prouinciam obtineret, vt in Lucullo Plutarchus oſtendit. COSS. Conſules anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo ſeptuageſimo octauo. PRODVXISSET, in concionem. nam Tribuni plebis priuatos, Augures, & magiſtratus in concionem producere poterant, vt ex Ciceronis libris collegimus. DIXISSET, in concione, quò fuerat productus. SEDENTE, in roſtris, vt ſupra de Scæuola Pontifice dixit. aſsidente, vel legit, vel interpretatur Quintilianus libro vndecimo capite tertio. QVI DEVINCTVS ERAT FASCIIS, ET MVLTIS MEDICAMENTIS PROPTER DOLOREM ARTVVM DELIBVTVS, ſic Quintilianus lib. vndecimo capite tertio, qui erat propter valetudinem & deligatus, & pluribus medicamentis propter dolorem artuum delibutus: qua de re libro ſecundo de Finibus ita ſcriptum videbis: illum dolorem mallem leuares, quo optimum, atque humaniſsimum virum Cn. Octauium M. F. familiarem meum confici vidi, nec vero ſemel, nec ad breue tempus, ſed & ſæpe planè, & diu. Quos ille, Dii immortales, quum omnes artus ardere viderentur, cruciatus perferebat? COLLEGAE TVO, C. Curioni: ſed ita locutus eſt, vt minus offenderet, quàm ſi nominaſſet: SE SVO MORE IACTAVISSET, multum ſe ex more iactaſſet, vt ait Quintilianus libro vndecimo capite tertio: quum iactatio corporis non multa eſſe debeat, vt ſupra de L. Craſſo dictum eſt. COMEDISSENT, nunc te muſcæ non comederunt, quia ille ſe iactando eas abegit. MEMORIA, in qua cachinos etiam irridentium commouebat, vt ſupra dixit. FVIT, C. Curio. TRIA QVVM PROPOSVISSET, vt facit Cicero in oratione pro lege Manilia. enumeratione igitur vſus erat: quam plus, quàm trium partium numero conſtare non oportet, quòd periculoſum ſit, ne quando plus, minúſue dicamus, libro primo ad Herennium. at Curio in hac etiam plus, minúſue dicebat, grauius peccaturus, ſi plures ea partes habuiſſet. QVAERERET, oblitus. IN IVDICIO PRIVATO VEL MAXIMO, priuata in cauſa magna, & graui, vt ait in Oratore. TITINIA COTTAE, Titinia C. Cottæ vxore. Titinia gens plebeia fuit, vt Liuius oſtendit libro tertio: Cicero in oratione pro Cluentio Titinios inter equites ponit. aliter Ticinia Cottæ: & Ticinia gens fuit, vt Varro libro ſecundo capite vltimo de Re ruſtica, & Valerius Maximus libro octauo capite ſecundo demonſtrant. aliter Ticinio Cotta. SER. NAEVIO, neſcio quo, niſi forte legas, Sex. Næuio, vt ſit Sex. Næuius, qui eſt in oratione pro Quintio. DICERET, reſponderet, vel reſpondere cœpiſſet, in Oratore. SVBITO TOTAM CAVSAM OBLITVS EST, & aſſedit, in Oratore. IDQVE VENEFICIIS, ET CANTIONIBVS TITINIAE FACTVM ESSE DICEBAT, ſibi venenis ereptam memoriam dicebat, in Oratore. HAEC, quæ diximus. OBLIVISCERETVR, QVID, aliter obliuiſcebatur, quod. VT, vt oblitus eſt. PANSA, C. Vibio Panſa, qui poſtea cum A. Hircio Conſul fuit. Vibii vero plebeii fuerunt. hic enim Tribunus plebis fuit, vt epiſtola octaua libri octaui Familiarium videbis. & Panſæ dicti, quibus lati, ac panſi ſint pedes. Panſa vero cognomen Vibiorum, vt hic, & in veterum monimentis videmus: Apuleiorum, & Opimiorum, vt apud Liuium libro decimo. videre poteris. NOSTRO, ſuum etiam neceſſarium Cicero in oratione pro Ligario vocat, ſed in Epiſtolis, & Philippicis plura poteris inuenire. CVRIONE FILIO, infra. CAESAR, C. Iulius Cæſar, qui poſtea fuit Dictator. CONSVL, cum M. Bibulo.

FILII, C. Curionis, qui nondum ſenator erat ita, vt poſſet in ſenatum ire · itaque tunc introductus fuit, vt epiſtola vigeſima quarta libri ſecundi ad Atticum legitur. nunc igitur patrem de his interrogabat, quæ dici poterant. QVID IN SENATV, aliter quod in ſenatu. IN QVO, libro. INVEHERETVR, quòd illum odiſſet. nam & in actionibus Cæſarem ipſum ſtabulum Nicomedis, & Bithynicum fornicem vocarat, vt Suetonius in Cæſare teſtatur: & ſi Plutarchus ſcribit olim Cæſarem ab eo ſeruatum fuiſſe. CVRIO, pater. EOS, patrem, & filium Curiones. DIALOGORVM, in quibus diſputatur, vt videre licet apud Platonem, & Ciceronem: & Lucianus ſic in Prometheo ſcribit: ὁ διάλογος σεμνοτάτας ἐποιεῖτο τὰς συνουσίας φύσεώς τε πέρι καὶ ἀρετῆς φιλοσοφῶν. REPREHENDIT, Curio pater. POST, poſt Conſulatum. RELIQVIS ANNIS, aliquot, non omnibus, quibus Cæſar in Gallia fuit. nam Curio pater ante, quàm Cæſar è Gallia decederet, è vita deceſsit, vt libro ſecundo Familiarium cognoſcitur. GALLIA, vtraque. nam citeriorem, & Illyricum Vatinii lege accepit, vt ait Suetonius, vlteriorem, Pompeio potiſsimum adiuuante, vt apud Ciceronem epiſtola tertia libri octaui ad Atticum, & apud eundem Suetonium leges.

Tum Brutus admirans, Tantam ne fuiſſe obliuionem, inquit, in ſcripto præſertim, vt ne legens quidem vnquam ſenſerit quantum flagitii commiſiſſet? Quid autem, inquam, Brute ſtultius, quàm, ſi ea vituperare volebat, quæ vituperauit, non eo tempore inſtituere ſermonem, cum illarum rerum iam tempora præteriiſſent? ſed ita totus errat, vt in eodem ſermone dicat in ſenatum ſe Cæſare Conſule non accedere, ſed id dicat ipſo Conſule exiens è ſenatu. iam qui hac parte animi, quæ cuſtos eſt cæterarum ingenii partium, tam debilis eſſet, vt ne in ſcripto quidem meminiſſet quid paulo ante poſuiſſet, huic minime mirum eſt ex tempore dicenti ſolitam effluere mentem. itaque cum ei nec officium deeſſet, & flagraret ſtudio dicendi, perpaucæ ad eum cauſæ deferebantur: orator autem viuis eius æqualibus proximus optimis numerabatur propter verborum bonitatem, vt ante dixi, & expeditam, ac profluentem quodam modo celeritatem. itaque eius orationes aſpiciendas tamen cenſeo. ſunt illæ quidem languidiores, veruntamen poſſunt augere & quaſi alere id bonum, quod in illo mediocriter fuiſſe concedimus: quod habet tantam vim, vt ſolum ſine aliis in Curione ſpeciem oratoris alicuius effecerit. ſed ad inſtituta redeamus.

LEGENS, quod ſcripſerat. FLAGITII, erroris. EA, quæ Cæſar in Gallia adminiſtrarat. EO TEMPORE, aliquot annis poſt, quàm Cæſar in Galliam fuerat profectus. ILLARVM RERVM, quas Cæſar in Gallia adminiſtrarat. ERRAT, C. Curio pater. NON ACCEDERE, ne, quæ faciebat Cæſar Conſul, ea, ſi in ſenatum accederet, probare videretur: quum aduerſari non poſſet. SED ID DICAT, forte melius legeretur ita, & id dicat. IPSO,

ii Cæſare.

Cæſare. EXIENS, nam ſe exeuntem fecit in libro, ſuprà. exire vero non poterat, niſi prius acceſsiſſet, itaque pugnantia ſcribebat. HAC PARTE ANIMI, memoria, quæ tamen non eſt pars animi, ſed vna ex virtutibus eius animi partis, quæ princeps eſt, quæque mens nominatur, libro quinto de Finibus: & Ariſtoteles in libro περὶ μνήμης, καὶ τοῦ μνημονεύειν, inquit: μνήμη ἐστὶ τοῦ μορίου τῆς ψυχῆς ᾧ τοῦ πρώτου αἰσθητικοῦ, quòd ſi partis eſt, non eſt pars, niſi pars quaſi membrum dicatur, vt Boetius in Topicis docet. & ſanè pars multis modis dicitur, vt Philoſophi dicunt, præſertim Ariſtoteles libro ſeptimo Metaphyſ. CVSTOS, ſic in Partitionibus, & libro primo de Oratore theſaurus rerum vocatur. CAETERARVM INGENII PARTIVM, memoriam partem ingenii vocat libro ſecundo de Oratore, & docilitatem lib. quinto de Finibus: quin ibi ſcribit docilitatem, memoriam, & reliqua id genus vno ingenii nomine appellari. EX TEMPORE DICENTI, quum ex tempore diceret. SOLITAM EFFLVERE, vt effluxit, quũ pro Ser. Nævio diceret paulo ante. MENTEM, memoriam mentis virtutem, vt ex lib. quinto de Finibus retulimus. & videtur amplificatio, quum mentem pro memoria quaſi totũ pro parte dicat. ITAQVE, propter cauſas ſupra dictas. QVVM EI NEC OFFICIVM DEESSET, quum is & eſſet officioſus: ἀντίθετον, in qua & Curionem laudat, & κατὰ πρόληψιν occupat, quod aliquis dicere potuiſſet, paucos ad eum cauſas detuliſſe, quòd neq. officioſus eſſet, neq. libēter diceret. ORATOR, Curio, qui tenuit oratorũ locũ, infra. VIVIS EIVS AEQVALIBVS, dum C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Varius, Cn. Pōponius, L. Fuſius, & M. Druſus eius æquales viuerēt, ſupra. PROXIMVS, tertius. OPTIMIS, C. Cottæ, & P. Sulpicio, ſupra. NVMERABATVR, ab his, quibus illius ætatis tertius videbatur, ſupra. BONITATEM, ſplendorē, ſupra. CELERITATEM, copiã, ſupra. ITAQVE, quũ in elocutione valuerit. TAMEN, quamuis in aliis partibus nihil valuerit. SVNT, πρόληψις, ne quis hoc dicat. ILLAE, orationes. ID BONVM, elocutionem. IN ILLO, Curione. CONCEDIMVS, quia credimus vſu aliquo domeſtico ſplendidioribus verbis vſum, & latine nō peßime locutũ fuiſſe, ſupra. TANTAM VIM, quantam ſupra in illis verbis diximus, in Curione hoc veriſsime iudicari poteſt, nulla re vna magis oratorem cōmendari, quàm verborum ſplendore, & copia. VT SOLVM SINE ALIIS, vt ſolum hoc bonum: vt ipſa hæc elocutio ſine aliis partibus: nullo alio bono, infra. EFFECERIT, ita, vt proximus optimis numeraretur. INSTITVTA, de Oratoribus. REDEAMVS, poſtquam propè extra rem de Curione, & de partibus eloquentiæ tam multa diſputauimus.

In eodem igitur numero eiuſdem ætatis C. Carbo fuit, illius eloquentiſsimi viri filius, non ſatis acutus orator, ſed tamen orator numeratus eſt, erat in verbis grauitas, & facile dicebat, & authoritatem naturalem quandam habebat oratio. Acutior Q. Varius rebus inueniendis, nec minus verbis expeditus, fortis vero actor & vehemens, & verbis nec inops nec abiectus, & quem planè oratorem dicere auderes. Cn. Pomponius lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, criminoſus. Multum ab iis aberat L. Fuſius, tamen ex accuſatione M. Aquilii diligentiæ fructum ceperat. Nam M. Druſum, tuum magnum auunculum, grauem oratorem, ita duntaxat cum de Rep. diceret; L. autem Lucullum etiam acutum; patrémque tuum Brute; iuris

quoque & publici & priuati ſanè peritum M. Lucullum; M. Octauium Cn. filium; qui tantum authoritate dicendóque valuit, vt legem Semproniam frumentariam populi frequentis ſuffragiis abrogauerit; M. Octauium M. filium; M. Catonem patrem, Q. etiam Catulum filium abducamus ex acie, id eſt à iudiciis; & in præſidiis Reipub. cui facile ſatisfacere poſsint, collocemus. Eodem Q. Cæpionem referrem, niſi nimis equeſtri ordini deditus, à ſenatu diſſediſſet.

IN EODEM, in quo Curio, & reliqui, quos ſupra nominauit, fuerunt. EIVSDEM AETATIS, cuius Curio, & reliqui ſupra dicti, fuerunt. C. CARBO, hunc inſerit hoc loco, quum de illo ſupra cum aliis non propoſuerit: ſed facit, opinor, ne meditatus in dialogo dicere videatur. Hic Tribunus plebis fuit, vt eſt in Oratore: de quo Valerius Maximus libro tertio capite ſeptimo ita ſcribit: Quum L. Craſſus Galliam obtineret, atque in eam C. Carbo, cuius patrem damnauerat, ad ſpeculanda acta ſua veniſſet, non ſolum eum inde non ſummouit, ſed inſuper locum ei in tribunali aſsignauit, nec vlla de re, niſi eo in conſilium adhibito, cognouit. Itaque acer, & vehemens Carbo nihil aliud Gallica peregrinatione conſecutus eſt, quàm vt animaduerteret, ſontem patrem ſuum ab integerrimo viro in exilium miſſum. haud equidem certo ſcio, an ille ſit, quem Damaſippus interfecit, vt legimus apud Ciceronem epiſtola vigeſima prima libri noni Familiarium, Paterculum libro ſecundo, Oroſium libro quinto capite vigeſimo, & Valerium Maximum libro nono capite ſecundo. Certe P. Antiſtii fuit æqualis, infra. ILLIVS, C. Carbonis. ELOQVENTISSIMI, ſupra, & libro tertio de Oratore. VIRI, quem L. Craſſus accuſauit, ſupra, IN VERBIS, quæ frequenter dichoreo claudebat: quo tantus olim clamor concionis eſt excitatus, vt admirabile eſſet, in Oratore. DICEBAT, erat enim diſertus, infra. ACVTIOR, C. Carbone. Q. VARIVS, Q. Varius Sucronenſis à Quintiliano libro quinto capite duodecimo, & ab autore libelli de Viris illuſtribus appellatus ab oppido Hiſpaniæ, & ob id ab Aſconio Hiſpanus dictus, dum ſcribit hoc modo: Italico bello exorto, quum ob ſociis negatam ciuitatem nobilitas in inuidia eſſet, Q. Varius Tribunus plebis legem tulit, vt quæreretur de iis, quorum opera, conſilióue ſocii contra populum Romanum arma ſumpſiſſent. addit deinde Aſconius, quod pertinet ad Scaurum, de quo ſupra diximus. De Vario Craſſus libro primo de Oratore ita loquitur: Quis veſtrum æqualem meum Q. Varium vaſtum hominem, atque fœdum non intelligit illa ipſa facultate, quancunque habet, magnam eſſe in ciuitate gratiam conſecutum? Nec me mouet, quòd Craſſus ſuum vocet æqualem, & hic Cicero Cottæ, & Sulpicii faciat æqualem: quoniam potuit aliquanto minor natu Craſſo, & aliquanto Cotta, & Sulpicio maior eſſe ita, vt & Craſſo, & his duobus æqualis appellari poſſet: niſi, quod ego minus probo, credat aliquis alterum fuiſſe. Hic diſertus eſt habitus, infra: qui ſua lege damnatus, exceſsit, infra. nam ſummo cruciatu, ſuppliciòque Q. Varius homo importuniſsimus, quia Druſum ferro, Metellum veneno ſuſtulerat, periit, libro tertio de Natura Deorum. Valerius Maximus quoque libro nono capite ſecundo hominem ſeditioſiſsimum, & abiectiſsimum vocat: quin idem libro octauo capite ſexto ita ſcribit: Q. Varius propter obſcurum ius ciuitatis Hybrida cognominatus, Tribunus plebis legem aduerſus interceſsioné collegarũ prorogauit, qua iubebat quæri, quo-

rum

rum dolo malo ſocii ad arma ire coacti eſſent magna cum clade Reipub. So-
ciale enim prius, deinde ciuile bellum excitauit. ſed dum ante peſtiferum
Tribunum plebis, quàm certum ciuem agit, ſua lex eum domeſticis laqueis
conſtrictum abſumpſit. FORTIS VERO ACTOR, ſic fortis orator L. Len-
tulus infra. CN. POMPONIVS, qui mihi placebat, ſupra. Hunc Patercu-
lus inter hiſtoricos, vt opinor, numerat: & infra Cicero vt Marianum ſub-
latum videtur oſtendere. & ſanè Pomponios cum P. Sulpicio Mariano affi-
nitate coniunctos fuiſſe Cornelius Nepos in Attico ſcribit. MVLTVM AB
IIS ABERAT, Curione, Carbone, Vario, & Pomponio multo erat in-
ferior: quanquam Pomponio propemodum ſimilis à L. Craſſo libro tertio
de Oratore ita deſcribitur: eaſdem res ſimulac Fuſius, aut veſter æqualis
Pomponius agere cœpit, non æque, quid dicant, niſi admodum attendi,
intelligo: ita confuſa eſt oratio, ita perturbata; nihil vt ſit primum, nihil
vt ſecundum, tantáque inſolentia, ac turba verborum, vt oratio, quæ lu-
men adhibere rebus debet, ea obſcuritatem, & tenebras afferat, atque vt
quodammodo ipſi ſibi in dicendo obſtrepere videantur. L. FVSIVS, quē
M. Antonius lib. ſecundo de Oratore hoc modo deſcribit: ſi vitioſe aliquid
eſt, id ſumere, & in eo vitioſum eſſe, non magnum eſt, vt ille, qui nunc
etiam amiſſa voce furit in Repub. Fuſius: neruos in dicendo C. Fimbriæ,
quos tamen habuit ille, non aſſequitur, oris prauitatem, & verborum lati-
tudinem imitatur. Sed tamen ille nec deligere ſciuit, cuius potiſſimum ſi-
milis eſſet, & in eo ipſo, quem delegerat, imitari etiam vitia voluit: quan-
quam M. Antonius illum videtur odiſſe, quòd M. Aquilium accuſaſſet, quē
ipſe defendit, vt ait libro ſecundo de Oratore. Ex Fuſiis C. & M. Romanos
equites Cicero in oratione pro Flacco vocat. TAMEN, quamuis ab aliis
multū abeſſet. EX ACCVSATIONE M. AQVILII DILIGENTIAE FRV-
CTVM CEPERAT, in accuſando etiam M. Aquilio L. Fuſii cognita indu-
ſtria. Sic enim nos libro ſecundo de Officiis legendum putamus, quum vel
hic Cicero dicat, Aquilium à L. Fuſio accuſatum fuiſſe: quòd ſi quis ex Di-
uinatione in Verrem illa verba quaſi opponet: conſuetudinis, atque inſti-
tuti patres, maioréſque noſtros nòn pœnitebat tum, quum P. Lentulus is,
qui princeps ſenatus fuit, accuſabat M. Aquilium, ſubſcriptore C. Rutilio
Rufo: ego contrà dicam, M. Aquilium ibi ſignificari eum, qui fuit Conſul
cum C. Sempronio Tuditano an. ab V. C. ſexcenteſimo vigeſimo quinto: quo
tempore P. Scipio Africanus in lectulo mortuus eſt repertus. & mecum ſen-
tiet, qui colliget, Aquilium, de quo nunc fit mentio, à P. Lentulo illo ac-
cuſari non potuiſſe: quum paulo poſt C. Gracchi mortem ex Italia diſceſſe-
rit, nec vnquam poſtea redierit, vt Valerius Maximus libro quinto capite
tertio ſcribit: & hic Aquilius annis minimum viginti poſt C. Gracchi mor-
tem fuerit accuſatus, vt dicemus. ACCVSATIONE, de pecuniis repetun-
dis, vt ait Liuius libro ſeptuageſimo. M. AQVILII, qui fuit Conſul cum
C. Mario an. ab V. C. ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, vnde Marii col-
legam libro ſecundo de Oratore vocat: qui Conſul in Sicilia bellum ſeruile
concitatum confecit, vt Liuius lib. ſexageſimo nono ſcripſit: quem poſtea,
certe poſt Conſulatum L. Fuſius accuſauit, & M. Antonius defendit, ea ra-
tione vſus, quam Cicero libro ſecundo de Oratore, & Verrina ſeptima,
ac Liuius libro ſeptuageſimo deſcribunt. Illum igitur Romani multis aua-
ritiæ criminibus, teſtimoniiſque conuictum, quia cum fugitiuis fortiter
bellum geſſerat, liberauerunt, vt ait in oratione pro Flacco. M. DRVSVM,
M. Liuium Druſum, M. Druſi, quem patronum ſenatus appellatum ſupra
ex Suetonio retulimus, & Corneliæ, vt in conſolatione ad Marciam Seneca

refert, filium: qui pupillus adhuc quum eſſet, & prætextatus, iudicibus
reos commendabat, & ſe ſic interponebat, vt quædam iudicia ab illo rapta
conſtet. Vnde ſolebat dicere, vni ſibi nec puero quidem vnquam ferias con
tigiſſe; quod Seneca in libro de Breuitate vitæ ſcribit. Ob id Cicero libro
primo de Officiis dixit, in eo adoleſcente grauitatem ſingularem fuiſſe. Hic
Quæſtor in Aſia nullis inſignibus vti voluit, ne quid ipſo eſſet inſignius.
Aedilis munus magnificentiſsimum dedit: & ibi Rubrio collegæ quædam de
vtilitate Reipub. ſuggerenti, quid tibi, inquit, cum Repub. noſtra? Hæc
diuerſo tamen ordine ſcripta in libello de Viris illuſtribus inuenies: quæ ne-
ſcio quàm vera ſint, quum moris eſſet, vt Romani prius Tribuni plebis,
quàm Aediles fierent, & hic Druſus Tribunus plebis deceſſerit. Hunc mor
bo comitiali elleboro in Anticyra inſula conſtat eſſe liberatum, vt Plinius
libro vigeſimo quinto capite quinto, & Gellius libro decimo ſeptimo capite
decimo quinto retulerunt. Inter hunc, & Cæpionem ex annulo in auctio-
ne venali inimicitiæ cœpere: vnde origo ſocialis belli, & exitia rerum, vt
ait Plinius libro trigeſimo tertio capite primo. hinc Cicero in oratione pro
Domo Q. Cæpionem inimicum Druſi vocat. Hic igitur Tribunus plebis
factus, multa in Rempub. cœpit moliri: itaque Q. Granium præconem quũ
ſalutaſſet, vt fit, dixiſſetque, quid agis Grani? reſpondit ille, imo vero tu
Druſe quid agis? vt Cicero in oratione pro Plancio refert. Ille verò id age-
bat, vt, quod ait Paterculus, ſenatui priſtinum reſtitueret decus, & iudicia
ab equitibus ad eum transferret: vnde Tribunatus eius pro Senatus autorita
te ſuſceptus à Cicerone libro primo & tertio de Oratore dicitur. quã de re
neſcio quis apud Salluſtium ita ſcribit ad Cæſarem: M. Liuio Druſo ſemper
conſilium in Tribunatu ſumma ope niti pro nobilitate: neque vllam rem in
principio agere intendit, niſi illi autores fierent homines factioſi, quibus
dolus, atque malitia fide chariora erant: vbi intellexerunt per vnum homi
nem maximum beneficium multis mortalibus dari: videlicet & ſibi quiſque
conſcius, malo, atque infido animo eſſe, de M. Liuio Druſo iuxtà, ac de ſe
exiſtimauerunt. Itaque metu, ne per tantam gratiam ſolus rerum potiretur,
contra eam niſi, ſua ipſius conſilia diſturbauerunt. ea igitur fortuna Druſi
fuit, vt malefacta collegarum, quàm eius optime ab ipſo cogitata ſenatus
probaret magis, & honorem, qui ab eo deferebatur ſperneret: iniurias, (
quæ ab aliis intendebantur, æquo animo reciperet: & huius ſummæ gloriæ
inuideret, illorum modicam ferret. Tum conuerſus Druſi animus, quan-
do bene cœpta, male cedebant, ad dandam ciuitatem Italiæ: quod quum
moliens reuertiſſet è foro, immenſa illa, & incognita, quæ eum ſemper co-
mitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus ſuæ cultello percuſſus, qui
affixus lateri eius relictus eſt, intra paucas horas deceſsit: quod ſcribunt Pa-
terculus libro ſecundo, Liuius libro ſeptuageſimo, Appianus libro primo,
Oroſius libro quinto capite decimo octauo, & ipſe Cicero in oratione pro
Milone his verbis: Tribunus plebis M. Druſus occiſus eſt: nihil de eius mor
te populus conſultus, nulla quæſtio decreta à ſenatu eſt. A Q. Vario ferro
ſublatum Cicero libro de Natura Deorum tertio ſcribit. Inuidia tamen cæ-
dis apud Philippum, & Cæpionem fuit, vt eſt in libello de Viris illuſtribus,
vt ipſe optarat: quin, vt ait Plinius libro vigeſimo octauo capite nono, tra-
ditur caprinum ſanguinem bibiſſe, quum pallore, & inuidia veneni ſibi da-
ti inſimulari Q. Cæpionem inimicum vellet. Diſputatur, inquit Seneca in
libro de Breuitate vitæ, an ipſe ſibi manus attulerit. Subito enim vulnere per
inguen accepto collapſus eſt, aliquo dubitante, an mors voluntaria eſſet in
illo, an tempeſtiua. Suetonius certe in Tiberio refert, à diuerſa factione

per

per fraudem interemptum fuiſſe. Hunc Pontificem fuiſſe oſtendit in oratione pro Domo, vbi Tribunum plebis clariſsimum vocat, & Paterculus virum nobiliſsimum, eloquentiſsimum, & ſanctiſsimum: & Plinius Tribunorum popularium clariſsimum: Valerius tamen Maximus libro nono capite quinto illum vituperat. Sed quicquid ille dicat, qui ſolet à cæteris diſſentire, ſic apud Aſconium leges: puto vos reminiſci, has eſſe leges Liuias, quas L. Marcio, Sex. Iulio Coſs. M. Liuius Druſus Tribunus plebis tulit: qui quũ ſenatus partes tuendas ſuſcepiſſet, & leges pro optimatibus tuliſſet, poſtea eò licentiæ eſt progreſſus, vt nullum in iis morem ſeruaret. Itaque Philippus Conſul, qui ei inimicus erat, obtinuit à ſenatu, vt leges eius omnes vno S. C. tollerentur. Decretum eſt enim contra auſpicia eſſe latas, neque iis teneri populum: quod Cicero item in oratione pro Domo docet his verbis: Decreuit Senatus, M. Druſi legibus, quæ contra legem Cæciliam, & Didiam latæ eſſent, populum non teneri: qua de re libro ſecundo de Legibus meminit, quamuis multi libri Lenias leges, non Liuias habeant. Alia quædam de M. Druſo poteris inuenire apud Plinium, autorem libelli de Viris illuſtribus, & alios, quæ nos breuitatis cauſa nunc omittimus. TVVM, Brute. MAGNVM AVVNCVLVM, maternæ auiæ fratrem, vt Grammatici docent, & tu ita colliges: M. Liuius Druſus, qui ſenatus eſt patronus appellatus, vt ſupra diximus, habuit filios M. Liuium Druſum, de quo loquimur, & Liuiam, quæ mater fuit Catonis. Ita Druſus pater, Catonis fuit auus maternus, lib. quarto de Finibus: Druſus vero filius, eiuſdem Catonis auunculus fuit, vt Liuiæ matris frater, vt à Cicerone in oratione pro Milone, à Valerio Maximo libro tertio capite primo, & à Plutarcho vocatur. Eadem porro Liuia, mortuo priore marito, nupſit Q. Seruilio Cæpioni, vnde nata eſt Seruilia mater Bruti, quæ ex matre ſoror fuit Catonis: & ſic Cato vt Seruiliæ frater, Bruti fuit auunculus: Liuia fuit auia materna, & M. Druſus eius frater, magnus auunculus. GRAVEM ORATOREM, eloquentia magnum autor libelli de Viris illuſtribus, eloquentiſsimum Paterculus, εἰπεῖν δεινότατον ἄνδρα καὶ τ'ἄλλα σώφρονα Plutarchus in Catone vocat. L. AVTEM LVCVLLVM, cuius vitam Plutarchus ita ſcripſit, vt mihi plura de illo non videantur eſſe dicenda. AC TVVM, quippe quum in eo incredibilis quædam ingenii magnitudo fuerit, libro ſecundo Academicarum quæſtionum. PATREMQVE TVVM, M. Iunium Brutum, qui in Ciſalpinam Galliam fugiens, perſequente Pompeio, apud Regium interfectus eſt, vt Oroſius libro quinto capite vigeſimo ſecundo refert, nec multum diuerſa Plutarchus in Pompeio, & Valerius Maximus libro ſexto capite ſecundo ſcribunt. IVRIS QVOQVE ET PVBLICI ET PRIVATI, de iure publico, & priuato ſupra diximus. M. LVCVLLVM, L. Luculli fratrem, vt Plutarchus in Lucullo docet, quamuis Eutropius conſobrinum vocet. in lapidibus certe Romanis L. Lucullus L. F. & hic M. F. dicitur: qui L. Syllæ imperatoris Quæſtor fuit, & poſtea vt vnus è Syllanis ducibus ad Fidentiam feliciter pugnauit, quod Plutarchus, & Paterculus oſtendunt. Cum fratre fuit Aedilis, vt apud Plutarchum, & Plinium libro octauo capite ſeptimo ſcriptum videbis: Vnde libro ſecundo de Officiis ita legendum videtur, vt in manu ſcriptis libris etiam legitur: Deinde C. Claudius Appii filius, multi poſt, Luculli, Hortenſius, Silanus. Hic Prætor inter peregrinos ius dixit, & contra C. Antonium, quod Græci poſtulabant, decreuit, vt Aſconius oſtendit. Conſul cum C. Caſsio fuit, vt in oratione pro Cluentio legimus: vnde Verrina tertia ſic eſſe legendum cognoſcimus: nobis reſpondit, quum ab eo tabulas poſtularemus, vſque ad M. Licinium,

& C.Caſſium Coſs.confeciſſe, poſtea deſtitiſſe.Proconſul hic in Macedonia Curioni ſucceſſit, & totam Beſſorum gentem bello appetitam in deditionem accepit, vt autor eſt Oroſius libro ſexto capite tertio : & ad terminum gentium Tanaim,lacumque Meotin peruenit, vt Florus libro tertio capite quarto refert: & ſic Thracas ſubegit, vt Liuius libro nonageſimo ſeptimo ſcripſit· ac tandem triumphauit,vt Cicero in oratione in Piſonem,& Eutropius libro ſexto teſtantur.Apollinem,qui in Capitolio fuit, & alia multa in triumpho tulit,quod eſt apud Plinium lib. trigeſimo quarto capite ſeptimo. Tunc in iudicium à C.Memmio vocatus eſt,táquam male Quæſturam olim adminiſtraſſet,ſed iudicio liberatus eſt: cuius vxorem C. Memmius idem vitiaſſe videtur epiſtola quinta libri primi ad Atticum.Huic poſtea L. Luculli fratris tutela permiſſa eſt, quum ille alienata mente deſipere cœpiſſet,vt autor libelli de Viris illuſtribus,& Plutarchus affirmant.Quum vero L.Lucullus non ita multo poſt deceſſiſſet, M.Lucullus impetrauit à populo, vt funus in agro Tuſculano celebrari poſſet, vt Plutarchus ſcribit: quod factum videtur,quo tempore Cicero exulabat.nam reuerſus dixit orationem de Prouinciis Conſularibus L.Philippo, & Cn. Marcellino Coſs.vt Aſconius ſcribit, & res ipſa docet.Siquidem Cęſar libro ſecundo de Bello Gallico teſtatur ſupplicationes, de quibus in ea oratione fit mentio, decretas fuiſſe multo ante, quàm Pompeius, & Craſſus iterum Conſules fierent, quos libro quarto tandem Conſules nominat.Illud mitto,quod epiſtola ſexta libri primi Familiarium ſcribitur, ea decreta eſſe, quæ in oratione ipſa dicuntur:& tamen nondum Pompeius erat Conſul, quum ſequenti epiſtola de Pompeio vt futuro Conſule loquatur.In oratione igitur de Prouinciis Conſularibus oſtendit, L. Lucullum iampridem obiiſſe.Quòd ſi L.Lucullus primum deſipere cœpit ita, vt neque rem ſuam, neque puhlicam curaret: deinde L. Philippo & Cn.Marcellino Coſs. dicitur iampridem obiiſſe, certe iiſdem Coſs. in Senatu dicere ſententiam non potuit, vt illi credunt, qui libro primo Familiarium putant L. Lucullum ſignificari in illis epiſtolis, quæ penè omnes ſcriptæ ſunt L. Philippo, & Cn. Marcellino Coſs. Hæc eo pluribus diximus, quòd audiuimus, eſſe quoſdam, qui τὸ σχόλιον noſtrum in epiſtolam primam reprehendant, vbi M. Lucullum, non L. Lucullum ſignificari diximus. Quin ante Ciceronis exilium videtur L. Lucullus vel deceſsiſſe, vel ſeceſsiſſe, vel certe nihil curaſſe, quando nuſquam dicitur Ciceronem adiuuiſſe, vt, ſi vixiſſet, vel valuiſſet, prorſus adiuuiſſet, ab eo in triumpho adiutus, libro ſecundo Academicarum quæſtionum: vt M. ipſe Lucullus adiuuit, vt teſtatur in orationibus in Piſonem, & de Reſponſis, vbi Pontifex etiam vocatur, vt epiſtola ſecunda libri quarti ad Atticum ſignificatur. Hic M. Lucullus ante bellum ciuile deceſsit, cui vel ob id Paterculus gratulatur. M. OCTAVIVM, illum fortaſſe, quem Verrina tertia Ligurem vocat, & laudat: vel illum, quem cum C. Cotta Conſulem an. ab V.C. ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono eſſe, & Lucium vocari videmus. Ille certe Cn.F. in lapidibus Romanis appellatur. CN. Cnei illius, vt opinor, Octauii, quem ſupra diximus L. Cinnæ collegam, & ab eo interfectum fuiſſe. FILIVM, aliter filios, male. VALVIT, niſi enim multum valuiſſet, perſuadere populo non potuiſſet,vt legem maxime popularem abrogaret. SEMPRONIAM, à C. Sempronio Graccho latam, vt videbis apud Plutarchum in Gracchis, & apud ipſum Ciceronem Tuſculana tertia, & libro ſecundo de Officiis: vbi tamen in multis libris, P.Gracchi, male legitur. FRVMENTARIAM, qua frumentum viritim, vt ait Tuſculana tertia, diuideretur: quam largitionem frumentariam libro ſecundo de Officiis appellat. ABRO

GAVERIT,

GAVERIT, quòd C. Gracchi frumentaria magna fuit largitio, & exhauriebat ærarium: modica vero M. ipſius Octauii, & Reipub. tolerabilis, & plebi neceſſaria: ergo & ciuibus, & Reipub. ſalutaris. aliter abrogarit. M. OCTAVIVM, aliter Cn. Octauium, recte, vt puto, vt ſit Cn. Octauius, quem ſupra vt Curionis collegam nominauit, & hic vt oratorem reddit: quemque nos M. filium fuiſſe ex libro ſecundo de Finibus oſtendimus, & hic ipſe refert, & in lapidibus Romanis apparet. M. CATONEM, M. Porcium Catonem, qui Tribunus plebis fuit, & Præturam petens, mortem obiit, vt Gellius libro decimo tertio, capite decimo nono ſcribit. PATREM, patrem M. Porcii Catonis, qui poſtea fuit Vticenſis appellatus. Q. ETIAM CATVLVM FILIVM, quem ſupra, velut à patre inuitatus, poſuit, ſed nũc ſuo loco breuiter voluit reddere. EX ACIE, è ſtudio contentionis, quem Græci vocant ἀγῶνα, vt ait libro primo ad Atticum, & libro quarto prælium vocat: ſic acie, & ferro, hac de re loquens, in libello de Optimo genere oratorum dixit. ID EST A IVDICIIS, in quibus oratores verſari ſolent: ἐπεξήγησις. alii tamen putant eſſe interpretationem ſuperuacaneam, & inſertam, atque ob id tollendam. EODEM, in eundem numerum, in quem retuli illos, quos dixi in præſidiis Reipub. collocandos. Q. CAEPIONEM, Q. Seruilium Cæpionem, quem M. Liuii Druſi diximus inimicum fuiſſe. REFERREM, quod olim præclare Rempub defendit. Italico enim bello legatus Rutilii quum obſeſſus proſpere in hoſtes irrupiſſet, ob eum ſucceſſum æquatum ei cum C. Mario eſt imperium: quamuis poſtea temerarius factus, & circumuentus inſidiis, fuſo exercitu, ceciderit, vt Liuius libro ſeptuageſimo tertio ſcripſit. EQVESTRI ORDINI, quem contra M. Liuium Druſum defendit, vt autor eſt Florus libro tertio capite decimo ſeptimo. DISSEDISSET, quum alter Cæpio, forte pater eius, iudicia equitibus, & ſenatoribus communicaſſet, & ſic equites offendiſſet, vt ſupra retulimus.

Cn. Carbonem, M. Marium, & ex eodem genere complures minime dignos elegantis conuentus auribus, aptiſsimos cognoui turbulentis concionibus. quo in genere (vt in his perturbem ætatum ordinem) nuper L. Quintius fuit, aptior etiam Palicanus auribus imperitorum. Et quoniam huius generis facta mentio eſt, ſeditioſorum omnium poſt Gracchos L. Apuleius Saturninus eloquentiſsimus viſus eſt: magis ſpecie tamen, & motu, atque ipſo amictu capiebat homines, quàm aut dicendi copia, aut mediocritate prudentiæ. Longe autem poſt natos homines improbiſsimus C. Seruilius Glaucia, ſed peracutus, & callidus, cum primiſque ridiculus. is ex ſummis & fortunæ & vitæ ſordibus in Prætura Conſul factus eſſet, ſi rationem eius haberi licere iudicatum eſſet. nam & plebem tenebat, & equeſtrem ordinem beneficio legis deuinxerat. is Prætor eodem die, quo Saturninus Tribunus plebis Mario & Flacco Conſulibus publice eſt interfectus, homo ſimillimus Athenienſis Hyperboli, cuius improbitatem veteres Atticorum comœdiæ notauerunt.

CN. CARBONEM, Cn. Papirium Carbonem, quì Marianus fuit etiam ante, quàm fieret Conſul, vt Liuius libro ſeptuageſimo nono, & ſequenti ſcripſit: deinde quum L. Cinna, & ipſe Carbo à ſeipſis Conſules per biennium creati, bellum contra Syllam paraſſent, ac tandem Cinna ab exercitu ſuo interemptus eſſet, Conſulatum Carbo ſolus geſſit, vt Liuius lib. octuageſimo tertio, & Paterculus libro ſecundo, præter alios, oſtendunt. Idem Carbo, quum ab omnibus oppidis Italiæ obſides exigere vellet, vt fidem illorum contra Syllam obligaret, conſenſu ſenatus eſt prohibitus: deinde S. C. per factionem Carbonis, & Marianarum partium factum, vt omnes vbique exercitus dimitterentur, vt Liuius libro octuageſimo quarto retulit. Tandem illum Conſulem III. cum C. Mario C. F. Sylla, exercitu eius ad Cluſium, ad Fauentiam, Fidentiámque cæſo, Italia expulit, vt ait Liuius libro octuageſimo octauo: quem Pompeius in Sicilia captum occidit: autores laudo Liuium, Valerium Maximum, Paterculum, Plutarchum, & Appianum, qui res iſtas pluribus explicauit. M. MARIVM, M. Marium Gratidianum, M. Marii Gratidii, de quo ſupra diximus, filium: cuius caput abſciſſum per vrbem ſua manu L. Catilina, vt etiam ſupra diximus, tulit, & alia fecit, quæ ſcribunt Q. Cicero in libello de Petitione Conſulatus, Liuius libro octuageſimo octauo, Aſconius, Florus libro tertio capite vigeſimo primo, Plutarchus in Sylla, & Oroſius libro quinto capite vigeſimo primo. hunc bis Prætorem fuiſſe ſcribit Aſconius. Quum vero Prætor eſſet, collegas, Tribunóſque plebis eo modo decepit, quem Cicero, qui fuit affinis, lib. tertio de Officiis non probauit. Lis ei cum Sergio Aurata fuit ea, quam Cicero libro primo de Oratore, & libro tertio de Officiis ponit. EX EODEM GENERE, turbulento, & ſeditioſo, quales erant Cn. Carbo, & M. Marius: quorum alter malus ciuis, improbus Conſul, & ſeditioſus homo Verrina tertia dicitur: alter ſumme popularis homo ab Aſconio, & à Q. Cicerone vel ob id populo Romano chariſſimus appellatur: de quo Cicero libro tertio de Officiis ita ſcribit: omnibus vicis ſtatuæ factæ ſunt: ad eas tus, & cerei. quid multa? nemo vnquam multitudini fuit charior. Tu Senecam quoque lib. tertio capite decimo octauo de Ira lege. MINIME DIGNOS, vt oratores minime bonos. APTISSIMOS, vt populares, & ſeditioſos. COGNOVI, ego potiſſimum, quòd Atticus abfuit, vt in vita Cornelius Nepos oſtendit: & Brutus vix illos videre potuit, vt infra cognoſcetur. QVO IN GENERE, populari, & turbulento. PERTVRBEM, ab his ſeditioſis propemodum inuitatus. ORDINEM, inſtitutum, ſupra. NVPER, circiter annos triginta ante, L. Licinio Lucullo, M. Aurelio Cotta Coſſ. quo tempore L. Quintius Tribunus plebis fuit, vt in oratione Macri Tribuni plebis apud Salluſtium cognoſces. Fuit enim Tribunus plebis Verre Prætore, vt in oratione pro Cluentio, & apud Aſconium videbis: Verres autem Prætor fuit Lucullo, & Cotta Coſſ. Verrina ſeptima: & iam tum Quintius obierat, quum Cicero Prætor orationem pro Cluentio dixit. L. QVINTIVS, homo maxime popularis, qui omneis rumorum, & concionum ventos colligere conſueſſet, vt ait in oratione pro Cluentio, vbi ſuis illum coloribus pingit. APTIOR, L. Quintio, qui tamen ad inflammandos animos multitudinis maxime fuit accómodatus, in oratione pro Cluentio. PALICANVS, M. Lollius Palicanus, qui & ipſe Tribunus plebis fuit annis duobus poſt L. Quintium L. Gellio, & Cn. Lentulo Coſſ. vt Verrina quarta docet, & Aſconius, dum Verrinam ſecundam, & tertiam, ſed præſertim tamen illa verba interpretatur: Rem etiam Tribunus pleb. in concione egit, quum eum, quem virgis iſte ceciderat, in proſpectum populi

Romani

Romani produxit. ex quibus cognoſci poſſet, quàm popularis, & turbulentus fuiſſet Palicanus, niſi Valerius Maximus libro tertio capite octauo teſtaretur ita ſeditioſum fuiſſe, vt C. Piſo Conſul illum ſuffragiis populi Conſulem creatum renunciare noluerit, quòd diceret, non exiſtimare ſe tantis tenebris offuſam eſſe Rempub. vt huc indignitatis veniretur. Hinc Cicero epiſtola prima libri primi ad Atticum ſcripſit: de Palicano non puto te expectare, dum ſcribam: quòd veriſimile non eſſet, illum, qui tam turpiter repulſus fuiſſet, iterum Conſulatum petiturum. Lollius ab Aſconio dicitur, & ita gens Lollia plebeia cognoſcitur. IMPERITORVM, multitudinis. ET QVONIAM, res ſimilis rem ſimilem quaſi trahit. HVIVS GENERIS, popularis, & ſeditioſi. GRACCHOS, Tib. & C. Gracchos, ſupra. L. APVLEIVS SATVRNINVS, quem, quòd in annonæ caritate Quæſtorem à ſua frumentaria procuratione ſenatus amouit, eíque M. Scaurum præfecit, ſcimus, dolore factum eſſe popularem, vt Cicero in oratione de Reſponſis ait. Hinc in oratione pro Seſtio ita ſcriptum videmus: Saturninus, quòd à ſe Quæſtore Oſtienſi per ignominiam ad principem & ſenatus, & ciuitatis M. Scaurum rem frumentariam tranſlatam ſciebat, dolorem ſuum magna contentione animi perſequebatur. Nam C. Mario adiuuante per milites in petitione Tribunatus competitorem occidit: quem Liuius libro ſexageſimo nono, & Oroſius libro quinto capite decimo ſeptimo A. Numium, Plutarchus τὸν Νόνιον, Valerius Maximus libro nono capite ſeptimo Mumium, Florus libro tertio capite decimo ſexto Annium, Appianus libro primo Nonium, autor libelli de Viris illuſtribus Mummium vocat: quanquam diſſentit in eo, quod interfectum putat, dum Saturninus ſecundum Tribunatum peteret. Tribunus igitur plebis per vim creatus, non minus violenter Tribunatum, quàm petierat, geſſit. Gracchanas enim leges aſſerere non deſtitit, vt ait Florus lib. tertio capite decimo ſexto. nàm legem agrariam tulit, vt Liuius libro ſexageſimo nono ſcripſit: quam Plutarchus in Mario τὸν περὶ τῆς χώρας νόμον videtur appellare: & Q. Metello Numidico eò, quòd in eam minime iuraſſet, diem dixit, & vrbe tandem ejecit, vt ſupra pluribus, de Metello ipſo loquentes, retulimus. Idem Saturn. Trib. pl. C. Memmium Candidatum Conſulatus petitorē, quem maximum aduerſarium ſuis actionibus timebat, interemit, Liuius eſt autor libro ſexageſimo nono, id eſt orta ſubito ſeditione fugientem per P. Metium ſatellitem informi ſtipite cōminutum interfecit, vt ait Oroſius libro quinto capite decimo ſeptimo, & quidem quum Glauciam ſatellitem furoris ſui Conſulem faciendum curaret, vt ſcribit Florus libro tertio capite decimo ſexto, Appianus libro primo, Oroſius libro quinto capite decimo ſeptimo, & Liuius libro ſexageſimo nono: autor tamen libelli de Viris illuſtribus & iſtum cōpetitorem Mummium vocat, & ait fuiſſe competitorem in petitione Præturæ, non Conſulatus. Atque hæc quidem Saturninus, quum iam ter Tribunus plebis fuiſſet refectus, vt inuenies in libello de Viris illuſtribus. Vnde Paterculus continuatos honores vocat. ſed quum ille nullum finem crudelitatis faceret, fit S.C. vt C. Marius, L. Valerius Coſſ. adhiberent Tribunos plebis, & Prætores, quos eis videretur: operámque darent, vt imperium populi Romani, maieſtáſque conſeruaretur, vt Cicero in oratione pro Rabirio loquitur. Ille vero in modum vexilli pileum ſeruituti ad arma capienda oſtentauit, vt ait Valerius Maximus libro octauo capite ſexto. Sed ne vnum quidem diem poſtea L. Saturninum Tribunum plebis, & C. Seruilium Glauciam Prætorem mors, ac Reipub. pœna remorata eſt, vt in oratione prima in

Catilinam ſcriptum eſt. nam quum in Capitolium confugiſſent, Marius fiſtulas, quibus aqua ſuppeditabatur Iouis Optimi Maximi templis, ac ſedibus, præcidi imperauit, vt ait in oratione pro Rabirio. Itaque in curiam Hoſtiliam confugerunt, vt Oroſius refert: vbi Conſul eos morte multauit. Siquidem Sceua Q. Crotonis ſeruus L. Saturninum occidit, vt eſt in oratione pro Rabirio: quamuis Appianus à Tribunis interfectum, Oroſius ab equitibus occiſum, Florus, & autor libelli de Viris illuſtribus à populo fuſtibus, ſaxis, & tegulis coopertum, in ipſa quoque morte laceratum ſcribant. Caput eius Rabirius quidam ſenator per conuiuia circuntulit, vt ait autor libelli de Viris illuſtribus. ob id forte poſtea Rabirius fuit accuſatus, quem Cicero defendit. Addit Valerius Maximus libro ſexto capite tertio, penates eius ab imis fundamentis erutos fuiſſe. L. Lucius, vt ab omnibus appellatur. quare L. pro Cn. apud Liuium libro ſexageſimo nono reponi debet. APVLEIVS, à quo leges Apuleiæ ſunt dictæ libro ſecundo de Oratore, in oratione pro Cornelio Balbo, & libro ſecundo de Legibus. & quum Tribunus plebis hic fuerit, apparet Apuleiam gentem plebeiam fuiſſe. ELOQVENTISSIMVS, autor egregius, & ad animos imperitorum excitandos, inflammandóſque perfectus, vt ait in oratione de Reſponſis. IMPROBISSIMVS, id omnes penè hiſtorici teſtantur, & Cicero ipſe in oratione pro Rabirio Poſthumo vocat impurum: quin libro tertio de Oratore oſtendit, illum curiæ ſtercus appellatum fuiſſe. C. SERVILIVS GLAVCIA, de quo loquuntur omnes hiſtorici, qui de L. Apuleio Saturnino ſcribunt. is populum ſolebat monere, vt, quum lex aliqua recitaretur, primum verſum attenderet, ſi eſſet Dictator, Conſul, Prætor, magiſter equitum, ne laboraret: ſciret nihil ad ſe pertinere: ſin autem, quicunque poſt hanc legem: videret, ne qua noua quæſtione alligaretur. hoc Cicero in oratione pro Rabirio Poſthumo ſcribit. PERACVTVS, homo acutus etiam dicitur in oratione pro Rabirio Poſthumo. CALLIDVS, qui Marium laudaſſe, & vituperaſſe dicitur in oratione de Reſponſis. CVM PRIMISQVE, aliter in primíſque. RIDICVLVS, facetus, cuius etiam ioci libro ſecundo de Oratore ponuntur. ſic Cn. Sicinius ſupra ridiculus fuit appellatus. IS, C. Seruilius Glaucia. SORDIBVS, vnde curiæ ſtercus vocabatur, vt diximus. PRAETVRA, qua tum fungebatur. paulo poſt CONSVL FACTVS ESSET, quippe quum L. Apuleius Saturninus conſularia comitia noua cæde turbaſſet, vt ipſum Glauciam Conſulem faceret, vt ſupra ex Floro libro tertio capite decimo ſexto retulimus. RATIONEM EIVS HABERI LICERE, non enim licebat habere rationem abſentis, vt Cæſaris, epiſtola tertia libri ſeptimi ad Atticum; rei, vt Catilinæ, apud Aſconium: iunioris, quàm lex annalis requirebat, vt Scipionis, apud Liuium libro quinquageſimo: & magiſtratus, vt huius Glauciæ: cuius ratio, quum Prætor eſſet, haberi non poterat: quòd duo anni minimum inter Præturam, & Conſulatum intercedere ſolerent, vt facile poteſt ab his cognoſci, qui Ciceronis, & aliorum magiſtratus diligenter velint conſiderare. horum, inquam, ratio haberi non poterat, niſi legibus ſoluti fuiſſent, aut iudicatum fuiſſet, rationem haberi poſſe. IVDICATVM ESSET, ab omnibus: vel à conſilio publico, quod Conſules haberent: vt quum L. Volcatius Tullus conſilium publicum habuit, an rationem Catilinæ habere deberet, ſi peteret Conſulatum. nam quærebatur repetundarum, vt ait Aſconius. hinc Salluſtius ita dixit: Catilina pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat petere Conſulatum, quòd intra legitimos dies profiteri nequiuerit. & Catilina tunc

ob eam

ob eam cauſam à petitione deſtitit, vt ait Aſconius. poſtea tamen iterum voluit petere, vt in oratione pro Cælio ſcribitur: & tunc quoque reus erat ita, vt eum Cicero defendere cogitarit, vt ait libro primo ad Atticum: in cuius libri prima epiſtola illa verba: Catilina, ſi iudicatum erit, meridie non lucere, certus erit competitor, ſic videntur eſſe legenda: Catilina, ſi iudicatum erit, haberi rationem licere, certus erit competitor: vt prius ita eſſent ſcripta: Catilina, ſi iudicatum erit, haberi rationem licere, certus erit competitor: & librarii male deſcripſerint. Certe locus eſt huic admodum ſimilis. NAM, αἰτιολογία, quare Conſul factus fuiſſet, ſi iudicatũ eſſet, eius rationem haberi licere. PLEBEM, multitudinem, quæ concilianda eſt, vt in petitione ſuffragetur, quod quum alibi, tum epiſtola ſexta libri ſecundi Familiarium, & in libello Q. Ciceronis de Petitione Conſulatus oſtenditur. TENEBAT, vt popularis, & qui L. Apuleio Saturnino populares leges ferenti faueret. EQVESTREM ORDINEM, cuius centuriæ petenti ſunt tenendæ, vt Cicero epiſtola decima ſexta libri vndecimi Familiarium, & Q. Cicero in libello de Petitione Conſulatus oſtendunt. LEGIS, quam primus ipſe Glaucia tulit, vt comperendinaretur reus, Verrina tertia: quam legem Glauciam vocat Aſconius ob id fortaſſe, ne, ſi lex Seruilia, vt debuit, diceretur, cum legibus aliis Seruiliis confunderetur. Tulit certe legem ad iudicia pertinentem, quæ tunc equites exercebant. Hinc Aſconius ita ſcribit: Q. Seruilius Cæpio Scaurum ob legationis Aſiaticæ inuidiam, & aduerſus leges pecuniarum captarum, reum fecit repetundarum, lege, quam tulit Seruilius Glaucia: in quibus quidem verbis Aſconii, legationis Africę, de qua ſcribit Salluſtius, videtur legendum. IS, C. Seruilius Glaucia. PRAETOR, hinc in oratione pro Rabirio nos ita legendum putamus: adhibent omneis Tribunos plebis præter Saturninum: Prætt. præter Glauciam: vt librarii, Prætt. hoc hoc eſt Prætores, ſuſtulerint, arbitrati verbum eſſe ſuperuacaneum, quum præter verbum penè ſimile ſequatur. ſic Prætorem Cicero in oratione tertia in Catilinam vocat. SATVRNINVS TRIBVNVS PLEB. interfectus eſt, vt diximus. MARIO, ET FLACCO COSS. an. ab V. C. ſexcenteſimo quinquageſimo quarto. PVBLICE, ita, vt omnes omnium ordinum homines adeſſent, vt in oratione pro Rabirio ſcribit. EST INTERFECTVS, extractus è domo Claudii trucidatus eſt, inquit Oroſius libro quinto capite decimo ſeptimo. nam Glauciæ ipſi fracta ceruix, vt ait autor libelli de Viris illuſtribus: atque id ipſum C. Marii iuſſu, cui religio non fuit, quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, Prætorem occideret: quod in orationibus prima, & tertia in Catilinam ſcriptum eſt. HOMO, C. Seruilius Glaucia. ATHENIENSIS, τινὸς τῶν ἀθηναίων, vt ait Thucydides libro octauo: HYPERBOLI, qui Chremidis filius, & Charonis frater fuit, lucernarum faber improbus: quippe qui faciendis lucernis non ære ſolum, ſed plumbo etiam vteretur, quo pluris eas, vt grauiores, venderet: & ſic emptores decipiebat: qui tamen μετὰ τὴν τοῦ κλέωνος τελευτὴν, διεδέξατο τὴν δημαγωγίαν, vt Ariſtophanis Interpres in Nubibus, & in Pace ſcribit. Hinc Lucianus in Timone cum Cleone coniungit. Fuit etiam στρατηγὸς ἀθηναίων, vt idem Interpres ait in Acharn. ἀπώλετο δὲ ἐν τῇ σάμῳ, πολεμούντων αὐτῷ τῶν σαμίων, vt Interpres idem in Ranis refert: quanquam Thucydides libro octauo ita ſcribit: Καὶ ἀθηναῖοι ὑπέρβολον τινὰ τῶν ἀθηναίων, μοχθηρὸν ἄνθρωπον, ὠστρακισμένον οὐ διὰ δυνάμεως, καὶ ἀξιώματος φόβον, ἀλλὰ διὰ πονηρίαν, καὶ αἰσχύνην τῆς πόλεως ἀποκτείνουσι: ob id Interpres idem in Pace quaſi πολυφωνίαν canens, ait: ὑπέρβολος ἐν σάμῳ διαφθαρεὶς, ὑπὸ

τῆς ἀδικίας ἐχθρῶν ἐπιβουλευθεὶς ἀπέθανε, καὶ τὸ νεκρὸν αὐτοῦ βαλόντες εἰς σάκκους ἔρριψαν εἰς τὸ πέλαγος. IMPROBITATEM, πονηρίαν Thucydides libro octauo vocat. Ariſtophanis vero interpres in Nubibus Hyperbolum πανοῦργον, in Acharnanibus φιλόνεικον, & in Pace φαῦλον τὸν τρόπον appellat. eſt & prouerbium, ὑπὲρ τὸν ὑπέρβολον. VETERES, τῆς γὰρ κωμῳδίας τὸ μὲν ἐστιν ἀρχαῖον, τὸ δὲ νέον, τὸ δὲ μέσον, vt ait Platonius apud Ariſtophanem. Hinc Horatius ſatyra quarta libri primi dixit: Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophanéſque poëtæ, atque alii, quorum comœdia priſca virorum eſt. ATTICORVM, & quia Cratinus, Eupolis, & Ariſtophanes, quorum comœdia priſca virorum eſt, Attici fuerunt, vt conſtat: & Attici præter cæteros in iocis excelluerũt, vt lib. ſecundo de Oratore legimus. NOTAVERVNT, Eupolis enim, Cratinus, Ariſtophanes, aliíque poëtæ, quorum comœdia priſca fuit, multa cum libertate notabant, vt ait Horatius. & Eupolis quidẽ in Hyperbolum ἔγραψε τὸν μαρικᾶν, vt Ariſtophanis Interpres in Ranis refert. Ariſtophanes vero τοῦτον ὡς φιλόνεικον διαβάλλει συνεχῶς, quod in Acharnanibus idem ſcribit Interpres: vt in Nubibus, in Ranis, in Acharnanibus, in Equitibus, & in Pace. vtuntur autem Græci hoc loco διαβάλλω, vel κωμῳδέω, quo nos vtimur noto.

Quos Sex. Titius conſecutus, homo loquax ſanè, & ſatis acutus, ſed tam ſolutus & mollis in geſtu, vt ſaltatio quædam naſceretur, cui ſaltationi Titius nomen eſſet. ita cauendum eſt, ne quid in agendo dicendóue facias, cuius imitatio rideatur. Sed ad paulo ſuperiorem ætatẽ reuecti ſumus: nunc ad eam, de qua aliquantum locuti ſumus, reuertamur. Coniunctus igitur Sulpicii ætati P. Antiſtius fuit, rabula ſanè probabilis: qui multos cum tacuiſſet annos, neque contemni ſolum, ſed irrideri etiam ſolitus eſſet, in Tribunatu primum contra C. Iulii illam Conſulatus petitionem extraordinariam, veram cauſam agens eſt probatus, & eo magis, quòd eandem cauſam cum ageret eius collega ille ipſe Sulpicius, hic plura & acutiora dicebat. itaque poſt Tribunatum primo multæ ad eum cauſæ, deinde omnes, maximæ quæcunque erant, deferebantur. rem videbat acute, componebat diligenter; memoria valebat: verbis non ille quidem ornatis vtebatur, ſed tamen non abiectis. expedita autem erat, & perfacile currens oratio. & erat eius quidam tanquam habitus non inurbanus: actio paulum cum vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat. hic temporibus floruit iis, quibus inter profectionem reditúmq. L. Syllæ ſine iure fuit, & ſine vlla dignitate Reſpub. hoc autem magis probabatur, quòd erat ab oratoribus quædam in foro ſolitudo. Sulpicius occiderat: Cotta aberat & Curio: viuebat è reliquis patronis eius ætatis nemo præter Carbonem & Pomponium, quorum vtrunque facile ſuperabat.

QVOS, Saturninũ, & Glauciã. SEX. TITIVS, qui M. Antonio, A. Poſthumio Albino Coſs. Tribunus pl. fuit, lib. ſecundo de Orat. vnde cognoſcimus Titios plebeios fuiſſe. CONSECVTVS, ſiquidẽ Titius Antonio, & Albino Coſs.

Coſs. Tribunus plebis fuit, quum Saturninus, & Glaucia ſuperiore anno interfecti fuiſſent, vt diximus. Quin eos quoque imitatus eſt. nam ſeditioſus ipſe quoque ciuis, & turbulentus fuit, vt libro ſecundo de Oratore ſcriptum videmus, quo loco M. Antonius refert, ſe Conſulem illi Tribuno pleb. reſtitiſſe, quæque ab eo contra Rempub. facta arbitraretur, poſtea expoſuiſſe. is, quòd habuit imaginem L. Saturnini domi ſuæ, condemnatus eſt. Statuerunt equites Romani illo iudicio, improbum cinem eſſe, & non retinendum in ciuitate, qui hominis hoſtilem in modum ſeditioſi imagine aut mortem eius honeſtaret, aut deſideria imperitorum miſericordia commoueret, aut ſuam ſignificaret imitandæ improbitatis voluntatem, vt in oratione pro Rabirio leges. & condemnatus eſt, quamuis innocens eſſet, & agraria lege lata gratioſus, vt ait Valerius Maximus libro octauo capite primo. an vero lex ea Titia fuerit, cuius libro primo Inſtitutionum fit mentio, viderint iuriſconſulti. LOQVAX, vnde multa dixit, quæ M. Antonius audiuit, vt lib. ſecundo de Oratore dicitur. ACVTVS, ad inueniendum, vt quum dixit, ſe Caſſandram eſſe. MOLLIS, hinc, vt refertur libro ſecundo de Oratore, quum ſe Caſſandram eſſe diceret, multos, inquit Antonius, poſſum tuos Aiaces Oileos nominare. & qui ſic molles ſunt, vt bene ſaltent, ſolent etiam bene pila ludere, vt hic Titius ludebat, quod libro tertio de Oratore dicitur; hinc libro ſecundo iocus ille: Titium, quum ſtudioſe pila luderet, & idem ſigna ſacra noctu frangere putaretur, gregaléſque, cur in campum non veniſſet, requirerent, excuſauit Veſpa Terentius, quòd eum brachium fregiſſe diceret. GESTV, motu corporis, qui ad oratoris actionem pertinet, vt ſupra diximus. VT SALTATIO QVAEDAM NASCERETVR, CVI SALTATIONI TITIVS NOMEN ESSET, Vnde & ſaltationis quoddam genus Titius eſt appellatum, vt ait Quintilianus libro vndecimo capite tertio: & prouerbium inde natum, Titius. CVIVS IMITATIO RIDEATVR, vt Titius ſaltatio ridebatur, quæ erat imitatio geſtus Titii. SVPERIOREM, huic, de qua loquimur. REVECTI SVMVS, quaſi aliud agentes reuerſi ſumus, vt nauigantes interdum reuehi ſolent eò, vnde fuerant profecti. aliter reiecti ſumus, fortaſſe non male, vt nauigantes, ventis reflantibus, reiici ſolent. AD EAM, ad ætatem Cottæ, & Sulpicii. LOCVTI SVMVS, ſupra. REVERTAMVR, poſtquam ad iſtos ſeditioſos digreſsi, quæ dicenda fuerant, diximus. IGITVR, vt ad rem reuertamur. SVLPICII, ſupra. P. ANTISTIVS, qui ſocer Pompeii quum eſſet, vt Syllanus à Marianis fuit interfectus: cuius tamen filiam Pompeius, vt Plutarchus refert, poſtea dimiſit. à Damaſippo vero Prætore, de quo ſupra in Scæuola Pontifice diximus, interfectus fuit, vt Oroſius libro quinto capite vigeſimo eſt autor: & Aedilitius fuit interfectus, vt ſcribit Paterculus: quamuis Plutarchus illum, ſτρατηγοῦντα, καὶ βραβεύοντα τὴν ὑπὲρ δίκην ἐρασθῆναι τοῦ πομπηίου, quo loco interpretes Prætorem vertunt. ſed ſiue Aedilis tantum, ſiue Prætor etiam fuit, non videtur ſenex tum fuiſſe, quum eſt interfectus: quando in Tribunatu P. Sulpicii collega fuit: quod tempus ſolebat eſſe annorum triginta, vel circiter: & ab eo tempore, id eſt à Sylla, & Pompeio Conſulibus ad Carbonem & Marinm Conſules quo anno P. Antiſtius eſt interfectus, anni ſex numerantur. Itaque tum ne quadrageſimum quidem agebat annum, vt ego neſciam, quare Cicero in oratione pro Roſcio Amerino Priamum ſenem vocet, niſi forte alterum Antiſtium ſignificet, præſertim quum loquatur ibi de his, qui ſunt à Syllanis, non à Marianis interfecti. infra certe P. Antiſtii interitus nominatur.

RABVLA SANE PROBABILES, homo diſertus in oratione pro Cornelio Balbo dicitur, ſi modo ibi, vt nos putamus, eſt legendum, P. Antiſtius, quamuis L. Antiſtius legatur. IN TRIBVNATV, hinc cognoſcimus Antiſtios plebeios fuiſſe, quanquam Liuius etiam libro quarto his verbis docet: Plebs Tribunos plebis abſentes Sex. Tempanium, A. Sellium, & Antiſtium, & Spurilium fecit. C. IVLIS, C. Iulii Cæſaris, ſupra. PETITIONEM EXTRAORDINARIAM, quum ſperabat, & id agebat C. Iulius Cæſar, vt, omiſſa Prætura, Conſul fieret, vt ex Aſconii ſcriptis etiam ſupra retulimus. VERAM, iuſtam. erat enim iuſta, & vera cauſa, negare dandum Conſulatum ei, qui Prætor nondum fuiſſet. AGERET, ſic quidem, vt primis temporibus iure Sulpicius ipſe reſiſteret: poſtea nimia contentione ad ferrum, & arma proceſsit, vt Aſconius ait. EIVS, P. Antiſtii. COLLEGA, in Tribunatu. ILLE IPSE, cuius ætati P. Antiſtius coniunctus fuit. HIC, P. Antiſtius. EVM, Antiſtium. REM VIDEBAT ACVTE, inuentio. COMPONEBAT DILIGENTER, diſpoſitio. MEMORIA VALEBAT, memoria. VERBIS, verbis non ille quidem ornatis vtebatur, ſed tamen non abiectis: hæc eſt elocutio. QVIDAM TANQVAM, aliter quidem tanquam. ACTIO, pronunciatio, & ſic omnes partes numerauit. HIC, P. Antiſtius. INTER, aliter ante. & ſanè ſi fuit in Tribunatu collega Sulpicii, & cauſam contra C. Iulium egit, floruit antè Syllæ profectionem: ſiquidem Sylla ante, quàm proficiſceretur, P. Sulpicium, vt ſupra ex Liuio libro ſeptuageſimo ſeptimo retulimus, interficiendum curauit. Profectus eſt autem iam Cn. Octauio, L. Cornelio Cinna Coſs. vt Plutarchus affirmat, & rediit L. Scipione, C. Norbano Coſs. vt Liuius, Plutarchus, & Appianus oſtendunt. Certe Philippica duodecima cum L. Scipione tunc Conſule dicitur eſſe collocutus. Itaque inter profectionem, & reditum Syllæ vix anni tres integri numerantur: quòd ſi Conſulatum etiam complectaris, non amplius certe, quàm quatuor annos integros numerabis, quibus P. Antiſtius floruit: ſed poſt Syllæ reditum in Italiam, quum Mariani adhuc vrbem tenerent, interfectus eſt, vt diximus. PROFECTIONEM, contra Mithridatem, vt Plutarchus oſtendit. REDITVMQVE, ex bello Mithridatico: quum pacem cum Mithridate feciſſet, vt Liuius libro octuageſimo tertio ſcripſit: de quo dicitur etiam in oratione pro lege Manilia triumphaſſe. L. SYLLAE, cuius vitam Plutarchus, vt alios mittam, ſcripſit. SINE IVRE FVIT, ET SINE VLLA DIGNITATE RESP. hinc Oroſius libro quinto capite vigeſimo ita ſcribit: interea reſidui ſenatorum, qui potentiam Cinnæ, & Marii crudelitatem, inſaniam Fimbriæ, Sertoríque audaciam fuga euaſerant, tranſuecti in Græciam, coëgere precibus Syllam, vt periclitanti, imo iam penè perditæ patriæ opem ferret. PROBABATVR, P. Antiſtius. SVLPICIVS, P. Sulpicius, ſupra. OCCIDERAT, occiſus fuerat, & quidem ante Syllæ profectionem, vt ſupra diximus. COTTA, C. Cotta, ſupra. ABERAT, nam, vt libro tertio de Oratore ſcribitur, paucis diebus poſt mortem L. Craſsi depulſus per inuidiam Tribunatu, non multis ab eo tempore menſibus eiectus eſt è ciuitate: quem Rutilia mater, vt Seneca in Conſolatione ad Albinam refert, in exilium ſecuta eſt. hinc pulſus infra dicitur: & inde reditus nominatur. Neque vero quicquam de virtute ſua detraxit, quòd Q. Varroni, vel, vt alii legunt in oratione, quæ inſcribitur, Antequam iret in exilium, Q. Vario Tribuno plebis inferiore genere orto cedendum putauit. certe C. Cotta pro ſe lege Varia dixit, ſupra. CVRIO, C. Curio aberat, cum L. Sylla, vt dictum eſt, quum eſſet. CARBONEM, C. Carbonem illius eloquentiſsimi filium, ſupra. POMPONIVM,

Cn. Pomponium. SVPERABAT, atqui ſupra ſic dixit: His duobus Sulpicio & Cottæ eiuſdem ætatis annumerabatur nemo tertius, ſed mihi placebat Pomponius maxime, vel dicam, minime diſplicebat: quibus verbis Pomponium cæteris omnibus eius ætatis, præter Sulpicium, & Cottam, videtur anteferre: hic eum tamen à P. Antiſtio ſuperatum fuiſſe teſtatur: quod eſt prorſus contrarium, niſi diuerſas opiniones nunc ſequatur: vel ſupra dicat Pomponium ex his, de quibus ſe dicturum propoſuerat: nunc ad eos P. Antiſtium adiungat. Nam, vt ſupra etiam diximus, in illa propoſitione P. Antiſtius omittitur, quamuis nunc cum aliis deſcribatur. ſi veterem igitur propoſitionem tueamur, nihil erit contrarium; ſed ita dicet: ex his, quos propoſui, Pomponius mihi, poſt Sulpicium, & Cottam, maxime placebat: ex aliis vero P. Antiſtius illum etiam ſuperabat: præſertim quum in illa propoſitione ponat æquales, hic dicat Antiſtium coniunctum ætati Sulpicii fuiſſe.

Inferioris autem ætatis erat proximus L. Siſenna, doctus vir, & ſtudiis optimis deditus, bene Latine loquens, gnarus Reipub. non ſine facetiis ſed neque laboris multi, nec ſatis verſatus in cauſis; interiectúſque inter duas ætates, Hortenſii & Sulpicii, nec maiorem conſequi poterat, & minori neceſſe erat cedere. huius omnis facultas ex hiſtoria ipſius perſpici poteſt: quæ cum facile omnes vincat ſuperiores, tum indicat tamen quantum abſit à ſummo, quámque genus hoc ſcriptionis nondum ſit ſatis Latinis literis illuſtratum. Nam Q. Hortenſii admodum adoleſcentis ingenium, vt Phidiæ ſignum, ſimul aſpectum & probatum eſt. is L. Craſſo, Q. Scæuola Coſs. primum in foro dixit; & apud hos ipſos quidem Conſules, & cum eorum, qui affuerunt, tum ipſorum Conſulum, qui omneis intelligentia anteibant, iudicio diſceſsit probatus. vndeuiginti annos natus erat eo tempore. eſt autem L. Paulo, C. Marcello Coſs. mortuus: ex quo videmus eum in patronorum numero annos quatuor & XL. fuiſſe. hoc de oratore paulo poſt plura dicemus. hoc autem loco voluimus ætatem eius in diſparem oratorum ætatem includere. quanquam id quidem omnibus vſu venire neceſſe fuit, quibus paulo longior vita contigit, vt & cum multo maioribus natu, quàm eſſent ipſi, & cum aliquanto minoribus compararentur. vt Accius iiſdem Aedilibus ait ſe & Pacuuium docuiſſe fabulam, cum ille octoginta, ipſe triginta annos natus eſſet. ſic Hortenſius non cum ſuis æqualibus ſolum, ſed & mea cum ætate, & cum tua Brute, & cum aliquanto ſuperiore coniungitur. ſiquidem & Craſſo viuo dicere ſolebat: & magis iam etiam vigebat Antonio: & cum Philippo iam ſene pro Cn. Pompeii bonis dicente, in illa cauſa, adoleſcens cum eſſet, princeps fuit: & in eorum, quos in Sulpicii ætate poſui, numerum facile peruenerat: & ſuos inter æquales M. Piſonem, M. Craſſum, Cn. Len-

tulum, P.Lentulum Suram longe præſtitit : & me adoleſcentem nactus octo annis minorem, quàm erat ipſe, multos annos in ſtudio eiuſdem laudis exercuit : & tecum ſimul, ſicut ego pro multis, ſic ille pro Appio Claudio dixit, paulo ante mortem.

INFERIORIS AVTEM AETATIS, ex oratoribus autem inferioris ætatis. ERAT PROXIMVS, P. Antiſtio, vel potius P. Sulpicio, & C. Cottæ. Videtur enim illud reſpicere. L. SISENNA, Siſennam cognomen in Gabiniis apud Valerium Maximum libro octauo capite primo, & Dionem libro trigeſimo nono : in Corneliis apud Liuium libro trigeſimo nono : & in Statilus apud Paterculum libro ſecundo inuenio, neque tamen ſcire certo poſſum, ex qua gente L. hic Siſenna fuerit, de quo Paterculus ita ſcribit : hiſtoriarum autor iam tum Siſenna erat iuuenis, ſed opus belli ciuilis Syllani poſt aliquot annos ab eo ſeniore editum eſt. & quamuis L. Lucullus à Plutarcho dicatur ex certamine illo, quod fuit inter ipſum L. Lucullum, Q. Hortenſium, & L. Siſennam, bellum Marſicum Græce ſcripſiſſe, L. tamen Siſenna id etiam latine videtur ſcripſiſſe, quum libro ſecundo de Diuinatione ita ſcriptum videamus : multa ante Marſicum bellum à Siſenna collecta attuliſti : & libro item primo de Diuinatione, in Siſennæ ſcriptum hiſtoria videmus ; quod te inſpectante factum eſt, vt, quum Sylla in agro Nolano immolaret ante Prætorium, ab infima ara ſubito anguis emergeret. Ouidius libro ſecundo de Triſtibus hoc addit : Vertit Ariſtidem Siſenna, nec obfuit illi, hiſtoriæ turpes inſeruiſſe iocos. DOCTVS VIR, res ille quidem multas, quæ ſunt oratori neceſſariæ, quæque hic ponuntur, ſed non omnes habebat. Itaque orator in numero bonorum non fuit, vt Cicero libro primo de Legibus oſtendit. BENE LATINE LOQVENS, vt ipſe putabat : qui recte loqui putabat eſſe, inuſitate loqui, infra. GNARVS REIPVB. vt eſſe debent oratores, vt libro primo de Oratore dicitur. NON SINE FACETIIS, quæ in Oratore quæruntur libro ſecundo de Oratore. hic vero iocos etiam turpes hiſtoriæ inſeruit, vt ex Ouidio retulimus. NEC SATIS VERSATVS IN CAVSIS, quamuis multos defenderit, vt Chirtilium, infra, vt C. Verrem accuſante Cicerone, Verrina quarta, & ſexta, in qua illum virum primarium vocat, & diuitem fuiſſe oſtendit, vt in oratione pro Cornelio Prætorem deſcribit ita : Non denique homo illorum & vita, & prudentia longe diſsimilis, ſed tamen nimis in gratificando iure liber L. Siſenna bonorum Cn. Cornelii poſſeſsionem ex edicto ſuo P. Scipioni adoleſcenti ſumma nobilitate, eximia virtute prædito dediſſet. quæ verba ſic Aſconius interpretatur : hoc ſolum hic annotandum eſt, hunc eſſe L. Siſennam, qui res Romanas ſcripſit. INTERIECTVSQVE, ita, vt Attici familiaris eſſe potuerit, infra. HORTENSII, Q. Hortenſii oratoris, infra. SVLPICII, P. Sulpicii, ſupra. MAIORES, maiores natu Sulpicium, & eius æquales. MINORI, Q. Hortenſio natu minori. NECESSE ERAT CEDERE, quia non erat orator Siſenna in numero bonorum, libro primo de Legibus : Hortenſius vero ſummus erat orator infra. HVIVS, L. Siſennæ. FACVLTAS, dicendi. HISTORIA, quam ſcripſit, vt diximus. VINCAT, ſuperet, libro primo de Legibus. SVPERIORES, ſcriptores, libro primo de Legibus : vel ſuperiores hiſtorias, vt hiſtoria vincat hiſtorias, niſi forte placeat legere paulo ante, qui, non quæ. INDICAT, L. enim Siſenna in hiſtoria puerile quiddam conſectatur : vt vnum Clitarchum, neq. præterea quenquam de Græcis legiſſe videatur, eum tamen velle duntaxat imitari : quem ſi aſſequi poſſet, aliquantulum ab optimo tamen abeſſet, lib.

primo de Legibus. LATINIS LITERIS, quibus abeſt hiſtoria, vt ait libro primo de Legibus. ILLVSTRATVM, hiſtoria enim à noſtris hominibus adhuc aut ignorata, aut relicta eſt, libro primo de Legibus. Q. HORTENSII, infra. ADMODVM ADOLESCENTIS, vndeuiginti annos nati, paulo poſt. PHIDIAE, qui fuit Charmini Athenienſis filius, vt ait Strabo libro octauo, ἀγαλματοποιὸς vt vocat Suidas, de quo Plinius, & alii plura ſcribunt, quæ nos, ſi Deus volet, in Zephyrum conferemus. huius ſimulachris nihil in eo genere perfectius videri poterat, vt in Oratore. vnde prouerbium hoc factum, vt Phidiæ ſignum. SIMVL ASPECTVM, ET PROBATVM, vt Phidiæ ſignum ſimul aſpiciebatur, & probabatur: quanquam Lucianus aliter dicat in dialogo ὑπὲρ τῶν εἰκόνων, vbi ſcribit idem propemodum, quod de Apelle dicitur, ſolitum ipſum ϛάντα κατόπιν τῆς θύρας, ὁπότε τοπρῶτον ἀπεπέτασεν ἐπιδείξων τὸ ἔργον, ἐπακούειν τῶν αἰτιωμένων τε, ἢ ἐπαινούντων. IS, Q. Hortenſius. L. CRASSO, Q. SCAEVOLA, ſupra. COSS. an. ab V. C. ſexcenteſimo quinquageſimo nono. PRIMVM IN FORO DIXIT, primũ dixit in foro, deinde in ſenatu, libro tertio de Oratore, vbi dicitur L. Craſſo Conſule in ſenatu cauſam Africæ defendiſſe, & poſtea pro Bithyniæ rege dixiſſe: id eſt, vt ego interpretor, quum tunc quoque, vt poſtea Rullus, neſcio quis agros vellet vendere, ei reſtitiſſe: & quum rex Bithyniæ Nicomedes regno pulſus eſſet, & à Romanis in regnum reduci cuperet, pro illo dixiſſe, & quidem in ſenatu, quoniam cauſæ non erant forenſes. ſed antea tamen in foro dixerat, vt hic ſcribitur: quamuis aliter alii ſoleant interpretari. HOS IPSOS QVIDEM, L. Craſſum, & Q. Scæuolam. aliter hos quidem. CONSVLVM, L. Craſsi, & Q. Scæuolæ. ANTEIBANT, ſupra. PROBATVS, in foro tum, & poſtea in ſenatu: vnde L. Craſſus libro tertio de Oratore ita loquitur: fore dicis? ego verò eſſe iam iudico, & tum iudicaui, quum me Conſule in ſenatu cauſam defendit Africæ, nupérque etiam magis, quum pro Bithyniæ rege dixit: vbi videtur Craſſus oblitus fuiſſe, illum prius in foro dixiſſe: vel Craſſus pluris faciebat, quod Hortenſius in ſenatu dixerat. VNDEVIGINTI ANNOS, quot à M. Acilio Balbo, C. Porcio Catone Conſulibus ad L. Craſſum, & Q. Scæuolam Conſules numerantur. L. PAVLO, C. MARCELLO COSS. an. ab V. C. ſeptingenteſimo quarto. MORTVVS, vt epiſtola decima tertia libri octaui Familiariũ, & epiſtola ſexta libri ſexti ad Atticum ſcribitur: quod Ciceroni allatũ fuit, quum è Cilicia decedens, Rhodum veniſſet, ſupra: atque id ipſum L. Paulo, C. Marcello adhuc Conſulibus. nam Cicero poſt aliquot menſes ad Vrbem acceſsit C. Marcello, L. Lentulo iam Coſs. vt libro ſeptimo ad Atticũ apparet. & mortuus eſt, vt ſcribit Serenus: ſic eſt Hortenſius olim abſumptus: cauſis etenim confectus agendis, obticuit, quum vox domino viuente periret, & nondum extincti moreretur lingua diſerti. EVM, Q. Hortenſium. QVATVOR, ET XL. tot enim à L. Craſſo, Q. Scæuola Conſulibus ad L. Paulum, C. Marcellũ Conſules numerantur. aliter. III. & XL. tres, & quadraginta. HOC DE ORATORE, de Q. Hortenſio. DICEMVS, nos quoque dicemus. VOLVIMVS; Q. Hortenſium inter maiores natu collocantes. AETATEM EIVS IN DISPAREM, aliter ætatem in diſparem. INCLVDERE, aliter inducere. videtur hic ſenſus: voluimus Hortenſium includere in ætatem oratorum diſparem. ACCIVS, L. Accius poëta, & hiſtoricus, ſupra. IISDEM, eodem igitur anno, id eſt, an. ab V. C. ſexcenteſimo decimo tertio vel ſummum quarto. ad hoc enim tempus anni triginta, quot natus Accius hic fuiſſe dicitur, numerantur à Conſulibus Mancino, & Serrano, quibus Conſulibus natus eſt Accius, vt Euſe-

bius affirmat. & legendum eſt, iiſdem Aedilibus, non autem, vt legunt quidam, in iiſdem ædibus. AEDILIBVS, Aediles enim fabulas emebant, & dabant, vt apud Terentium videre licet. AIT, in hiſtoria. neque enim tunc Accius viuebat ita, vt hoc dicere poſſet. neque locus in fabulis, vbi poëtæ non loquuntur, eſſe poterat, vbi tale quid diceret. PACVVIVM, poëtam, cuius vitam Crinitus, & Lilius ſcribunt. DOCVISSE, ἐδιδάξε ſupra. ILLE, Pacuuius. IPSE, Accius. TRIGINTA ANNOS NATVS ESSET, & ita Pacuuius Accio quinquaginta annis maior erat. Hinc Gellius libro decimo tertio capite ſecundo, & libro decimo ſeptimo capite vigeſimo primo dixit, Pacuuio ſene Accium floruiſſe. SIC, ἀπεσπάσθησαν. MEA CVM AETATE, octo annis inferiore, paulo poſt. CVM TVA, cum tua ætate Brute annis nouem & viginti inferiore. Hortenſius enim annis ante decem cauſas agere cœpit, quàm Brutus eſt natus, infra: & ipſe tunc vndeuiginti annos natus erat, ſupra. SVPERIORE, ætate, vt ætate L. Siſennæ, Curionis, & aliorum, quorum ætas fuit ſuperior. SIQVIDEM, αἰτιολογία, Hortenſium cum ætáte ſuperiore coniungi. CRASSO, L. Craſſo. VIVO, primum Conſule, deinde treis annos Conſulari. DICERE SOLEBAT, & ſi dicebat viuo Craſſo, qui L. Philippo, Sex. Cæſare Conſulibus deceſſit, certe cum ætate coniungebatur ſuperiore. VIGEBAT, Hortenſius. ANTONIO, M. Antonio oratore viuo, nam poſt L. Craſſi mortem circiter annos quatuor vixit. Siquidem Cn. Octauio, L. Cinna Coſſ. eſt interfectus, vt Liuius libro octuageſimo ſcripſit. PHILIPPO, L. Philippo, ſupra. SENE, annum quinquageſimum agente: quod ita collegimus. ἅμα τῷ τελευτῆσαι τὸν Στράβωνα, δίκην κλοπῆς ἔσχεν ὑπὲρ αὐτοῦ δημοσίων χρημάτων ὁ Πομπήιος. Strabo vero pater Pompeii periit Cn. Octauio, L. Cinna Coſſ. vt docet Appianus. Quòd ſi cauſa hæc ipſa eſt acta, & à Philippo defenſa ſtatim poſt Strabonis mortem, id eſt Cn. Octauio, L. Cinna Coſſ. aut certe anno ſequenti, Philippus annos ſummum quinquaginta natus erat, ſi à C. Valerii, & M. Herennii Conſulatu, qui fuit annus Philippi, hoc eſt quadrageſimus tertius, ſed ab Herennio, vt diximus, eſt ſuperatus, incipias numerare ſic, vt his quadraginta tribus addas ſeptem, qui ſuperſunt ad id tempus, quo Pompeii cauſam defendit. CN. POMPEII, Cn. Pompeii Magni, qui tunc & ipſe dixit, vt Plutarchus oſtendit. BONIS, de quibus accuſabatur, vel potius quæ Cinnæ milites è domo ipſius eripuerant, vt Plutarchus refert. DICENTE, & Pompeium defendente: vnde Plutarchus ita ſcribit: λούκιος φίλιππος ἀνὴρ ἱκανὸς συνηγορῶν αὐτῷ, μηδὲν ἔφη ποιεῖν παράλογον εἰ φίλιππος ὢν, φιλαλέξανδρός ἐστι. ADOLESCENS, annorum ſeptem & viginti. ESSET, Hortenſius. PRINCEPS FVIT, inter patronos, qui plures fuerunt. ἐγένοντο γὰρ τῆς δίκης αὐτῷ προάγοντες οὐκ ὀλίγοι πρὸς τὸν κατήγορον, vt ait Plutarchus in Pompeio. in his igitur princeps fuit Hortenſius. hinc Pompeius Hortenſii cliens dictus, vt Seneca lib. ſeptimo Declamationum refert. POSVI, ſupra. PERVENERAT, ſic, vt cum illa ætate ſuperiore coniungeretur, & in illorum oratorũ numero eſſet. M. PISONEM, M. CRASSVM, CN. LENTVLVM, P. LENTVLVM SVRAM, aliud agens, proponit, de quibus ſit deinceps dicturus; & ſic ætatem cum ætate coniungit: quem nos ordinem ſequemur. LONGE PRAESTITIT, ſic, vt à Gellio libro primo capite quinto omnibus fermè oratoribus ætatis ſuæ, niſi M. Tullio, clarior appelletur. OCTO ANNIS, quot à M. Acilio Balbo, C. Porcio Catone Conſulibus, quibus Hortenſius natus eſſe cognoſcitur, ad C. Atilium Serranum, Q. Seruilium Cæpionem Conſules, quibus natum fuiſſe Ciceronem ſupra diximus, numerantur, ſi tamen annum horum, vel illorum Conſulum comprehendas.

MVLTOS

MVLTOS ANNOS, quos infra diſtinguet. STVDIO, alii legunt, ſtadio. EIVSDEM LAVDIS, eloquentiæ. EXERCVIT, cauſa penè fuit, vt ego exercerer, quòd ego cum illo mihi magis arbitrabar rem eſſe, infra. TECVM, ò Brute. SICVT EGO, tecum dixi. SIC, ἀνταπόδοσις. ILLE, Q. Hortenſius. APPIO CLAVDIO, ſocero tuo, & collega meo, infra: maieſtatis, & ambitus reo, epiſtola vndecima, & duodecima libri tertii Familiarium, & quidem à Dolabella facto, epiſtola ſexta libri octaui Familiarium. DIXIT, vnà tecum ſocerum tuum defendit Appium, infra. PAVLO ANTE MORTEM, perpaucis ante mortem diebus, vt infra dicet.

Vides igitur vt ad te oratorem Brute peruenerimus, tam multis inter noſtrum tuúmque initium dicendi interpoſitis oratoribus? ex quibus, quoniam in hoc ſermone noſtro ſtatui neminem eorum, qui viuerent, nominare, ne vos curioſius eliceretis ex me quid de quoque iudicarem, eos, qui iam ſunt mortui, nominabo. Tum Brutus, Non eſt, inquit, iſta cauſa, quam dicis, quamobrem de iis, qui viuunt, nihil velis dicere. Quænam igitur, inquam, eſt? Vereri te inquit, arbitror, ne per nos hic ſermo tuus emanet, & ii tibi ſuccenſeant, quos prætereris. Quid vos, inquam, tacere non poteritis? Nos quidem, inquit, facillime: ſed tamen te arbitror malle id ipſum tacere, quàm taciturnitatem noſtram experiri. Tum ego, Vere, inquam, tibi Brute dicam: non me exiſtimaui in hoc ſermone vſque ad hanc ætatem eſſe venturum: ſed ita traxit ordo ætatum orationem, vt iam ad minores etiam peruenerim. Interpone igitur, inquit, ſi quos videtur: deinde redeamus ad te, & ad Hortenſium. Imò vero, inquam, ad Hortenſium: de me alii dicent, ſi qui volent. Minime vero, inquit. nam etſi me facile omni tuo ſermone tenuiſti: tamen is mihi longior videtur, quòd propero audire de te: nec vero tam de virtutibus dicendi tuis, quæ cum omnibus, tum certe mihi notiſsimæ ſunt, quàm quòd gradus tuos, & quaſi proceſſus dicendi ſtudeo cognoſcere. Geretur, inquam, tibi mos: quoniam me non ingenii prædicatorem eſſe vis, ſed laboris mei. verum interponam, vt placet, alios, & à M. Craſſo, qui fuit æqualis Hortenſii, exordiar. is igitur mediocriter à doctrina inſtructus, anguſtius etiam à natura, labore, & induſtria, & quòd adhibebat ad obtinẽdas cauſas curam etiam & gratiam, in principibus patronis aliquot annos fuit. in huius oratione ſermo Latinus erat, verba non abiecta, res compoſitæ diligenter; nullus flos tamen, neque lumen vllum; animi magna, vocis parua contentio, omnia ferè vt ſimiliter atque vno modo dicerentur. Nam huius æqualis & inimicus C. Fimbria non ita diu iactare ſe potuit; qui omnia magna voce dicens, verborum ſanè

bonorum curſu quodam incitato, ita furebat tamen, vt mirarer tam alias res agere populum, vt eſſet inſano inter diſertos locus.

TE ORATOREM, cuius & natura ſit admirabilis, & exquiſita doctrina, & ſingularis induſtria, ſupra. PERVENERIMVS, quum tecum Q. Hortenſium, & me ipſum cauſas defendiſſe dixerimus. NOSTRVM, Hortenſii, & meum, vel potius meum ſolius, de quo dicetur infra. EX QVIBVS, oratoribus inter meum, tuúmque dicendi initium interpoſitis. ELICERETIS, aliter eligeretis. ISTA CAVSA, infra cauſas alias addit Atticus. QVAM DICIS, te ſtatuiſſe, neminem eorum, qui viuerent, nominare, ne nos curioſius eliceremus ex te, quid de quoque iudicares. VERERI TE, vt olim, quum verſibus treis libros de Temporibus tuis ſcripſiſſes, veritus es non eos, qui ſe læſos arbitrarentur, ſed eos, quos erat infinitum bene de te meritos omnes nominare, epiſtola longa ad Lentulum. FACILLIME, tacere poterimus. MALLE ID IPSVM, aliter malle ipſum. TACERE, nam verum eſt illud Senecæ in Hippolyto: alium ſilere quod voles, prius ſile. HANC, meam. MINORES, me ipſo natu minores, qualis es tu. INTERPONE, ex interpoſitis nomina, ſupra. AD TE, ET AD HORTENSIVM, de quibus paulo ante pauca quædam dixiſti. AD HORTENSIVM, redeamus. SI QVI VOLENT, dicere. MINIME VERO, minime vero dicant alii, ſed tu velim dicas. NAM, αἰτιολογία, quare velit ipſum dicere. SERMONE, hoc ipſo. IS, ſermo. QVOD, αἰτιολογία. PROPERO AVDIRE, inducit Brutum quaſi proponentem, quod ipſe de ſe poſtea eſt dicturus. VIRTVTIBVS DICENDI TVIS, ſic ſupra in Catone virtutes oratorias appellauit. OMNIBVS, qui te penè quotidie audiunt. MIHI, qui tuus ſum familiaris, & tecum ſæpe dico, vt tu paulo ante dixiſti. GRADVS TVOS, ET QVASI PROCESSVS DICENDI, tua initia, tuos gradus, tuæ eloquentiæ velut quandam educationem, vt Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus quaſi interpretatur. QVONIAM, αἰτιολογία, quare morem velit gerere. NON INGENII PRAEDICATOREM ESSE VIS, SED LABORIS MEI, quum velis me dicere non de virtutibus dicendi meis, vbi neceſſe eſſet ingenium prædicare: ſed referre, qui gradus, & quaſi proceſſus dicendi fuerint: in quo neceſſe erit loqui de labore, quem in hac re ſuſtinuerim. Itaque tibi morem geram: quod fortaſſe non feciſſem; ſi me ingenii prædicatoré eſſe voluiſſes: ne obiici poſſet illud, laudas teipſum: qua tamen in parte, vt ait Quintilianus libro vndecimo capite primo, reprehenſus eſt non mediocriter Cicero: quanquam is quidem rerum à ſe geſtarum maior, quàm eloquentiæ fuit in orationibus vtiq. iactator: quo quidem loco Quintilianus, vt hic ipſe, penè diſtinguit: quod ingenium ſuum raro, & modeſte, ſed labores, & res ſuas ſæpe, & interdum non ſatis, vt quibuſdam videtur, modeſte commendet. Ille vero res ſuas laudat, vel vt alios ad idem faciendum inuitet, vel vt aduerſariis reſpondeat: nec ipſe negat, ſed libro primo ad Atticum fatetur, ſe laudis auidiſsimum eſſe, libro vero ſecundo in ſe neſcio quid ſubinane, & non ἀφιλόδοξον eſſe teſtatur: quod qui reprehendunt, maximos quoſque viros, vt Themiſtoclem, Alexandrum, Africanum, Pompeium, & alios reprehendunt, qui nec minus ambitioſi fuerunt, quàm Cicero, nec minus, quàm ille, res ſuas celebrari cupierunt: quin Xenophon, Aratus, Scaurus, Catulus, Cæſar, Adrianus, & alii res ſuas ſcripſerunt, ne quidam Ciceronem, vt faciunt, accuſent, quòd à Luceio, vt res ſuas ſcriberet, poſtularit. VT PLACET, tibi, qui

me

me mones, vt interponam, ſi quos videtur: deinde ad me, & ad Hortenſium redeamus. ALIOS, oratores. M. CRASSO, M. Licinio P. F. Craſſo, epiſtola octaua libri quinti Familiarium: cuius vitam ſcribit Plutarchus. QVI FVIT AEQVALIS HORTENSII, vel anno maior Hortenſio, ſi vterque ſuo anno factus eſt Conſul. aliter qui fuit æqualis Hortenſio. IS, M. Licinius Craſſus. MEDIOCRITER A DOCTRINA INSTRVCTVS, λέγεται, inquit Plutarchus, καὶ πολυμαθὴς καθ' ἱστορίαν γενέσθαι, καί τι καὶ φιλοσοφῆσαι τοῖς ἀριστοτέλους λόγοις προσθέμενος, ὧν διδάσκαλον εἶχεν ἀλέξανδρον. ANGVSTIVS ETIAM A NATVRA, inſtructus ὡς γενόμενος δεινὸς εἰπεῖν, vt ait Plutarchus: quæ verba ſic vertit Interpres: ad dicendum non ſatis idoneus natura: & ſi ſcio aliter poſſe conuerti. LABORE, ET INDVSTRIA, ἐπιμελείᾳ, καὶ πόνῳ, vt ait Plutarchus. ADHIBEBAT AD OBTINENDAS CAVSAS CVRAM, ET GRATIAM, ἐν τῷ ἐπιμελεῖ, καὶ ϐοηθικῷ, vt ait Plutarchus. VNO MODO DICERENTVR, quum varietas probetur in Oratore. HVIVS, M. Craſſi. AEQVALIS, id cognoſcitur ex Liuio libro octuageſimo ſecundo, quamuis annos ipſos inuenire vix poſſis. INIMICVS, quippe cuius ab equitibus frater ipſius Craſſi fuiſſet interemptus: & pater, ne quid indignum ſua virtute pateretur, gladio ſe transfixiſſet, vt oſtendit Liuius libro octuageſimo. Vnde Lucanus libro ſecundo dixit: truncos lacerauit Fimbria Craſſos. C. FIMBRIA, C. Flauius Fimbria, qui L. Valerii Flacci Conſulis legatus fuit, vt Liuius libro octuageſimo ſecundo ſcripſit: etſi Quæſtor à Strabone libro decimo tertio dicitur, ſi modo recte vertit Interpres: & ab Appiano in libro Mithridatico priuatus appellatur: qui quum L. Valerium Flaccum in Bithynia apud Nicomediam interfeciſſet, & imperium ad ſe tranſtuliſſet, Ilium, quòd ſibi portas clauſiſſet, vndecimo die cepit, & euertit: & ob id quum gloriaretur, quòd quam vrbem Agamemnon decimo anno vix cepit, quum mille nauium claſſem, & vniuerſam Græciam ſecum haberet, eam ipſe vndecimo die cepiſſet, reſpondit quidam ex Ilienſibus: non enim Hector aderat, qui pro ciuitate pugnaret. Sed ille paulo poſt apud Thyatiram quum ab exercitu Syllæ obſideretur, in templo Aeſculapii ſua, & ſerui manu interfectus eſt, vt videbis apud Liuium libro octuageſimo tertiò, Strabonem libro decimo tertio, Plutarchum in Sylla, Appianum in libro Mithridatico, Oroſium libro ſexto capite ſecundo, & Paterculum libro ſecundo. NON ITA DIV IACTARE SE POTVIT, quòd ſe interemit, adoleſcens, quæ auſus erat, fortiter executus: vt ait Paterculus libro ſecundo, qui dixit, auſus erat, quoniam fuit Homo longe audaciſſimus, vt à Cicerone dicitur in oratione pro Roſcio Amerino: vbi ſcribit illum, quum curaſſet, in funere C. Marii vt Q. Scæuola Pontifex vulneraretur, eidem Scæuolæ diem dixiſſe poſtea, quàm comperit, eum poſſe viuere: &, quum ab eo quæreretur, quid tandem accuſaturus eſſet eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quiſquam ſatis commode poſſet, illum, vt erat furioſus, reſpondiſſe, quòd non totum telum corpore recepiſſet: quod Valerius etiam Maximus libro nono capite vndecimo ſcribit. Homo vltimæ audaciæ à Liuio libro octuageſimo ſecundo, ἀνὴρ τολμητὴς à Plutarcho in Lucullo, ab Oroſio vero libro ſexto capite ſecundo Marianorum ſcelerum ſatelles, & homo omnium audaciſſimus appellatur. FVREBAT, hinc in oratione pro Roſcio Amerino furioſus appellatur. ALIAS RES AGERE, agere, quod agendũ nõ ſit: & non agere hoc, vt dicitur: quamuis Donatus in Eunucho paulo aliter interpretatur. INSANO, C. Fimbriæ.

quem Cicero in oratione pro Roſcio Amerino vocat inſaniſsimum. Oroſius quoque libro quinto capite decimo nono inſaniam Fimbriæ dixit, Ciceronem fortaſſe, & alios imitatus.

Cn. autem Lentulus multo maiorem opinione dicendi actione faciebat, quàm quanta in eo facultas erat: qui cum eſſet nec peracutus, (quanquam & ex facie, & ex vultu videbatur) nec abundans verbis, (etſi fallebat in eo ipſo) ſic interuallis, exclamationibus, voce ſuaui & canora, admirando irridebat, calebat in agendo, vt ea, quæ deerant, non deſiderarentur. ita tanquam Curio copia non nulla verborum, nullo alio bono, tenuit oratorum locum: ſic Lentulus cæterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultauit, in qua excellens fuit. Neque multo ſecus P. Lentulus: cuius & excogitandi, & loquendi tarditatem tegebat formæ dignitas, corporis motus plenus & artis, & venuſtatis, vocis & ſuauitas & magnitudo. ſic in hoc nihil præter actionem fuit, cætera etiam minora quàm in ſuperiore,

CN. AVTEM LENTVLVS, Cn. Cornelius Lentulus, qui fuit Conſul cum L. Gellio, de quo ſupra diximus: qui Lentulo multo maior natu fuit, & ob id à Cicerone multo ante poſitus: ſed quæ ſunt ibi de Gellio dicta partim ſunt huic communia, quum & in Conſulatu, & in Cenſura collegæ fuerint. Illud eſt huius proprium, quòd male aduerſus Spartacum pugnauit, vt Liuius libro nonageſimo ſexto, & Oroſius libro quinto capite vigeſimo quarto ſcripſerunt: quamuis in multis libris male C. Lentulus ſcribatur. Cenſor dicitur Verrina ſeptima, in oratione pro Flacco, & in oratione pro Domo, vbi Cicero ſcribit etiam Tribunum plebis eius bona conſecraſſe. In eo vero ſummum conſilium, & ſummam grauitatem fuiſſe teſtatur in oratione pro lege Manilia. is videtur eſſe, qui Philippo, & Marcellino Coſs. deceſsit: epiſtola ſexta libri quarti ad Atticum, quamuis aliter olim ſcripſerimus. is temporibus Marianis abfuit, infra. EX FACIE, ET EX VVLTV, quid ſit facies Gellius lib. decimo tertio capite vigeſimo nono docet, quid vultus, Cicero, qui lib. primo de Legibus ita ſcribit: is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante eſſe, præter hominem, poteſt, indicat mores: cuius vim Græci norunt, nomen omnino non habent. Illi tamé, vt ego puto, quum faciem, tum vim illam vultus exprimunt τῷ προσώπῳ, vnde ſigna colligunt Ariſtoteles, Polemon, Adamantius, & alii, qui τὰ φυσιογνωμονικὰ ſcripſerunt. Potes etiam fortaſſe interpretari, ex vultu, & ſimulatione, vt infra de C. Piſone loquitur. VIDEBATVR, peracutus. quæ vero ſint ſigna acuti, & ingenioſi, apud Ariſtotelem, Polemonem, Adamantium, & alios videbis. AOMIRANDO IRRIOEBAT, ſi nihil eſt hic mendi, putamus eſſe παρήχησιν, vt hac πλοκίσει, & ſuperioribus quaſi interuallis Cn. Lentuli dicendi modum exprimat, & quid ille faceret, dicat: quòd exclamaret, & fingeret ſe admirari, quod exclamationibus fieri ſolet, ſed re vera irrideret. CALEBAT, ſic calebat: & calebat, vt Philippus, qui dicebat, quum brachium concalefeciſſet, tum ſe ſolitum eſſe pugnare, libro ſecundo de Oratore: niſi forte placeat legere, cælabat, vt ſit, cælabat in agendo, quod paulo poſt ait: actione occultauit. ITA TAN-

QVAM,

QVAM, ſimilitudo. CVRIO, C. Curio, ſupra. COPIA NONNVLLA VERBORVM, verborum ſplendore, & copia, ſupra. NVLLO ALIO BONO, ſine aliis, ſupra. TENVIT ORATORVM LOCVM, orator enim viuis eius æqualibus proximus optimis numerabatur, propter verborum bonitatem, ſupra. SIC, ἀνταπόδοσιν. LENTVLVS, Cn. Lentulus, quo de loquimur. VIRTVTVM, oratoriarum, vt ſupra de Catone dixit: quanquam hic inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, & memoriam potiſſimum ſignificat. OCCVLTAVIT, ſic, vt ea, quæ deerant, non deſiderarentur, paulo ante. EXCELLENS FVIT, ita, vt hac plus opinionis ſit conſecutus, quàm eloquentia, vt ait Quintilianus libro vndecimo capite tertio. NEQVE MVLTO SECVS, faciebat, atque Cn. Lentulus. P. LENTVLVS, P. Cornelius Lentulus Sura is, qui cum L. Sergio Catilina coniurauit: quem putat Aſconius P. Lentuli illius, quem Cicero Verrina prima principem ſenatus appellat, filium fuiſſe: quod tempora pati non videntur, vt hic Sura filius fuerit illius, de quo ſupra diximus: quemque Cicero Verrina prima, & libro primo de Oratore P. Africano vel maiorem natu, vel illi æqualem fuiſſe oſtendit. M. Antonius certe libro primo de Oratore de illo ſic loquitur, vt de homine, qui tot annis ante obiiſſet, vt huius Lentuli pater vix eſſe potuerit. Quin ſi vir tantus huius P. Lentuli pater fuiſſet, Cicero ei aliquando obieciſſet, vt auum, in oratione tertia in Catilinam: cuius imaginem Sura non potius, quàm patris in annulo geſtaſſet, ſi talem patrem habuiſſet. Videri poteſt igitur M. Marcelli filius, de quo ſupra diximus. Sed cuiuſcunque fuerit filius, Quæſtor Syllæ quum fuiſſet, ita decoxit, vt, ipſo Sylla poſtulante, rationem vt redderet, dixerit, ſe tantum ſuram poſſe præbere: vnde Plutarchus in Cicerone ſcribit eum Suram dictum fuiſſe: quanquam multos ante Suras appellatos legamus. Videtur etiam tunc abfuiſſe, infra. Hic poſtea Prætor, deinde Conſul cum Cn. Aufidio Oreſte an. ab V. C. ſexcenteſimo octuageſimo tertio fuit: ſed quum eius vita ſemper, vt ait Porcins Latro, in obeundis libidinibus verſaretur, ac ſocietate turpiſſimorum hominum nobilitaretur, bis accuſatus, &, vt libro primo ad Atticum Cicero ſcribit, abſolutus eſt: quòd iudices, vt autor eſt Plutarchus in Cicerone, corrupiſſet. quare quum duabus olim ſententiis abſolutus fuiſſet, dixit, παράλωμα γεγόνεναι τὸ δευτέρῳ κριτῇ δοθέν. ἀρκεῖν γὰρ εἰ καὶ μιᾷ ψήφῳ μόνον ἀπελύθη. hinc Cicero in oratione pro P. Sylla dixit, eum ſocietates cum iudicibus habuiſſe: & ſi, cum indicibus, alii legunt. Non ita multo poſt tamen ſenatu motus eſt. Quam ob rem, vt amiſſam dignitatem recuperaret, coactus eſt ad primos gradus quaſi ab equis ad aſinos redire: ὡς ἔθος ἦν τοῖς ἐξ ὑπαρχῆς ἀνακτωμένοις τὸ βουλευτικὸν ἀξίωμα, vt Plutarchus in Cicerone, & Dion libro trigeſimo ſeptimo ſcribunt. Erat igitur Prætor iterum, quando cum L. Catilina coniurauit: & affirmabat ex fatis Sibyllinis, aruſpicúmque reſponſis, ſe eſſe tertium Cornelium, ad quem regnum vrbis, atque imperium peruenire eſſet neceſſe: Cinnam ante ſe, & Syllam fuiſſe: hoc Cicero in oratione tertia in Catilinam, Salluſtius, & Porcius Latro ſcribunt. Hæc eſt illa religio, quam peruerſam, & impiam Cicero in oratione pro P. Sylla vocat. Somnus, & alia quædam de P. Lentulo in orationibus in Catilinam, apud Salluſtium, & Porcium Latronem referuntur. Huic Iulia L. Cæſaris ſoror, & M. Antonii mater, poſt primi mariti mortem, nupſit, vt in Antonio Plutarchus affirmat. Hinc Cicero in oratione quarta in Catilinam ita ſcribit: L. Cæſar ſororis ſuæ fœminæ lectiſſimæ virum præſentem, & audientem vita priuandum eſſe dixit: & Philippica ſecun-

da: L. Cæſar ſententiam dixit in ſororis ſuæ virum: & Philippica octaua: idem fecerat L. Cæſar me Conſule in ſororis viro, quod hoc tempore in ſororis filio. Fuit igitur hic P. Lentulus M. Antonii vitricus: hinc M. Antonius corpus vitrici ſui ad ſepulturam à Cicerone datum negabat, vt Philippica ſecunda refertur. IN HOC, P. Lentulo. CAETERA ETIAM MINORA, cæteræ virtutes etiam minores. SVPERIORE, Cn. Lentulo.

M. Piſo quidquid habuit, habuit ex diſciplina; maximéque ex omnibus, qui ante fuerunt, Græcis doctrinis eruditus fuit. habuit à natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limauerat, quod erat in reprehendendis verbis verſutum & ſolers, ſed ſæpe ſtomachoſum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum. is laborem quaſi curſum forenſem diutius non tulit, quòd & corpore erat infirmo, & hominum ineptias ac ſtultitias, quæ deuorandæ nobis ſunt, non ferebat, iracundiúſque reſpuebat, ſiue moroſe, vt putabatur, ſiue ingenuo liberóque faſtidio. is cum ſatis floruiſſet adoleſcens, minor haberi eſt cœptus poſtea. deinde ex Virginum iudicio magnam laudem eſt adeptus: & ex eo tempore quaſi reuocatus in curſum, tenuit locum tandiu, quàm ferre potuit laborem: poſtea, quantum detraxit ex ſtudio, tantum amiſit ex gloria. P. Muræna mediocri ingenio, ſed magno ſtudio rerum veterum, literarum & ſtudioſus, & non imperitus, multæ induſtriæ, & magni laboris fuit. C. Cenſorinus Græcis literis ſatis doctus, quod propoſuerat explicans expedite, non inuenuſtus actor, ſed iners & inimicus fori. L. Turius paruo ingenio, ſed multo labore, quoquo modo poterat, ſæpe dicebat. itaque ei paucæ centuriæ ad Conſulatum defuerunt. C. Macer autoritate ſemper eguit, ſed fuit patronus propemodum diligentiſsimus. huius ſi vita, ſi mores, ſi vultus denique non omnem commendationem ingenii euerteret, maius nomen in patronis fuiſſet, non erat abundans, non inops tamen: non valde nitens, non plane horrida oratio: vox, geſtus, & omnis actio ſine lepore, at in inueniendis componendíſque rebus mira accuratio; vt non facile in vllo diligentiorem maiorémque cognouerim, ſed eam vt citius veteratoriam, quàm oratoriam diceres. hic etſi etiam in publicis cauſis probabatur, tamen in priuatis illuſtriorem obtinebat locum.

M. PISO, M. Pupius Piſo Calphurnianus ſic appellatus à nonnullis, quòd eum M. Pupius in oratione pro Domo dicatur adoptaſſe. Hic Quæſtor quum L. Piſoni Conſuli obtigiſſet, non attigit pecuniam, non ad exercitum profectus eſt, Verrina tertia. Hic idem in Aedilitate offenſiuncula (nam populus illi M. Seium prætulit) accepta, ſummos à populo

honores,

honores, vt in oratione pro Plancio legimus, eſt adeptus. Nam Proconſul in Hiſpania fuit, vnde triumphauit, vt Cicero in oratione pro Flacco, & in oratione in Piſonem ſignificat, & Aſconius ſcribit, & quidem Hortenſio, & Metello Conſulibus. Biennio poſt Ciceronem cum M. Valerio Meſſala Conſul fuit, quamuis Cicerone natu maior eſſet, vt docet Aſconius, & hic apparet. Quin Aſconius ita ſcribit: M. Piſo iiſdem temporibus, quibus Cicero, fuit, ſed tanto ætate maior, vt adoleſcentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quòd in eo & antiquæ vitæ ſimilitudo, & multæ erant literæ: quod credi vix poſsit, quum Cicero illum libro primo ad Atticum hominem peruerſum, vitioſum, inertem, ſomni plenum, imperitum, ἀπρακτότατον, & κακχίκτην appellet: niſi forte id Cicero facit iratus, quòd alium, non ſe ſententiam primum rogaſſet, & tum Clodio faueret: alibi certe ferè ſemper illum laudat, vt in oratione pro Plancio, vbi hominem nobiliſsimum, innocentiſsimum, & eloquentiſsimum vocat: vt libro primo de Oratore his verbis: eſt enim apud M. Piſonem adoleſcentem iam huic ſtudio deditum, ſummo hominem ingenio, noſtríque cupidiſsimum, Peripateticus Staſeas: & ob id libro quinto de Finibus, & libro primo de Natura Deorum, M. ipſum Piſonem Peripateticum facit: (qualem nos hodie Vincentium Magium Brixianum cognoſcimus & obſeruamus) & ſuum familiarem vocat, quòd, vt ait infra, cum illo ſæpe declamitaret: vnde ſuſpicio videtur fuiſſe, Cic. apud M. Piſonem eloquentiam pudicitiæ iactura perdidiciſſe, vt in oratione, quæ tribuitur Salluſtio, legimus. QVICQVID HABVIT, HABVIT EX DISCIPLINA, ſic infra de P. Lentulo. aliter quicquid habuit ex diſciplina. EX DISCIPLINA, oratorum, & Philoſophorum præſertim Peripateticorum, lib. quinto de Finibus. ERVDITVS FVIT, hinc in oratione in Piſonem ſic ait: Tu eruditior, quàm M. Piſo? imperitum tamen libro primo ad Atticum vocat, vel iratus, vt diximus, vel imperitum Reipub. adminiſtrandæ voluit ſignificare. ACVMINIS, in dicto, inquit libro ſecundo de Oratore, ridiculum eſt id, quod verbi, aut ſententiæ quodam acumine mouetur. & ſanè Cicero in hac deſcriptione videtur oſtendere M. Piſonem ſolitum eſſe verſari in eo genere facetiarum, quod in dicto tractatur: quum libro primo ad Atticum vocet illum cauillatorem genere illo moroſo, quod etiam ſine dicacitate ridetur: quod in re tractandum libro ſecundo de Oratore præcipit, & quidem cautiſsime: quòd vitanda ſit mimorum ethologorum ſimilitudo: quod quum M. Piſo minus faceret, ſæpe videbatur mimos, ſiue hiſtriones imitari: quare Conſul deterioris hiſtrionis ſimilis libro primo ad Atticum vocatur. hic vero potius vt dicax deſcribitur ſic tamen, vt non minus in hoc genere, quàm in altero peccaſſe dicatur, vt in verbis apparet. ARTE, quum tamen ars in hiſce rebus parum valeat, vt libro ſecundo de Oratore dicitur. VERBIS, dictis, in quibus genus illud facetiarum tractatur, vt ait libro ſecundo de Oratore, vbi hæc omnia pluribus C. Iulius Cæſar perſequitur. IS, M. Piſo. VIRGINVM, poſt quarum abſolutionem decimus annus fuit in Ciceronis Conſulatu, vt ait in oratione tertia in Catilinam. Accuſatus enim fuit Catilina inceſti, quod cum Fabia virgine Veſtali commiſiſſe arguebatur: ſed Catuli gratia fultus euaſit, vt Oroſius libro ſexto capite tertio ſcribit. Sed & Fabia ipſa cauſam inceſti dixerat, quum ei Catilina obiiceretur, erátque abſoluta hæc Fabia, quia ſoror erat Terentiæ Ciceronis, vt ait Aſconius. Virgines vero ipſas P. Clodius accuſauit, & M. Cato defendit, vt Plutarchus in Catone ſcribit. In eo iudicio M. hic Piſo magnam laudem eſt adeptus, vt hic ait. aliter Verginii.

P. MVRAENA, P. Licinius Muræna, qui ſublatus infra fuiſſe dicitur: cuius hiſtoriam quærent alii: nos apud Macrobium libro tertio Saturnalium inuenimus, Varronem aſſeruiſſe, eodem modo Licinios appellatos Murænas, quo Sergius Orata cognominatus: quòd ei piſces, qui auratæ vocantur, chariſsimi fuerint. hanc gentem plebeiam fuiſſe Cicero in oratione pro Muræna teſtatur. RERVM VETERVM, antiquitatis, hiſtoriæ, quæ neceſſaria eſt oratori, vt libro primo de Oratore demonſtratur. C. CENSORINVS, qui, vt ſupra ex Plutarcho retulimus, Syllæ ex Cappadocia reuertenti δίκην ἔλαχε δώρων, & Cn. Octauium Conſulem interfecit, vt Appianus refert: vnde nos illum credimus vt Marianum à Syllanis, vt infra dicitur, ſublatum fuiſſe. Cenſorinum nos cognomen in Marciis, Porciis, & Rutiliis inuenimus. L. TVRIVS, quærimus. CENTVRIAE, à quibus comitia centuriata dicta, in quibus Conſules creabãtur: de quibus ſupra diximus. C. MACER, C. Licinius Macer, de quo Cicero Prætor incredibili, ac ſingulari populi voluntate tranſegit: cui quum æquus fuiſſet, tamen multa maiorem fructum ex populi exiſtimatione, illo damnato, cepit, quàm ex ipſius, ſi abſolutus eſſet, gratia cepiſſet, vt ait libro primo ad Atticum. damnatus eſt autem, vt κρινόμενος κλοπῆς, vt ait Plutarchus in Cicerone, id eſt repetundarum, vt ſcribit Valerius Maximus libro nono capite duodecimo, vbi docet, quo modo perierit: à quo tamen Plutarchus paulum videtur diſſentire. SEMPER EGVIT, à Plutarcho tamen in Cicerone dicitur ἀνὴρ καθ' αὑτὸν ἰσχύων ἐν τῇ πόλει μέγα: & Prætor fuerat: vnde Prætorius à Valerio Maximo vocatur: ſed Cicero melius illum, quàm Plutarchus, cognorat: & illum vituperat, quum vt veritatem dicat, tum vt oſtendat illum à ſe iure damnatum fuiſſe. VITA, turpis, vt eius, qui repetundarum, vt dictum eſt, reus fuerit, & damnatus. EVERTERET, vir enim bonus eſſe debet orator, vt Antonius libro ſecundo de Oratore quærit, & definitio, quæ eſt apud Quintilianum, docet. NOMEN, huius Macri. HIC, C. Macer. ETSI ETIAM, aliter ſi etiam. alii, etiamſi.

C. deinde Piſo, ſtatarius, & ſermonis plenus orator, minime ille quidem tardus in excogitando, verumtamen vultu & ſimulatione multo etiam acutior, quàm erat, videbatur. Nam eius æqualem M. Glabrionem, bene inſtitutum aui Scæuolæ diligentia, ſocors ipſius natura, negligénſque tardauerat. Etiam L. Torquatus elegans in dicendo, in exiſtimando admodum prudens, toto genere perurbanus. Meus autem æqualis Cn. Pompeius, vir ad omnia ſumma natus, maiorem dicendi gloriam habuiſſet, niſi eum maioris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abſtraxiſſet. erat oratione ſatis amplus: rem prudenter videbat: actio vero eius habebat & in voce magnum ſplendorem, & in motu ſummam dignitatem. Noſter item æqualis D. Silanus, vitricus tuus, ſtudii ille quidem habuit non multum, ſed acuminis & orationis ſatis.

C. Caius, vt à Cicerone ſemper vocatus: & iccirco legatur Caius apud Aſconium, & apud Salluſtium, apud quos nunc in vulgatis libris Cneus legitur, quamuis in libris manu ſcriptis recte Caius legatur. PISO, C. Calphurnius

phurnius Piſo, quo Prætore Cicero Q. Roſcii Comœdi cauſam defendit: quemque in cauſa Cæcinæ aduerſarium habuit. is cum M. Glabrione Conſul fuit an. ab V. C. ſexcenteſimo octuageſimo ſeptimo : & tum Pompeium voluit impedire, ne aduerſus piratas proficiſceretur: ὅθεν ἐκώλυσαν τὴν ὑπατείαν ἀφαιρεθῆναι γράφειν νόμον ἔχοντος ἤδη συγγεγραμμένον vt in Pompeio refert Plutarchus. Tunc etiam legem Calphurniam de ambitio tulit: in qua præter alias pœnas pecuniaria quoque pœna eſt adiecta, vt ſcribit Aſconius: cuius quidem legis Cicero in oratione pro Muræna meminit. Hic poſtea Proconſul in Galliam profectus eſt: ad quem Cicero, Conſulatum petiturus, excurrere, vt ait libro primo ad Atticum, cogitauit. Sed Piſo domum quum rediiſſet, pecuniarum repetundarum poſtulatus eſt, & à C. Iulio Cęſare oppugnatus propter cuiuſdam Tranſpadani ſupplicium iniuſtũ: quare poſtea cum illo graues exercuit inimicitias ita, vt impellere Ciceronẽ tentarit, vt Cæſar inter coniuratos nominaretur, vt ait Salluſtius. ob id etiam fortaſſe M. Bibulus, quum peteret Conſulatum cum Cæſare, putabat ſe cum Arrio per C. Piſonem vt Cæſaris inimicum poſſe coniungi, quod libro primo ad Atticum ſcribitur. Piſo tamen, vt ad rem redeamus, Cicerone Conſule defendente, quia Conſul fortis, conſtánſque fuerat, incolumis eſt Reipub. conſeruatus, vt leges in oratione pro Flacco: quem quidem Piſonem Cicero libro duodecimo ad Atticum, & Philippica ſecunda poſtea inter Conſulares nominauit. Nondum mihi ſatis conſtat, an is ille ſit, quem Plutarchus ἀνδραισοφὸν vocat, quum Cic. nihil hac de re dicat: quod mirum ſit, quum Plutarchus teſtetur, illum de Mario ſcripſiſſe, ne quis forte putet, illum eſſe, quem ſupra diximus & L. Piſonem vocatum fuiſſe, & multo ante vixiſſe. STATARIVS, vt ſupra Rutilium, & Scaurum vocauit. & hic ſtatarius appellatur, quòd ſumma fide, virtute, grauitate, autoritate ornatus eſſe, vt in oratione pro Roſcio Comœdo deſcribitur. VVLTV, ET SSMVLATIONE, facie, & vultu, paulo ante de Cn. Lentulo. VIDBBATVR, aliis, & ſibi etiam fortaſſe, qui peracutum olim putabat, quod Cicero in oratione pro Cæcina non ita acutum iudicauit. EIVS, C. Piſonis. AEQVALEM, vt in Conſulatu collegam, vt diximus. M. Marcum, quanquam vereor, ne in gente Acilia Manius ſcribi debeat, quum in veterum lapidibus hæc nota ſemper à M'. hoc eſt, Marco ſigno quodam quaſi ἀποστρόφῳ diſtinguatur, & apud Aſconium in aliis libris Manilius Acilins, in aliis Mallius Acilius legatur. GLABRIONEM, M. Acilium Glabrionem: & Acilium, non Attilium, vt in libris ſæpe leges, ſcribere debemus: quoniam gens huius Glabrionis Acilia fuit, & pater ab Aſconio M. Acilius appellatur, qui legem Aciliam tulit de pecuniis repetendis ſeueriſsimam: in qua nec comperendinari quidem licebat reum, vt legitur Verrina ſecunda, vbi ſemper Acilia ſcribitur, & apud Aſconium, & apud Donatum Terentii Interpretem: & Acilius in lapidibus antiquis ſemper inuenitur, vt iam dubitandum non ſit, quin ſcrlbi debeat Acilius: cuius gens plebeia fuit, vt oſtendit Liuius, qui libro trigeſimo quinto ſcribit, P. Scipioni de plebe M. Acilium Glabrionem collegam additum fuiſſe. Hoc vero M. Glabrione Prætore Cicero Verrem accuſauit, vt Aſconius ſcribit, & in ipſis Verrinis apparet. Hic, vt dictum eſt, cum C. Piſone Conſul fuit, &, vt Plutarchus in Pompeio refert, in Bithyniam profectus eſt: quem Cicero libro duodecimo ad Atticum, & Philippica ſecunda inter Conſulares nominauit. AVI, aui materni, vt opinor, ſic etiam Verrina ſecunda. SCAEVOLAE, Scæuolam dicit iuris peritiſsimum, qui cum L. Piſone Conſul fuit, quo anno Tib. Gracchus occiſus eſt. ſic Aſconius in Verrina ſecunda interpretatur. TAR-

DAVERAT, ſic, vt ipſe Scæuola fœnus, & impendium recuſarit, vt leges libro ſexto ad Atticum. L. TORQVATVS, L. Manlius Torquatus, & quidem patricius, vt in oratione pro P. Sylla cognoſces, quum Manliorum familia duplex eſſet, vt ſupra diximus. Hic Ciceronis, & Attici condiſcipulus, vt Nepos ait in Attico fuit: ad quem L. Torquatus filius adoleſcentulus Conſulatum ereptum P. Syllæ, qui legibus ambitus, vt ait Salluſtius, interrogatus, pœnas dederat, retulit, vt Cicero libro ſecundo de Finibus affirmat. Itaque cum L. Aurelio Cotta Conſul eſt factus an. ab V.C. ſexcenteſimo octuageſimo nono: quos Antronius, Catilina, & alii in Capitolio Cal. Ian. vt ſcribit Salluſtius, interficere pararunt. Quibus quidem Conſulibus Pompeius, vt Dion libro trigeſimo ſeptimo refert, cum Albanis bellum geſsit. Quid vero L. ipſe Torquatus in Conſulatu geſſerit, ſcriptum non uidimus, niſi quòd illum Cicero Conſulem fortiſsimum in oratione pro P. Sylla, & libro ſecundo de Finibus uocat. Poſt Conſulatum videtur in Macedonia res ita magnas geſsiſſe, vt Cicerone iam tum Conſule referente, abſens imperator ſit appellatus, vt in oratione in Piſonem dicitur; qui paulo poſt domum quum rediiſſet, homo amantiſsimus patriæ, maximi animi, ſummi conſilii, ſingularis conſtantiæ, quum eſſet æger, tamen omnibus rebus illis, quas Cicero Conſul geſsit, interfuit: nunquam eſt à Cicerone digreſſus, ſtudio, conſilio, autoritate vnus adiuuit plurimum, quum infirmitatem corporis, animi virtute ſuperaret, vt ait in oratione pro P. Sylla, vbi virum ſapientiſsimum, conſtantiſsimum ſenatorem, & optimum ciuem, vt libro item ſecundo de Finibus, appellat: vbi ſunt illa verba: Conſulatum ad patrem tuum retuliſti virum fortiſsimum, qualis ille vel Conſul, vel ciuis, quum ſemper, tum poſt Conſulatum fuit: quo quidem autore nos ipſi ea geſsimus, vt omnibus potius, quàm ipſis nobis conſuluerimus. Hinc ipſe L. Torquatus, vt in oratione in Piſonem legimus, poſtea tantopere pro Cicerone laborauit, & ſemper res eius, vt libro duodecimo ad Atticum videre licet, probauit. In bello ciuili finem belli ſtatuebat à principio, ſi Pompeius Italia cederet, vt epiſtola vndecima libri ſeptimi ad Atticum videbis. Poſtea tamen profectus eſſe dicitur epiſtola ſeptima libri noni ad Atticum. quanquam dubitari poteſt, filiúmne, an patrem ibi ſignificet: niſi epiſtola vndecima, & vigeſima prima libri ſeptimi ad Atticum cum M. Lepido quaſi Conſularem cum Conſulari coniungat, & ſic de illo ſemper loquatur: quod de filio dici non poteſt. Accedit, quod Cæſar libro tertio de Bello ciuili ſcribit: L. Torquatum, qui iuſſu Pompeii Orico præerat, oppidum Cæſari dediſſe, incolumémque ab eo conſeruatum fuiſſe, quod & Appianus refert, quamuis hominem non nominet. Siue tamen manſit, ſiue profectus eſt, illo certe tempore, & bello nos illum periiſſe credimus, quando filium etiam tum Reſpub. perdidit, infra: nec vſquam ille nominatur. AEQVALIS, quamuis ex Conſulatu maior fuiſſe videatur: ſed legibus ſolutus multo ante ſuum annum Conſul eſt factus, vt Liuius libro nonageſimo ſeptimo ſcripſit. Quòd ſi Ciceronis prorſus æqualis fuit, M. Piſone, M. Meſſala Conſulibus annum quadrageſimum quartũ minimum agebat: quo quidem anno de Mithridate triumphauit, vt Plinius libro ſeptimo capite vigeſimo ſexto, & libro trigeſimo ſeptimo capite ſecundo teſtatur: Plutarchus tamen eum tum multo iuniorem deſcribit. CN. POMPEIVS, Cn. Pompeius Magnus, de quo tam multa Cicero, Liuius, Paterculus, Valerius Maximus, Plutarchus, Dion, Appianus, & alii ſcribunt, vt nobis tacendum ſit. MAIOREM DICENDI GLORIAM HABVISSET, quàm habuit, quamuis magnam habuerit. MAIORIS GLORIAE, quæ ex rei militaris

taris ſcientia comparatur: ſed vtra, hæc, an dicendi gloria ſit maior, infra paucis diſputatur. ABSTRAXISSET, & quidem è ludo, atque pueritiæ diſciplina, vt ait in oratione pro lege Manilia: Itaque tantum potuit impertire huic ſtudio temporis, quantum ipſe à pueritia vſque ad ſummam ætatem à continuis bellis, & victoriis conquieuit, vt in oratione pro Cornelio Balbo dicitur. AMPLIVS, nam fuit in eo grauitas in dicendo, facultas, & copia, in oratione pro Cornelio Balbo. Itaque verſabatur in vehementi genere dicendi. atque hoc ad elocutionem pertinet. REM PRVDENTER VIDEBAT, inuentio. SPLENDOREM, vox enim ſplendida etiam ſupra in Sulpicio, & infra in Marcello commendatur. MOTV, ſupra. DIGNITATEM, quæ eſt oratio cum aliqua grauitate, & vocis remiſsione, libro tertio ad Herennium: vel dignitatem, qua principibus etiam Pompeius excellebat, vt in oratione pro lege Manilia ſcribit NOSTER ITEM AEQVALIS, nam fuit Conſul anno ſequenti poſt ipſum Ciceronem. D. SILANVS, Decimus Iunius Silanus, vt apud Salluſtium leges. & Silanus ſcribi debet, vt ſupra de M. Iunio Silano diximus. is Conſul deſignatus cenſuit eos, qui Rempub. delere conati fuerant, morte eſſe multandos: lege orationem quartam in Catilinam, & Salluſtium, vbi Cæſar illum virum fortem, atque ſtrenuum vocat: cui tamen ipſe Cæſar tantum metum iniecit, vt illum non piguerit ſententiam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire, velut grauius, atque ipſe ſenſiſſet, exceptam: quod in Cæſare Suetonius ſcribit. Hic poſtea Conſul prouinciæ cupiditatem triumphi nomine tegebat, atque velabat, quod Cicero in oratione in Piſonem dixit. Fuit vero Conſul cum L. Muræna an. ab V. C. ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo: quibus Conſulibus deſignatis Cicero ſcribit libro duodecimo ad Atticum, & Philippica ſecunda ſuum Conſulatum placuiſſe. VITRICVS TVVS, vitricus tuus Brute, cuius mater Seruilia, quum eſſet vidua, ipſi Silano nupſit.

Q. Pompeius A. F. qui Bithynicus dictus eſt, biennio quàm nos fortaſſe maior, ſummo ſtudio dicendi, multáque doctrina, incredibili labore, atque induſtria: quod ſcire poſſum: fuit enim mecum, & cum M. Piſone cum amicitia, tum ſtudiis exercitationibúſque coniunctus. huius actio non ſatis commendabat orationem: in hac enim ſatis erat copiæ, in illa autem leporis parum. Erat eius æqualis P. Antronius, voce peracuta atque magna, nec alia re vlla probabilis. Et L. Octauius Reatinus: qui cum multas iam cauſas diceret, adoleſcens eſt mortuus: is tamẽ ad dicendum veniebat magis audacter, quàm paratè. Et C. Stalenus: qui ſe ipſe adoptauerat, & de Staleno Aelium fecerat: feruido quodam, & petulanti, & furioſo genere dicendi: quod quia multis gratum erat, & probabatur, adſcendiſſet ad honores, niſi in facinore manifeſto deprehenſus, pœnas legibus & iudicio dediſſet.

Q. POMPEIVS, de quo nullam mentionem, niſi in hoc dialogo, fieri vidimus, & apud Oroſium lib. ſexto capite decimo quinto, illum cum Pompeio in Aegypto interfectum fuiſſe legimus. A. F. Auli filius: & credimus

Aulum Pompeium eſſe, qui obiit in Capitolio, quum Deos ſalutaſſet, vt Plinius libro ſeptimo capite quinquageſimo tertio ſcribit: cuius prænomen retulit Aulus Pompeius Q. F. vt nos putamus: quem poſtea Prætorem in Sicilia Sex. Pompeius Magni filius occidit, vt Liuius libro centeſimo vigeſimo tertio, Appianus libro quarto, & Dion lib. quadrageſimo octauo ſcripſerunt: qui Bithynicum cognomen etiam patris habuit, vt ibidem cognoſcitur: vnde non dubito, quin ille ſit, qui libro ſexto Familiarium ſcribit ad Ciceronem, & à Cicerone literas accipit. FVIT ENIM, φιλολογία, quare ſciat. M. PISONE, ſupra. AMICITIA, hinc Bithynicus filius ad Ciceronem libro ſexto Familiarium ſcribens, ait: repeterem initia amicitiæ ex parentibus noſtris. EXERCITATIONIBVSQVE CONIVNCTVS, ob id infra ſic ait: commentabar declamitans ſæpe cum M. Piſone, & cum Q. Pompeio. HVIVS, Q. Pompeii Bithynici. IN HAC, oratione. IN ILLA, actione. EIVS, Q. Pompeii Bithynici. AEQVALIS, & ſic me ipſo biennio maior: & ſic biennio ante Ciceronem Conſul fuiſſet, niſi Conſul deſignatus quum eſſet, legibus ambitus interrogatus, pœnas, vt ait Salluſtius, dediſſet. P. Publius, vt apud Salluſtium ſemper legitur, quamuis apud Suetonium in Cæſare L. ſcribatur. ANTRONIVS, P. Antronius, qui ſe Ciceronis condiſcipulum in pueritia, familiarem in adoleſcentia, collegam in Quæſtura commemorabat fuiſſe: qui Conſul deſignatus quum accuſaretur ambitus, iudicium tollere, ac diſturbare primum conflato voluit gladiatorum, ac fugitiuorum tumultu, deinde lapidatione, atque concurſu: ſed damnatus ita ſe geſsit, vt Cicero in oratione pro P. Sylla ſcribit: vbi nobis illum hominem, vt paucis dicam, ſceleſtiſsimum deſcribit. Huius exulis domum M. Meſſala tum Conſul libro primo ad Atticum dicitur emiſſe. Huius inſidias Cicero libro tertio ad Atticum ſe timere oſtendit. ET L. OCTAVIVS REATINVS, huius Q. Pompeii erat æqualis: de quo quidem nos nihil, præter ea, quæ hic dicuntur, inuenimus: niſi forte ſit ille, quem Verrina quarta nominari videmus. aliter & L. Octauius Theatinus. ET C. STALENVS, huius Q. Pompeii erat æqualis: C. inquam Stalenus Pætus. hoc enim ſibi cognomen ex imaginibus Aeliorum delegerat, ne, ſi ſe Ligurem feciſſet, nationis magis ſuæ, quàm generis vti cognomine videretur, vt ait in oratione pro Cluentio: ſed & in oratione pro Seſtio ita ſcribit: ex nouem Tribunis plebis, quos tunc habueram, vnus, me abſente, defluxit, qui cognomen ſibi ex Aeliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis eius eſſe, quàm generis videretur: quem quidem Tribunum plebis in eadem oratione, & alibi Ligurem vocat: quæ res facit, vt dubitari poſsit, an idem ſit vbique, niſi in oratione pro Cluentio dicatur Aedilitatem petiturus fuiſſe, niſi damnatus eſſet: & in oratione pro Seſtio Tribunus plebis tanto poſt appelletur: quod fuiſſet ab equis ad aſinos redire: quanquam potuit reuocatus honores iterum quaſi exordiri: ſed vt ea res habeat, C. Stalenus quum eſſet egens, ſumptuoſus, audax, callidus, perfidioſus, domi ſuæ miſerrimus, & inaniſsimus, M. Aemilio Quæſtor obtigit, & in exercitu ſeditionem excitauit. Deinde, quum eſſet homo ad excogitandum acutiſsimus, ad audendum impudentiſsimus, ad efficiendum acerrimus, cauſam bonorum Saſinii Atellæ recepit, & ſexcentis millibus numûm ſe iudicium corrupturum dixit: quæ quum accepiſſet à pupillo, ſuppreſsit: iudicioque facto, nec Saſinio, nec bonorum emptoribus reddidit: nec ita multo poſt Oppianicum eodem penè modo decepit, vt Cicero in oratione pro Cluentio pluribus oſtendit. Sed poſtea factum eſt, quod in Topicis ita ſcriptum eſt: multi etiam in res odioſas inciderunt imprudentes, vt Staleno nuper accidit, qui

ea locu

ea locutus eſt bonis viris ſubauſcultantibus pariete interpoſito, quibus patefactis, in iudiciúmque prolatis, rei capitalis iure damnatus eſt. nam, vt eſt in oratione pro Cluentio, P. & L. Cominiis equitibus Romanis honeſtiſsimis hominibus, & diſertis accuſantibus, maieſtatis eſt damnatus. SE IPSE ADOPTAVERAT, quum à nemine fuiſſet adoptatus, ſic tamen ipſe, tanquam ab aliquo Aelio fuiſſet adoptatus, Aeliorum nomina, & cognomina ſequebatur: quòd mos eſſet, vt adoptati adoptantis prænomen, nomen, & cognomen ſumerent, vt diximus, & epiſtola vigeſima libri tertii ad Atticum ſcripſimus. ET, id eſt, vt ſit ἐπεξήγησις. DE STALENO AELIVM FECERAT, quum prius C. Stalenus Ligur diceretur, C. Aelius Pætus voluerat appellari, vel C. Stalenus Pætus. nam in oratione pro Cluentio cognomen tantum dicitur delegiſſe. & fortaſſe potius ex imaginibus Aeliolum cognomen delegerat, quòd Ligur quum eſſet ipſe, legerat, P. Aelium Ligurem vocatum fuiſſe illum, qui anno ab V. C. quingenteſimo octuageſimo ſecundo cum C. Popilio Lænate Conſul fuit, vt Liuius libro quadrageſimo ſecundo ſcribit. FERVIDO, ſic App. Claudii feruidior oratio ſupra. DEPREHENSVS, bonis viris ſubauſcultantibus pariete interpoſito, vt ex Topicis retulimus. DEDISSET, maieſtatis damnatus, vt diximus.

Eodem tempore C. & L. Cæpaſii fratres fuerunt; qui multa opera, ignoti homines & repentini, Quæſtores celeriter facti ſunt, oppidano quodam, & incondito genere dicendi. Addamus huc etiam, ne quem vocalem præteriiſſe videamur, C. Coſconium Calidianum; qui nullo acumine, eam tamen verborum copiam, ſi quam habebat, præbebat populo cum multa concurſatione, magnóque clamore. Quod idem faciebat Q. Arrius; qui fuit M. Craſsi quaſi ſecundarum. is omnibus exemplo debet eſſe, quantum in hac vrbe polleat multorum obedire tempori, multorúmque vel honori, vel periculo ſeruire. his enim rebus, infimo loco natus, & honores, & pecuniam, & gratiam conſecutus, etiam in patronorum, ſine doctrina, ſine ingenio, aliquem numerum peruenerat. ſed vt pugiles inexercitati, etiam ſi pugnos & plagas Olympiorum cupidi ferre poſſunt, Solem tamen ſæpe ferre non poſſunt: ſic ille, cum, omni iam fortuna proſpere functus, labores etiam magnos excepiſſet, illius iudicialis anni ſeueritatem, quaſi Solem, non tulit.

EODEM TEMPORE, quo P. Antronius, L. Octauius Reatinus, vt C. Stalenus fuerũt, Q. Pompeii æquales, & ſic me ipſo biennio maiores. C. ET L. CAEPASII, Caius, & Lucius Cæpaſii fratres homines induſtrii, atque eo animo, vt quæcunque dicendi poteſtas eſſet data, in honore, atque in beneficio ponerent, vt in oratione pro Cluentio loquitur: vbi de illis ita verba facit, vt eos irridere potius, quàm laudare videatur. C. COSCONIVM, qui in oratione pro P. Sylla videtur Prætor fuiſſe Cicerone Conſule: quum tamen eodem Cicerone Prætore fortaſſe extra ordinem in Illyrico Proconſul fuiſſet: niſi fuit alter, præſertim quum Cneus, non Caius ab Eutropio libro ſexto ille dicatur. Hic certe in oratione pro Cluentio Caius appella-

tur: qui fuit Proconſul in Hiſpania vlteriore, vt ait in oratione in Vatinium: vbi C. Coſconium iudicem vocat, & ædilitium: ſed ille, opinor, eſt alteri quum duo his temporibus fuerint, quorum alter Cæſare Conſule Vuir ſit mortuus, vt epiſtola decimanona libri ſecundi ad Atticum cognoſces: alter poſt Pompeii mortem Prætor interfectus, vt Plutarchus refert. aliter C. Caſtonium. CALLIDIANVM, ab aliquo Coſconio adoptatum, quum eſſet Callidius. Q. ARRIVS, is videtur eſſe, qui Prætor Chryſum fugitiuorum ducem cum viginti millibus hominũ cecidit, vt Liuius lib. nonageſimo ſexto ſcripſit: quiq. C. Verri ſucceſſurus putabatur, vt Verrina quarta & ſexta dicitur. is quum eſſet infimo loco natus, vt hic ait, poſt Præturam diu iacuit: ſed Cæſare & Bibulo Conſulibus, quum Pompeius, Craſſus, & ipſe Cæſar Remp. tenerent, ſe Conſulem fieri poſſe ſperauit: verum deſtitutus, ægre tulit, ſibi ereptum fuiſſe Conſulatũ, vt epiſtola quinta, & ſexta libri ſecundi ad Atticum videbis. M. CRASSI, cuius vitam Plutarchus ſcribit, vt ſupra diximus. SECVNDARVM, ſecundarum partium: vt Spinter ſecundarum, tertiarúmq. Pamphilus apud Plinium lib. ſeptimo cap. duodecimo. aliter ſecundator. aliter ſecundanus. aliter ſecundarius, id eſt, vt ego interpretor, ſecundas partes agens, qui δευτεραγωνιστὴν à Græcis vocatur: quanquam Seneca lib. tertio cap. octauo de Ira, ſecundas agere ponit pro eo ferè, quod eſt aſſentari: quod à Cic. ſententia non videtur admodum eſſe diuerſum. IS, Q. Arrius. NATVS, Q. Arrius. HONORES, vt Præturam, de qua diximus. PECVNIAM, tantã, vt epulum dederit, vt nos ex oratione in Vatinium putamus. SINE DOCTRINA, quippe quum ſic imperitus fuerit, vt chommoda diceret, ſi quando commoda vellet dicere, & hinſidias Arrius inſidias, & cætera, quæ ſcribit Catullus. VT, ſimilitudo. PVGILES, πύκται à Græcis dicti: à quibus etiam pugna ipſa πυγμὴ vocatur: & πυγμὴν quidem Homerus lib. Iliadis vigeſimo tertio deſcribit: πύκτας vero Pindarus ode ſeptima & decima Olympiorum laudat. OLYMPIORVM, ludorum, qui Olympia dicuntur, vt apud Pindarum videbis. SIC, ἀνταπόδοσις. ILLE, Q. Arrius. ILLIVS IVDICIALIS ANNI, credimus annum ſignificari, quo Cn. Pompeius Conſul III. duas leges ex S. C. promulgauit, alteram de vi, qua nominatim cædem in Appia via factam, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit: alteram de ambitu, pœnam grauiorem, & formam iudiciorum breuiorẽ. Vtraq. enim lex prius teſtes dari, deinde vno die atq. eodem & ab accuſatore, & ab reo perorari iubebat ita, vt duę horæ accuſatori, tres reo darentur, infra: ſed Aſconius totam rem pluribus explicat, nec Dion lib. quadrageſimo, nec Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus diſſentiunt. Quin dies illorũ iudiciorum præſtituti erant, vt lib. decimo tertio ad Atticum legimus. Tunc igitur maxime optimorum oratorum vt Cic. & Hortenſii exercitatio perſpecta eſt, infra: qui vero non erant exercitati, vt Q. Arrius, illam iudiciorum ſeueritatem, & laborem ferre non poterant. NON TVLIT, ſed dicendi ſtudium reliquit. & Arrium quidem quamuis familiarem, & amicum in orationibus in Vatinium, & pro Milone vocet, eum tamen hic non laudat ob id fortaſſe, quòd olim ab eo ſit proditus, vt libro primo ad Q. fratrem epiſtola tertia ſcribit.

Tum Atticus, Tu quidem de fece, inquit, hauris, ídque iandudum, ſed tacebam; hoc vero non putabam, te vſque ad Stalenos & Antronios eſſe venturum. Non puto, inquam, exiſtimare te ambitione me labi, quippe de mortuis: ſed ordinem ſequens,

ſequens, in memoriam notam & æqualem neceſſario incurro. volo autem hoc perſpici; omnibus conquiſitis, qui in multitudine dicere auſi ſint, memoria quidem dignos perpaucos, verum, qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuiſſe. ſed ad ſermonem inſtitutum reuertamur. T. Torquatus T. filius, & doctus vir ex Rhodia diſciplina Molonis, & à natura ad dicendum ſatis ſolutus atque expeditus, cui ſi vita ſuppeditauiſſet, ſublato ambitu Conſul factus eſſet; plus facultatis habuit ad dicendum, quàm voluntatis: itaque ſtudio huic non ſatisfecit: officio vero nec in ſuorum neceſſariorum cauſis, nec in ſententia ſenatoria defuit. Etiam M. Pontidius municeps noſter multas priuatas cauſas actitauit, celeriter ſanè verba voluens, nec hebes in cauſis, vel dicam plus etiam quàm non hebes, ſed efferueſcens in dicendo ſtomacho ſæpe, iracundiaque vehementius; vt non cum aduerſario ſolùm, ſed etiam, quod mirabile eſſet, cum iudice ipſo, cuius delinitor eſſe debet orator, iurgio ſæpe contenderet. M. Meſſala minor natu, quàm nos, nullo modo inops, ſed non nimis ornatus genere verborum, prudens, acutus, minime incautus, patronus in cauſis cognoſcendis, componendiſque diligens, magni laboris, multæ operæ, multarumque cauſarum. Duo etiam Metelli, Celer & Nepos, nihil in cauſis verſati, nec ſine ingenio, nec indocti, hoc erant populare dicendi genus aſſecuti.

DE FECE, de fece haurire prouerbium. HAVRIS, iſtos oratores. STALENOS, ET ANTRONIOS, homines prorſus indignos, de quibus diceres. QVIPPE DE MORTVIS, loquentem. αἰὐλογία, quare non poſsit videri labi ambitione, quòd de mortuis loquatur, à quibus nihil poſſit ſperare: quòd ſi de viuis loqueretur, dici poſſet, ambitione labi, quòd ab illis aliquid ſperaret. NOTAM, mihi præſertim. AEQVALEM, nobis, vel potius temporibus, de quibus loquor. INCVRRO, ſic, vt penè neceſſe ſit aliquid dicere. MEMORIA QVIDEM DIGNOS PERPAVCOS, dicere potuiſſe paucos, ſupra, & infra poſt M. Seruilium, & vbi dubitat, ſe εἴρωνα non eſſe appellandum. REVERTAMVR, ab iſtis vocalibus oratoribus. T. TORQVATVS T. FILIVS, alii quærent hiſtoriam. EX RHODIA DISCIPLINA MOLONIS, ex diſciplina, qua Molo Rhodi vtebatur: ad quem Cicero quoque ſe applicauit, infra. SVBLATO AMBITV, ſi ſublatus ambitus fuiſſet: vel quum legibus Calphurnia, & Tullia ſublatus ambitus fuiſſet, vt in oratione pro Muræna dicitur. DICENDVM, aliter diſcendum. STVDIO HVIC, dicendi. M. PONTIDIVS, aliter M. Potidius. MVNICEPS NOSTER, Arpinàs: ESSE DEBET, nam Rhetores iubent exordiri ita, vt eum, qui audiat, beneuolum nobis faciamus, libro ſecundo de Oratore: quod qui ſecus facit, quàm ſtulte faciat, Quintilianus lib. quarto capite primo docet. M. MESSALA, M. Valerius Meſſala, quem Cicero Conſul conſtituit cum aliis, qui omnia indicum dicta perſcriberent, quum tunc ille Præturam peteret, vt in oratione pro P. Sylla teſtatur. Hic

poſtea cum M. Piſone an. ab V.C. ſexcenteſimo nonageſimo tertio Conſul fuit, & quidem egregius, fortis, conſtans, diligens, Ciceronis laudator, amator, imitator, vt libro primo ad Atticum deſcribitur: quo quidem anno Pompeius ad III. vel ad II. Cal. Octob. vt ex Plinio ſupra retulimus, de Mithridate triumphauit. Ipſe Conſul domum emit Antonianum, vt libro primo ad Atticum ſcribitur. Hunc Cicero in oratione de Reſponſis inter Pontifices numerat. De M. Meſſala, qui ſeptem poſt annis cum Cn. Domitio Conſul fuit, quum magno ambitu, vt libro quarto ad Atticum ſcribitur, petiiſſet: & de M. item Meſſala, qui fulgentiſsimus iuuenis à Paterculo vocatur, quique Brutum poſt Cæſaris mortem ſecutus eſt, alibi fortaſſe dicetur. MINOR NATV, quum me Conſule Præturam petierit. hoc ex oratione pro P. Sylla retulimus, quamuis inter vtriuſque Conſulatus annus tantùm interponatur. In oratione certe pro Roſcio Amerino demonſtrat illum ſeipſo multo etiam minorem natu fuiſſe, quum ait: fori, iudiciíque rationem Meſſala, vt videtis, iudices ſuſcepit: qui ſi iam ſatis ætatis, atque roboris haberet, ipſe pro Sex. Roſcio diceret: quoniam ad dicendum impedimento eſt ætas, & pudor, qui ornat ætatem, cauſam mihi tradidit, quem ſua cauſa cupere, ac debere intelligebat. DVO, & quidem fratres, epiſtola prima, & ſecunda libri quinti Familiarium: ſed dubitatur, fratréſne germani, an patrueles fuerint, quum eodem prænomine vteretur vterque, quod raro, vt in Appiis infra, fieri ſolebat. Facit etiam Aſconius, vt magis dubitemus, quum ſcribit, hunc Metellum Nepotem à patre rogatum, vt Curionem accuſaret. Nam ſi pater erat idem vtriuſque, cur Nepotem minorem natu potius, quàm Celerem, vt ex Conſulatu apparet, maiorem rogaret, præſertim quum alterum neuter in dicendo ſuperaret, vt hic cognoſcitur? Dicuntur etiam ſæpe P. Clodii fratres patrueles, vt Celer in oratione pro Cælio: quonam modo Celer furenti fratri ſuo patrueli Conſularis reſtitiſſet, qui Conſul incipientem furere, atque conantem ſua ſe manu interfecturum, audiente ſenatu, dixerit? & in oratione de Reſponſis: frater Conſul, ne fieret, obſtiterat: quod epiſtola prima libri ſecundi ad Atticum his verbis ſignificauit: præclare Metellus impedit, & impediet: quod etiam Dion libro trigeſimo ſeptimo ſcripſit. Nepos vero frater eiuſdem Clodii dicitur in orationibus Poſt reditum in ſenatu, & pro Domo: epiſtola tertia libri quinti Familiarium, & epiſtola tertia libri quarti ad Atticum Et P. quidem Clodii fratres patrueles, vt nonnulli putant, dicuntur, quòd Cæcilia Clodii mater illorum patris, vel patrum ſoror fuerit: quos tamen amitinos Nonius appellaſſet. METELLI, Cæcilii Metelli, ſupra. CELER, Q. Cæcilius Metellus Q. F. Celer, epiſtola prima libri quinti Familiarium: & fortaſſe filius illius Q. Cæcilii Metelli Celeris, quem infra nominat. Hic igitur, de quo loquimur, Cicerone Conſule Prætor fuit, quicum Ciceroni ita diſpertitum fuit in Reipub. ſalute retinenda officium, vt Cicero vrbem à domeſticis inſidiis, & ab inteſtino ſcelere, Metellus Italiam & ab armatis hoſtibus, & ab occulta coniuratione defenderet, epiſtola ſecunda libri quinti Familiarium. Nam Cicero illum in agrum Gallicum, Picenúmque præmiſit, vt in oratione ſecunda in Catilinam, & apud Salluſtium leges. Et ſanè Cicero videtur Metello huic multum tribuiſſe, & credidiſſe, vel quòd illum virum bonum eſſe cognorat, vel quòd ab eo Catilinam repudiatum viderat, vt in oratione prima in Catilinam refert, quamuis Dion libro trigeſimo ſeptimo ſcribat ipſum πρὸς τῷ Κατιλίνᾳ τὴν ἀκμὴν ἑαυτὸν ποιῆσαι. Cicero igitur quum Metellum tanti faceret, & Galliam

prouin

prouinciam in concione depoſuiſſet, vt ait in oratione in Piſonem, illi tradendam curauit, epiſtola ſecunda libri quinti Familiarium. Vnde Metellus à Plinio libro ſecundo capite ſexageſimo ſeptimo Galliæ Proconſul appellatur: quod etſi poſt Conſulatum potes interpretari, & fortaſſe Plinius ita fuit interpretatus: quia tamen non ita multo poſt Conſulatum, ne dicam in Conſulatu, ante Ciceronis exilium ſublatus fuiſſe dicitur in oratione pro Cælio, non videtur poſt Conſulatum in prouinciam profectus: quamuis Conſul otium è Gallia non magnopere gauderet nunciari, quòd cuperet triumphare, vt ait libro primo ad Atticum. Ante Conſulatum certe Proconſul epiſtola prima, & ſecunda libri quinti Familiarium dicitur, quòd Galliam, quam Cicero depoſuerat, prouinciam Conſularem ſortitus eſſet, vt libro primo de Legibus L. Gellius dicitur Proconſul ex Prætura in Græciam veniſſe. Hic Metellus Conſul deſignatus, quum quidam Tribunus plebis ſuo auxilio magiſtros ludorum ludos contra S. C. facere iuſſiſſet, priuatus fieri vetuit: atque id, quod nondum poteſtate poterat, obtinuit autoritate, vt ait in oratione in Piſonem: vbi ſic legendum eſſe oſtendit Aſconius: qui Tribuni nomen inuenire non potuit: nos putamus Q. Fuſium Calenum fuiſſe: quem Tribunum plebis Metello Conſule deſignato eſſe, & in Philippicis etiam ſæpe per huiuſcemodi notas illum ſignificari videmus. Conſulatum vero quum iniiſſet cum L. Afranio Conſul bonus, egregius, & amator Ciceronis fuit, epiſtola decima ſeptima libri primi ad Articum: & ita φιλόπατρις, vt Clodio fratri reſiſteret, vt ex epiſtola prima libri ſecundi ad Atticum, & ex orationibus nonnullis retulimus: & ſi Clodii ipſius ſororem κλωδίαν μέτελλος ὁ κέλερ εἶχε, ἣν κουαδραντάρίαν ἐκάλουν, vt Plutarchus in Cicerone ſcribit, & Cicero ſæpe, vt epiſtola ſecunda libri quinti Familiarium, & epiſtola prima libri ſecundi ad Atticum teſtatur: à qua Cicero in oratione pro Cælio Metellum maritum veneno ſublatum fuiſſe demonſtrat: vnde Cælius, vt Quintilianus libro octauo capite ſexto refert, illam Clytemneſtram quadrantariam vocabat: quòd veluti Clytemneſtra ferro Agamemnonem maritum, ſic illa Metellum maritum veneno ſuſtuliſſet. Hinc Cicero in oratione pro Cælio in quadrantaria permutatione, & in verbo quadrare, vt diximus in Quæſtura, iocatur. Hunc Augurem fuiſſe & Dion libro trigeſimo ſeptimo ſcribit, & nos ex oratione in Vatinium cognouimus, & epiſtola quinta libri ſecundi ad Atticum diximus. CELER, qui primus Celer vocatus eſt, vocatus eſt ob id, quod in Romulo Plutarchus ita ſcribit: κοίντον μέτελλον, ὅτι τοῦ πατρὸς ἀποθανόντος ἀγῶνα μονομάχων ἡμέραις ὀλίγαις ἐποίησε, θαυμάζοντες τὸ τάχος τῆς παρασκευῆς, κέλερα προσηγόρευσαν. Neque Metellus hic, de quo loquimur, primus, vt multi putant, ita fuit appellatus: quando Metellus hic illius videtur filius, qui Celer infra vocatur. NEPOS, Q. Cæcilius Metellus Nepos: qui niſi Nepotis à moribus cognomen accepiſſet, Pamphili retiarii, cui ſimillimus eſſe ferebatur, habuiſſet: vt Valerius Maximus libro nono capite decimo quinto ſcribit, nec Plinius libro ſeptimo capite duodecimo diſſentit. Hic Q. Metelli filius fuit illius, qui cum T. Didio Conſul fuit, & à Curione patre poſtea fuit accuſatus. Quare moriens ille petiit ab hoc filio ſuo Metello, vt Curionem accuſatorem ſuum accuſaret, &, id facturum eſſe, iureiurando adegit. Hic igitur Metellus fecit reum Curionem: quumque interim quendam ciuem idem Metellus, ſeruum eſſe contendens, vi arripuiſſet, ac verberibus affeciſſet, Curio aſſertorem ei comparauit. Dein, quum appareret eum exitum iudicii illius futurum,

vt liber is iudicaretur, quem Metellus verberibus affectum eſſe negare non poterat: inter Metellum, & Curionem facta pactio, vt neque arbitrium de libertate vrgeret in Metellum Curio, neque Metellus perſtaret in accuſatione Curionis: eáque pactio ab vtroque firmata eſt. Cum autem Metello poſtea Cicero ſimultates geſsit. euaſit enim Metellus malus, atque improbus ciuis, vt ſcribit Aſconius. Intonuit enim primum vox pernicioſa ipſius Tribuni plebis deſignati, vt in oratione pro Muræna Cicero loquitur: deinde Tribunatum quum iniiſſet, Ciceronem adhuc quidem Conſulem, ſed Prid. Cal. Ian. magiſtratu abeuntem concionis habendæ poteſtate priuauit, vt epiſtola ſecunda libri quinti Familiarium, in oratione in Piſonem, & apud Aſconium videbis. Poſtremo quum vehementius indies in Ciceronem inueheretur, ſic Cicero iam priuatus cum eo Tribuno plebis de Repub.. diſputauit, vt ſentiret ſibi cum viro forti, & conſtanti eſſe pugnandum, quod epiſtola ſecunda libri quinti Familiarium Cicero dixit. Tunc Cicero contra illum Metellinam ſcripſit, vt oſtendit ipſe epiſtola decima libri primi, & epiſtola duodecima libri tertii ad Atticum, Quintilianus libro nono capite tertio, Gellius libro decimo octauo capite ſeptimo, & Fortunatianus libro tertio Rhetoricorum. Illum præterea ſæpe Cicero momordit, vt in oratione pro Muræna, vbi vocem eius pernicioſam vocat: vt in oratione pro P. Sylla, quum ſcribit, illum vnum videri ad lugendos coniuratos relictum: vt in oratione pro Seſtio, vbi ſic ait: aduentu P. Seſtii Tribunorum plebis nouorum, qui tum extremis diebus Conſulatus mei res eas, quas geſſeram, vexare cupiebant, reliquíque coniurationis impetus, & conatus ſunt retardati: & ibidem infra: Cato, templo à collega occupato, nobis omnibus de vita eius viri, & ciuis timentibus, ipſe animo fortiſſimo venit in templum, & clamorem hominum autoritate, impetum improborum virtute ſedauit: quam rem Plutarchus in Catone, & Dion libro trigeſimo ſeptimo pluribus verbis perſequuntur: ſed & Suetonius in Cæſare ſcribit ita: Cæſar Prætor Cæcilio Metello Tribuno plebis turbulentiſsimas leges aduerſus collegarum interceſsionem ferenti autoré, propugnatorémq. ſe pertinaciſsime præſtitit, donec ambo adminiſtratione Reipub. decreto patrum ſummouerentur. Quare Metellus, vt Plutarchus, & Dion ſcribunt, ad Pompeium Muciæ ſororis virum tunc cum Mithridate bellum gerenté confugit: quem vel abſentem ſenatus notaſſet, niſi Cato illius acerrimus aduerſarius, ne id fieret, autor fuiſſet. In his omnibus quia Cicero dicebatur illum oppugnaſſe, Metellus Celer queſtus eſt epiſtola prima libri quinti Familiarium, cui Cicero reſpondit ea, quæ ſecunda eiuſdem libri epiſtola ſcribuntur. Factus eſt ille tamen poſtea Conſul cum P. Cornelio Lentulo anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo: quæ res Ciceroni tunc exuli dubitationem attulit à principio, ne ſibi Conſul inimicus aduerſaretur, epiſtola duodecima libri tertii ad Atticum: ſed quum precibus amicorum placatus ille, mitiſsimam orationem in ſenatu habuiſſet, ea Cicero inductus, ad eum Conſulem epiſtolam quartam libri quinti Familiarium ſcripſit. Ille vero in templo Iouis Opt. Max. permotus quum ſenatus autoritate, tum P. Seruilii incredibili grauitate dicendi, abſens cum Cicero ne ſummo ſuo beneficio rediit in gratiam, vt in orationibus Poſt reditum in ſenatu, pro Seſtio, de Prouinciis Conſularibus, & in Piſonem Cicero ipſe teſtatur. Itaque poſtea de ipſius ſententia P. Lentulus de Ciceronis reditu retulit: quod in orationibus Poſt reditum ad Quirites, & in Piſonem ſcriptum videbis. Poſt Conſulatum Metellus videtur in Hiſpaniam Proconſul profectus, quum dicatur à Plutarcho in Cæſare τῆς Ἰβηρίας ἀνθύπατον,

& à Dione libro trigeſimo nono quædam geſsiſſe: vnde credi poteſt epiſtolam tertiam libri quinti Familiarium ſcripſiſſe, nec ita multo poſt deceſsiſſe, vt Cicero epiſtola ſeptima libri quarti ad Atticum ſignificat, vbi vt improbum vocat, qualem Aſconius, & Plutarchus in dictis Ciceronis oſtendunt fuiſſe. NIHIL, aliter non nihil. ASSECVTI, dichoreus.

Cn. autem Lentulus Marcellinus, nec vnquam indiſertus, & in Conſulatu pereloquens viſus eſt, non tardus ſententiis, non inops verbis, voce canora, facetus ſatis. C. Memmius L. filius, perfectus literis, ſed Græcis, faſtidioſus ſanè literarum, argutus orator, verbiſque dulcis, ſed fugiens non modo dicendi, verum etiam cogitandi laborem, tantum ſibi de facultate detraxit, quantum imminuit induſtriæ.

CN. AVTEM LENTVLVS MARCELLINVS, C. Cornelius Lentulus Marcellinus, quem nos à principio credimus Claudium Marcellum fuiſſe, ſed ab aliquo Cornelio adoptatum, Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum, non autem Cn. Cornelium Lentulum Clodianum, vt mos erat, appellatum, vt cognoſci poſſet, vtra ex familia fuiſſet, quum duæ familiæ Claudiæ eſſent: quarum quæ Marcellorum appellata eſt, plebeia: quæ Pulchrorum, patricia fuit, vt Aſconius, & Suetonius ſcribunt, & libro primo de Oratore cognoſcitur. Cicero certe libro decimo quinto Familiarium, & Verrina prima Marcellos, & Marcellinos ita coniungit, vt fuiſſe propinquos oſtendat: & Aſconius ita ſcribit: Marcellus, & Marcellinus inter ſe gentiles ſunt: quare reddidit rationem, cur iſti Siculorum patroni ſunt, ſcilicet, quia à Marcello originem ducant, qui Syracuſas cepit, nec tamen deleuit. Quum Marcellinus igitur è Claudia gente natus eſſet, recte Q. Claudia, quæ matrem Deûm ſuis manibus accepit, illius auia in oratione de Reſponſis appellatur: & rurſus quum eſſet adoptione Cornelius, bene P. Cornelius Scipio Naſica, qui Tib. Gracchum interfecit, eiuſdem proauus in eadem oratione nominatur: quamuis materno etiam ſanguine potuerit eſſe coniunctus. Hunc Cicero Verrina quarta patronum Siciliæ, & clariſsimum adoleſcentem vocat: qui videtur in oratione in Vatinium Prætor fuiſſe Cæſare, & Bibulo Conſulibus: ſed poſtea Conſul deſignatus, quum Ciceronis eſſet cupidiſsimus, de domus illius primus rogatus ſententiam dixit, vt epiſtola ſecunda libri quarti ad Atticum refert. Conſulatum vero quum iniiſſet cum L. Marcio Philippo an. ab V.C. ſexcenteſimo nonageſimo octauo, reſponſo Cn. Pompeii de petitione Conſulatus offenſus, ei cœpit aduerſari, vt Plutarchus in Pompeio, & Dion libro trigeſimo nono confirmant. Hinc Cicero libro ſecundo ad Q. fratrem ita ſcribit: Marcellinus hoc vno mihi quidem non ſatisfacit, quòd Pompeium nimis aſpere tractat. Quin P. Lentulo quamuis propinquo ſuo erat iratus ob id, vt arbitramur, quòd Pompeium, vt epiſtola prima lib. primi Familiarium legimus, ornaſſet. ob id etiam videtur Cæſarem in bello ciuili ſecutus, quod apud Oroſium lib. ſexto cap. decimo quinto cognoſces. PERELOQVENS VISVS EST, quum prius non videretur. hinc Pompeius, vt ait Plutarchus, dixit, πάντων ἀδικώτατον εἶν τὸ μαρκελλῖνον, ὃς χάριν οὐκ ἔχει. λόγιος μὲν ἐξ ἀφώνου δι' αὐτὸν, ἐμετικὸς δὲ ἐκ πεινατικοῦ γενόμενος. VOCE CANORA, vt L. Lentulus infra.

c. Caius, vt ſemper vocatur: ſed quum Lucius pater diceretur, cognoſcimus fratrem minimum vnum illo maiorem natu fuiſſe, qui patris prænomen fuerit ſecutus: quare fuit, quum penè credidimus, in oratione pro Cornelio Balbo, pro C. Memmio L. Memmium legi oportere, vt L. Memmius huius Caii frater ſignificaretur: poſtea vidimus illum C. Memmium huius patruelem eſſe potuiſſe, illius filium, quem ſupra Lucii fratrem fuiſſe demonſtrauit. Ille vero C. Memmius, quem in oratione pro Cornelio Balbo nominat, fuit Pompeii Quæſtor, & vir ſororis, qui in bello Sertoriano fuit interfectus, vt Oroſius libro quinto capite vigeſimo tertio, & Plutarchus in Sertorio ſcribunt: cuius filium putamus illum C. Memmium fuiſſe, qui L. Domitio, Ap. Claudio Conſulibus Tribunus plebis fuit, vt epiſtola prima libri tertii ad Q. fratrem legitur: qui Gabinium, Cn. Domitium, & Rabirium Poſthumum accuſauit, vt epiſtola prima, ſecunda, & tertia libri tertii ad Q. fratrem, epiſtola decima quinta libri quarti ad Atticum, & in oratione pro Rabirio videbis. MEMMIVS, C. Memmius Gemellus, epiſtola decima nona libri decimi tertii Familiarium: qui Tribunus plebis M. Lucullum accuſauit, & diu prohibuit, ne L. Lucullus triumpharet, vt Plutarchus in Lucullo, & Catone ſcribit: atque id ipſum triennio ante Ciceronis Conſulatum. Nam Cicero Conſul, vt ait libro ſecundo Academicarum quæſtionum, currum Luculli in Vrbem introduxit. Idem C. Memmius, vt libro primo ad Atticum leges, Q. Metello, & L. Afranio Conſulibus vt inimicus M. Luculli vxorem ſuis ſacris initiauit. L. Piſone, & A. Gabinio Conſulibus Prætor fuit, vt epiſtola ſecunda libri primi ad Q. fratrem cognoſcimus, & Quæſtioni præfuit, quod in oratione in Vatinium dicitur: ac de Cæſaris actis cum collega retulit, & Cæſarem adcyathum, & vinum Nicomedi ſtetiſſe obiecit cum reliquis exoletis, pleno conuiuio, accubantibus nonnullis vrbicis negotiatoribus: vt in Cæſare Suetonius ſcribit. Poſt vero Præturam Bithyniam prouinciam ſortitus eſt: quò ſecum Valerium Catullum poëtam duxit, vt ipſe Catullus ad Veranium & Fabullum ſcribens, teſtatur, quo loco Piſonis illos comites vocat. Inde reuerſus cum M. Scauro, M. Meſſala, Cn. Domitio Conſulatum petiit, & quidem Cæſaris auxilio fretus, cuius opibus, & militibus confirmabatur, & commendabatur, vt libro quarto ad Atticum, & libro tertio ad Q. fratrem videre licet. Quamuis enim Cæſarem, vt diximus, offendiſſet, Cæſar tamen, vt ait Suetonius, reconciliatus, ſuffragator illi in petitione Conſulatus eſſe voluit. Ille tamen repulſam tulit, & ambitus à Q. Curtio fuit accuſatus, epiſtola ſecunda libri tertii ad Q. fratrem: & Pompeio Conſule III. fuit condemnatus, vt Appianus libro ſecundo ſcribit: quamuis Ciceronis eſſet cliens, vt epiſtola decima nona libri decimi tertii Familiarium refert Cicero, & oſtendit illum Patris exulaſſe: quum tamen prius Athenas iuiſſet, epiſtola prima libri decimi tertii Familiarium: ac poſtea Mitylenas eſſet profectus pridie, quàm Cicero veniret Athenas, quum in Ciliciam Proconſul iret, vt epiſtola vndecima libri quinti ad Atticum leges. De quo quidem C. Memmio reſtituendo Curio epiſtola prima libri ſexti ad Atticum dicitur cogitaſſe: ſed ex epiſtola decima nona libri decimi tertii Familiarium videtur in exilio deceſsiſſe. Lucretius huic vt poëta poëtæ, & Epicureus Epicureo ſuos libros de Rerum Natura ſcripſit. nam C. Memmius poëta fuit etiam laſciuus, vt Plinius epiſtola tertia libri quinti, & Ouidius libro ſecundo de Triſtibus affirmant. cum Epicureis vero videtur aliquid habuiſſe, quum illud neſcio quid Epicuri parietinarum epiſtola prima libri decimi tertii Familiarium paraſſe dicatur. L. L. Memmii, quem ſupra cum C. Memmio vt fratrem coniunxit.

GRAECIS, hinc Athenis libenter manebat, & Patris exulauit, vt diximus. LATINARVM, aliter Literarum, male. FVGIENS, vt L. Lentulus, infra.

Hoc loco Brutus, Quàm vellem, inquit, de his etiam oratoribus, qui hodie ſunt, tibi dicere luberet; & ſi de aliis minus, de duobus tamen, quos à te ſcio laudari ſolere, Cæſare, & Marcello: audirem non minus lubenter, quàm audiui de iis, qui fuerunt. Cur tandem, inquam? an expectas quid ego iudicem de iſtis, qui tibi ſunt æque noti ac mihi? Mihi mehercule, inquit, Marcellus ſatis eſt notus, Cæſar autem parum. illum enim ſæpe audiui: hic, cum ego iudicare iam aliquid poſſem, abfuit. Quid igitur de illo iudicas, quem ſæpe audiſti? Quid cenſes, inquit, niſi id, quòd habiturus es ſimilem tui? Næ ego, inquam, ſi ita eſt, velim tibi eum placere quammaxime. Atqui & ita eſt, inquit, & vehementer placet: nec vero ſine cauſa: nam & didicit, & omiſsis cæteris ſtudiis id egit vnum, ſeſéque quotidianis commentationibus acerrime exercuit. itaque & lectis vtitur verbis, & frequentibus: & ſplendore vocis, dignitate motus fit ſpecioſum, & illuſtre, quod dicitur: omniáque ſic ſuppetunt, vt ei nullam deeſſe virtutem oratoris putem: maximéque laudandus eſt, qui hoc tempore ipſo, cum liceat, in hoc communi noſtro, & quaſi fatali malo conſoletur ſe cum conſcientia optimæ mentis, tum etiam vſurpatione & renouatione doctrinæ. vidi enim Mitylenis nuper virum, atque, vt dixi, vidi planè virum. itaque cum eum antea tui ſimilem in dicendo viderim: tum vero nunc doctiſsimo viro, tibíque, vt intellexi, amiciſsimo Cratippo inſtructum omni copia, multo videbam ſimiliorem. Hic ego, Etſi, inquam, de optimi viri, nobíſque amiciſsimi laudibus lubenter audio: tamen incurro in memoriam communium miſeriarum, quarum obliuionem quærens hunc ipſum ſermonem produxi longius. ſed de Cæſare cupio audire, quid tandem Atticus iudicet.

QVI HODIE SVNT, qui viuunt, ſupra. TIBI, qui de iis, qui viuunt, nihil vis dicere, ſupra. LVBERET, nam, ſi luberet, diceres, & ego audirem. SCIO, ego vt tuus familiaris, ſupra. LAVDARI, quòd eos laudandos iudices, & ames. nam cum vtroque Ciceroni fuit vetus amicitia, vt libro primo, quarto, & decimo quinto Familiarium videmus. CAESARE, C. Iulio Cæſare Dictatore, de quo ſuis locis, ea dicemus tantum, quæ dicenda videbuntur. MARCELLO, M. Claudio Marcello, quem Cicero in oratione prima in Catilinam Catilinæ quidem ſodalem, ſed virum tamen optimum, & fortiſsimum vocat: de cuius magiſtratibus nihil penè poſſumus affirmare, niſi illum an. ab V. C. ſeptingenteſimo tertio cum Ser. Sulpicio Rufo Conſulem fuiſſe: quo anno Cicero in Ciliciam Proconſulem ſe profectum epiſtola vigeſima prima libri quinti ad Atticum refert. hinc epi-

ſtola ſeptima libri decimi quinti Familiarium, ab eo ſe in vltimas gentes miſſum dicat. Conſul igitur M. Marcellus edicto præfatus de ſumma ſe Rep. acturum, retulit ad ſenatum, vt Cæſari ſuccederetur ante tempus: quoniam, confecto bello, pax eſſet, ac dimitti deberet victor exercitus: & ne abſentis ratio comitiis haberetur. hæc Suetonius in Cæſare, Cælius libro octauo Familiarium, Plutarchus, Appianus, Dion, & alii ſcribunt: ſed Marcello ſic prouincias Gallias finienti Pompeius, vt ait Cicero epiſtola tertia libri octaui ad Atticum, reſtitit: & ſic ſenatus frequens in alia omnia tranſiit, vt in commentario octauo de Bello Gallico legere poteris. Retulit etiam Marcellus, vt colonis, quos rogatione Vatinia Nouum Comum Cæſar deduxiſſet, ciuitas adimeretur, quòd, vt ait Suetonius, per ambitionem, & vltra præſcriptum data eſſet: quæ videtur autoritas eſſe perſcripta, epiſtola ſecunda libri quinti ad Atticum. Nec his contentus Marcellus, duas legiones Cæſari eripuit, & Pompeio tradidit, vt in commentario octauo de Bello Gallico ſcribitur. Conſularis vero ingreſſus eſt in eam orationem, non oportere ante de Repub. ad ſenatum referri, quàm delectus tota Italia habiti, & exercitus conſcripti eſſent: quo præſidio tuto, & libere ſenatus, quæ vellet, decernere auderet. Perterritus tamen Marcellus conuitiis à ſua ſententia diſceſſit, vt Cæſar libro primo de Bello ciuili ſcribit. Ob hæc ipſa Marcellus poſt bellum ciuile, in quo Pompeium ſecutus eſt, timens Cæſarem ſuum veterem inimicum, exulabat: quo tempore Cæſar eius acerbitatem accuſauit, ſed tamen repente præter ſpem dixit, ſe ſenatui roganti de Marcello, ne hominis quidem cauſa negaturum: quarè quum reliqui Cæſari gratias egiſſent, Cicero longa ſatis oratione, quæ nunc extat, idem fecit, vt ait libro quarto Familiarium, vbi ſæpe monet illum, vt domum reuertatur: quod quum ille iam facere cogitaret, & vellet, à P. Magio Chilone familiari ſuo fuit interfectus, vt libro quarto Familiarium, libro decimo tertio ad Atticum, & apud Liuium libro centeſimo decimo quinto, & apud alios etiam leges. AVDIVI, ſuprà. IIS, oratoribus. ISTIS, Cæſare, & Marcello. PARVM, notus. parum, ſatis, ἀνέκτοι. ILLVM, Marcellum. ENIM, αἰτιολογία. HIC, Cæſar. POSSEM, per ætatē. ABFVIT, in Gallia, vbi geſsit bella, quæ ſcripſit ipſe Cæſar. ILLO, Marcello. & vertit ordinem, vt ſolet. IVDICAS, tu Brute. SIMILEM TVI? hinc epiſtola ſeptima libri decimi quinti Familiarium ad ipſum Marcellum ſcribens, ait: vel me tui ſimilem eſſe audio, vel te mei: & in oratione pro ipſo Marcello, illum æmulum, atque imitatorem ſtudiorum, ac laborum ſuorum quaſi quendam ſocium, & comitem vocat. VELIM, nam ſi mei ſimilis ſit, & tibi quàm maxime placeat, penè neceſſe ſit, me etiam tibi quàm maxime placere. NAM, αἰτιολογία, quòd ſit ſimilis, & placeat. DIDICIT, Marcellus. ID EGIT VNVM, quod ad dicendi facultatem pertinet. EXERCVIT, vt tu quoq. Cicero, infra. & ſanè dici ſolet, μελέτη πάντα. LECTIS, vt libro tertio de Oratore præcipitur. VTITVR, id oſtendit etiam nunc epiſtola vndecima libri quarti Familiarium. FREQVENTIBVS, igitur copia, libro tertio de Oratore. SPLENDORE VOCIS, ſic ſupra de Pompeio. DIGNITATE MOTVS, ſupra de Pompeio. EI, Marcello. VIRTVTEM ORATORIS, vide ſupra, vbi de Catone. LAVDANDVS, Marcellus. QVVM LICEAT, ſi ponatur hic verbum, eſſe, nihil fortaſſe deſideretur, vt ſit ſenſus: Marcellus abſens ſe conſolatur, quum liceat illi eſſe in hoc communi noſtro, & quaſi fatali malo: quòd illi Cæſar conceſſerit, vt Romā venire poſſet, vt apparet epiſtola quarta libri quarti Familiarium, & in oratione pro Marcello: ille tamen ſic in ſententia perſtabat, vt Cicero

aaa 1 vereretur,

vereretur, ne ſuperbi eſſet animi, Cæſaris aſpernari liberalitatem, vt ait epiſtola nona libri quarti Familiarium. Itaque ſæpius illum in illis epiſtolis hortatus eſt, vt domum rediret. Ille vero epiſtola vndecima libri quarti Familiarium ſe id facturum pollicetur: quamuis antea ne fratris quidem conſilio, & precibus moueri potuiſſet. Alii tamen hic legunt: quantum liceat: alii, quoniam liceat: alii, quum iaceat. FATALI MALO, ſic bellum ciuile, vnde malum hoc eſt natum, in oratione pro Marcello, fatale vocat. CONSOLETVR SE, ea, quæ acciderunt, ita ferat, vt eius virtuti magis gratulari conueniat, quàm dolorem conſolari, vt ait epiſtola octaua libri quarti Familiarium. CONSCIENTIA OPTIMAE MENTIS, qua Conſulatum magnificentiſsime, atque optime geſsit, conſilium optimum Pompeio dedit, & alia fecit: quæ partim nos ſupra diximus, partim tu libro quarto Familiarium videbis. VSVRPATIONE, ET RENOVATIONE DOCTRINAE, quia diſcit nunc etiam, & ſic doctrinam vſurpat: & quæ olim didicerat, in memoriam reuocat, & ſic doctrinam renouat. His omnibus ſe Cicero quoque conſolabatur, vt ſæpe teſtatur. ENIM, αἰτιολογία. MITYLENIS, epiſtolam ſeptimam libri quarti Familiarium, & Senecæ Conſolationem ad Albinam capite nono lege. Mitylenis vero clari viri ſolebant eſſe, vt libro decimo tertio Strabo ſcribit: & tunc ibi Cratippus erat, infra. NVPER, quum ex Aſia redirem, quando Sulpicium audiui, ſupra. VIRVM, M. Marcellum. VT DIXI, paulo ante: vel in libro de Virtute, Videtur enim Cicero inculcare hoc ipſum, vt oſtendat, ſe Bruti librum de Virtute ad ſe, vt libro primo de Finibus, & Tuſculana prima refert, miſſum legiſſe: in quo Brutus ſcripſit, ſe vidiſſe Marcellum Mitylenis exulantem, & quantum modo natura hominis pateretur, beatiſsime viuentem, neque vnquam bonarum artium cupidiorem, quàm illo tempore: vt Seneca in Conſolatione ad Albinam capite nono refert. VIDI, ἐπανάληψις. PLANE VIRVM, ita, vt ab eo diſcedens, mihi viderer in exilium potius ire, quàm illum in exilio relinquere. lege Senecam. EVM, Marcellum. SIMILEM, ſupra. DOCTISSIMO VIRO, huius memoriæ Philoſophorum principe, libro tertio de Officiis: Peripateticorum omnium facile principe, qui tunc viuerent, vt ait in libro de Vniuerſitate. INTELLEXI, ex ipſo præſente, & ex libro ſecundo de Diuinatione. AMICISSIMO, & familiariſsimo, libro ſecundo de Diuinatione. CRATIPPO, Philoſopho. INSTRVCTVM, Mitylenis, vbi tunc videtur fuiſſe Cratippus, vt erat, quum inde Epheſum Ciceronem ſalutandi, & viſendi cauſa venit, quo tempore Cicero ipſe in Ciliciam proficiſcebatur, vt ait in libro de Vniuerſitate: quamuis non ita multo poſt filium Ciceronis Athenis docuerit, vt libro primo de Officiis, & libro duodecimo, ac decimo ſexto Familiarium legimus: quod & Plutarchus in Cicerone refert: vbi ſcribit ita: καίρω κρατίππῳ τῷ περιπατητικῷ διεπράξατο μὲν ῥωμαίῳ γενέσθαι παρὰ καίσαρος ἄρχοντος ἤδη. διεπράξατο δὲ τὴν ἐξ ἀρείου πάγου βουλὴν ψηφίσασθαι, καὶ δεηθῆναι μένειν αὐτὸν ἐν ἀθήναις, καὶ διαλέγεσθαι τοῖς νέοις ὡς κοσμοῦντα τὴν πόλιν. SIMILIOREM, nam tu quoque non paucis philoſopharis, Tuſculana ſecunda. OPTIMI VIRI, M. Marcelli. AVDIO, ex te Brute. INCVRRO, audiens de laudibus illius, qui propter has miſerias exulat. PRODVXI LONGIVS, nec ito nimis ad hæc tempora peruenirem. CVPIO, ego Cicero. IVDICET, quando tu Brute non potes iudicare de illo, qui tunc abfuit, quum iam aliquid poſſes iudicare, ſupra.

Et ille, Præclare, inquit, tibi conſtas, vt de iis, qui nunc ſint, nihil velis ipſe dicere. & hercle ſi ſic ageres, vt de iis egiſti, qui iam mortui ſunt, neminem vt prætermitteres; næ tu in multos, Antronios, & Stalenos incurreres. quare ſiue hanc turbam effugere voluiſti; ſiue veritus, ne quis ſe aut præteritum, aut non ſatis laudatum queri poſsit; de Cæſare tamen potuiſti dicere, præſertim cum & tuum de illius ingenio notiſsimum iudicium eſſet, nec illius de tuo obſcurum. Sed tamen Brute, inquit Atticus, de Cæſare & ipſe ita iudico, & de hoc huius generis acerrimo æſtimatore ſæpiſsime audio, illum omnium ferè oratorum Latine loqui elegantiſsime, nec id ſolum domeſtica conſuetudine, vt dudum de Læliorum & Mutiorum familiis audiebamus, ſed, quanquam id quoque credo fuiſſe, tamen vt eſſet perfecta illa bene loquendi laus, multis literis, & iis quidem reconditis & exquiſitis, ſummóque ſtudio & diligentia eſt conſecutus. quin etiam in maximis occupationibus cum ad te ipſum (inquit, in me intuens) de ratione Latine loquendi accuratiſsime ſcripſerit primóque in libro dixerit, verborum delectum originem eſſe eloquentiæ; tribueritque mi Brute huic noſtro, qui me de illo maluit quàm ſe dicere, laudem ſingularem: (nam ſcripſit his verbis. cum hunc nomine eſſet affatus: Ac ſi cogitata præclare eloqui poſſent, non nulli ſtudio & vſu elaborauerunt: cuius te penè principem copiæ, atque inuentorem, bene de nomine, ac dignitate populi Romani meritum eſſe exiſtimare debemus) hunc facilem & quotidianum nouiſſe ſermonem, nunc pro relicto eſt habendum.

TIBI CONSTAS, quum ſupra ſtatueris, neminem eorum, qui viuerent, nominare. QVI NVNC SINT, qui nunc viuant, ſupra. aliter qui nunc ſunt. NIHIL VELIS IPSE DICERE, ſed de Marcello voluiſti Brutum, & de Cæſare me vis dicere. AGERES, de his, qui nunc viuunt. NAE, ναί. ANTRONIOS, ET STALENOS, oratores tales, quales Antronius, & Stalenus fuerunt, ſupra. INCVRRERES, vt in illos ſupra incurriſti. QVARE, hic duæ cauſæ ſuperioribus adduntur. HANC TVRBAM, talium oratorum, quales Antronius, & Stalenus fuerunt. VOLVISTI, quum ſtatuiſti neminem eorum, qui viuerent, nominare. VERITVS, vt Brutus etiam arbitratur, ſupra. PRAETERITVM, & ob id tibi ſuccenſeat, ſupra. NON SATIS LAVDATVM, hoc etiam Atticus addit. TAMEN, quamuis ſtatuiſſes de aliis, qui viuerent, tacere. ILLIVS, Cæſaris. INGENIO, quod ſummum fuit, vt Plinius libro ſeptimo capite vigeſimo quinto deſcribit: Paterculus vero Cæſarem Ciceroni proximum oratorem fuiſſe ſcribit: nec ab eo Plutarchus diſſentit, qui in Cæſare ἀκμὴν, καὶ ἀκμότητα fuiſſe confirmat. NOTISSIMVM IVDICIVM ESSET, nam Cicero Cæſaris laudes, vt par eſt credere, tum extollebat coram amicis, & vbique, & ſcriptis etiam celebrabat, vt in orationibus pro Rabirio, & pro Marcello:

Marcello: &, vt refert Suetonius, ad Cornelium Nepotem de eodem ita ſcripſit: Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? quis ſententiis aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior? NEC ILLIVS, iudicium. DE TVO, ingenio: quod quantum fuerit, omnes norunt, & Plinius intellexit, ita ſcribens: M. Tullius extra omnem ingenii aleam poſitus. OBSCVRVM, nec obſcurum, λαμπρὸν, clariſsimum, notiſsimum, quum ſcripſerit, Ciceronem omnium triumphorum lauream adeptum maiorem, quanto plus eſt, ingenii Romani terminos in tantum promouiſſe, quàm imperii, vt Plinius libro ſeptimo capite trigeſimo refert. & tamen Cæſaris iudicium erat grauiſsimum, & maximum, vt in oratione pro Marcello dicitur. Hinc Cæcina quum ad Cæſaris nomen veniebat, toto corpore contremiſcebat non pœnæ metu, ſed iudicii, vt ait ipſe epiſtola ſeptima libri ſexti Familiarium. SED TAMEN, quamuis Cicero de Cæſare nolit dicere. INQVIT ATTICVS, hæc duo verba videntur omittenda, quum paulo ante dixerit: & ille, præclare, inquit: & poſtea ſemper Atticus ſit locutus: non offendunt tamen, & multo minus offendat, ſi retineatur, inquit, & omittatur Atticus, vt interpretatio inſerta. Certe paulo poſt, quum Brutus ſimiliter loquatur, inquit, etiam apponit, & infra. IPSE, ego ipſe Atticus. DE HOC, Cicerone. HVIVS GENERIS, eloquentiæ. ACERRIMO AESTIMATORE, vt optimo oratore ita, vt poſsit de oratoribus, vt in hoc dialogo fecit, iudicare. ILLVM, Cæſarem. ELEGANTISSIME, hinc Suetonius ita ſcribit: Cicero ad Brutum oratores enumerans, negat ſe videre, cui Cæſar debeat cedere: atque eum elegantem, ſplendidam quoque, ac etiam magnificam, ac generoſam quodam modo rationem dicendi tenere: quod infra Cicero dicet. DOMESTICA CONSVETVDINE, vſu domeſtico, vt ſupra de Curione dixit. DVDVM, quando Cic. ipſe de C. Curione loquebatur. LAELIORVM, propter Læliam C. Lælii filiam præſertim, ſupra. MVCIORVM, propter Mucias, ſupra. AVDIEBAMVS, à Cicerone. ID QVOQVE, domeſticam conſuetudinem. nam Aurelia Cæſaré, vt Cornelia ſuos filios educauit, vt Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus affirmat. CREDO, credebat Atticus, ſed nec ipſe certo ſciebat, tantum abeſt, vt nos ſcire poſsimus, præſertim quũ Suetonius, Plutarchus, & alii ſcriptores de pueritia Cæſaris nihil, aut parum ſcribant, præterquam quòd Cornelius Tacitus id refert, quod paulo ante diximus. EST CONSECVTVS, vt quum & ipſe Moloni operam dedit, vt Plutarchus oſtendit. IN MAXIMIS OCCVPATIONIBVS, in quibus neceſſe fuit illum verſari, qui tum Dictator erat, vt apud Plinium libro ſeptimo capite trigeſimo, & apud Gellium libro decimo nono capite octauo: quique terrarum orbem regeret. AD TE IPSVM, ad te Cicero. INQVIT, Atticus. IN ME, in me Ciceronem. DE RATIONE LATINE LOQVENDI, de analogia quidem, vt oſtendunt Quintilianus libro primo capite decimo tertio, Suetonius in Cæſare, & Gellius libro primo capite decimo, & libro decimo nono capite octauo: ſed in qua ratio latine loquendi traderetur, vt traditur: quod Varro, Quintilianus, & Gellius docent. SCRIPSERIT, neque tamen ea res eius vim fregerit, vt ait Quintilianus libro primo capite decimo tertio: & ſcripſerit, vt Varro etiam ad eundem Ciceronem ſcripſerat. PRIMOQVE IN LIBRO, ſic Gellius libro primo capite decimo: quamuis Cæſar duos tantum de analogia libros, vt ait Suetonius, ſcripſerit ita, vt in priore libro, Grammaticus aliquis fuerit dicturus. DIXERIT, & dixerit illud item, quod ad rem pertinet, & à Gellio libro primo capite decimo

refertur: tanquam ſcopulum, ſic inauditum, atque inſolens verbum fugiendum. VERBORVM DELECTVM, de quo L. Craſſus libro tertio de Oratore diſputat. ORIGINEM ESSE ELOQVENTIAE, ὑπερβολὴ, vel ἔμφασις, vt, quamuis fortaſſe non ſit prorſus origo eloquentiæ, tamen oſtenderet, quod Cicero libro tertio de Oratore ſcripſerat, in ea re omnem laudem eloquentiæ contineri. HVIC NOSTRO, Ciceroni. DE ILLO, Cæſare. MALVIT, paulo ante. NAM, αἰτιολογία. HIS VERBIS, quæ paulo poſt ſequuntur. HVNC, Ciceronem. NOMINE ESSET AFFATVS, M. Tullium Ciceronem, vel Tullium potius appellaſſet. AC, verba Cæſaris vſque ad illum locum, hunc facilem. SI, pro an, & εἰ græco poſitum videtur. TE, ô M. Tulli. PRINCIPEM COPIAE, hinc Cæſar ipſe dixit, ſe Ciceronis Catonem ſæpiſsime legendo copioſiorem factum, vt libro decimo tertio ad Atticum refertur. INVENTOREM, nam Cicero multis rebus nomina impoſuit, & ipſe ſic copioſus fuit, vt diſſereret, Latinam linguam locupletiorem etiam eſſe, quàm Græcam, vt libro primo de Finibus ait. MERITVM ESSE. quum ingenii Romani terminos in tantum promoueris, vt Plinius libro ſeptimo capite trigeſimo refert. hinc Cicero Romani nominis titulus à Seneca in ſuaſoriis appellatur. HVNC FACILEM, ET QVOTIDIANVM NOVISSE SERMONEM, NVNC PRO RELICTO EST HABENDVM, videtur hic ſenſus: quum Cæſar de ratione latine loquendi ſcripſerit, nunc dicendum non eſt, illum ſermonem hunc facilem, & quotidianum nouiſſe: quoniam apparet, eum nouiſſe. Sic epiſtola prima libri octaui ad Atticum propemodum locutus eſt: id ego in eam partem accepi, hæc oppida, atque oram maritimam illum pro derelicto habere. Quòd ſi cui durior hæc locutio videtur: nunc pro relicto eſt habendum, Cæſarem ſermonem hunc nouiſſe facilem, & quotidianum, videat ille, an ita ſit legendum: hunc facile eſt quotidianum nouiſſe ſermonem, nunc pro relicto eſt habendum: præſertim quum in aliis libris legamus: hunc facile, & quotidianum.

Tum Brutus, Amice hercule, inquit, & magnifice te laudatum puto, quem non ſolum principem atque inuentorem copiæ dixerit, quæ erat magna laus, ſed etiam bene meritum de populi Romani nomine & dignitate: quo enim vno vincebamur à victa Græcia, id aut ereptum illis eſt, aut certe nobis cum illis communicatum. hanc autem, inquit, gloriam, teſtimoniumque Cæſaris, tuæ quidem ſupplicationi non, ſed triumphis multorum antepono. Et recte quidem, inquam, Brute, modo ſit hoc Cæſaris iudicii, non beneuolentiæ teſtimonium: plus enim certe attulit huic populo dignitatis, quiſquis eſt ille, ſi modo eſt aliquis, qui non illuſtrauit modo, ſed etiam genuit in hac vrbe dicendi copiam, quàm illi, qui Ligurum caſtella expugnauerunt, ex quibus multi ſunt, vt ſcitis, triumphi. verum quidem ſi audire volumus, omiſsis illis diuinis conſiliis, quibus ſæpe conſtituta eſt Imperatorum ſapientia, ſalus ciuitatis aut belli, aut domi; multo magnus orator præſtat minutis Imperatoribus. At prodeſt plus Imperator. Quis negat? ſed tamen non me-

tuo,

tuo, ne mihi acclametis: (eſt autem, quod ſentias, dicendi liber locus) Malim mihi L. Craſsi vnam pro M. Curio dictionem, quàm caſtellanos triumphos duos. At plus interfuit Reipub. caſtellum capi Ligurum, quàm bene defendi cauſam M. Curii. Credo. ſed Athenienſium quoque plus interfuit firma tecta in domiciliis habere, quàm Mineruæ ſignum ex ebore pulcherrimum: tamen ego me Phidiam eſſe mallem, quàm vel optimum fabrum tignarium. quare, non quantum quiſque proſit, ſed quanti quiſque ſit, ponderandum eſt: præſertim cum pauci pingere egregie poſsint, aut fingere; operarii autem, aut baiuli deeſſe nō poſsint. Sed perge Pomponi de Cæſare, & redde quæ reſtant,

LAVDATVM, à Cæſare. QVEM, te. DIXERIT, Cæſar. QVO ENIM, εὐλογία, quòd Cicero ſit magnifice laudatus. VNO, doctrina, & omni literarum genere, Tuſculana prima: παιδείᾳ-τι, καὶ λόγῳ, vt in Cicerone Plutarchus ait. VINCEBAMVR, nam doctrina Græcia nos, & omni literarum genere ſuperabat: in quo erat facile vincere non repugnantes, vt ait Tuſculana prima, vbi dixit, ſuperabat, perinde ac ſi dixiſſet, non amplius ſuperat: & hic, vincebamur, non amplius vincimur: quod & libro primo de Legibus occulte verbis illis ſignificauit: putant, te hiſtoriam tractante, effici poſſe, vt in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Sic enim loquitur, quaſi in aliis nihil cederent. In ſuaſoriis refert Seneca neſcio quem dixiſſe: ſi Cicero monimenta ſui ingenii exureret, iniuriam illum facturum populo Romano, cuius linguam in ciuem extuliſſet, vt inſolentis Græciæ ſtudia tanto antecederet, & eloquentia, quanto fortuna: quamuis poëta Virgilius neſcio qua cauſa motus dixerit, orabunt alii melius cauſas. VICTA, noſtris armis. &, vincebamur à victa Græcia, ὀψίμαθον. ID, doctrina, ſiue παιδεία καὶ λόγος, vt ait Plutarchus. EREPTVM, ῥωμαίοις διὰ σοῦ προσγενόμενα, vt dixit Apollonius apud Plutarchum. ILLIS, Græcis: quamuis paulo ante dixerit Græciam: ſed Grammatici etiam defendent. HANC, quam, Græcos vincens, vel æquans in doctrina, es aſſecutus etiam Cæſaris iudicio. INQVIT, Brutus, & repetit, vt ſupra diximus, verbum inquit, quamuis Brutus ſemper loquatur. TESTIMONIVMQVE CAESARIS, paulo ante relatum. TVAE QVIDEM SVPPLICATIONI NON, SED TRIVMPHIS MVLTORVM ANTEPONO, hanc, inquit Brutus, gloriam, & hoc Cæſaris teſtimonium non antepono quidem tuæ ſupplicationi, ſed multorum triumphis antepono: quibus verbis, Ciceronis ſupplicationem multorum etiam triumphis, vt apparet, anteponit. & ſanè inter alias res præclaras, quæ vni Ciceroni contigerunt, ſupplicatio fuit, de qua ſic in oratione tertia in Catilinam ſcribit: ſupplicatio Diis immortalibus pro ſingulari eorum merito, meo nomine decreta eſt Quirites, quód mihi primum poſt Vrbem conditam togato contigit: & his decreta verbis eſt: quòd vrbem incendiis, cæde ciues, Italiam bello liberaſſem: quæ verba Philippica ſecunda vocat ampliſsima. Quæ quidem ſupplicatio ſi cum cæteris conferatur, hoc interſit, quòd cæteræ bene geſta, hæc vna conſeruata Republica conſtituta eſt, vt in oratione tertia in Catilinam ſcribit; hinc in oratione quarta item in Catilinam ſic ait:

cæteris ſemper bene geſtæ, mihi vni conſeruatæ Reipub. gratulationem decreuiſtis: & in oratione in Piſonem: mihi togato ſenatus non vt multis bene geſtæ, ſed vt nemini, conſeruatæ Reipub. ſingulari genere ſupplicationis Deorum immortalium templa patefecit. Idem propemodum in oratione pro P. Sylla, Philippica ſecunda, & decima quarta, & epiſtola quarta libri decimi quinti Familiarium ſcribit: vnde cognoſcere poſſumus, illam ſupplicationem multorum triumphis, vt hic Brutus ſignificat, anteponendam fuiſſe. aliter tuæ quidem ſupplicationi non ſolum, ſed etiam triumphis multis antepono: hoc eſt: hanc gloriam, & hoc Cæſaris teſtimonium non ſolum tuæ ſupplicationi, ſed multis etiam, vel multorum triumphis antepono: nec me mouet, ſi particula, quidem, ſuperuacanea, aut particula, ſolum, minus ſuo loco poſita videatur: quoniam memini Brutum hic loqui, qui vel à principio particulam, quidem, non rectè ſatis, vt diximus, vſurpauit, nec ſemper, vt Cicero, loquebatur: quod Cicero non ſemel expreſsit. Videamus igitur potius, an res ipſa quadret, vt profectò videtur quadrare, ſi modo ſecundam ſupplicationem interpretemur, quæ Ciceronis Proconſulis nomine ob res in Cilicia geſtas decreta fuit, de qua libro ſecundo, octauo, & decimo quinto Familiarium ſcribitur. Vnde Cicero, quod libro ſexto, & ſeptimo ad Atticum dicitur, triumphum ſperabat: quin ſenatus illi frequens flagitauit triumphum, vt ipſe epiſtola decima libri decimi ſexti Familiarium ſcribit, & Plutarchus ita: οἱ μὲν τῇ βουλῇ ψηφιζομένων αὐτῷ θρίαμβον, ἥδιον ἂν ἔφη παρακολουθῆσαι καίσαρι θριαμβεύοντι συμβάσεων γινομένων. Erit igitur hoc modo ſenſus: hanc gloriam, & Cæſaris teſtimonium non ſolum tuæ ſecundæ ſupplicationi, ſed multorũ etiam triumphis antepono. Quin idem Cæſar, vt ex Plinio retulimus, dixit, Cic. omnium triumphorum lauream adeptum maiorem. ET RECTE QVIDEM, hanc gloriam, & hoc Cæſaris teſtimonium multorum triumphis anteponis. MODO, hæc interponit, ne arroganter de ſe loqui videatur. HOC, quod mihi Cæſar dedit. NON BENEVOLENTIAE TESTIMONIVM, ſic hodie quoque arrogantiam vitamus: vt, quum ab aliquo laudamur, dicamus, illum beneuolentia, qua nos proſequatur, poſſe labi. hoc facit hic Cicero, & illud item, vt Cæſari rerum domino aſſentetur: etſi fuit inter eos re vera vetus amicitia, vt ſupra diximus: & Cæſar Ciceronem valde dilexit, vt in oratione pro Ligario, & in epiſtolis ſæpe cognoſcitur, ne Plutarchum, reliquóſque ſcriptores quaſi teſtes citem. PLVS ENIM, αὐτολογία, quare Brutus rectè hanc gloriam, & hoc Cæſaris teſtimonium multorum triumphis anteponat. HVIC POPVLO, de quo Cæſar me bene meritum eſſe dixit, ſupra. QVISQVIS ILLE EST, quum ipſe ſic loquitur, vt vitet arrogantiam. GENVIT, inuenit: vnde inuentor copiæ ſupra dictus eſt ipſe. LIGVRVM CASTELLA, vel hodie multa caſtella Ligures habent. TRIVMPHI, vt Q. Minutii, de quo Liuius libro trigeſimo tertio, vt L. Pauli, de quo Liuius libro quadrageſimo ſcribit: vt P. Cornelii Lentuli, vt Q. Fabii Maximi, vt P. Furii Phili, vt M. Claudii Marcelli, vt M. Fuluii Flacci, de quibus in lapidibus Romanis neſcio quid ſcriptum videbis. VERVM, quod verum eſt. atque hic paucis abſoluit diſputationem, quam lib. primo de Officiis pluribus explicauit. OMISSIS ILLIS DIVINIS CONSILIIS, vt nihil nunc de conſiliis loquamur, quibus oratores imperatoribus præſtant: παράλειψις. QVIBVS SAEPE CONSTITVTA EST IMPERATORVM SAPIENTIA, nam Solon potuit dicere vere à ſe adiutũ Themiſtoclẽ eſſe. Eſt enim bellum geſtum cõſilio ſenatus eius, qui à Solone erat conſtitutus, vt lib. primo de Officiis ait. & hoc modo

imperatorum ſapientia conſiliis oratorum, & doctorum hominum, qui domi manent, conſtituitur: quòd, vt ait libro primo de Officiis, parua ſint foris arma, niſi ſit conſilium domi. erit forte aliquis, qui dicet: ſalus ciuitatis conſtituta eſt imperatorum ſapientia: ſed tunc idem propemodum bis dicet, conſiliis, ſapientia: quanquam ne hoc quidem reiicimus. SALVS CIVITATIS, conſtituta eſt, vt à Cicerone conſtituta fuit. Itaque libro primo de Officiis inquit: conſiliis, diligentiáque noſtra celeriter de manibus audaciſsimorum ciuium delapſa ipſa arma ceciderunt. AVT BELLI, AVT DOMI, ἀσύνδετον, in quo ſic reſpondent verba: imperatorum ſapientia belli conſtituta eſt conſiliis oratorum ſalus ciuitatis conſtituta eſt domi conſiliis oratorum. MVLTO, hic multo præſtare, at libro primo de Oratore multum præſtare dixit. MAGNVS, magnus minutis, ἀσύνδετον: & magnus orator minutis imperatoribus, non magnus orator magnis imperatoribus præſtat: quanquam Ciceronis iudicio libro primo de Officiis etiam videtur præſtare: ſupra tamen dixit, maioris gloriæ cupiditatem Pompeium ad bellicas laudes abſtraxiſſe: quibus verbis videtur gloriam imperatoris gloriæ oratoris anteferre, vt libro primo de Oratore oratori imperatorem anteponit, ſed ita, ſi quis clarorum hominum ſcientiam rerum geſtarum vel vtilitate, vel magnitudine metiri velit, non autem, quod hic quærit, quanti quiſque ſit, ponderare. AT PRODEST PLVS IMPERATOR, & ob id, ſi quis clarorum hominum ſcientiam rerum geſtarum vel vtilitate, vel magnitudine metiri velit, anteponat oratori imperatorem, vt diximus. ACCLAMETIS, ſi dixero, quod poſt πρῶτον ſequitur. LOCVS, in quo ſumus. MALIM, ego Cicero. L. CRASSI, oratoris, ſupra. DICTIONEM, orationem, quam L. ipſe Craſſus contra Scæuolam dixit, ab adoleſcente delicato exorſus, ſupra. CASTELLANOS, qui ob caſtella capta darentur. DVOS, nedum vnum, qualem Craſſus petiit. L. enim Licinius Craſſus Conſul quoſdam in citeriore Gallia nullo illuſtri, neque certo duce, neque eo nomine, neque numero præditos, vt digni eſſent, qui hoſtes populi Romani eſſe dicerentur: quòd tamen excurſionibus, & latrociniis infeſtam prouinciam redderent, conſectatus eſt, & confecit: Romam rediit, ac triumphum ab ſenatu poſtulauit, vt libro ſecundo de Inuẽtione dicitur: in oratione vero in Piſonem ita ſcribit: L. Craſſus homo ſapientiſsimus noſtræ ciuitatis ſpiculis propè ſcrutatus eſt Alpes, vt, vbi hoſtis non erat, ibi triumphi cauſam aliquam quęreret. neq. tamen triumphauit, quòd illi collega honorem illum ademit. Vt enim Aſconius interpretatur, Q. Scæuola Pontifex quum animaduerteret, Craſſo propter ſummam eius in Rep. potentiam, ac dignitatem, ſenatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitauit Reip. magis quàm collegæ habere rationẽ, ac, ne fieret S C. interceſsit. CAPI, à L. Craſſo. DEFENDI, à L. Craſſo. CAVSAM M. CVRII, ſupra. CREDO, συγχώρησις. SED ATHENIENSIVM, ſimilitudo. PLVS INTERFVIT, plus enim vtilitatis ex tectis firmis, quàm ex ſigno Mineruæ conſecuti fuiſſent, ſi & ipſi vtilitatem ſequi voluiſſent: quanquam credimus Athenienſes etiam firma tecta habuiſſe, & Ciceronem ita loqui, vt ſimilitudine vtatur, non vt tecta non firma fuiſſe Athenis ſignificet: videri tamen poſſunt nec admodum firma, nec admodum pulchra fuiſſe, quum Athenienſes diu in agris habitauerint, vt Plutarchus in Theſeo ſcribit: & haberent καλλίονας καὶ πολυτελεστέρας τὰς οἰκήσεις, καὶ τὰς κατασκευὰς τὰς ἐπὶ τῶν ἀγρῶν, ἢ τὰς ἐντὸς τείχους, quod in Areopagitico Iſocrates affirmat. MINERVAE SIGNVM EX EBORE, ἐλεφαντίνην ἀθηνᾶς εἰκόνα, vt Suidas appellat

Mineruam ex ebore, quæ Athenis fuit, in Parthenone aſtans, vt Plinius trigeſimo quarto capite octauo refert. TAMEN, quamuis homines ex firmis tectis plus vtilitatis, quàm ex huiuſcemodi ſignis conſequantur. PHIDIAM, talem, qualis fuit Phidias, qui ſignum illud Mineruæ fecit, vt Plinius, & Suidas oſtendunt: de quo ſupra dictum eſt. FABRVM TIGNARIVM, qui tecta firma faciat, & quidem ſæpe. QVARE, quum faber tignarius nemo malit eſſe, quàm Phidias, quamuis faber tignarius plus vtilitatis afferat. γνώμη. PONDERANDVM EST, quòd ſi ponderemus, quanti quiſque ſit, magnum oratorem pluris eſſe, quàm ſint minuti imperatores: & L. Craſsi dictionem pro M. Curio pluris eſſe faciendam, quàm triumphos caſtellanos duos cognoſcemus. PAVCI, vt pauci item ſunt boni oratores, ſupra. PINGERE EGREGIE POSSINT, AVT FINGERE, vt Phidias egregie pingere potuit, & fingere, vt Plinius oſtendit: quanquam Cicero γενικῶς loquitur. OPERARII, vt fabri tignarii. PERGE, dicere, POMPONI, T. Pomponi Attice. REDDE. tanquam debita: quum iam dicere cœperis ita, vt debere videaris.

Solum quidem, inquit ille, & quaſi fundamentum oratoris vides locutionem emendatam, & Latinam; cuius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis, aut ſcientiæ, ſed quaſi bonæ conſuetudinis. mitto C. Lælium, P. Scipionem: ætatis illius iſta fuit laus, tanquam innocentiæ, ſic Latine loquendi, nec omniũ tamen: nam illorum æquales Cæcilium & Pacuuium male locutos videmus: ſed omnes tum ferè, qui nec extra vrbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domeſtica infuſcauerat, recte loquebantur. ſed hanc certe rem deteriorem vetuſtas fecit & Romæ, & in Græcia. confluxerunt enim & Athenas, & in hanc vrbem multi inquinate loquentes ex diuerſis locis: quo magis expurgandus eſt ſermo, & adhibenda quamobtruſa ratio, quæ mutari non poteſt, nec vtendum prauiſsima conſuetudinis regula. T. Flaminium, qui cum Q. Metello Conſul fuit, pueri vidimus. exiſtimabatur bene Latine, ſed literas neſciebat. Catulus erat ille quidem minime indoctus, vt à te paulo eſt ante dictum; ſed tamen ſuauitas vocis, & lenis appellatio literarum bene loquendi famam confecerat. Cotta, quia ſe valde dilatandis literis à ſimilitudine Græcæ locutionis abſtraxerat, ſonabátque contrarium Catulo, ſubagreſte quiddam, planéque ſubruſticum, alia quadam quaſi inculta & ſilueſtri via ad eandem laudem peruenerat.

SOLVM, baſim, firmamentum. ILLE, Atticus. QVASI, mollit tranſlationem duram, quum dicat oratoris fundamentum. FVNDAMENTVM ORATORIS, in elocutione enim omnis laus eloquentiæ, vt ait libro tertio de Oratore, continetur. VIDES, vel in Cæſare, quem omnium ferè oratorum latine loqui elegantiſsime ſoles dicere, ſupra. LOCVTIONEM, aliter elocutionem. EMENDATAM, ET LATINAM, nam perficiendum eſt, vt pure, & emendate loquentes, quod eſt latine, verborum

præterea

præterea & propriorum, & tranſlatorum elegantiam perſequamur, vt ait in libello de Optimo genere oratorum: ſed libro tertio de Oratore plura ſcribit. QVOS, vt Catulos, & Curionem, & alios, quos ſupra nominauit. LAVS, & quidem non mediocris, ſupra. NON FVIT RATIONIS, AVT SCIENTIAE, quum ab oratoribus pleriſque etiam negligeretur, ſupra. BONAE CONSVETVDINIS, præſertim domeſticæ, ſupra. MITTO, παράλειψις. C. LAELIVM, ſapientem, ſupra. P. SCIPIONEM, Africanum minorem, ſupra. AETATIS ILLIVS, qua Lælius, & Africanus vixerunt. ISTA, de qua loquor. INNOCENTIAE, quæ fuit illis temporibus optimis, quum hominem inuenire nequam neminem poſſes, vt ait in oratione pro Fonteio. NON TAMEN OMNIVM, fuit, ſed C. Lælii, Scipionis Africani, & multorum æqualium. NAM, αἰτιολογία quòd non fuerit omnium. ILLORVM, Lælii, & Scipionis. AEQVALES, ſic æquales, vt Pacuuius ipſo Lælio Conſule deſignato, vel iam Conſule, id eſt anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo decimo quarto fabulam docuiſſe videatur, vt ſupra diximus: multo tamen maiores natu fuerunt: ſiquidem Cæcilius olympiade centeſima quinquageſima tertia deceſsit, vt putat Euſebius: quum Scipio vixdum annum decimum octauum ageret: & Pacuuius, quum Lælio vel Conſule deſignato, vel Conſule fabulam docuit, octoginta natus erat annos, vt ſupra dixit. CAECILIVM, Statium Cæcilium poëtam comicum, vt in libello de Optimo genere vocat: de quo Crinitus, & Lilius plura ſcribunt. PACVVIVM, ſupra. MALE LOCVTOS, Cæcilium quidem ita, vt epiſtola tertia libri ſeptimi ad Atticum malus autor Latinitatis vocetur: & Pacuuium ita, vt ei nitor dicatur defuiſſe, vt ait Quintilianus libro decimo capite primo: hinc Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus Pacuuii釋 veternũ dixit: quamuis in Oratore Cicero dicat, omnes apud eum ornatos, elaboratóſque verſus fuiſſe. OMNES, etiam fœminæ, vt Lælia, ſupra. VRBEM HANC, vnde vrbanitate quadam quaſi colorata oratio naſcebatur, ſupra. vrbis enim ſuauitas fuit, quæ exibat ex ore, vt ait lib. tertio de Orat. INFVSCAVERAT, vt multos infuſcauit, quum in Vrbem eſt infuſa peregrinitas, & brachatæ, ac tranſalpinæ nationes receptæ, quod epiſtola decima quinta libri noni Familiarium ſcribit, hic ſignificat potius, quàm dicit, ne Cæſarem offendat, qui vel Gallos, vt ait Suetonius, in ſenatum legerat. HANC CERTE REM, hanc laudem latine loquendi. DETERIOREM VETVSTAS FACIT, tantum æui longinqua valet mutare vetuſtas, vt ait Poëta. CONFLVXERVNT ENIM, αἰτιολογία. ATHENAS, vbi iandiu doctrina ipſorum Athenienſium interierat, domicilium tamen in illa vrbe remanebat ſtudiorum, quibus vacabant ciues, peregrini fruebantur capti quodam modo nomine vrbis, & autoritate, vt ait libro tertio de Oratore. SERMO, Latinus. ADHIBENDA QVAM OBTRVSA RATIO, hæc locutio bis offendit, & quòd particula, quàm, ſi iungatur: & quòd dicatur, ratio obtruſa adhibenda: nam ſi iam obtruſa eſt, qui poteſt adhiberi? niſi forte ſit locutio, qualis illa poëtæ, ſummerſas obrue puppes: qua tamen in ſoluta oratione non ita libenter vtar: neque tamen placet eos ſequi, qui legunt: quantum obriſſa, quaſi dicatur ratio obriſſa, ſiue obriza, vt aurum obrizum, vel potius obryzum dicimus. ego potius ſequor librum manu ſcriptum, in quo duo illa verba, quàm obtruſa, non leguntur; ſed ita ſcribitur: adhibenda ratio: itáque videtur legendum, ne, quum Cicero præcipere velit, cum ratione loquendum latine, ipſe minus latine loqui videatur. Sic paulo poſt, Cæſar rationem adhibet. CONSVETVDINIS, quæ etſi interdum eſt artifex

ſuauitatis, ab arte tamen, & doctrina multo plus poſtulari putamus, vt ait in Oratore. T. FLAMINIVM, T. Quintium Flaminium, qui à quibuſdam Apellàs vocatur, ſupra. Q. METELLO, Q. Cæcilio Metello. CONSVL FVIT, an. ab V. C. ſexcenteſimo trigeſimo primo. PVERI VIDIMVS, Atticus, & Cicero decem annos nati illum ſeptuageſimum annum agentem videre potuerunt, ſi modo ille ſuo anno Conſul eſt factus. ſic ſupra: de T. Flaminio, quem ipſe vidi, nihil accepi, niſi latine diligenter locutum. non eſt igitur, cur aliqui hic, T. Didium, velint reponere. EXISTIMABATVR BENE LATINE, loqui, vt accepimus, ſupra. SED LITERAS NESCIEBAT, vt Curio, ſupra. CATVLVS, Q. Catulus pater, ſupra. MINIME INDOCTVS, ἄπειρος, doctus, eruditus, multæ literæ, ſupra: & ob id credimus hic patrem potius, quàm filium ſignificari: quanquam ſic loquitur, vt vtrunque complecti voluiſſe videatur. SVAVITAS VOCIS, ET LENIS APPELLATIO LITERARVM, ſonus vocis, & ſuauitas appellandarum literarum, ſupra. BENE LOQVENDI FAMAM CONFECERAT, quòd in eo incorrupta quædam Latini ſermonis integritas eſſet, ſupra. COTTA, L. Aurelius Cotta Prætorius, ſupra. DILATANDIS LITERIS A SIMILITVDINE GRAECAE LOCVTIONIS ABSTRAXERAT, quum imitari deberet, & referre Græcam locutionem, in qua literæ non dilatantur, ipſe literas dilatabat ita, vt iotam literam tolleret, & e pleniſsimum diceret: cuius illa lata Sulpicius quoque eſt imitatus, vt libro tertio de Oratore ſcribitur. CONTRARIVM CATVLO, contrarium, atq. ſonabat Catulus, qui ſonabat vrbanum neſcio quid ita, vt eius ſuauitas delectaret, ſupra, & libro tertio de Oratore. nam quod de filio hac in re dicitur, de patre dici putandum eſt, vt ſupra dictum eſt. Locutio vero penè talis, qualis illa, Antiphon huic ſimilia conſcripta habuit: de qua ſupra dictum eſt. SVBAGRESTE QVIDDAM, PLANEQVE SVBRVSTICVM, hinc ſonum ipſius agreſtem libro tertio de Oratore, & ſubruſticum ſupra vocauit. ALIA QVADAM, aliter alia quidem. EANDEM LAVDEM, dicendi, ſiue latine loquendi. PERVENERAT, vt fortaſſe Atticus putabat: nam Cicero ſupra ſic dixit: L. Cotta dicendi non ita multum laude proceſſerat.

Siſenna autem quaſi emendator ſermonis vſitati cum eſſe vellet, ne à C. Ruſio quidem accuſatore deterreri potuit quo minus inuſitatis verbis vteretur. Quidnam iſtuc eſt, inquit Brutus? aut quis eſt iſte C. Ruſius? Et ille, Fuit accuſator, inquit, vetus; quo accuſante Chirtilium, Siſenna defendens dixit quædam eius ſputatilica eſſe crimina. Tum C. Ruſius, Circumuenior, inquit, iudices, niſi ſubuenitis. Siſenna quid dicas, neſcio: metuo inſidias. ſputatilica: quid eſt hoc? ſputa quid ſit ſcio, tilica neſcio. Maximi riſus: ſed ille tamen familiaris meus recte loqui putabat eſſe inuſitate loqui. Cæſar autem rationem adhibens, conſuetudinem vitioſam & corruptam pura & incorrupta conſuetudine emendat. itaque cum ad hanc elegantiam verborum Latinorum, quæ, etiam ſi orator non ſis, & ſis ingenuus ciuis Romanus, tamen neceſſaria eſt, adiungit illa oratoria ornamenta dicendi: tum videtur tanquam tabulas bene pictas col-

locare in bono lumine. hanc cum habeat præcipuam laudem in communibus, non video cui debeat cedere. ſplendidam quandam, miniméque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica, & generoſa quodam modo.

Tum Brutus, Orationes quidem eius mihi vehementer probantur: complures autem legi. atque etiam commentarios quoſdam ſcripſit rerum ſuarum: valde quidem, inquam, probandos: nudi enim ſunt, recti, & venuſti, omni ornatu orationis tanquam veſte detracta: ſed dum voluit alios habere parata, vnde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam; ineptis gratum fortaſſe fecit, qui volunt illa calamiſtris inurere; ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit: nihil enim eſt in hiſtoria pura & illuſtri breuitate dulcius.

SISENNA, L. Siſenna hiſtoricus, de quo ſupra. ESSE VELLET, & ob id aliter loqui, atque loquebantur alii: vt quum, aſſentio, vnus dicebat, quum, aſſentior, omnes ferè dicerent: vt Gellius libro ſecundo capite vigeſimo quinto ſcribit. C. RVSIO, aliter C. Ruſcio: ſed vtrouis modo legas, is ita fuit ignobilis, vt ne Brutus quidem tum ſciret, quis fuiſſet, tantum abeſt, vt nos nunc ſcire poſsimus. VTERETVR, contra præcepta: Gellium libro primo capite decimo lege. ILLE, Atticus. CHIRTILIVM, aliter C. Rutiliũ. SPVTATILICA, quaſi leuia, vt ego interpretor. CRIMINA. TVM C. RVSIVS, aliter criminatum. C. Ruſius. CIRCVNVENIOR, contra legem, ne quis iudicio circunueniatur, vt ſupra de Iſocrate diximus. Sed hic iocatur. SCIO, vt omnes ſciunt. ILLE, L. Siſenna. TAMEN, quamuis ita reprehenderetur. FAMILIARIS MEVS, Attici familiaris eſſe potuit Siſenna, quum eſſet Hortenſio propemodum æqualis: quin libro primo de Legibus ſæpe ſuſpicatus ſum ita legendum eſſe: Siſenna meus amicus, quum ibi quoque Atticus loquatur. LOQVI, latine. PVTABAT, & ob id verbis inuſitatis vtebatur, paulo ante: ſupra tamen bene latine loquens appellatur. CAESAR, de quo loquimur, quamuis digreſsi ſimus, huc vt veniremus: qui ſi foro tantum vacaſſet, non alius ex noſtris contra Ciceronem nominaretur: tanta in eo vis eſt, id acumen, ea concitatio, vt illum eodem animo dixiſſe, quo bellauit, appareat, vt Quintilianus libro decimo capite primo loquitur, vt mittam, quæ Cornelius Tacitus, Paterculus, Suetonius, Plutarchus, & alii ſcribunt. RATIONEM, quam diximus adhibendam. ADHIBENS, quum alii praua conſuetudine vtantur, vt dictum eſt. CONSVETVDINEM VITIOSAM, ET CORRVPTAM, prauiſsimam conſuetudinis regulam, paulo ante. PVRA, ET INCORRVPTA CONSVETVDINE, ἀκίβδηλον. EMENDAT, loquendo, & ſcribendo. nam de ratione latine loquendi accuratiſsime ſcripſit, ſupra. HANC, de qua iandudum loquimur. NECESSARIA EST, nam quum turpe eſt neſcire latine loqui, tum ſcire non tam boni oratoris, quàm ciuis Romani proprium videtur, ſupra. ADIVNGIT, Cæſar. ILLA ORATORIA ORNAMENTA, de quibus L. Craſſus libro tertio de Oratore diſſerit. VIDETVR, Cæſar. TANQVAM, ſimilitudo. TABVLAS BENE PICTAS, illa oratoria ornamenta. COLLOCARE, vt vel pictores, vel lauti, & ſumptuoſi homines ſolent collocare, vt melius ſpectari poſsint. IN BONO LV-

MINE, in hac communi, ſed bonorum verborum, & Latinorum elegantia. HABEAT, Cæſar. PRAECIPVAM LAVDEM, vt omnium ferè oratorum latine loquatur elegantiſsime. COMMVNIBVS, laudibus. NON VIDEO, hoc eſt, quod Suetonius in ſuum Cæſarem, ſed paulo aliter tranſtulit. apponit enim elegantem, ex ſuperioribus, vt arbitror, colligens: & rationem dicendi magnificam, & generoſam quodam modo; videtur legiſſe, quum hic non ratio dicendi, ſed forma magnifica, & generoſa dicatur: niſi forte placeat ita legere: non video, cui debeat cedere, ſplendidam quandam, miniméque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnificam, & generoſam quodam modo: quum legatur ita nũc: non video, cui debeat cedere. Splendidam quandam, miniméque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica, & generoſa quodam modo. CVI, oratori. DEBEAT, Cæſar. TENET, Cæſar. VOCE, MOTV, actione, quæ in vocis figuram, & corporis motum diuiditur libro tertio ad Herenn. FORMA, figura, genere dicendi. MAGNIFICA, ET GENEROSA, tali, quali vtuntur oratores grandiloqui, vehementes, varii, & graues, vt in Oratore deſcribit. atque hoc modo neceſſe eſt, dicas, voce magnifica, motu magnifico, forma magnifica, & item generoſa, non ſatis proprie, niſi defendas per ſeptimam σύλληψιν, vt Grammatici vocant. Quòd ſi legas, vt Suetonius videtur legiſſe, recte dicas, rationem dicendi voce, motu, & forma magnificam, ac generoſam. QVODAM MODO, cum venia loquitur, quòd, vt ſæpe magnificum dicendi genus dicere ſolet, ſic generoſum ſine venia non audet dicere. ORATIONES, vt contra Dolabellam, & pro Decio Samnite, de quibus Gellius lib. quarto capite decimo ſexto, & Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus meminerunt. EIVS, Cæſaris. COMPLVRES, orationes Cæſaris. ATQVE ETIAM, loquitur Cicero, vel Brutus potius, ſed ibi Cicero excipit: valde quidem, inquam, probandos. COMMENTARIOS, Gallici, ciuiliſque belli Pompeiani. nam Alexandrini, Africíque, & Hiſpanienſis incertus autor eſt. Alii enim Oppium putant, alii Hircium, qui etiam Gallici belli nouiſſimum, imperfectúmque librum ſuppleuerit: Suetonium lege. PROBANDOS, conſtat enim inter omnes, nihil tam operoſe ab aliis eſſe perfectum, quod non horum elegantia commentariorum ſuperetur: qui ſunt editi, ne ſcientia tantarum rerum geſtarum ſcriptoribus deeſſet: adeóque probantur omnium iudicio, vt præcepta, non præbita facultas ſcriptoribus videatur, vt ait Hircius, & Suetonius. NVDI, puri. nam Cæſar pura conſuetudine dicendi vtebatur paulo ante: & paulo poſt purã breuitatem vocat. ENIM, βραχυλογία, quare valde ſint probandi. SVNT, Cæſaris cõmentarii. atq. hæc quidem verba ſunt à Suetonio repetita. RECTI, non praui, incorrupti, quòd Cæſar incorrupta conſuetudine vtebatur, paulo ante. VENVSTI, elegantes. nam Cæſar elegantiſsime loquebatur, ſupra. atque hic Cicero videtur voluiſſe, quæ ſupra de Cæſare dixerat, in epilogum quendam ex ipſius commentariis factum conferre. OMNI ORNATV, omni fuco, omni pigmento, quo ne Craſſus quidem vtebatur, ſupra. & ſanè ſcripta interdum ornata ſunt hoc ipſo, quòd ornamenta negligant: &, vt mulieres, ideo bene olere, quia nihil oleant, videntur, vt ait Cicero epiſtola prima libri ſecundi ad Atticum. DETRACTA, detracta veſte, quia nudi ſunt: etſi videtur legendum, detracto, vt ſit, omni ornatu detracto, tanquam veſte. VOLVIT, Cæſar. ALIOS, ſcriptores, quibus tamen non tam præbita facultas, quàm præcepta videatur, vt retulimus. HABERE PARATA, habere res paratas. Sed niſi hic, & apud Suetonium ſemper ita ſcribatur, ego

libenter legam: habere paratum, vt illud libro ſecundo de Oratore, Philoſophi habent paratum, quid de quaque re dicant: quamuis paulo poſt ponat, verbum, illa, quod penè oſtendit, omnino legendum eſſe, habere parata. VNDE SVMERENT, QVI VELLENT SCRIBERE HISTORIAM, nam commentarii illi ſunt editi, ne ſcientia tantarum rerum geſtarum ſcriptoribus deeſſet, vt ait Hircius. FECIT, Cæſar. VOLVNT, alii legunt, volent: ſed, volunt, etiam apud Suetonium legimus: quòd iam tum fortaſſe eſſent, qui id ipſum tentarent. Apud Suetonium item, volunt poſt illud verbum, illa, poni videbis: quod etſi non magni referre putamus, voluimus tamen indicare. ILLA, parata, illas res, quas Cæſar breuiter, & pure ſcripſit. CALAMISTRIS INVRERE, volunt illi quidem exornare, ſed dum tentant, nec aſſequuntur, quod volunt, videntur quaſi calamiſtris inurere, vt mulieres ſæpe, dum ſe volunt exornare, capillos calamiſtris inurunt. SANOS, ita ſanos, vt intelligant, Cæſarem ſic bene ſcripſiſſe, vt ſuperari nullo modo poſsit. DETERRVIT, ipſe Cæſar. NIHIL ENIM, ἀλλολογίᾳ, quare deterruit. quia nihil eſt in hiſtoria pura, & illuſtri breuitate dulcius: & Cæſar in Commentariis pura, & illuſtri breuitate vſus eſt ita, vt in ea re ſuperari non poſsit. PVRA, ET ILLVSTRI BREVITATE, qualis in Cæſaris Commentariis cognoſcitur. breuitas vero niſi ſit illuſtris, ſit illud, breuis eſſe laboro, obſcurus fio.

Sed ad eos, ſi placet, qui vita exceſſerunt, reuertamur. C. Sicinius igitur Q. Pompeii illius, qui Cenſor fuit, ex filia nepos, Quæſtorius mortuus eſt, probabilis orator, iam vero etiam probatus ex hac inopi ad ornandum, ſed ad inueniendum expedita Hermagoræ diſciplina, ea dat rationes certas, & præcepta dicendi: quæ ſi minorem habent apparatum, (ſunt enim exilia) tamen habent ordinem, & quaſdam errare in dicendo non patientes vias. has ille tenens, & paratus ad cauſas veniens, verborum non egens, ipſa illa comparatione diſciplinaque dicendi iam in patronorum numerum peruenerat. Erat etiam vir doctus in primis C. Viſellius Varro conſobrinus meus, qui fuit cum Sicinio ætate coniunctus. is cum poſt curulem Aedilitatem iudex quæſtionis eſſet, eſt mortuus, in quo fateor vulgi iudicium à iudicio meo diſſenſiſſe. nam populo non erat ſatis vendibilis: præceps quædam, & cum idcirco obſcura, quia peracuta, tum rapida, & celeritate cæcata oratio: ſed neque verbis aptiorem cito alium dixerim, neque ſententiis crebriorem. præterea perfectus in literis; iuriſque ciuilis iam à patre Aculeone traditam tenuit diſciplinam. Reliqui ſunt, qui mortui ſint, L. Torquatus, quem tu non tam cito rhetorem dixiſſes, (etſi non deerat oratio) quam, vt Græci dicunt, πολιτικόν. erant in eo plurimæ literæ, nec eæ vulgares, ſed interiores quædam & reconditæ, diuina memoria, ſumma verborum & grauitas & elegantia: atque hæc omnia vitæ decorabat dignitas, & integritas. Me quidem

delectabat etiam Triarii in illa ætate plena literatæ ſenectutis oratio. quanta ſeueritas in vultu, quantum pondus in verbis, quàm nihil non conſideratum exibat ex ore.

SED AD EOS, ad rem reditus. PLACET, vobis, qui de Marcello, & Cæſare dici voluiſtis. QVI VITA EXCESSERVNT, qui iam mortui ſunt: quos ego tantum ſtatui nominare. C. SICINIVS, illius, quem ſupra hominem impurum vocauit, vt credere par eſt, propinquus. Q. POMPEII, qui cum Cn. Seruilio Cæpione Conſul fuit, vt ſupra diximus. ILLIVS, quoniam multi Quinti Pompeii ſunt nominati, ne quis deciperetur, hoc addidit. CENSOR FVIT, cum Q. Metello, vt ex Liuii libro quinquageſimo nono ſupra retulimus. QVAESTORIVS, Quæſtura functus. INOPI AD ORNANDVM, nam præceptis Hermagoræ ornamenta non ſatis opima dicendi traduntur, infra. AD INVENIENDVM EXPEDITA, quòd Hermagoræ præceptis, vt haſtæ velitibus amentatæ, ſic apta quædam, & parata ſingulis cauſarum generibus argumenta traduntur, infra. HERMAGORAE, qui ſatis in arte, quam edidit, videtur ex antiquis artibus ingenioſe, & diligenter electas res collocaſſe, & non nihil ipſe quoque noui protuliſſe, vt ait Cicero libro primo de Inuentione. EA, Hermagoræ diſciplina. DAT, vt libri omnes Rhetorici. QVAE SI, aliter quę etſi, recte. APPARATVM, ad ornatum præſertim pertinentem. EXILIA, præcepta. ORDINEM, vt rerum, quas habere debet orator, inuentionis, diſpoſitionis, elocutionis, memoriæ, & actionis: vt partium orationis, exordii, narrationis, diuiſionis, confutationis, confirmationis, & perorationis, ſiue concluſionis: vt aliarum rerum, quæ in libris Rhetoricis ſcribi ſolent. VIAS, præcepta communia, & contrita, vt Craſſus libro primo de Oratore vocat. HAS, vias. ILLE, C. Sicinius. ILLA IPSA COMPARATIONE, illa ipſa facultate, quam ex præceptis Hermagoræ fuerat aſſecutus. ERAT, his temporibus. DOCTVS, in literis perfectus, paulo poſt. C. VISELLIVS VARRO, in veterum monimentis hæc verba inueniuntur: C. Viſellius C. F. C. N. Varro, hoc eſt, Caius Viſellius Caii filius Caii nepos Varro: qui forte fuit filius huius Viſelli, de quo nunc loquitur Cicero: quique in Aſia Tribunus militum fuit C. Nerone Prætore, quum Verręs legatus eſſet Dolabellæ, vt Verrina tertia videre licet. Huic cum C. Iulio Cæſare magna fuit conſuetudo, vt in oratione de Prouinciis Conſularibus oſtenditur. atque niſi cognoſceretur hic ante mortuus, dicerem ipſum cum Cicerone in Ciliciam profectum fuiſſe, quum dicat Cicero epiſtola ſeptima libri tertii Familiarium, ſe Varronem App. Claudio obuiam miſiſſe: nec M. Varronem illum doctum poſſit ſignificare, qui tum Romæ fuit, vt epiſtola vndecima libri quinti ad Atticum cognoſces: nec ita multo poſt iuit legatus in Hiſpaniam vlteriorẽ, vt Cæſar libro ſecundo de Bello ciuili refert. Quin, vt hoc addamus, quum Varro ille doctus Piratico bello claſsibus præfuiſſet, vt ait ipſe libro ſecundo de Re ruſtica, & Appianus in Mithridatico, ac legatus in Hiſpania Pompeii, atque Cicerone ipſo, nedum M. Bruto ſenior eſſet, non credimus illum eſſe, quem Cicero lib. decimo tertio Familiarium vt Quæſtorem Bruto commendat. Sed ad Viſellium reuertor, quem Valerius Maximus libro octauo capite ſecundo ſcribit, graui morbo correptum, trecenta millia nummûm ab Octacilia Laterenſi, cum qua commercium libidinis habuerat, expenſa ferri ſibi paſſum fuiſſe, & ab Aquilio, quum poſtea conualuiſſet, abſolutum. CONSOBRINVS MEVS, ſic in oratione de Prouinciis Conſularibus:

laribus: vt natus ex matertera Ciceronis, quæ cum C. Aculeone fuit, libro ſecundo de Oratore. SICINIO, C. Sicinio, paulo ante. IS, C. Viſellius Varro. POST, biennio poſt, vt mos erat, vt cognoſcitur epiſtola vigeſima quinta libri decimi Familiarium. CVRVLEM AEDILITATEM, ita dixit, quòd Aedilitas erat etiam plebeia, & idem vtraque fungi poterat, vt à Liuio libro vigeſimo ſecundo C. Terentius Varro duabus Aedilitatibus plebeia, & curuli dicitur eſſe perfunctus. IVDEX QVAESTIONIS, Quæſitor, Prætor. FATEOR, quamuis ſupra dixerim, nunquam de bono oratore, aut nõ bono, doctis hominibus cum populo diſſenſionem fuiſſe. NAM, εὐλογία. NON ERAT, C. Viſellius Varro, vel eius oratio. CAECATA ORATIO, aliter citata oratio. APTIOREM, C. Viſellio Varrone. PERFECTVS IN LITERIS, doctus in primis, paulo ante: vir omnibus rebus ornatiſsimus, Verrina tertia. ACVLEONE, C. Viſellio Aculeone, libro ſecundo de Oratore: de quo L. Craſſus ita libro primo de Oratore loquitur: nónne videtis equitem Romanum hominem acutiſsimo omnium ingenio, ſed minime cæteris artibus eruditum C. Aculeonem, qui mecum vixit, ſempérque vixit, ita tenere ius ciuile, vti, quum ab hoc Scæuola diſceſſeris, nemo de iis, qui peritiſsimi ſunt, anteponatur? Pro quo Craſſus etiam dixit, vt libro ſecundo de Oratore legimus. TENVIT, vnde nos olim putauimus epiſtola decima quinta libri tertii, Aculeonem: & epiſtola vigeſima tertia eiuſdem libri tertii ad Atticum, C. Viſellium, legi oportere, quòd de priuilegiis, & legibus ibi Cicero loqueretur, quarum rerum diſciplinam C. Viſellius Varro, ſiue Aculeo ſic à patre forte dictus, tenebat: & erat Ciceronis conſobrinus ita, vt illi eſſet credendum. L. TORQVATVS, L. Manlius L. F. Torquatus, qui adoleſcentulus eripuit P. Syllæ Conſulatum, & ad patrem ſuum retulit, vt nos ſupra ex libro ſecundo de Finibus, & ex oratione pro P. Sylla retulimus: de quo quidem L. Torquato ſic in oratione pro P. Sylla ſcribit: harum omnium rerum, quas ego in Conſulatu pro ſalute omnium ſuſcepi, & geſsi, L. ille Torquatus, quum eſſet meus contubernalis in Conſulatu, quum ſignifer eſſet iuuentutis, atque in Prætura fuiſſet, autor, adiutor, particeps extitit. Item, L. Torquatus ipſe à materno genere municipalis honeſtiſsimi, ac nobiliſsimi generis, ſed tamen Aſculani: qui tum P. Syllam accuſauit, & poſtea ipſi P. Syllæ Gabinium accuſanti contradixit, vt libro tertio ad Q. fratrem videbis. RHETOREM, oratorem, vt ſupra diximus, vbi dixit ipſe, licere Rhetoribus etiam in hiſtoria mentiri: eloquentem: nam Græce ab eloquendo Rhetor, & latine eloquens dictus eſt, vt ait in Oratore. & Rhetorem videtur appellare L. Torquatum, quòd Rhetorica delectaretur: vnde libro ſecundo de Finibus ita loquitur: Rhetorice igitur, inquam, nos mauis, quàm dialectice diſputare. ΠΟΛΙΤΙΚΟΝ, ciuilem, Reipub. adminiſtrandæ peritũ, vt Cicero neminem M. Cælio πολιτικώτερον cognorat, vt ait lib. ſecundo Familiarium. Quamuis igitur huic non deeſſet oratio, curiæ tamen, quàm foro aptior videbatur. IN EO, L. Torquato. PLVRIMAE LITERAE, NEC EAE VVLGARES, SED INTERIORES QVAEDAM, ET RECONDITAE, hinc ille omni doctrina eruditus libro primo de Finibus appellatur. is libro ſecundo de Finibus dicitur Syronem, & Polydemum, ſiue Philodemum Epicureos familiares habuiſſe: vnde libro primo de Finibus Epicuri partes tuetur. DIVINA MEMORIA, hinc Cicero libro primo de Finibus ita cum illo loquitur: quid tanta tot verſuum memoria voluptatis affert? DIGNITAS, ET INTEGRITAS, aliter grauitas, & integritas: quòd forte ſic eſſet grauis, vt ſubagreſtis videretur. ab Hortenſio certe in P.

Syllæ cauſa dictus eſt ἄμουσος ἀγροδίαιτος ἀπρόσιτος, vt Gel. lib. primo cap. quinto refert. DELECTABAT ETIAM, videtur aliqua coniunctio inter Torquatos, & Triarios fuiſſe, quando Cicero hic, & libro primo de Finibus illos coniungit: quanquam hic Triarium ſeniorem, ibi Triarium iuniorem cum L. Torquato coniungit, quòd hic ſit pater, ille filius, qui C. Triarius ibi dicitur. Quare in argumento orationis pro M. Scauro apud Aſconium legere oportet: à C. Valerio Triario adoleſcente parato, præſertim quum idem Aſconius etiam poſtea C. Triarium vocet. TRIARII, C. Valerii Triarii, qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulit, vt ait Aſconius. vnde nos ſuſpicati ſumus Verrina tertia ita legendum eſſe: P. Lentulo, C. Triario Quæſtoribus vrb. Hic, vt autor eſt Aſconius, poſtea L. Luculli in Aſia, Pontóque legatus fuit: &, vt Liuius libro nonageſimo octauo ſcripſit, aduerſus Mithridatem parum proſpere pugnauit: & quidem apud Zielam, quæ nobilis clade Triarii ob id, opinor, à Plinio libro ſexto capite tertio dicitur: quam quidem cladem Plutarchus in Lucullo, & Appianus in Mithridatico pluribus deſcribunt. Is igitur poſtea quum in multis præliis fuiſſet verſatus, rei militaris peritus habebatur ita, vt Pompeius in prælio Pharſalico eius conſilium ſit ſecutus, vt Cæſar lib. tertio de Bello ciuili ſcribit. Triarios vero è gente Valeria fuiſſe oſtendat etiam Valeria, quæ Triarii ſoror epiſtola ſeptima libri octaui Familiarium vocatur. SENECTVTIS, ex hoc verbo cognoſcere poſſumus, patrem ſignificari, quum filius L. Torquato iunior libro primo de Finibus eſſe videatur. EX ORE, ex ore? cum interrogatione & ſcribendum, & legendum putamus.

Tum Brutus, Torquati & Triarii mentione commotus, (vtrunque enim eorum admodum dilexerat) Næ ego, inquit, (vt omittam cætera, quæ ſunt innumerabilia) de iſtis duobus cum cogito, doleo nihil tuam perpetuam autoritatem de pace valuiſſe: nam nec iſtos excellentes viros, nec multos alios præſtanteis ciues Reſpub. perdidiſſet. Sileamus, inquam, Brute de iſtis, ne augeamus dolorem: nam & præteritorum recordatio eſt acerba, & acerbior expectatio reliquorum. itaque omittamus lugere: & tantum, quid quiſque dicendo potuerit, quoniam id quærimus, prædicemus. Sunt etiam ex iis, qui eodem bello occiderunt, M. Bibulus; qui & ſcriptitauit accurate, cum præſertim non eſſet orator; & egit multa conſtanter. Appius Claudius ſocer tuus, collega, & familiaris meus, hic iam & ſatis ſtudioſus, & valde cum doctus, tum etiam exercitatus orator, & cum auguralis, tum omnis publici iuris, antiquitatiſque noſtræ bene peritus fuit.

CAETERA, quibus dolendum ſit. NIHIL, nihil valuiſſe, quòd incideras in hominum pugnandi cupidorum inſanias: quod epiſtola prima libri quarti, & epiſtola decima libri decimi ſexti Familiarium legimus. AVTORITATEM, hic quæri poſsit, quo pacto, ſi autoritas fuit, non valuit, niſi ipſe Philippica ſecunda hac de re loquens, ſententiam vocet, quam hic autoritatem dixit: quòd autoritas certe ab autore ducatur, & autor is ſæpe dicatur, qui dat conſilium, aut ſententiam dicit: & iccirco

hoc

hoc loco perpetuam autoritatem de pace ſuam dixit, quia ſæpe dixit, ſe pacis autorem ſemper fuiſſe, vt epiſtola tertia lib. ſeptimi Famil. & in orationibus pro Ligario, & pro Deiotaro videre licet. NAM, αἰτιολογία. ISTOS, L. Torquatum, & C. Triarium, qui iampridem deceſſerant, vt hic affirmat, & de Triario vt ſene licet exiſtimare: de L. vero Torquato idem teſtatur epiſtola decima octaua libri decimi tertii ad Atticum: quo libro quum ſæpe ſcribat de Torquato tanquam viuo poſt bellum ciuile, debemus credere, illum eſſe A. Torquatum, ad quem libro ſexto Familiarium ſcribit: de quo nihil in hoc dialogo dicat, quòd adhuc viueret, dicturus omnino, ſi mortuus fuiſſet, quum & amicus, & vir talis eſſet, qualis libro ſexto Familiarium cognoſcitur. PRAESTANTES CIVES, illos præſtantiſsimos viros, lumina Reipub. tot Conſulares, tot Prætorios, tot honeſtiſsimos ſenatores, omnem præterea florem nobilitatis, atque iuuentutis, tum optimorum ciuium exercitus, vt Philippica ſecunda queritur. SILEAMVS, quum vos eo animo ad me veneritis, vt de Repub. eſſet ſilentium, ſupra. ISTIS, L. Torquato, C. Triario, & aliis: vel iſtis rebus. NE AVGEAMVS DOLOREM, quaſi cicatricem refricantes. NAM, αἰτιολογία. EST ACERBA, atqui recordationem præteritorum malorum eſſe iucundam, etiam prouerbium docet: præterquam quòd Cicero ipſe epiſtola duodecima libri quinti Familiarium, poëta libro primo Aeneidos, Homerus libro decimo quinto Odyſſeæ, Ariſtoteles libro primo Rhetoricæ, & alii teſtantur: ſed iucunda eſt, ſi ſit item ſecura, vt ibidem Cicero loquitur: hic vero acerbior eſt expectatio, tantum abeſt, vt illa ſit ſecura. Item iucunda ſolet eſſe recordatio malorum, in quibus fortuna potiſsimum dominetur: ſed acerba eſt recordatio illorum, quibus hoc modo Reſpub. ſit vexata. ACERBIOR EXPECTATIO, Cicero, qua fuit prudentia, iam tum prouidebat, quæ poſt Cæſaris mortem ſunt conſecuta: quæ ſua fruſtra ſemper veriſsima auguria rerum futurarum Philippica ſecunda vocat: qua de re Cornelius Nepos ſic in Attico ſcribit: non ea ſolum Cicero, quæ viuo ſe acciderunt, futura prædixit, ſed etiam, quæ nunc vſu veniunt, cecinit vt vates. QVISQVE, illorum, quos Reſpub. perdidit. QVAERIMVS, vt à principio inſtituimus. EODEM BELLO, bello ciuili, quod Cæſar geſsit, & ſcripſit. M. Marcus, & ſic ab omnibus penè, præterquam à Paulo Oroſio, Eutropio, Seneca, & Appiano, qui Lucium vocant, appellatur. BIBVLVS, M. Calpurnius Bibulus à Plutarcho in Cæſare vocatur: quanquam Bibulus cognomen in gente Publicia frequentius, vt apud Liuium libro vigeſimo ſecundo, & vigeſimo ſeptimo, & apud Plutarchum in Marcello reperiatur. Is igitur Bibulus, vt Cæſar lib. tertio de Bello ciuili refert, iracundia ſumma fuit, inimicitiáſq. habuit priuatas cum Cæſare ex Aedilitate cõceptas, & Prætura. Hinc, vt ait Suetonius, optimates, quos metus ceperat, nihil non auſurum Cæſarẽ in ſummo magiſtratu cõcordi, & conſentiente collega, autores Bibulo vt inimico fuerunt numos pollicendi: ac pleriq. pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam largitionẽ è Rep. fieri: quũ eſſet & Cæſaris inimicus, & Bibuli ſocer, vt Plutarch. oſtendit. Itaq. Bibulus Conſul factus Cæſari collegæ legẽ agrariam ferenti cœpit aduerſari, & obnũciare, ſed armis foro pulſus eſt. ſiquidem aduerſarii κατέκλασαν τὰς ῥάβδους, αὐτοῦ δ' ἐπὶ κοπρίων κόφινον ἐκ κεφαλῆς τοῦ Βίβλου κατεσκέδασαν, vt ait Plutarc. in Põpeio. Ac poſtero die Bibulum in ſenatu cõqueſtum, nec quoquã reperto, qui ſuper tali cõſternatione referre, aut cẽſere auderet, qualia multa ſępe in leuioribus turbis decreta erãt, in eam Cæſar coëgit deſperationẽ, vt, quoad poteſtate abiret, domo abditus nihil aliud, quàm per edicta obnunciaret: in quibus Cæſarẽ

inter coniuratos fuiſſe dicebat, cúmque Bithynicam reginam vocabat, vt ſcribit Suetonius: quæ quidem edicta vel ob id Cicero libro ſecundo ad Atticum Archilochia vocat. & poſtea multi Cæſaris acta reſcindere conabantur, quòd eo tempore Bibulus de cœlo ſeruaſſet, vt in orationibus pro Domo, & de Prouinciis Conſularibus oſtenditur. Ita Bibulus hominum admiratione, & beneuolentia in cœlo tunc erat, & nouo quodam genere in ſummam gloriam venerat, vt libro ſecundo ad Atticum leges. Quare P. Vatinius Tribunus pleb. viatorem miſit, qui illum domo vi extraheret, vt in oratione in Vatinium cognoſces. Dum tamen Bibulus, vt ait Paterculus, vult hoc facto augere inuidiam collegæ, auxit potentiam. nam Cæſar vnus ex eo tempore omnia in Repub. & ad arbitrium adminiſtrauit, vt Suetonius ait. Bibulum Vatinius etiam voluit interficere, vt in oratione in Vatinium legimus. Bibulus tamen non minus à Pompeio, quàm ab aliis, tot iniuriis affectus, ipſum Pompeium monuit, vt, quod epiſtola vigeſima quarta libri ſecundi ad Atticum ſcribitur, inſidias caueret. Sed hiſce de rebus Plutarchus, Dion, & Appianus plura ſcribunt. Bibulus poſtea Conſularis eam ſententiam dixit, quam ſenatus eſt ſecutus, vt Pontifices de Ciceronis domo ſtatuerent, in oratione pro Domo. Is Sulpicio & Marcello Conſulibus in Syriam Proconſul eſt profectus, epiſtola tertia libri decimi quinti Familiarium: & quum intellexiſſet Ciceronem imperatorem appellatum fuiſſe, vt illi par eſſet, in Amano cœpit laureolam in muſtaceo quærere, ſed multos milites perdidit, epiſtola vigeſima libri quinti ad Atticum. hinc M. Cælius epiſtola ſexta libri octaui Familiarium ita ſcripſit: Bibulus in Amano neſcio quid cohorticularum amiſit. Deinde ſe oppido munitiſsimo, & copioſiſsimo tandiu tenuit, quandiu in prouincia Parthi fuerunt, epiſtola decima nona libri duodecimi Familiarium: ob id Cicero epiſtola octaua libri ſexti ad Atticum ita cum ſtomacho ſcripſit: ego, niſi Bibulus, qui, dum vnus hoſpes in Syria fuit, pedem porta non plus extulit, quàm domo ſua, adniteretur de triumpho, æquo animo eſſem. nunc vero αἰσχρὸν σιωπᾶν: quod item epiſtola ſecunda, & tertia libri ſeptimi ad Atticum queritur, & queritur iure, quum & inuidus Cato, & maleuolus Bibulus videretur, qualis epiſtola decima ſeptima lib. ſecundi Familiarium deſcribitur. De prouincia vero Bibulus deceſsit, quum iam Cicero in Italiam perueniſſet, epiſtola tertia libri ſeptimi ad Atticum: qui epiſtola vndecima libri noni ad Atticum veniſſe, & rediiſſe dicitur: qui paulo poſt à Pompeio toti officio maritimo propoſitus fuit: quumque multos dies à Cæſarianis terra prohibitus eſſet, morbo ex frigore, ac labore implicitus, deceſsit, vt Cæſar libro tertio de Bello ciuili, & Dion libro quadrageſimo primo teſtantur, quamuis Paulus Oroſius libro ſexto capite decimo quinto paulo aliter ſcribat. EGIT, vt contra Cæſarem, quæ diximus. CONSTANTER, hinc, M. Bibulum epiſtola prima libri decimi quinti Familiarium, & in oratione pro Domo virum fortiſsimum vocat. atque hic non prætermittam illud, quod neſcio quis ad Cæſarem ſcripſit, quoquo modo ſcriptum ſit apud Salluſtium: M. Bibuli fortitudo, atque animi vis in Conſulatum erupit: hebes lingua: magis malus, quàm callidus ingenio. Quid ille audeat, cui Conſulatus maximum imperium maximo dedecori fuit? APPIVS CLAVDIVS, Ap. Claudius Pulcher eius Appii, qui cum P. Seruilio Conſul fuit, filius, vt in oratione de Reſponſis agnoſces. Hic pauper cum duobus fratribus, & duabus ſororibus eſt relictus, vt Varro libro tertio cap. decimo ſexto de Re ruſtica teſtis eſt. Fratres fuerunt P. Clodius, & C. Claudius. & de C. Claudio Dion lib. trigeſimo nono, & Aſconius ſcribūt, cuius filii fuerunt Appii Claudii ambo, ſed alter Appius maior, alter Appius

minor, appellati, vt apud Aſconium, & Cælium lib. octano Familiarium reperies. P. Clodium eius fratrem fuiſſe cognoſces ex orationibus pro Domo, & in Piſonem, & Aſconii ſcriptis; vt alia mittam. Qui quidem Clodius videtur cauſa fuiſſe, vt Appius ipſe à Cicerone alienaretur, quum prius eſſet amicus ita, vt olim Cicero inter alios conſtituerit, qui omnia indicum dicta perſcriberet, vt in oratione pro P. Sylla demonſtratur. Sorores vero duæ, quarum altera Clodia L. Lucullo nupſit, vt autor eſt Varro libro tertio capite decimo ſexto de Re ruſtica: ob id Lucullus Appium vt vxoris fratrem ad Tigranem miſit, vt Plutarchus in Lucullo refert, vbi ſcribit etiam, illam ab eo repudiatam fuiſſe, quum Lucullus, vt in oratione pro Milone legimus, iuratus, ſe quæſtionibus habitis, dixiſſet comperiſſe, P. Clodium cum ea nefarium ſtuprum feciſſe. Altera Claudia, quam Metellus Celer habuit vxorem, vt ſupra diximus: & ita duæ ſorores, vt ait Varro, Appio Claudio, & P. Clodio fuerunt: quibus tamen Terentiam Plutarchus addit in Cicerone, & ipſe Cicero lib. primo Famil. non pluris Bonam Deam, quàm treis ſorores P. Clodium feciſſe teſtatur: quòd forte Terētia ſoror eſſet quidem, ſed vel ex matre tantum, vel certe non germana. nam ſi eodem patre nata fuiſſet Claudia diceretur. Hunc Appium Cæſar olim in ſuo exercitu præfecit, vt in oratione pro Seſtio ſcribitur his verbis: Cæſar erat ad portas cum imperio: erat in Italia eius exercitus, inque eo exercitu ipſius Tribuni plebis inimici mei fratrem præfecerat. Quin idem Cæſar Conſul videtur operam dediſſe, vt Appius Aedilis deſignaretur ita, vt Aedilitatem Piſone, & Gabinio Conſulibus gereret: quod obſcure Cicero in oratione pro Domo ſignificat: hoc ſimulachrum quidam homo nobilis non alienus ab hoc religioſo Libertatis ſacerdote ad ornatum Aedilitatis ſuæ deportauit. Sic enim interpretor: quidem homo nobilis non alienus ab hoc religioſo Libertatis ſacerdote, id eſt, Appius Claudius frater P. Clodii, qui tunc volebat eſſe veluti Libertatis ſacerdos. atque arbitror, hanc Aedilitatem epiſtola decima libri ſecundi ad Q. fratrem illis verbis ſignificari: togam ſum eius prætextā, quam erat adeptus Cęſare Conſule, magno riſu hominum cauillatus. Aediles enim toga prætexta vtebantur, vt oſtendit in oratione Poſt reditum in ſenatu, & in oratione in Vatinium, vbi Aedilitiam prætextam togam vocat. Appius tamen poſteaquam intellexit, poſſe ſe interuerſa Aedilitate Piſone Conſule Prætorem renunciari, ſi modo eadem prima litera competitorem habuiſſet aliquem, Aedilitatem duobus in locis, partim in arca, partim in hortis ſuis collocauit, vt ait Cicero in oratione pro Domo: vbi ſunt item illa verba: in eo prouidiſti, ne frater te accuſare poſſet. Curauit enim Clodius, opinor, vt Appius frater Prætor deſignaretur. Prætor certe fuit anno ſequenti Lentulo, & Metello Conſulibus, vt Dion libro trigeſimo nono ſcribit, & Cicero ipſe in orationibus pro Domo, & in Piſonem ſæpe demonſtrat: quū tamen mos eſſet, vt inter Aedilitatem, & Præturam biennium minimum intereſſet, vt epiſtola vigeſima quinta libri decimi Familiarium declaratur. atque ne tunc quidem Appius, quum illi propter Clodium fratrem propè neceſſe eſſet eas agere partes, inimicus Ciceronis fuit, vt epiſtola decima libri tertii Familiarium dicitur. Quin illo Prætore petente, id eſt, vt ego interpretor, quærente, & volente, Cicero, vt apparet in oratione pro Domo, fuit reuocatus: quamuis Prætores omnes promulgaſſent, præter illum, à quo non fuit poſtulandum, fratrem inimici, vt ait in oratione in Piſonem. Poſteà fuit Appius ὁ σαρδόνος ἡγεμὼν, vt ait Plutarchus in Cæſare: & tandem cum L. Domitio Conſul, ad quod vſque tempus videtur duraſſe, quod inter eum, & Ciceronem ſimultatis fuit. Tunc enim demum

ſunt reconciliati, vel paulo ante, vt libro primo Familiarium cognoſcimus: atque id ipſum per Cn. Pompeium, vt ad Brutum ſcripſit, quod Quintilianus libro nono capite tertio refert: vel per Graios, vt epiſtola decima libri ſecundi ad Q. fratrem ſcribit: quem reditum in gratiam illuſtrem vocat epiſtola decima libri tertii Familiarium. Se vero ab eo diligi ſtatim cœptum eſſe, vt ſimultatem depoſuerunt, Cicero ſenſit. nam & honorificus Conſul in eum fuit Appius, & ſuauis amicus, & ſtudiorum illius ſtudioſus, epiſtola decima tertia libri ſecundi Familiarium: & cum Pontino Ciceronis amico triumphare volente fuit, epiſtola decima quinta libri quarti ad Atticum, & epiſtola quarta libri tertii ad Q. fratrem. Vnde poſtea Pontinus epiſtola decima libri tertii Familiarium dicitur illi memoriam, beneuolentiámque præſtitiſſe. Quum tamen à principio prouinciam ex S.C. vt ex libro primo Familiarium conſtat, habuiſſet, ſed Ciliciam nominatim ſibi dari vellet, & Comagenum Regem commendari, vt poſtea Ciceroni Ariobarzanes epiſtola ſecunda libri decimi quinti Familiarium dicitur eſſe commendatus, Cicero de Comageno Rege rem diſcuſsit, eúmque luſit iocoſe ſatis, neque ſolum illud extorſit oppidulum, quod erat poſitum in Euphrate, & Zeugmate, quod Appius addi prouinciæ Ciliciæ cupiebat, vt poſtea [illegible] attributas Cicerone Proconſule ſcimus, ſed præterea togam eſt eius prætextam, quam erat adeptus Cæſare conſule, magno riſu hominum cauillatus, vt ex epiſtola decima libri ſecundi ad Q. fratrem retulimus: vbi iocus eſt, ſed perobſcurus: quem tamen, quia pertinet ad rem, nos conabimur explicare. Quòd nolit, inquam, renouare honores eoſdem, quo minus togam prætextam interpolet quotannis, decernendum nihil cenſeo: hoc eſt, quia non vult Appius eſſe Romæ, & eoſdem honores, & præſertim Aedilitatem, quam interuertit, renouare, & nihil damni renouandis vrbanis honoribus facere, ſed vult foris eſſe, vbi lucrari poſsit, quod Romæ facere non poſſet, vbi renouanti honores neceſſe eſſet prætextam togam magiſtratuum veſtem ſaltem renouare, & reſarcire, ſi nollet nouam parare: quod ille ne faciat, & ne quotannis prætextam togam interpolet, renouet, reſarciat, & quaſi reficiat, vult exire: quia igitur ſic auarus eſt, vt nihil vnquam velit erogare, ſed ſemper velit lucrari, nihil hac de re, vel nihil illi decernendum cenſeo. In quo quidem ioco mordet Appii ambitionem, per quam quotannis honores habuerit: mordet auaritiam, & cauillatur togam prætextam, quam ſemper eandem habuerit, ſed interpolatam: & iocatur ex ambiguo, nihil decernendum cenſeo, vt ſumus interpretati. Sed, quod ſequitur, multo difficilius eſt: vos autem homines nobiles, qui Buſrenum prætextatum non ferebatis, Comagenum feretis? nam quo loco videmus nunc ſcriptum, Buſrenũ, alii libri habent, Buſcycum, ita, vt viri docti neſciant diuinare, quo modo fuerit à Cicerone ſcriptũ: nos tamen putamus, vel Belgicum, vel Transrhenanum, vel Rutenum, ſcribi oportere, certe nomen Gallicum eſſe à loco, quò cum Cæſare ſit Appius olim profectus, vel vnde ſibi togam prætextam pararit. nam Gallicæ gentes pulchras texunt veſtes, vt lib. decimo nono cap. primo ſcribit Plinius, qui lib. itẽ octauo cap. quadrageſimo octauo Parthorum gẽtes Gallis, vt hic Cic. Comagenos Buſrenis, opponit. Hæc vero fabula de toga prætexta Appii ſic nota fuit, vt poſtea initio belli ciuilis quum Cæſar neſcio quem magiſtratum Appio polliceretur, vt ſecum eſſet, nec ille, vt inconſtans epiſtola prima libri octaui ad Atticum cognoſcitur, recuſaret, Cicero cum Cælio ſic epiſtola decima ſexta libri ſecundi Familiarium ſit iocatus: togam prætextam texi Appio puto te audiuiſſe: quo loco nunc, Oppio, non bene legunt. Illum quoque

de rebus

de rebus hiſce luſit olim Domitius in ſenatu, ipſum propterea iſſe ad Cæſarem, vt aliquem Tribunatum auferret, quod epiſtola duodecima libri ſecundi ad Q. fratrem leges. Is Conſul adhuc ſine lege ſuo ſumptu, vt dicitur epiſtola decima quinta libri quarti ad Atticum, in Ciliciam cogitabat: & ita ſine lege curiata confirmabat ſe Lentulo ſucceſſurum, quod epiſtola ſecunda libri tertii ad Q. fratrem, & epiſtola vltima ad Lentulum legitur: & ſucceſſit, vt epiſtola ſeptima libri tertii Familiarium cognoſces: ſucceſſit inquam, &, vt dicitur epiſtola prima libri ſexti ad Atticum, ἐξ ἀφαιρέσεως prouinciam curauit, ſanguinem miſit, quicquid potuit, detraxit, & poſtea Ciceroni tradidit enectam: qui tamen operam dedit, vt vulnera quàm minima Appii contumelia ſanaret, vt ait epiſtola decima ſeptima libri quinti ad Atticum: quamuis nonnulli amici Appii ridicule interpretarentur: qui Ciceronem iccirco putabant bene audire velle, vt ille male audiret: quod Appius etiam credidit, & ad Ciceronē ex itinere bis, terue ὑπομεμψιμοίρους literas, vt epiſtola prima libri ſexti ad Atticum legimus, miſit: quibus Cicero epiſtolis, quæ ſunt libro tertio Familiarium, reſpondit, & ſe purgauit: ſed dum in prouincia omnibus rebus illum ornat, ſubito factus eſt accuſatoris eius ſocer, vt ait epiſtola ſexta libri ſexti ad Atticum. Nam Dolabella reum fecit Appium, qui, ſimulatq. Dolabella acceſſit ad tribunal, introiit in vrbem, triumphíque poſtulationem abiecit, vt Cælius epiſtola ſexta libri octaui Familiarium ſcribit: ſed, vt ſcribitur epiſtola vndecima, & duodecima libri tertii Familiarium, abſolutus eſt, quum maieſtatis, & ambitus fuiſſet accuſatus: & abſolutus eſt, Hortenſio, & Bruto defendentibus, vt ſupra dictum eſt: quumque adiutus à Cælio fuiſſet, vt epiſtola ſexta libri octaui Familiarium apparet, in eum tamen poſtea fuit ingratus, vt epiſtola duodecima libri octaui Familiarium dicitur: vnde natæ ſunt inter eos inimicitiæ ita magnæ, vt Cælius in bello ciuili ſequi Pompeium noluerit, ne, quod ſcribit epiſtola decima ſeptima libri octaui Familiarium, Appium videret. Appius poſt abſolutionem Cenſor, vt Cicero epiſtola decima, & vndecima libri tertii Familiarium ſperabat, eſt factus, & quidem cum L. Piſone, vt Cæſar oſtendit libro primo de Bello ciuili: qui multos notauit, qui ad Cæſarem ſe contulerunt, vt Dion libro quadrageſimo ſcribit. Ipſe vero Appius in bello ciuili Pompeium vt ſuæ filiæ ſocerum ſecutus eſt: & quia detraxerat rebus Cæſaris, vt Plutarchus affirmat: & quia cum Dolabella, & cum Cælio Cæſarianis inimicitias recentes gerebat, epiſtola prima libri noni ad Atticum. Is à Pompeio Achaiæ quum fuiſſet præfectus, euentum grauiſſimi motus explorare, vt ait Valerius Maximus libro primo capite octauo, cupiens, Pythici oraculi fidem voluit experiri, quod Oroſius libro ſexto capite decimo quinto ſcribit: & oraculum accepit, quod Lucanus libro quinto ſic explicat: effugis ingentes, tanti diſcriminis expers, bellorum Romane minas, ſolúſque quietem Euboici vaſta lateris conualle tenebis. & ſanè ibi ante Pharſalicum certamen morbo conſumptus, prædictum à Deo locum pro ſepultura poſſedit, vt Valerius Maximus libro primo capite octauo ſcribit. ob id fortaſſe Cicero poſtea Tuſculana prima ſcripſit Appium νεκρομαντεῖα feciſſe, & libro primo de Diuinatione, ſortilegis, & ψυχομαντεῖα vti ſolitum fuiſſe. SOCER TVVS, epiſtola quarta libri tertii Familiarium: quamuis poſtea Brutus Porciam filiam Catonis vxorem duxerit, vt Valerius Maximus libro quarto capite ſexto, & Plutarchus in Bruto ſcribunt. COLLEGA, in Auguratu, vt epiſtola quarta, & decima lib. tertii Familiarium, & libro ſecundo de Diuinatione ſcriptum videbis. FAMILIARIS MEVS, quamuis epiſtola prima libri tertii Familiarium intermiſſa

aliquando conſuetudo dicatur, vt oſtendimus: amicum ſuum libro primo de Diuinatione, & Tuſculana prima vocat. DOCTVS, hinc epiſtola ſeptima libri tertii Familiarium, hominem ſumma prudentia, multa doctrina, & plurimo rerum vſu: & in oratione pro Scauro humanitate, & ſapientia præditum vocauit. AVGVRALIS, auguralis iuris, de quo ſcripſit ad Ciceronem, vt epiſtola quarta, & nona libri tertii Familiarium dicitur, quanquam inter eum, & C. Marcellum magna fuit diſſenſio, quod libro ſecundo de Diuinatione, & libro ſecundo de Legibus oſtendit. PVBLICI IVRIS, ſupra. ANTIQVITATISQVE NOSTRAE BENE PERITVS FVIT, vt eſſe debet orator, quod ſupra ſæpe retulimus.

L. Domitius nulla ille quidem arte, ſed Latine tamen, & multa cum libertate dicebat. Duo præterea Lentuli conſulares; quorum Publius ille noſtrarum iniuriarum vltor, auctor ſalutis, quidquid habuit, quantumcunque fuit, illud totum habuit è diſciplina. inſtrumenta naturæ deerant: ſed tantus animi ſplendor, & tanta magnitudo, vt ſibi omnia, quæ clarorum virorum eſſent, non dubitaret aſciſcere, eáque omni dignitate obtineret. L. autem Lentulus ſatis erat fortis orator, ſi modo orator, ſed cogitandi non ferebat laborem: vox canora, verba non horrida ſanè, vt plena eſſet animi, & terroris oratio. quæreres in iudiciis fortaſſe melius: in Repub. quod erat, eſſe iudicares ſatis. Ne Titus quidem Poſthumius contemnendus in dicendo, de Repub. vero non minus vehemens orator, quàm bellator fuit, effrenatus, & acer nimis, ſed bene iuris publici leges atque inſtituta cognouerat.

L. DOMITIVS, L. Domitius Aenobarbus, qui filius fuit Cn. Domitii, quem ſupra diximus cum L. Craſſo Cenſorem fuiſſe: vt epiſtola octaua libri octaui Familiarium, & ex Suetonii Nerone cognoſces. Hunc adoleſcentem clariſsimum, ac principem iuuentutis Verrina tertia vocat: vbi ſcribit, in eo tantum pudorem fuiſſe, vt Chelidonem meretricem ab ſe nominari vix ſibi honeſtum eſſe arbitraretur. Quum princeps igitur eſſet iuuentutis, in eo poſtea maxime Ciceronis ambitio nitebatur, quum peteret Conſulatum, vt ait epiſtola prima libri primi ad Atticum. Dedit vero, quàm contemneret populares inſanias, iam ab adoleſcentia documenta maxima, vt ait Cicero in oratione pro Milone, quo loco ſic Aſconius interpretatur: conſtantiam L. Domitii, quam in Prætura præſtitit, ſignificat. nam eo tempore quum Cn. Manlius Tribunus plebis ſubnixus libertinorum, & ſeruorum manu, perditiſsimam legem ferret, vt libertinis in omnibus tribubus ſuffragium eſſet, idque per tumultum ageret, & cliuum capitolinum obſideret, diſcuſſerat, perruperátque cœtum Domitius ita, vt multi Manlianorum interficerentur: quo facto & plebem infimam offenderat, & ſenatus magnam gratiam inierat. Quæ verba ſi legantur ita, vt ſunt ſcripta, Aſconius à Cicerone, & à ſe ipſo videatur diſſentire, & rem ipſam ignorare, quæ ſic habeat: C. Manilius Tribunus plebis, quo anno Cicero Prætor fuit, duas leges tulit, alteram de bello Mithridatico Cn. Pompeio extra ordinem mandando, quam Cicero ſuaſit: alteram pernicioſam de libertinorum ſuffragiis, vt ex

vt ex verbis & Ciceronis, & ipſius Aſconii in oratione pro Cornelio cognoſces. Tunc igitur, vt apparet, L. Domitius geſsit, quod ſcribit Aſconius: ſed quo pacto in Prætura, quum ipſe Piſone, & Gabinio Conſulibus annis ſeptem minimum poſt Prætor fuerit? Legendum dicet aliquis, in Aſconio, vt in aliis libris legitur, Cn. Domitii: quaſi vero Aſconius non interpretetur verba Ciceronis, in quibus ille certe de L. Domitio loquatur. & Cn. Domitius multo ſerius etiam Philippo, & Lentulo Conſulibus Prætor fuit, vt epiſtola tertia libri ſecundi ad Q. fratrem videmus. Relinquitur igitur, vt vel Prætura tollatur, vel dicatur, in Prætura Ciceronis: & C. Manilius apud Aſconium legatur. Accedit, quod Plinius ita libro octauo capite trigeſimo ſexto ſcribit: annalibus notatum eſt, M. Piſone, M. Meſſala Conſulibus ad XIIII. Cal. Octob. Domitium Aenobarbum Aedilem Curulem vrſos Numidicos centum, & totidem venatores Aethiopas in Circo dediſſe. De L. Domitio ſic in oratione in Vatinium ſcribit: L. Domitium, cuius dignitas, & ſplendor perſtringebat, credo, oculos Vatinii: quem tu propter commune odium in bonos oderas, in poſterum propter omnium ſpem, quæ de illo eſt, atque erat, ante aliquanto timebas: cuius etiam rei epiſtola vigeſima quarta libri ſecundi ad Atticum meminit. L. igitur Domitius anno ſequenti poſt Vatinii Tribunatum, & Cæſaris Conſulatum, Piſone, & Gabinio Conſulibus Prætor fuit, quod oſtenditur epiſtola ſecunda libri primi ad Q. fratrem: quo tempore Cæſarem abeuntem Conſulatu, quem aduerſus auſpicia, legéſque geſsiſſe exiſtimabatur, ad diſquiſitionem ſenatus vocauit, vt Suetonius in Cæſare, & Nerone teſtatur. Poſt Præturam quum ſuo anno Conſulatum peteret, repulſam tulit, quòd Pompeium, & Craſſum, qui tum ſecundum Conſulatum petebant, competitores habuit: quibus ille quidem fortiter reſtitit, præſertim M. Catone, cuius ſororem Porciam habuit vxorem, hortante, ſed parum abfuit, quin, prius interfecto ſeruo, ipſe quoque interficeretur. Quare domum quum ſe recepiſſet, Pompeius, & Craſſus Conſules iterum ſunt creati: quod Plutarchus in Pompeio, & Catone, Appianus libro ſecundo, & Dion libro trigeſimo nono referunt: hinc Cicero epiſtola octaua libri quarti ad Atticum ſcribit, certe ſignificat, & ſe olim, & Domitium tunc ab iiſdem oppugnatos fuiſſe. Anno tamen ſequenti cum Appio Claudio, vel inuito Pompeio, Conſul factus, vt Pompeio gratiam referret, Gabinium, quem ille defendebat, oppugnauit, vt Dion libro trigeſimo nono ſcribit, quod & Cicero epiſtola vndecima libri ſecundi ad Q. fratrem ſignificat. Sed ipſe tunc, & collega male audiuerunt, quaſi pactionem cum candidatis conſularibus feciſſent, vt prouincias haberent, vt Cicero epiſtola decima ſeptima libri quarti ad Atticum ſcribit: ſi modo Ciceroni credendum eſt, qui Appium non admodum diligebat, vt ex his, quæ diximus, apparet: & cum L. Domitio iampridem ſimultatis aliquid habuiſſe videtur ita, vt eum ſæpe mordeat, vt epiſtola octaua libri quarti ad Atticum, quum ſcribit, ei merito accidiſſe, vt oppugnaretur: vt epiſtola duodecima libri ſecundi ad Q. fratrem, quum ait: Domitius ſe derideri putaſſet, ſi eſſet à me rogatus. hoc eſt enim eius quotidianum, ſe ne Tribunum militum quidem facere poſſe. Ob id ille fortaſſe poſtea de Ciceronis ſupplicationibus inique tranſigi volebat, quod epiſtola vndecima libri octaui Familiarium Cælius affirmat. Illum certe epiſtola prima libri ſeptimi, & octaui ad Atticum ſtultum vocat, nec aliter eum deſcribit Cælius libro octauo Familiarium, vbi teſtatur, eum ſibi inimiciſsimum fuiſſe, atque eò magis, quòd per iniuriam ſibi putabat Auguratum ereptum, cuius rei Cælius autor fuiſſet. Eum tamen in iudicio Milonis, quum Pom-

peius vt Conſularem quæſtioni præeſſe voluiſſet, Cicero cauſæ ſeruiens, in ipſa oratione laudauit. In principio belli ciuilis illi Gallia prouincia, vt ſcribit Cæſar obuenit, & quidem vlterior, vt epiſtola vndecima libri decimi ſexti Familiarium cognoſcimus. Itaque Corfinium quum veniſſet, non ita multo poſt à Cæſare, vt Cæſar ait, obſeſſus, & à Pompeio, quod Cicero libro octauo ad Atticum ſæpe queritur, deſertus, in deſperatione rerum mortem timore appetitam ita expauit, vt hauſtum venenum pœnitentia euomuerit, medicúmque manumiſerit, quòd ſibi prudens, ac ſciens minus noxium temperaſſet. quod Suetonius in Nerone, & Plinius libro ſeptimo capite quinquageſimo tertio ſcribunt. In ea obſidione militibus in concione agros ex ſuis poſſeſsionibus pollicitus eſt, vt affirmat Cæſar libro primo de Bello ciuili, & Dion libro quadrageſimo primo, vbi ſcribit eum admodum diuitem fuiſſe: quòd Syllanis temporibus ſibi diuitias ingentes comparaſſet: quod, vereor, ne ſit falſum, quum Domitius illis temporibus admodum adoleſcens, & penè puer eſſet ita, vt vix rem familiarem curare poſſet: niſi forte pater eo modo diuitias filio comparauit. Ille Corfinii, quum de fuga cogitaret, à Cæſare captus eſt, vt ait Suetonius in Nerone, vel potius à militibus Cæſari traditus, vt Cæſar ipſe ſcribit: quamuis Cicero audiſſet, vt ait epiſtola octaua libri octaui ad Atticum, eum ſe Cæſari tradidiſſe. Eum Cæſar dimiſit incolumem, eíque aurum reddidit, vt ipſe Cæſar, & Appianus ſcribunt: etſi Lepidus, vt apparet epiſtola vigeſima ſecunda libri octaui ad Atticum, Ciceroni dixit, pecuniam Domitio ſatis grandem non eſſe redditam. Dimiſſus vero videtur epiſtola vigeſima ſecunda libri octaui ad Atticum ſe multos dies occultaſſe, donec ad Maſſilienſes venit, quos obſidione laborantes quum aduentu ſuo confirmaſſet, repente deſtituit, vt ait Suetonius in Nerone: quanquam non deſtituit, ſed, vt Cæſar libro ſecundo de Bello ciuili ſcribit, quum illi ſeſe dedere ſine fraude conſtituiſſent, eorum voluntate cognita, nauibus tribus comparatis, nactus turbidam tempeſtatem profectus eſt: & quum ad Pompeium perueniſſet, αὐτὸν ἀεὶ, vt in Pompeio Plutarchus ait, ἀγαμέμνονα καλῶν, καὶ βασιλέα βασιλέων, ἐπίφθονον ἐποίει: qui demum acie Pharſalica occubuit, vt Suetonius in Nerone refert. nam in illo prælio illi numine pugnax aduerſo dextri frons tradita Martis, vt libro ſeptimo Lucanus ait: quamuis aliter dicat Appianus: ſed ex caſtris paulo poſt in montem refugiens, quũ vires eum laſsitudine defeciſſent, ab equitibus eſt interfectus, vt Cæſar libro tertio de Bello ciuili ſcribit: quod & Lucanus ita libro ſeptimo dolet: mors tamen eminuit clarorum in ſtrage virorum pugnacis Domiti, quem clades fata per omnes ducebant: nuſquam Magni fortuna ſine illo ſuccubuit: victus toties à Cæſare, ſalua libertate perit: tunc mille in vulnera lætus labitur, ac venia gaudet caruiſſe ſecunda: cum his etiam ſentit Appianus. Cicero tamen ab Antonio fuiſſe occiſum Philippica ſecunda criminatur: de quo quidem Domitio neſcio quis apud Salluſtium ita loquitur: an L. Domitii magna vis eſt, cuius nullum membrum à flagitio, & facinore vacat? lingua vana, manus cruentæ, pedes fugaces, quæ honeſte nominari nequeunt, inhoneſtiſsima. Suetonius quoq. in Nerone hominem neque ſatis conſtantem, & ingenio truci fuiſſe teſtatur, quum etiam illud addit: conſultante Cn. Pompeio de mediis, ac neutram partem ſequentibus, ſolus cenſuit hoſtium numero habendos. DVO, Publius, & Lucius. LENTVLI, Cornelii Lentuli. CONSVLARES, vt dicetur. PVBLIVS, P. Cornelius Lentulus, cui Spinter ſecundarum, vt ait Plinius libro ſeptimo capite duodecimo, vel vnus aſſeclarum, vt Valerius Maximus libro nono capite decimo quinto refert, cognomen Spinteris dedit.

dedit. æquales enim illum Spinterem eſſe dixerunt, vt Quintilianus libro ſexto capite quarto ſcribit. Hic Aedilis Curulis Cicerone Conſule, omnium illius conſiliorum particeps, periculorúmque ſocius fuit, vt in oratione Poſt reditum ad Quirites eſt ſcriptum. In qua quidem Aedilitate omnes ſuperiores, vt libro ſecundo de Officiis oſtenditur, vicit: ſed Tyria purpura dibapha in prætexta vſus improbabatur, vt Plinius libro nono capite trigeſimo nono refert. Eundem nos Afranio, & Metello Conſulibus credimus Prætorem fuiſſe, & primum, quod Plinius libro decimo nono capite primo ſcribit, carbaſina vela in theatro ludis Apollinaribus, quos Prætores faciebant, duxiſſe. &, quod idem Plinius oſtendit libro trigeſimo ſexto capite ſeptimo, amphoras ex onyche, ac vrceos magnitudine cadorum oſtendiſſe. Cæſare, & Bibulo Conſulibus certe ipſius Cæſaris beneficio in collegium Pontificum venit, & prouinciam Hiſpaniæ ex Prætura habuit, vt Cæſar ipſe libro primo de Bello ciuili demonſtrat: qui lib. item tertio ſcribit, eum cum Domitio, & Scipione de ſacerdotio Cæſaris contendiſſe, id eſt, vt ego interpretor, de ſacerdotio Pontificis Maximi. nam Lentulus certe tum pontifex erat, vt diximus, ſed minor. Hinc Cicero in oratione de Reſponſis illum Pontificem vocat, & in oratione pro Domo cum illo tanquam Pontifice loquitur: libro vero primo Familiarium ſcribit, eum Piſone, & Gabinio Conſulibus Hiſpaniam citeriorem cum imperio obtinuiſſe. Is in petitione Conſulatus, vt ait Cæſar libro primo de Bello ciuili, à Cæſare ſublevatus eſt: qui Conſul deſignatus nunquam dubitauit ſententiam de ſalute Ciceronis, & de Repub. dignam dicere, vt in oratione Poſt reditum in ſenatu videbis. Vt vero magiſtratum iniit, id eſt ex Cal. Ian. quoad perfecta res eſt, de Cicerone retulit, legem promulgauit, tulit, vt in oratione pro Domo dicitur: & ita, quod ſcriptum eſt epiſtola prima libri primi Famil. niſi perfecta re de Cicerone, non conquieuit. Vnde multi Lentulo propter illius actionis amplitudinem, & gloriam inuiderunt, quod libro primo Familiarium dicitur. Cicero vero ſic in eum gratus fuit, vt in orationibus Poſt reditum ad Quirites, & in ſenatu illum parentem, & Deum ſuæ vitæ, fortunæ, memoriæ, & nominis vocarit: & libro primo Familiarium dixerit, vitam ſibi eſſe acerbam, quia idem in cauſa Lentuli, quod ille in ſua, efficere non poſſet. Cupiebat enim Lentulus Ptolemæum Regem in Aegyptum reducere, & ob id ſenatuſconſultum in Ciceronis ſententiam faciendum curarat, vt Pompeius rei frumentariæ præficeretur, & ipſe Regem reduceret: quæ res partim ſcribitur, partim ſignificatur epiſtola prima libri quarti ad Atticum, & in orationibus pro Domo, & in Piſonem, & apud Plutarchum in vita Pompeii. Illud Dion addit libro trigeſimo nono, eum adhuc Conſulem operam dediſſe, vt filius à neſcio quo Torquato adoptaretur, quo ſalua lege, quæ vetabat duos ex eadem gente Augures eſſe, in Augurum collegium cooptari poſſet, quamuis Fauſtus Syllæ filius, qui & ipſe Cornelius erat, Augur eſſet. Deinde Proconſul in Ciliciam profectus, T. Ampio, vel T. Appio, vt libro primo Familiarium etiam legitur, ſucceſſit: eámq. prouinciam triennio ferè obtinuit, Marcellino certe, & Philippo Conſulibus, vt libro primo Familiarium, & libro ſecundo ad Q. fratrem cognoſces: donec Appius illi ſucceſſit, vt libro item primo Familiarium dicitur: quod factum eſt poſt ipſius Appii Conſulatum, hoc eſt Caluino, & Meſſala Coſs. Interea vero Lentulus rem ſic præclare geſſit, vt imperator ſit appellatus, vt oſtendunt inſcriptiones epiſtolarum libri primi Familiarium, quas eo tempore Cicero ſcripſit. Quin, vt ego ex epiſtola vigeſima prima libri quinti ad Atticum coniicio, triumphauit: ſed ob id tantum æris alieni videtur feciſſe,

vt Cicero in Cilicia Proconſul audiuerit, quod epiſtola prima libri ſexti ad Atticum ſcripſit, eum præter Tuſculanum proſcripſiſſe. Initio vero belli ciuilis quum decem cohortibus Aſculum oppidum teneret, Cæſaris aduentu cognito, Corfinium ad Domitium profugit: vbi non ita multo poſt quum ſe cum cæteris Cæſari dedidiſſet, ab eo incolumis eſt dimiſſus, vt Cæſar ipſe libro primo de Bello ciuili ſcribit: de quo Cicero epiſtola decima tertia libri noni ad Atticum Cæſari gratias egit. Hanc [illegible] Corfinienſem Lentulus poſtea reformidans, ſe Puteolis occultabat, & ἀδημονῶν erat, vt Cicero epiſtola duodecima, & decima quinta libri noni ad Atticum loquitur. Ad Pompeium tamen etiam deinde profectus eſt, & illum victum, & fugientem eſt ſecutus, ſed, vt ego puto, conſequi non potuit: quamuis illum Paterculus dicat Pompeio fugienti fortunam comitem aggregaſſe. Nam Cæſar oſtendit libro tertio de Bello ciuili P. & L. Lentulos à Rhodiis non fuiſſe receptos, dicturus idem de Pompeio, ſi idem Pompeio ſimul accidiſſet, vt profectò ſimul accidiſſet, ſi ſimul fuiſſent. Quamuis enim P. Lentulus P. F. epiſtola decima quarta libri duodecimi Familiarium idem Pompeio ſcribat accidiſſe, non ita tamen eos coniungit, vt ſimul fuiſſe videantur. Certe, quum Pompeius interficeretur, neuter eorum videtur interfuiſſe, vt de L. Lentulo dicemus. Quid poſtea factum ſit P. Lentulo, neſcimus: illud ſcimus Ciceronem multo poſt audiuiſſe, illum Rhodi eſſe, quod epiſtola decima tertia libri vndecimi ad Atticum ſcripſit. ILLE, ἐμφατικῶς. NOSTRARVM INIVRIARVM, iniuriarum, quibus nos à P. Clodio fueramus affecti. VLTOR, orationes Poſt reditum lege. AVTOR SALVTIS, in orationibus Poſt reditum videbis. QVICQVID HABVIT, QVANTVMCVNQVE FVIT, ILLVD TOTVM HABVIT EX DISCIPLINA, ſic ſupra de M. Piſone. E DISCIPLINA, artibus enim P. Lentulus ſemper ſtuduit, vt libro primo Familiarium Cicero ſcribit. INSTRVMENTA NATVRAE, vt acumen, vt geſtus, vt reliqua id genus, quæ à natura potius, quàm ab arte proficiſcuntur. DEERANT, quum ex diſciplina haberet, quicquid habebat: contra C. Piſoni, & C. Curioni aderant, infra. SED TANTVS ANIMI SPLENDOR, ET TANTA MAGNITVDO, hic P. Lentulum potius vt amicum, quàm vt oratorem, commendat à liberalitate, & animi magnitudine, quas virtutes illi quum alibi, tum libro primo Familiarium ſæpe tribuit. CLARORVM VIRORVM, principum, in quibus fuiſſe dicitur lib. primo Familiarium. OMNI DIGNITATE, librum primum Familiarium lege. L. AVTEM LENTVLVS, ne longum faciam, mittam coniecturas, quæ multæ ſunt, cur ego credam hunc eſſe L. Cornelium Lentulum Flaminẽ Martialem, quem Nigrum vocat Aſconius: quemq. Cicero dicit in oratione in Vatinium Gabinii competitorem fuiſſe: quum multo plures ſint, cur arbitrer, atque adeo affirmem, eſſe L. Cornelium Lentulum Cruſcellum, qui Piſone, & Gabinio Conſulibus Prætor fuit, vt epiſtola ſecunda libri primi ad Q. fratrem, & in oratione in Piſonem leges: ſed poſtea multos annos videtur iacuiſſe fortaſſe, quòd ambitus accuſatus fuiſſet, quem P. Clodius patrocinio ſuo protexit, quamuis ab eo prius ipſe fuiſſet accuſatus, vt in oratione de Reſponſis, & apud Valerium Maximum libro quarto capite ſecundo reperies. Poſtea tamen Conſul eſt factus cum C. Marcello, quum iam ſalua Repub. ſaluus, vt Paterculus ait, eſſe non poſſet. premebatur enim ære alieno: cuius magnitudine, & ſpe exercitus, ac prouinciarum, & Regum appellandorum largitionibus mouebatur, ſeque alterum fore Syllam inter ſuos gloriabatur, ad quem ſumma imperii rediret. Itaque Cæſari belli ciuilis initio aduerſatus eſt, ac ne de pace quidem agi

voluit,

voluit, ſed egit omnia raptim, & turbate ita, vt M. Antonius, & Q. Caſſius Tribuni plebis vrbe coacti ſint exire, vt Cæſar libro primo de Bello ciuili, Plutarchus in Pompeio, Appianus, Dion, & alii ſcribunt. Dumque hæc agerentur, quo maius ſuum beneficium faceret, ſimulatque expediſſet, quæ eſſent neceſſaria de Repub. dixit, ſe de Ciceronis triumpho relaturum, vt epiſtola decima libri decimi ſexti Familiarium ſcribitur. Sed ante, quàm id fieret, Pompeius, & Conſules, vt ait Cæſar, ex Vrbe ſunt profecti. Deinde quum C. Caſsius Tribunus plebis mandata ad Conſules, vt epiſtola decima nona libri ſeptimi ad Atticum dicitur, attuliſſet, vt Romam irent, pecuniam de ſanctiore ærario auferrent, Lentulus Conſul, vt ait Cæſar, ad aperiendum ærarium venit, ad pecuniam Pompeio ex S. C. proferendam, ſed tantus eum repente terror inuaſit, vt protinus, aperto ſanctiore ærario, ex Vrbe profugeret. Tum vero Balbus minor, vt epiſtola nona libri octaui ad Atticum refertur, occulta via cucurrit ad hunc L. Lentulum iuſſu Cæſaris, cum literis, cum mandatis, cum promiſsione Prouinciæ, Romam vt rediret: quod Balbus maior in primis cupiebat, vt epiſtola vigeſima quarta libri octaui ad Atticum demonſtratur. Sed Balbus minor Canuſii audiuit, quod ſcriptum eſt epiſtola quarta libri noni ad Atticum, illum iam tranſmiſiſſe. Quare quum illum tum conſequi non potuiſſet, anno proximo ad Dyrrhachium caſtra hoſtium ingreſſus, locutus eſt cum eo dubitanti, quanti ſe venderet, vt Paterculus libro ſecundo ſcribit, vbi Lipſum Lentulum Conſulem vocat, quum res ipſa loquatur, tum Proconſulem fuiſſe, & Aſinius epiſtola trigeſima ſecunda libri decimi Familiarium ita dicat: Balbus ludis prætextam de ſuo itinere ad L. Lentulum Proconſulem ſolicitãdum poſuit. Hinc Lucanus libro octauo modo Conſulem dixit, quòd paulo ante Conſul fuiſſet: cui libro ſeptimo ſcribit in acie cornu ſiniſtrum datum fuiſſe, quamuis Appianus contrarium dicat. Idem victum, & fugientem hortatus eſt, vt Aegyptum peteret, vt Lucanus libro octauo ſcribit, & Paterculus autor eſt, Pompeium cum duobus Lentulis profugiſſe: quod falſum videri poteſt, vt de P. Lentulo diximus. nam ſi erant ſimul, cur Pompeius à Cæſare libro tertio de Bello ciuili Pompeius ipſe ne nominatur quidem, quum Lentulos ſcribit à Rhodiis non fuiſſe receptos? at hoc P. Lentulus P. F. epiſtola decima quarta libri duodecimi Familiarium ſcribit: ſcribit alia quoque, in quibus mentitur. an non, ſi ſimul nauigãſſent, interfuiſſent etiam, quum Pompeius interficeretur, vt vxor, & filius interfuerunt? Atqui Valerius Maximus libro primo capite octauo ita ſcribit: L. Lentulus litus prænauigans, in quo Cn. Pompeii Magni, perfidia Ptolemæi Regis, interempti corpus conſciſſæ ſcaphæ lignis comburebatur: ignarus caſus eius, quum ipſi fortunæ erubeſcendum rogum vidiſſet, commilitonibus dixit: quid ſcimus, an in hac flamma Cn. Pompeius crementur? & Plutarchus in Pompeio: τῇ δὲ ὑστεραίᾳ λεύκιος λέντλος οὐκ εἰδὼς τὰ πεπραγμένα, πλέων ἀπὸ κύπρου, καὶ παρὰ γῆν κομιζόμενος, ὡς εἶδε νεκροῦ πυρὰν, καὶ παρεστῶτα τὸν φίλιππον οὔπω καθορώμενον, τίς ἄρα ἔφη τὸ πεπρωμένον ἐνταῦθα τελέσας ἀναπέπαυται. καὶ μικρὸν διαλιπὼν, καὶ στενάξας, τάχα δὲ εἶπε σὺ πομπήϊε μάγνε. καὶ μετὰ μικρὸν ἀποβὰς, καὶ συλληφθεὶς ἀπέθανε. Idem propemodum Cæſar ita libro tertio de Bello ciuili ſcribit: item L. Lentulus comprehenditur à Rege, & in cuſtodia necatur: & ita Paulus Oroſius libro ſexto capite decimo quinto: Lentulus vir Conſularis apud Peluſium interfectus eſt. Ita necatus eſt, qui in bello ciuili Hortenſii ſibi domum, & Cæſaris hortos, & Baias deſponderat, vt epiſtola ſexta libri vndecimi ad Atticum tum Cicero ſcripſit. FORTIS ORATOR, ſic ſupra Ser. Galbam fortem oratorem, & Q. Varium fortem actorem dixit. Ob id igitur fortaſſe quòd fortis

orator eſſet Lentulus, cum Lucanus libro quinto, & octauo loquentem, & hortantem facit. NON FEREBAT, vt C. Memmius, ſupra. VOX CANORA, vt in Cn. Marcellino, ſupra. TERRORIS, aliter horroris. SATIS, ita, vt Reipub. ſatisfacere poſſet, vt Cato, Catulus, Octauius, ſupra. TITVS, Lucius, vt opinor, vocatur ab eo, qui de Repub. ordinanda ſcribit ad Cæſarem apud Salluſt. POSTHVMIVS, is mihi videtur eſſe, de quo belli ciuilis initio nominatim ſenatus decreuit, vt ſtatim in Siciliam iret, Furfanóque ſuccederet, vt epiſtola decima quarta libri ſeptimi ad Atticum ſcribitur. BELLATOR, & ob id in Siciliam mittebatur. EFFRENATVS, ET ACER, qualis ab hiſtoricis deſcribitur M. Fauonius, quicum Poſthumius hic apud Salluſtium ab eo, qui ſcribit ad Cæſarem de Repub. ordinanda, vt paulo ante diximus, iungitur. IVRIS PVBLICI, ſupra. LEGES, ATQVE INSTITVTA, leges ſcriptas, & leges non ſcriptas. COGNOVERAT, vt cognoſcere debet orator, quod ſæpe dictum eſt.

Hoc loco Atticus, Putarem te, inquit, ambitioſum eſſe, ſi, vt dixiſti, ii, quos iandiu colligis, viuerent. omnes enim commemoras, qui auſi aliquando ſunt ſtantes loqui: vt mihi imprudens M. Seruilium præteriiſſe videare. Non, inquam, ego iſtuc ignoro Pomponi, multos fuiſſe, qui verbum nunquam in publico feciſſent, cum melius aliquanto poſſent, quàm iſti oratores, quos colligo, dicere: ſed his commemorandis etiam illud aſſequor, vt intelligatis, primum ex omni numero quàm non multi auſi ſint dicere, deinde ex iis ipſis quàm pauci fuerint laude digni. itaque ne hos quidem equites Romanos amicos noſtros, qui nuper mortui ſunt, P. Cominium Spoletinum, quo accuſante defendi C. Cornelium, in quo & compoſitum dicendi genus, & acre, & expeditum fuit; T. Accium Piſaurenſem, cuius accuſationi reſpondi pro A. Cluentio, qui & accurate dicebat, & ſatis copioſe, erátque præterea doctus Hermagoræ præceptis; quibus etſi ornamenta non ſatis opima dicendi, tamen vt haſtæ velitibus amentatæ, ſic apta quædam & parata ſingulis cauſarum generibus argumenta traduntur.

AMBITIOSVM ESSE, ambitione labi, ſupra. DIXISTI, vbi dixi ego, me non putaſſe, te vſque ad Stalenos, & Antronios eſſe venturum. STANTES LOQVI, veteres enim ſtantes loquebantur, vt oſtendunt vel poëtæ, vt Ouidius libro decimo tertio: ſurgit ad hos clypei dominus ſeptemplicis Aiax: & Homerus libro primo Iliados: τοῖσι δ' ἀνιστάμενος μετέφη πόδας ὠκὺς ἀχιλλεύς, vbi ſic interpres ſcribit: τὸ γὰρ παλαιὸν, κἂν βασιλεὺς ᾖ, κἂν ἄλλος οἷος δή ποτε τύχῃ, ἐδημηγόρει ὀρθὸς ἱστάμενος. ſic Drances apud poëtam libro vndecimo ſurgit: ſic Craſſus, ſic Clodius lib. primo ad Atticum ſurgunt. M. SERVILIVM, contra quem Q. Celer orationem ſcripſit, epiſtola tertia libri ſexti ad Atticum: qui quidem Seruilius illis temporibus de repetundis accuſatus fuerat, vt epiſtola octaua libri octaui Familiarium ſcribitur. PRAETERIISSE, quum & ipſe dicere ſit auſus, epiſtola octaua libri octaui Familiarium. POMPONI, T. Pomponi Attice. VERBVM NVNQVAM IN

PVBLICO FECISSENT, quòd auſi non ſint. QVAM ISTI, quòd iſti nõ admodum bene dixerint. ſed vertit ſermonem, ne, quos nominat, vituperare videatur. HIS, quos ego colligo. ILLVD, id vtilitatis. INTELLIGATIS, vos, qui ſcire cupitis, qui, & quales oratores fuerint, ſupra. EX OMNI NVMERO, hominum, & præſertim Romanorum. NON MVLTI, quos colligimus, qui pauci ſunt in tanto hominum numero. EX IIS IPSIS, non multis, qui ſunt auſi dicere. QVVM PAVCI FVERINT LAVDE DIGNI, nónne cernimus vix ſingulis ætatibus binos oratores laudabiles conſtitiſſe? infra. ITAQVE, quum illud, quod dixi, aſſequar. NE HOS QVIDEM, præteribo ἑκών. EQVITES, in oratione pro Cluentio. P. Publium. fuit etiam C. Cominius frater: ſed Publius nomen Cornelii detulit, & Caius ſubſcripſit: inquit Aſconius: Cicero tamen in oratione pro Cluentio Publium, & Lucium Cominios appellat. COMINIVM, Cominios patricios fuiſſe apparet ex eo, quod Liuius libro ſecundo Poſthumium Cominium Conſulem nominat, quo tempore nondum plebeii Conſules fiebant: ſed hic Cicero Cominium equitem, & Valerius Maximus libro ſexto capite primo Cominium Tribunum plebis ponit: quod oſtendit duplicem gentem fuiſſe; præſertim quum hic etiam Spoletinus dicatur: qui videtur is eſſe, in quem ſcripſit Catullus: ACCVSANTE, reum faciente lege Cornelia de maieſtate, vt ait Aſconius: quòd codicem Tribunus pleb. ipſe legiſſet, vt Quintilianus libro quarto capite quarto refert. DEFENDI, defendit Cicero quatriduo: quas actiones contuliſſe eum in duas orationes apparet. Aſconium, & Nonium in verbo, venalitiũ, lege: ſed & Cicero ipſe ſecundam Cornelianam in Oratore nominauit. C. Caium, vt ipſe Cicero ſemper, Quintilianus lib. quarto capite tertio & quarto, & alii vocant: ſed apud Aſconium L. interdum male ſcribitur. CORNELIVM, qui Pompeii Quæſtor fuerat, dein Tribunus plebis, quem Cicero Prætor defendit, vt Aſconius, Q. Cicero in libello de Petitione Conſulatus, Cicero ipſe in oratione in Vatinium, & alibi ſæpe teſtatur. IN QVO, P. Cominio. FVIT, nam diſertum vocat etiam in oratione pro Cluent. T. ACCIVM PISAVRENSEM, quem bonum adoleſcentem, & diſertum vocat in oratione pro Cluent. RESPONDI, oratione pro Cluentio, quæ nunc extat. A. CLVENTIO, Aulo Cluentio Larinate, vt in oratione pro Cluentio, & in Oratore leges. QVI, T. Accius Piſaurenſis. ACCVRATE DICEBAT, ET SATIS COPIOSE, vt qui prudentia, vſu, atque exercitatione præditus eſſet, vt in oratione pro Cluentio ſcribit. HERMAGORAE, ſupra. NON SATIS OPIMA, quòd præcepta Hermagoræ ſint exilia, ſupra. non ſatis optima, male quidam legunt. VT, ſimilitudo. HASTAE VELITIBVS AMENTATAE, velitem ſic Liuius lib. trigeſimo octauo deſcribit: hic miles tripedalem parmam habet, & in dextra haſtas, quibus eminus vtitur: gladio Hiſpanienſi eſt cinctus: quòd ſi pede collato pugnandum eſt, tranſlatis in læuam haſtis, ſtringit gladium. Plura Valerius Maximus libro ſecundo capite primo ſcribit. SIC, ἀνταπόδοσις. SINGVLIS CAVSARVM GENERIBVS, quæ Rhetores vocant deliberatiuum, demonſtratiuum, & iudiciale, vt libro primo ad Herennium, & lib. primo de Inuentione ſcriptum videbis. TRADVNTVR, vt in libris ad Herennium, & in libris de Inuentione, & in libris etiam oratoriis traduntur.

Studio autem neminem, nec induſtria maiore cognoui: quanquam ne ingenio quidem qui præſtiterit, facile dixerim, C. Piſoni

genero meo. nullum tempus illi vnquam vacabat aut à foren-ſi dictione, aut à commentatione domeſtica, aut à ſcribendo, aut à cogitando. itaque tantos proceſſus efficiebat, vt euolare, non excurrere videretur: erátque verborum & delectus elegans, & apta, & quaſi rotunda conſtructio: cúmque argumenta excogitabantur ab eo multa & firma ad probandum, tum concinnæ acutæque ſententiæ, geſtúſque natura ita venuſtus, vt ars etiam, quæ non erat, & è diſciplina motus quidam videretur accedere. Vereor, ne amore videar plura, quàm fuerint in illo, dicere. quod non ita eſt. alia enim de illo maiora dici poſſunt. nam nec continentia, nec pietate, nec vllo genere virtutis quenquam eiuſdem ætatis cum illo conferendum puto. Nec vero M. Cælium prætereundum arbitror, quæcunque eius in exitu vel fortuna, vel mens fuit; qui quandiu authoritati meæ paruit, talis Tribunus plebis fuit, vt nemo contra ciuium perditorum popularem turbulentámque dementiam à ſenatu, & à bonorum cauſa ſteterit conſtantius: quam eius actionem multum tamen & ſplendida, & grandis, & eadem in primis faceta, & perurbana commendabat oratio. graues eius conciones aliquot fuerunt, acres accuſationes tres, eæque omnes ex Reipub. contentione ſuſceptæ. defenſiones, etſi illa erant in eo meliora quæ dixi, non contemnendæ tamen, ſanéque tolerabiles. hic cum ſumma voluntate bonorum Aedilis Curulis factus eſſet, neſcio quo modo diſceſſu meo diſceſsit à ſeſe, cecidítque poſtea, cum eos imitari cœpit, quos ipſe peruerterat.

STVDIO AVTEM, nunc, ne quis hæc cum ſuperioribus coniungat, loquitur de C. Piſone ſuo genero, cui ſtudium, induſtriam, & ingenium tribuit, vt ſequentia demonſtrant. C. PISONI, C. Calphurnio Piſoni L. F. frugi, vt epiſtola prima libri primi ad Atticum ſcribitur. GENERO MEO, primo. nam Cicero tribus viris Piſoni, Craſsipedi, & Dolabellæ Tulliam filiam collocauit, vt in Quæſtura diximus. Conſulibus enim L. Iulio Cæſare, C. Marcio Figulo, eam C. Piſoni deſpondit, anno ante, quàm Conſul ipſe fieret, vt libro primo ad Atticum ſcribit. Itaque Cæſare, & Bibulo Conſulibus illum L. Vectius, hortante, & inculcante Vatinio, cum reliquis, quos in ſuſpicionem adducere voluit, vt Ciceronis generũ nominauit, vt in oratione in Vatinium, & epiſtola vigeſima quarta libri ſecundi ad Atticum videbis. Piſone vero, & Gabinio Conſulibus ille minas inimicorum, inimicitias propinqui ſui Conſulis, Pontum, & Bithyniam Quęſtor pro Ciceronis ſalute neglexit, vt in oratione Poſt reditum in ſenatu ſcribitur: vbi, & in oratione in Piſonem dicitur cum Cicerone primum, deinde cum Tullia vxore ad ipſum Piſonem Conſulem acceſsiſſe: ſed gener quum eſſet Ciceronis, & Piſo gener, à Piſonis Conſulis pedibus ſupplex reiiciebatur, vt ait in oratione pro Seſtio: qua de re ſic in oratione Poſt reditum in ſenatu ſcribit. Tu meum generum, propinquum tuum: tu affinem tuam,

filiam

filiam meam ſuperbiſsimis, & crudeliſsimis verbis à genibus eius repuliſti. Abſens item Cicero illum mirifico eſſe ſtudio in ſe, & officio & ipſe perſpiciebat, & omnes prædicabant, vt ait epiſtola tertia libri decimi quarti Familiarium: vbi ſunt illa verba: Dii faxint, vt tali genero mihi præſenti tecum ſimul, & cum liberis noſtris frui liceat. non licuit tamen. nam neque Tulliam videtur duxiſſe epiſtola quarta libri decimi quarti Familiarium: & prius, quàm Cicero rediret, vel paulo poſt reditum deceſsiſſe. Illi certe fructum pietatis ſuæ neque à Cicerone, neque à populo Romano ferre licuit, vt ait in oratione pro Seſtio, quam Marcellino, & Philippo Conſulibus ad III. Id. Mart. dixit: & iam tum ſperabat, ſe de Tullia cum Craſsipede confeciſſe: cui paulo poſt ad VIII. Id. April. ſponſalia præbuit, quum Prid. Non. Apr. deſpondiſſet: vt epiſtola quarta, & ſeptima libri ſecundi ad Q. fratrem ſcribit. Itaque P. Lentulus tunc in Cilicia Proconſul de filia, & Craſsipede gratulatus eſt, vt libro primo Familiarium cognoſcimus. hinc Craſsipes, vt apparet epiſtola quinta libri quarti ad Atticum, dotem Tulliæ accipiens, Ciceroni viaticum præripuit: in cuius hortis Craſſus prius, quàm in prouinciam proficiſceretur, libro primo Familiarium dicitur apud Ciceronem cœnaſſe. Et ſanè C. Piſo erat è gente Calphurnia, & Craſsipes è Furia, vt apud Liuium libro trigeſimo quarto cognoſcitur. Quare non recte faciunt illi, qui Piſonem Craſsipedem iungunt, quum duarum gentium ſint cognomina, & conſtet ex his, quæ diximus, duos Ciceronis generos fuiſſe: quibus tertius adiungitur P. Cornelius Lentulus Dolabella, de quo nemo vnquam dubitauit. hic Piſo molliter incedebat, vt apud Macrobium Ciceronis iocus oſtendit. NVLLVM TEMPVS, probat, quod dixit, in C. Piſone ſtudium, & induſtriam fuiſſe, ſic infra de Q. Hortenſio. A FORENSI DICTIONE, à forenſi dictione, & à ſcribendo ad ſtudium: à commentatione domeſtica, & à cogitando ad induſtriam refero. QVVMQVE ARGVMENTA EXCOGITABANTVR, hoc ad ingenium pertinet. AMORE, quo generum ipſum ſum proſecutus: ILLO, C. Piſone. ALIA ENIM, αἰτιολογία, quare plura non dicat. NAM, αἰτιολογία, quòd in eo eſſent alia maiora, quæ dici poſſent. NEC CONTINENTIA, NEC PIETATE, NEC VLLO GENERE VIRTVTIS QVENQVAM EIVSDEM AETATIS CVM ILLO CONFERENDVM PVTO, is enim in ſumma copia optimorum adoleſcentium, pari continentia, virtute, pietate reliquit neminem, vt in oratione in Vatinium loquitur. eodem penè modo in oratione Poſt reditum in ſenatu laudat. M. Marcum. & ita ſemper apud Ciceronem dici videbis, & ſic apud Liuium libro centeſimo, & vndecimo ſcribes. CAELIVM, & Cælium, non Cæcilium apud Liuium libro centeſimo & vndecimo, & apud Appianum libro ſecundo leges. & M. Cælium M. F. Rufum ſignificat; cuius vitam magnam partem Cicero ſcribit in oratione, quam pro illo dixit. Itaq. nos ea tantum, quæ pertinebunt ad interpretationem, ſuis locis dicemus. EIVS, M. Cælii, FORTVNA, quæ fuit aduerſa. nam ſenatus decreto ab Repub. remotus, à Conſule ſenatu prohibitus, & de roſtris, quum vellet concionari, deductus, Turios peruenit, vbi ab equitibus Gallis, atq. Hiſpanis, qui eò miſsi fuerant, interfectus fuit, vt Cæſar libro tertio de Bello ciuili, Liuius libro centeſimo, & vndecimo, & Paterculus lib. ſecundo ſcribunt. MENS, mala. Conſulibus enim Cæſare, & Seruilio, quum Cæſar caſtra ad Apſum contra Pompeium haberet, M. Cælius Prætor debitorũ cauſam ſuſcepit &, quũ, aduerſante Seruilio Conſule nihil proficeret, duas leges promulgauit, vnam, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donauit;

aliam tabularum nouarum, impetúque multitudinis in C. Trebonium facto, & nonnullis vulneratis, eum de tribunali deturbauit, vt idem Cæſar, Liuius, & Paterculus affirmant, & ipſe epiſtola decima ſeptima libri octaui Familiarium ſignificat. AVTORITATI MEAE, ad quem ſumpta virili toga fuerat à patre deductus, vt in oratione pro Cælio, & apud Quintilianum libro duodecimo capite vndecimo leges. PARVIT, vt tum paruit, quum, ipſo Cicerone autore, cum cæteris Tribunis plebis tulit de Cæſaris abſentis ratione habenda, quod Cicero epiſtola prima libri ſeptimi, & epiſtola decima tertia libri noni ad Atticum ſignificat potius, quàm aperte ſcribit. TALIS, fortiſsimus, & in ſuſcepta cauſa firmiſsimus, & bonorum voluntati, & autoritati ſenatus deditus, vt in oratione pro Milone dicitur. FVIT, Cn. Pompeio Conſule III. Aſconium lege. CIVIVM PERDITORVM, vt Clodianorum, contra quos etiam pro Milone ſtetit, vt Aſconius oſtendit: præſertim Q. Pompeii, quem publica quæſtione proſtrauit vſque adeo, vt ille Baulis miſere viuere ſit coactus, quod epiſtola prima libri octaui Familiarium cognoſcitur. hinc epiſtola nona libri ſecundi Familiarium M. Cælium vltorem non modo inimicorum, ſed etiam inuidorum ſuorum vocat: quanquam M. Cælius idem poſtea eidem Q. Pompeio abſenti affuit, vt Valerius Maximus libro quarto capite ſecundo refert. STETERIT, quippe quum & bonorum voluntati, & autoritati ſenatus eſſet deditus, vt ex oratione pro Milone retulimus: & ſic item eſſet Reipub. ſtudioſus, & peritus, vt Cicero dicat epiſtola octaua libri ſecundi Familiarium, ſe neminem illo πολιτικώτερον cognoſcere. SPLENDIDA, ET GRANDIS, in Cælianis orationibus nitorem, & altitudinem Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus agnouit: Quintilianus vero libro decimo capite primo ſic ait: eſt & ſancta, & grauis oratio, & caſtigata, & frequenter vehemens quoque: quæ tamen verba nos de Caluo dici putamus, quamuis ibi, Cælio, ſcribatur. FACETA, ET PERVRBANA, ſic ait Quintilianus libro decimo capite primo, in Cælio multa vrbanitas, dignúſque vir, cui & mens melior, & vita longior contigiſſet. ALIQVOT, vt illa, quæ gladiis fuit diſturbata, vt in oratione pro Milone cognoſces. ACCVSATIONES TRES, vna, qua C. Antonium Ciceronis collegam accuſauit: altera, qua nomen Atratini de ambitu detulit: alia, qua eundem Atratinum abſolutum inſecutus eſt, vt in oratione pro ipſo M. Cælio videbis: vbi tamen Cicero duas tantum accuſationes eſſe dixit, quòd tertia nondum eſſet abſoluta, quum tunc etiam Cælius Atratinum abſolutum inſequeretur. Appium Cenſorem Cælius etiam lege Scantinia poſtulauit, vt epiſtola duodecima libri octaui Familiarium ipſe ſcribit. EX REIPVB. CONTENTIONE, ex Reipub. cauſa, in oratione pro Cælio dixit. SVSCEPTAE, accuſauit enim C. Antonium, quòd contra Rempub. coniuraſſe diceretur: vnde illi miſero præclari in Rempub. beneficii memoria nihil profuit: nocuit opinio maleficii cogitati, vt ait Cicero in oratione pro Cælio. Atratini vero, vt diximus, nomen de ambitu detulit: quæ res item ad Rempub. pertinebat. DEFENSIONES, orationes, quibus & ſe, & alios defendit: pro ſe quidem dixit, quum ab Atratino filio, L. Herennio Balbo, & P. Clodio fuit accuſatus, vt in oratione pro ipſo Cælio videbis: quod oſtendit etiam Quintilianus libro vndecimo capite primo, & Suetonius in L. Plotio Gallo Rhetore, vbi ſic eſt legendum: Hunc M. Cælius in oratione, quam pro ſe de vi habuit, ſignificat dictaſſe Atratino accuſatori ſuo actionem. Fuit etiam poſtea lege Scantinia poſtulatus, vt epiſtola duodecima lib. octaui Familiarium teſtatur.

tur. Alios vero defendit, vt M. Saufeium M. F. quod ſcribit Aſconius: vt M. Tuccium, vt epiſtola octaua libri octaui Familiarium ſcribit: vt alios, quos inuenire nec potuimus, nec multum curauimus. MELIORA, nam multum ingenii fuit in Cælio præcipue in accuſando, vt ait Quintilianus libro decimo capite primo. HIC, M. Cælius. AEDILIS CVRVLIS, epiſtolam nonam, & decimam libri ſecundi Familiarium ſi legeris, cognoſces. FACTVS ESSET, cum M. Octauio, vt epiſtola prima libri ſexti ad Atticum cognoſcere licet: & quidem quum C. Hirrum ſuperaſſet, quem Cicero epiſtola nona libri ſecundi Familiarium ridet, quod ita futurum Cælius epiſtola tertia libri octaui Familiarium fuerat pollicitus. DISCESSV MEO, ex vrbe, quum in Ciliciam ſum profectus Sulpicio, & Marcello Conſulibus, epiſtola vigeſima prima libri quinti ad Atticum: quum me Cælius ipſe proſecutus eſt, epiſtola prima libri octaui Familiarium. DISCESSIT, de ſententia ſua deceſsit, vt epiſtola tertia libri ſeptimi ad Atticum ſcribitur, & quidem Appii odio, & Curionis amore, vt ait ipſe epiſtola decima ſeptima libri octaui Familiarium. Itaque belli ciuilis initio ſecutus eſt M. Callidii, paucis ferè mutatis verbis, ſententiam: qui cenſebat, vt Pompeius in ſuas prouincias proficiſceretur, ne qua eſſet armorum cauſa, vt Cæſar libro primo de Bello ciuili, & Dion libro quadrageſimo primo ſcribunt. & in verbis, diſceſſu, diſceſsit, eſt προσωνομασία. CECIDITQVE POSTEA, vt ſupra diximus. QVVM, aliter quàm. EOS, M. Antonium, cuius ſtudioſus fuit in petitione Auguratus, epiſtola decima quarta libri octaui Familiarium: P. Dolabellam, cui videtur fauiſſe, quum quindecim vir eſt factus: quòd illum valde amaret: & C. Curionem, cuius amicitia ipſum M. Cælium paulatim in partem Cæſaris impoſuit: quæ quidem omnia epiſtola quarta, decima tertia, & decima ſeptima libri octaui Familiarium ſcribuntur. IMITARI COEPIT, præſertim C. Curionem, cui ſimillimus eloquio, animóque fuit, ſed in vtroque perfectior, nec minus ingenioſe nequam, vt ait Paterculus. IPSE, vt qui male audiuerit, quod ne Cicero quidem, illum defendens, negat: vt nequam, quod ex Paterculi hiſtoria retulimus: vt dignus, cui melior mens contingeret, vt ait Quintilianus, & nos ante diximus: vt dignus, qui lege Scantinia poſtularetur, quod etiam diximus: vt is, cuius vita eſſet inquinata, vt Valerius Maximus libro quarto capite ſecundo refert. Is, vt in oratione pro ipſo apparet, amauit Clodiam, quam Catullus Lesbiam vocat, & de illa cum eodem Cælio queritur, quòd in quadriuiis, & angiportis glubat magnanimos Remi nepotes. PERVENERAT, hoc norat Cicero, nos neſcimus, illud ſcimus, quod in oratione pro ipſo Cælio, & apud Quintilianum libro decimo capite primo legimus, in eo multum ingenii fuiſſe. Idem Quintilianus libro duodecimo capite decimo Cælii indolem commendat: & Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus præterquam quòd amarum Cælium vocat, ſic etiam ſcribit: ſordes verborum, & hiatus compoſitio, & inconditi ſenſus redolent antiquitatem: nec quenquam adeo antiquarium puto, vt Cælium ex ea parte laudet, qua antiquus eſt. Id ex epiſtolis, quæ nunc extant, licet cognoſcere. Quod ad mores attinet, hoc addit Seneca lib. tertio cap. octauo de Ira: Cælium oratorem fuiſſe iracundiſsimum conſtat: cum quo, vt aiunt, cœnabat in cubiculo lectæ patientiæ cliens: ſed difficile erat illi in crapulam coniecto rixam eius, cum quo edebat, effugere. optimum iudicauit, quicquid dixiſſet, ſequi, & ſecundas agere. non tulit Cælius aſſentientem, ſed exclamauit: dic aliquid contrà, vt duo ſimus. Sed ille quoque, quòd non iraſceretur, iratus,

cito ſine aduerſario deſiit. Non præteribo, quod ſcribit Plinius libro ſeptimo capite quadrageſimo nono, M. Cælium Rufum,& C.Licinium Caluum ad V. Cal. Iun. C. Mario, Cn. Carbone III. Coſſ. eodem die natos fuiſſe. Vixit annos quatuor, & triginta, quot ab illis Conſulibus ad Cæſarem, & Seruilium Conſules numerantur: quo tempore Cælius interfectus fuit, vt diximus.

Sed de M. Calidio dicamus aliquid; qui non fuit orator vnus è multis, potius inter multos prope ſingularis fuit: ita reconditas exquiſitáſque ſententias mollis & pellucens veſtiebat oratio. nihil tam tenerum, quàm illius comprehenſio verborum, nihil tam flexibile, nihil quod magis ipſius arbitrio fingeretur, vt nullius oratoris æque in poteſtate fuerit: quæ primum ita pura erat, vt nihil liquidius; ita libere fluebat, vt nuſquam adhæreſceret. nullum niſi loco poſitum, & tanquam in vermiculato emblemate, vt ait Lucilius, ſtructum verbum videres; nec vero vllum aut durum, aut inſolens, aut humile, aut longius ductum, ac non propria verba rerum, ſed pleraque tralata, ſic tamen, vt ea non irruiſſe in alienum locum, ſed immigraſſe in ſuum diceres. nec vero hæc ſoluta, nec diffluentia, ſed adſtricta numeris, non aperte, nec eodem modo ſemper, ſed varie diſsimulantérque concluſis. erant autem & verborum, & ſententiarum illa lumina, quæ vocant Græci σχήματα, quibus tanquam inſignibus in ornatu diſtinguebatur omnis oratio. qua de re agitur autem, illud, quod multis locis in iuriſconſultorum includitur formulis, id vbi eſſet, videbat. accedebat ordo rerum plenus artis, actio liberalis, totúmque dicendi placidum & ſanum genus. quòd ſi eſt optimum ſuauiter dicere: nihil eſt, quod melius hoc quærendum putes. ſed cum à nobis paulo ante dictum ſit, tria videri eſſe, quæ orator efficere deberet, vt doceret, vt delectaret, vt moueret: duo ſumme tenuit, vt & rem illuſtraret diſſerendo, & animos eorum, qui audirent, deuinciret voluptate: aberat tertia illa laus, qua permoueret atque incitaret animos, quam plurimum pollere diximus: nec erat vlla vis atque contentio: ſiue conſilio, quòd eos, quorum altior oratio, actióque eſſet ardentior, furere, & bacchari arbitraretur: ſiue quòd natura non eſſet ita factus: ſiue quòd non conſueſſet: ſiue quòd non poſſet. hoc vnum illi, ſi nihil vtilitatis habebat, abfuit: ſi opus erat, defuit. quin etiam memini, cum in accuſatione ſua Q. Gallio crimini dediſſet, ſibi eum venenum parauiſſe, idque à ſe eſſe deprehenſum; ſeſéque chirographa, teſtificationes, indicia, quæſtiones, manifeſtam rem deferre diceret; déque eo crimine accurate & exquiſite diſputauiſſet; me in reſpondendo, cum

cum eſſem argumentatus quantum res ferebat, hoc ipſum etiam poſuiſſe pro argumento, quòd ille, cum peſtem capitis ſui, cum indicia mortis ſe comperiſſe manifeſto, & manu tenere diceret, tam ſolute egiſſet, tam leniter, tam oſcitanter. Tu iſtuc M. Callidi, niſi fingeres, ſic ageres? præſertim cum iſta eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime ſoleas, tuum negligeres? vbi dolor? vbi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces, & querelas ſolet. nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percuſſa, non femur, pedis, quod minimum eſt, nulla ſupploſio. itaque tantum abfuit, vt inflammares noſtros animos: ſomnum iſto loco vix tenebamus. ſic nos ſummi oratoris vel ſanitate, vel vitio pro argumento ad diluendum crimen vſi ſumus.

M. Marco, vt ab omnibus dicitur. CALLIDIO, M. Callidio Q. F. vt ait Aſconius, Apollodori diſcipulo, vt ſcribit Euſeb. Is fuit ex ordine equeſtri. Cn. n. Callidius eques Rom. Verrina ſexta nominatur: & Q. Callidius Trib. pl. vt ſupra diximus, ſua lege Metellum Numidicum reſtituit: vnde cognoſci poteſt, gentem Callidiam plebeiam fuiſſe. Is Lentulo, & Metello Conſulibus Prætor fuit: qui ſtatim deſignatus, ſententia ſua, quàm eſſet ſibi chara Ciceronis ſalus declarauit, vt in oratione Poſt reditum in ſenatu legimus: & pro Domo eius dixit, & ſcripſit orationem, vt Quintilianus libro decimo capite primo refert. Is poſtea Conſulatum cum L. Paulo, & C. Marcello videtur petiiſſe, & repulſam tuliſſe. Nos certe ſic epiſtola quarta libri octaui Familiarium legendum putamus: M. Callidium à repulſa poſtulatum à duobus Galliis. nam Callidius cum Galliis inimicitias geſsit, vt paulo poſt dicetur: & certe tunc fuit accuſatus, vt epiſtola nona libri octaui Familiarium cognoſcitur his verbis: Callidius in defenſione ſua fuit diſertiſsimus, in accuſatione ſatis frigidus. Defendit igitur ſe, quum fuiſſet accuſatus: & C. Marcellum competitorem ſuum quaſi de more accuſauit, vt opinor. Tunc enim iudicium Marcelli Conſulis deſignati reliquas res interpellabat, vt epiſtola nona libri octaui Familiarium dicitur. Quin ob id poſtea videtur Cæſaris partes ſecutus, quòd hac iniuria fuiſſet affectus, & cum Marcellis, qui erant Pompeiani, inimicitias gereret. hinc belli ciuilis initio cenſebat, vt Pompeius in ſuas prouincias proficiſceretur, ne qua eſſet armorum cauſa: quam ſententiam L. Lentulus Conſul pronunciaturum ſe omnino negauit, vt ait Cæſar. Itaque Callidius Cæſarianas partes ſecutus, quum togatam Galliam regeret, Placentiæ obiit, vt ſcribit Euſebius. SINGVLARIS FVIT, ob id multos defendit, vt Scaurum, & Milonem, vt ſcribit Aſconius. COMPREHENSIO, περίοδος, in Oratore. FVERIT, oratio. TANQVAM IN VERMICVLATO EMBLEMATE, vt teſſerulæ omnes arte pauimento, atque emblemate vermiculato, libro tertio de Oratore, & in Oratore, & apud Quintilianum libro nono capite quarto. AIT LVCILIVS, Q. Mucii Scæuolæ perſona ludit Lucilius, vt ait Craſſus lib. tertio de Oratore. VIDERES, in M. Callidii oratione. NEC VERO, hic oſtendit Callidium ſeruaſſe præcepta, quæ libro tertio de Oratore traduntur. AVT LONGIVS, aliter aut in longius. AC NON PROPRIA, repete negationem, vt ſit, nec non propria, vt dicat, in Callidii oratione verba

quidem propria fuiſſe, ſed pleraque etiam tranſlata: vel non propria, ſed tranſlata. TRALATA, aliter tranſlata. VT EA NON IRRVISSE IN ALIENVM LOCVM, SED IMMIGRASSE IN SVVM DICERES, vt fieri debet. etenim verecunda debet eſſe tranſlatio, vt deducta eſſe in alienum locum, non irruiſſe: atque vt precario, non vi veniſſe videatur, vt lib. tertio de Oratore præcipitur. HAEC, verba. SOLVTA, vt apud veteres. ASTRICTA, ἀσύνδετα. NVMERIS, ſupra, libro tertio de Oratore, & in Oratore. NON APERTE, NEC EODEM MODO SEMPER, videtur ἀπεξέργαστα, non aperte, id eſt non eodem modo ſemper: quòd ſi concludatur eodem modo ſemper, aperte concludatur. In oratione prima pauci cernunt, poſtrema plerique, quæ quoniam apparent, & intelliguntur, varianda ſunt, vt ait libro tertio de Oratore, & in Oratore. VARIE, DISSIMVLANTERQVE, videtur item ἀπεξέργαστα, quòd varientur, vt ars diſsimuletur. & eſt ἀσύνδετα, in quo vertit ordinem. Vt autem fieri, quod hic ait, debeat, libro tertio de Oratore, & in Oratore docet. LVMINA, exornationes, vt ſupra de M. Catone diximus. ΣΧΗΜΑΤΑ, ibidem. QVA DE RE AGITVR AVTEM, verba formulæ, vt in Digeſtis apparet, iuriſconſultorum, qua fortaſſe Callidius, vel alii oratores etiam, poſtquam vel exordium, vel aliud quippiam dixerant, vtebantur, qua de re agitur autem, nunc dicemus, vel tale quid vt dicerent, ad rem ipſam accedentes: quam videbat Callidius, id eſt rem, cauſam, cauſæ ſtatum, vel τὸ συνέχον, vt Cicero epiſtola ſexta libri noni ad Atticum, & Quintilianus libro tertio capite decimo tertio, & Fortunatianus lib. tertio vocant, vel τὸ κρινόμενον acute videbat, quod pertinet ad inuentionem ſic libro quinto de Finibus, ſi eſt quiſquam qui acute in cauſis videre ſoleat, quæ res agatur, is es profectò tu. INCLVDITVR, & hodie quoque includitur, vt libro quadrageſimo tertio Digeſtorum potiſsimum videbis. ID VBI, aliter & vbi, vt duo dicat, rem ipſam videbat, & vbi res ipſa conſiſteret. VIDEBAT, ſic ſupra de Pompeio, rem prudenter videbat. ACCEDEBAT ORDO RERVM PLENVS ARTIS, diſpoſitio. SANVM, incorruptum, ſupra, & ſanitas, infra. GENVS, dicendi placidum, & ſanum genus, hæc eſt elocutio. SI EST OPTIMVM, ſed non eſt optimum, vt ſupra de Scauro, & Rutilio loquens, diſputauit. SVAVITER DICERE, ibidem. HOC, M. Callidio, vel hoc eius dicendi genere. PAVLO ANTE, vbi de populi, & docti hominis iudicio diſputatum eſt. VIDERI, mihi, qui tot eſſe ſentio, ſupra. DVO, quæ ſequuntur. TENVIT, M. Callidius. REM ILLVSTRARET DISSERENDO, quòd ſubtiliter diſſereret, & ita doceret. hinc illi Quintilianus libro duodecimo capite decimo ſubtilitatem tribuit. DEVINCIRET VOLVPTATE, & ita delectaret. TERTIA ILLA LAVS, vide, quod ſupra de Ser. Galba diximus. POLLERE, præſertim in peroratione, ſupra. DIXIMVS, quum diximus hoc eſſe oratoris officium partitione tertium, genere maximum. libro vero primo de Oratore ita dixit: quis neſcit maximam vim exiſtere oratoris in hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut dolorem incitandis: vel ab iiſdem hiſce permotionibus ad lenitatem, miſericordiámque reuocandis? NEC ERAT, in M. Callidio. VIS, δύναμις. SIVE CONSILIO, non erat in eo vis, & contentio: vel contentionem ipſe relinquebat. EOS, oratores grandes, & vehementes. ALTIOR, verbis grauioribus facta. ARDENTIOR, qualis actio L. Craſsi M. Antonio libro ſecundo de Oratore videbatur. NON ESSET ITA FACTVS, vt contrà factus erat Antonius libro ſecundo de Oratore. NON CONSVESSET, quum à teneris aſſueſcere multum ſit, vt ait Poëta. NON POSSET, vti contentione,

vt C.

vt C. Cotta vti non poterat, ſupra. hinc M. Cælius epiſtola decima libri octaui Familiarium illum in accuſatione ſatis frigidum fuiſſe ſcripſit. HOC VNVM, hoc tertium officium, hæc tertia laus. ILLI, M. Callidio. DEFVIT, deeſſe plus ſignificat, quàm abeſſe. & abfuit, defuit, προσωνομασία. QVIN ETIAM, ab exemplo, quod dixit, probat. ACCVSATIONE SVA, qua Q. Gallium accuſauit, à quo Q. Callidius ipſius M. Callidii pater ex Prætura Hiſpanienſi fuerat accuſatus, vt ait Aſconius. Q. GALLIO, quem Cicero reum ambitus defendit. Hic enim quum eſſet Præturæ candidatus, quòd in Aedilitate, quam ante annum geſſerat, beſtias non habuerat, dedit gladiatorium ſub titulo, patri ſe id dare, vt ſcribit Aſconius, dum interpretatur orationem contra Catilinam, & Antonium: ex quibus quidem verbis homines docti ſuſpicati ſunt apud eundem Aſconium in interpretatione orationis pro Cornelio ſic legi oportere: iudicium id exercuit Q. Gallius Prætor: nos vero legendum ſuſpicamur: iudicium id exercuit C. Gallus Prætor: quòd Cicero Prætor Cornelium defendit, & C. Aquilius Gallus Ciceronis in Prætura collega fuit, vt ſupra diximus: contrà verba ipſa Aſconii oſtendunt Q. Gallium Præturam petiſſe. nam ſi Præturæ candidatus gladiatorium dedit, vt loquitur Aſconius, & Catilina Conſularis candidatus gladiatores perſpexit, non erat Gallius eo tempore Prætor, quo Cic. Prætor Cornelium defendit: etſi ſatis ego ſcio, Catilinam bis Conſulatum petere voluiſſe. Quin Q. Gallius poſt Cæſaris mortem videtur apud Suetonium in Auguſto Prætor fuiſſe, quamuis ibi Q. Gallus, non Q. Gallius legatur: ſed Appianus libro tertio Q. Gallium, & quidem M. Gallij fratrem vocat. De M. vero Gallio meminit idem Suetonius in Tiberio: & ob id nos epiſtola quarta libri octaui Familiarium, à Galliis duobus, etiam ſupra legendum eſſe diximus: vt M. Cælius Q. & M. Gallios ſignificet. EVM, Q. Gallium. CHIROGRAPHA, TESTIFICATIONES, INDICIA, QVAESTIONES, lege librum ſecundum ad Herennium. ſunt enim argumentationes, quas Ariſtoteles ἀτέχνους vocat, vt Cicero in Topicis, & Quintilianus libro quinto capite primo docent. HOC IPSVM, quod poſtea ſequitur. POSVISSE, in oratione, quam ſcripſi pro Gallio: quam Valerius Maximus libro octauo capite decimo, & Nonius Marcellus in verbo logi nominarunt. &, memini me poſuiſſe, dixit Cicero; quo loco Laurentius Vallenſis dixiſſet, memini me ponere. PRO ARGVMENTO, ad diluendum crimen, paulo poſt. ILLE, M. Callidius. MORTIS, quam ſibi Q. Gallius inferre voluiſſet. MANV TENERE, ſic manifeſtam rem deferre, vt eam manu teneret. TV ISTVC, tu iſtud, Valerius Maximus libro octauo capite decimo videtur legiſſe. Sunt enim verba ex oratione Ciceronis pro Gallio deſcripta. NISI FINGERES, SIC AGERES? ita refert etiam Valerius Maximus libro octauo capite decimo: Quintilianus vero libro vndecimo capite tertio ſic interpretari videtur: an iſta, ſi vera eſſent, ſic à te dicerentur? non igitur ſic ageres. nám ἐὰν ᾖ ὕβρις, ὀργιζομένου λέξις, vt ait Ariſtoteles libro tertio Rhetoricæ. Nec Demoſthenes credebat illum vapulaſſe, qui frigide id ipſum referebat, vt ait Porphyrio apud Horatium in arte poëtica. ISTA, tua. DEFENDERE ACERRIME SOLEAS, videtur mos illius fuiſſe, vt bene defenderet, male accuſaret. hinc M. Cælius epiſtola nona libri octaui Familiarium ſic ait: Callidius in defenſione ſua fuit diſertiſsimus, in accuſatione ſatis frigidus. Cælius ipſe contrà videtur melius accuſaſſe, quàm defendiſſe; ſupra. TVVM, periculum. NEGLIGERES? videris enim negligere, quum tam ſolute, tam leniter, tam oſcitanter agas, paulo ante. VBI DOLOR? VBI ARDOR ANIMI? penè exprimit oratio-

nem, qua vti ille debuit. SOLET, etſi ſolet elicere voces, & querelas ex infantium ingeniis, multo magis ex hominis ita grandis ingenio elicere deberet, & eliceret, niſi fingeres. NVLLA PERTVRBATIO ANIMI, fuit in te, dum diceres. at fuiſſet, ſi vera diceres, quum orator, vt libro ſecundo de Oratore dicitur, in alienis periculis, nedum in ſuis perturbari ſoleat. NVLLA CORPORIS, præſertim vultus, quo mœſto, & conturbato in hiſce rebus vti oportet, vt lib. tertio ad Herennium ſcribitur. FRONS NON PERCVSSA, quæ tamen in dolore percuti ſolet, vt epiſtola prima libri primi ad Atticum, apud Homerum libro vigeſimo ſecundo Iliados, & apud Ariſtophanem in Pluto videmus: & libro tertio ad Herennium dicitur, in hiſce rebus ictu capitis vtendum eſſe: quamuis Quintilianus libro vndecimo capite tertio diſſentiat: qui etiam complodere manus ſcenicum putat, & pectus cædere. NON FEMVR, non femur percuſſum. nam ferire femur, quod Athenis primus feciſſe creditur Cleon, & vſitatum eſt, & indignantes decet, & excitat auditorem, vt ait Quintilianus libro vndecimo capite tertio, cui Plutarchus in Nicia aſſentitur, vbi dicit, τ̀ μηρὸν παίσαντα, vt ſupra de Cleone retulimus. SVPPLOSIO, ſupra. TANTVM ABFVIT, tantum abeſt, Quintilianus lib. vndecimo capite tertio videtur legiſſe. VIX TENEBAMVS, nam ſi male mandata loqueris, aut dormitabo, aut ridebo, vt ait Horatius in Arte poëtica. ORATORIS, M. Calidii. SANITATE, ſi conſilio id faciebat, paulo ante. VITIO, ſi faciebat cæteris cauſis, quæ dictæ ſunt. CRIMEN, quod obiiciebat Q. Gallio de veneno, ſupra. VSI SVMVS, in oratione noſtra.

Tum Brutus, Atqui dubitamus, inquit, vtrum iſta ſanitas fuerit, an vitium? quis enim non fateatur, cum ex omnibus oratoris laudibus longe iſta ſit maxima, inflammare animos audientium, & quocunque res poſtulet modo flectere; qui hac virtute caruerit, id ei, quod maximum fuerit, defuiſſe? Sit ſanè ita, inquam: ſed redeamus ad eum, qui iam vnus reſtat, Hortenſium: cum de nobiſmet ipſis, quoniam id etiam Brute poſtulas, pauca dicemus. quanquam facienda mentio eſt, vt quidem mihi videtur, duorum adoleſcentium: qui ſi diutius vixiſſent, magnam eſſent eloquentiæ laudem conſecuti. C. Curionem te, inquit Brutus, & C. Licinium Caluum arbitror dicere. Recte, inquam, arbitraris, quorum quidem alter, quod veriſimile dixiſſet, ita facile ſolutéque verbis voluebat ſatis interdum acutas, crebras quidem certe ſententias, vt nihil poſſet ornatius eſſe, nihil expeditius. atque hic à magiſtris parum inſtitutus naturam habuit admirabilem ad dicendum. induſtriam non ſum expertus: ſtudium certe fuit. qui ſi me audire voluiſſet, vt cœperat, honores, quàm opes, conſequi maluiſſet. Quidnam eſt, inquit, iſtuc? & quemadmodum diſtinguis? Hoc modo, inquam. Cum honos ſit præmium virtutis, iudicio ſtudióque ciuium delatum ad aliquem: qui eum ſententiis, qui ſuffragiis adeptus eſt, is mihi & honeſtus, & honoratus videtur. qui autem occaſione

aliqua etiam inuitis ſuis ciuibus nactus eſt imperium, vt ille cupiebat hunc nomen honoris adeptum, non honorem, puto. quæ ſi ille audire voluiſſet, maxima cum gratia & gloria ad ſummam amplitudinem perueniſſet, aſcendens gradibus magiſtratuum, vt pater eius fecerat, vt reliqui clariores viri. quæ quidem etiam cum P. Craſſo M. F. cum initio ætatis ad amicitiam ſe meam contuliſſet, ſæpe egiſſe me arbitror, cum eum vehementer hortarer, vt eam laudis viam rectiſsimam eſſe duceret, quam maiores eius ei tritam reliquiſſent. erat enim cum inſtitutus optime, tum etiam perfecte planéque eruditus: inerátque & ingenium ſatis acre, & orationis non inelegans copia: prætereáque ſine arrogantia grauis eſſe videbatur, & ſine ſegnitia verecundus. ſed hunc quoque abſorbuit æſtus quidam inſolitæ adoleſcentibus gloriæ: qui quia nauarat miles operam Imperatori, Imperatorem ſe ſtatim eſſe cupiebat: cui muneri mos maiorum ætatem certam, ſortem incertam reliquit. ita grauiſsimo ſuo caſu, dum Cyri & Alexandri ſimilis eſſe voluit, qui ſuum curſum tranſcurrerant, & L. Craſsi, & multorum Craſſorum inuentus eſt diſsimillimus.

EX OMNIBVS, ex tribus, ſupra. MAXIMA, partitione tertia, genere maxima, ſupra. MODO, quocunque modo: vel, modo, dummodo. alii tollunt. SIT SANE, συγχωρητέον. REDEAMVS, vt facturos nos ſupra diximus. QVVM DE, aliter tum de, rectè. POSTVLAS, quum dicis, te properare audire de me, ſupra. CONSECVTI, dichoreo vtitur, quum de duobus oratoribus bonis loquatur. ALTER, C. Scribonius C. F. Curio, vnus ex illis tribus oratoribus, de quibus Plinius libro ſeptimo capite quadrageſimo primo ſcribit. ſed de patre, & auo ſupra dictum eſt: hic iuuenis auerſus, & aduerſus ita fuit impudicus, vt Cicero epiſtola vndecima libri primi ad Atticum Curionis filiolam vocet, & Philippica ſecunda dicat, neminem vnquam puerum emptum libidinis cauſa tam fuiſſe in domini poteſtate, quàm M. Antonius in Curionis poteſtate fuit: vt merito ſcribat Paterculus, Curionem ſuæ, alienæque pudicitiæ prodigum fuiſſe: quem, vt epiſtola quarta libri decimi ad Atticum ſcribitur, natura, non patris culpa corrupit. Sed, Cicerone autore, pater ipſum à M. Antonii non modo familiaritate, ſed etiam congreſsione patrio iure, & poteſtate prohibuit, vt Cicero Philippica ſecunda, & Plutarchus in Antonio ſcribunt. Itaque tum demum Curio patris, & Ciceronis fideliſsimis, & amantiſsimis conſiliis parere cœpit, epiſtola prima libri ſecundi Familiarium: & Reges odiſſe ſuperbos, & vnus loqui, & palàm Cæſari, Pompeio, & Craſſo aduerſari ita, vt illi plauderetur, vt ſalua Repub. Pompeio plaudi ſolebat, epiſtola octaua, decima octaua, & decima nona libri ſecundi ad Atticum. ob id Vectius pollicitus eſt Cæſari, ſeſe curaturum, vt ille in aliquam ſuſpicionem adduceretur, epiſtola vigeſima quarta libri ſecundi ad Atticum. hinc in oratione in Vatinium ita loquitur Cicero: Curionem cum filio principe iuuentutis cum Repub. coniunctiore etiam, quàm ab illa ætate poſtulandum fuit, delere voluiſti. Hic Ciceroni exuli non defuit: vnde Cicero illius in ſe be-

neficia clariſsima, & maxima fuiſſe epiſtola prima, & ſexta libri ſecundi Familiarium teſtatur. Deinde Quæſtor, vel alicuius imperatoris, vt mos erat, contubernalis in Aſiam profectus eſt, vt ex epiſtola ſexta libri ſecundi Familiarium cognoſcimus. Ibi quum magnam ſui expectationem concitaſſet, patrem amiſit. quare miſit Romam, qui munus ſuo nomine declaret, epiſtola prima, ſecunda, & tertia lib. ſecundi Familiarium: id munus ille poſtea reuerſus dedit eo modo, quem Plinius libro trigeſimo ſexto capite decimo quinto, etiam querens, deſcribit. Tunc etiam dicitur epiſtola ſeptima libri ſecundi Familiarium ſacerdotium petiiſſe, vel Auguratum: vnde Plutarchus in Antonio ſcribit, ab eo paulo poſt M. Antonium Augurem factu fuiſſe: vel patris Pontificatum, vt ob id à Dione libro quadrageſimo Pontifex appelletur. Quum vero Seruius Tribunus plebis deſignatus fuiſſet condemnatus, eius locum petiit, epiſtola quarta libri octaui Familiarium: & ita Tribunus plebis eſt factus. Quare Cicero epiſtola ſeptima libri ſecundi Familiarium illi gratulatur, illúmque hortatur, vt omnia gubernet, & moderetur ſua prudentia. Verebatur enim Cicero, ne, quod poſtea factum eſt, illum auferrent aliorum conſilia. Et ſanè multis incutiebat magnum metú, epiſtola quarta libri octaui Familiarium: Cælius tamen videbat illum ſe dupliciter iactaturum, primum, vt aliquid Cæſari adimeret: inde, vt aliquid Pompeio tribueret, epiſtola nona lib. octaui Familiarium. & recte tum ſenſit. nam Cæſari, vt qui forte paternas, & ſuas inimicitias perſequeretur, aduerſatus eſt à principio, vt Liuius lib. centeſimo nono ſcripſit: ſed poſtea, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Cæſare loqui cœpit, epiſtola decima libri octaui Familiarium: quod Cicero putarat, epiſtola decima tertia libri ſecundi Familiarium: &, vt Appianum mittam, Dion libro quadrageſimo ſcribit, eum primo ſimulaſſe, & illam de intercalando cauſam quæſiiſſe, ne ſine cauſa ſententiam mutaſſe videretur: quum re vera Cæſar ipſum, & L. Aemilium Paulum Conſulem ingenti mercede defenſores paraſſet, vt ait Suetonius. Nam Curio, inquit Paterculus, primo pro Pompeii partibus, id eſt, vt tunc habebatur, pro Repub. mox ſimulatione contra Pompeium, & Cæſarem, ſed animo pro Cæſare ſtetit, id gratis, an accepto centies H-s. fecerit, vt accepimus, in medio relinquemus. Seruius Grammaticus libro ſexto Aeneidos illum viginti ſeptem milia aureorum, vel ſeſtertiorum, vt in aliis libris legitur, accepiſſe ſcribit. Plutarchus vero in Pompeio, & Cæſare, Appianus, & Dion illum tantum graui ære alieno liberatum fuiſſe teſtantur. Hinc Lucanus libro quarto ſic ait: momentúmque fuit mutatus Curio rerum, Gallorum captus ſpoliis, & Cæſaris auro: & Poëta libro ſexto Aeneidos: Vendidit hic auro patriam, dominúmque potentem impoſuit, quamuis neminem nominarit. Atq. hæc quidem L. Paulo, C. Marcello Conſulibus ipſe Tribunus plebis fecit: anno vero ſequenti L. Lentulo, C. Marcello Conſulibus Tribunitius Curio quũ eſſet, Tribunos plebis ad Comitiorum ius, vt ait Cæſar libro primo de Bello ciuili, euocauit. Nec verum eſt, quod libro ſecundo ſcribit Appianus, illum M. Antonii, & Q. Caſsii, qui tunc erant Tribuni plebis, collegam fuiſſe: quamuis ad Cæſarem ſimul ſint profecti, epiſtola decima libri decimi ſexti Familiarium: vbi ſunt illa verba: Curio meus Cæſarem incitabat, quod & cæteri ſcriptores affirmant, & Lucanus lib. primo facit illum cum Cæſare orantem, vt moras tollat, vt ſuſtulit, & ipſum Curionem cum tribus cohortibus miſit, qui Tignium recepit: paulóque poſt illum Cæſar alteris caſtris, quæ ad alteram partem Corfinii poſuerat, præfecit: nec ita multo poſt illum in Siciliam Proprætorem cum legionibus tribus miſit: & eundem

dem, quum Siciliam recepiſſet, protinus in Africam traducere exercitum iuſsit, vt Cæſar libro primo de Bello ciuili ſcribit. Curio vero ex itinere venit ad Ciceronem, & ei nihil occultauit, epiſtola quarta libri decimi ad Atticum: cuius aduentu cognito, M. Cato, qui Siciliam obtinebat, ex prouincia fugit, vt Cæſar libro primo de Bello ciuili, & Cicero epiſtola decima ſexta libri decimi ad Atticum ſcribunt. Curio deinde in Africam profectus, quum ſatis feliciter à principio rem geſsiſſet, imperator, vt Appianus libro ſecundo refert, eſt appellatus: ſed paulo poſt cum omnibus penè copiis, pugnans ipſe fortiter, ab exercitu Iubæ regis fuit interfectus, vt Cæſar libro ſecundo de Bello ciuili, Appianus libro ſecundo, Dion libro quadrageſimo primo, Liuius libro centeſimo decimo, & Lucanus libro quarto, ſcribunt. QVOD VERISIMILE DIXISSET, in eo, quod veriſimile narraſſet. nam veriſimilis eſſe debet narratio, vt Rhetores docent. SOLVTEQVE, ſupra, ſolute, & ſuauiter dicere. HIC, Curio. PARVM INSTITVTVS, vt corruptus, ſupra. NATVRAM HABVIT ADMIRABILEM, ſic Brutus ſupra. Curio igitur ſummo ingenio fuit præditus, cuius magna fuit expectatio, epiſtola prima libri ſecundi Familiarium. hinc Lucanus ait libro quarto, haud alium tanta ciuem tulit indole Roma. Sed homo fuit ingenioſiſsime nequam, & facundus malo publico, vt ait Paterculus. NON SVM EXPERTVS, quòd ille diu abſuit, & quum rediſſet ille, ego ſum in Ciliciam profectus ita, vt, quum ille diceret in Tribunatu præſertim, ego abeſſem. VT COEPERAT, quum puer olim meis fideliſsimis, atque amantiſsimis conſiliis paruit, epiſtola prima libri ſecundi Familiarium. MALVISSET, dichoreus. DISTINGVIS? honores, opes? HOC MODO, diſtinguo. HONOS, hic honorem non tam definit, quàm deſcribit: quem tamen alibi ipſe Cicero, Plato libro quinto de Legibus, & Ariſtoteles libro primo Rhetoricæ paulo aliter deſcribunt. EVM, honorem. SENTENTIIS, ſenatus. SVFFRAGIIS, populi. ILLE, Curio, de quo loquimur. CVPIEBAT, ita, vt quum Proprætor à Cæſare factus fuiſſet, & ſex faſces præferret, à Cicerone ſit quodam modo deriſus, epiſtola quarta libri decimi ad Atticum. QVAE, quas res. ILLE, Curio. GRADIBVS MAGISTRATVVM, qui ſunt Aedilitas, Prætura, & Conſulatus. PATER, C. Scribonius Curio, ſupra. P. CRASSO, de quo in verbis ipſis dicemus, ſed nunc illud dicimus, ei Marcum fratrem fuiſſe, quod epiſtola octaua libri quinti Familiarium cognoſces. M. F. Marci, cuius vitam ſcribit Plutarchus, filius. INITIO AETATIS, à pueritia ſua, ab ineunte ſua ætate, epiſtola octaua libri quinti, & epiſtola decima ſexta libri decimi tertii Familiarium. AD AMICITIAM SE MEAM CONTVLISSET, ὁ γὰρ πόπλιος ἦν φιλόλογος, καὶ φιλομαθὴς, ἐραστὴς τοῦ κικέρωνος, ὥστε καὶ συμμεταβαλεῖν αὐτῷ τὴν ἐσθῆτα κρινομένῳ, καὶ τοὺς ἄλλους νέους ταὐτὸ ποιοῦντας παρασχεῖν. τέλος δὲ τὸν πατέρα πεῖσαι φίλον ἐποίησεν, vt in Craſſo ſcribit Plutarchus. & amor fuit mutuus, vt oſtendit Cicero, ſic epiſtola octaua libri quinti Familiarium ſcribens: Craſſos ego quidem ambos vnice diligo, ſed in Marco beneuolentia impari. hoc magis ſum Publio deditus, quòd me quanquam à pueritia ſua ſemper, tamen hoc tempore maxime, ſicut alterum parentem, & obſeruat, & diligit: & epiſtola decima ſexta libri decimi tertii Familiarium: P. Craſſum ex omni nobilitate adoleſcentem di lexi plurimum: & epiſtola ſexta libri ſecundi ad Q. fratrem: interſuit huic ſermoni P. Craſſus noſtri, vt ſcis, ſtudioſiſſimus. MAIORES, Licinii. TRITAM, tranſlatio. ERAT, P. Craſſus. ENIM, εὐλογία, quare hortaretur. OPTIME INSTITVTVS, ita, vt bene poſſem ſperare, epiſtola decima ſexta libri decimi tertii Familiarium.

ERVDITVS, nam ſecum ſolebat habere Apollonium libertum ſui ſtudioſum, & ad ſua optima ſtudia vehementer aptum, eadem epiſtola. VERECVNDVS, ob haſce virtutes omnes Oroſius illum libro ſexto capite decimo tertio lectiſsimum iuuenem, & Eutropius libro ſexto clariſsimum, & præſtantiſsimum iuuenem vocant. HVNC, P. Craſſum. QVOQVE, vt Curionem poſtea. ABSORBVIT, in bello Parthico, in quo grauiter vulneratus, armigero latus transfigendum præbuit, vt Plutarchus in Craſſo ſcribit: & ſic occidit, vt Liuius libro centeſimo ſexto, Oroſius libro ſexto capite decimo tertio, & Eutropius libro ſexto referunt: quum ad id bellum ex Gallia veniſſet, à Cæſare, vt Appianus in Parthico refert, cum equitibus mille miſſus, & quidem aliquanto poſt patris profectionem, vt ex epiſtola octaua libri quinti Familiarium cognoſcitur. In huius poſtea locum Cicero fuit Augur cooptatus, vt ex Plutarcho ſupra retulimus. QVIDAM INSOLITAE, aliter quidam non inſolitæ. NAVARAT, etiam præclare, vt Cæſar libro ſecundo, & tertio de Bello Gallico ſcribit. MILES, opponitur imperatori. IMPERATORI, Cæſari. AETATEM CERTAM, poſt annum potiſsimum quadrageſimum primum, quo Prætores fieri poterant, & ſic deinde bella gerere. SORTEM INCERTAM, nam ſæpe prouincias, in quibus bella erant gerenda, ſortiebantur, vt ſæpe Liuius oſtendit. CYRI, Cyri minoris, qui non ita multo poſt patris mortem Artaxerxi bellum intulit, & in eo fuit interfectus. Itaque quum eſſet fratre minor natu, & ita cito perierit, cognoſcimus adoleſcentem fuiſſe. hiſtoria eſt apud Xenophontem libro primo κύρου τῆς ἀναβάσεως, & apud Iuſtinum libro quinto. Cyrus vero Maior ſenex admodum mortuus eſt, vt Xenophon libro octauo τῆς παιδείας ſcribit: id eſt, vt Cicero refert libro primo de Diuinatione, quum ad annum ſeptuageſimum perueniſſet. ALEXANDRI, Alexandri Magni, qui tertio & trigeſimo anno mortem obiit, vt Cicero Philippica quinta, præter alios, oſtendit. SIMILIS ESSE VOLVIT, voluit & ipſe admodum adoleſcens bella gerere, vt Cyrus, & Alexander admodum adoleſcentes bella geſſerunt. SVVM CVRSVM TRANSCVRRERANT, vltra curſum ætatis progreſsi fuerant. L. CRASSI, L. Craſſi oratoris, ſupra. DISSIMILLIMVS, quia feſtinauit nimis, & cito periit, quum L. Craſſus, & alii Craſsi lente, vt dicitur, feſtinarint, & diutius vixerint, maximos honores aſſecuti.

Sed ad Caluum (is enim nobis erat propoſitus) reuertamur: qui orator fuiſſet cum literis eruditior, quàm Curio; tum etiam accuratius quoddam dicendi & exquiſitius afferebat genus: quod quanquam ſcienter elegantérque tractabat, nimium tamen inquirens in ſe, atque ipſe ſeſe obſeruans, metuénſque ne vitioſum colligeret, etiam verum ſanguinem deperdebat. itaque eius oratio, nimia religione attenuata, doctis & attente audientibus erat illuſtris; à multitudine autem & à foro, cui nata eloquentia eſt, deuorabatur.

CALVVM, C. Licinium Caluum C. Licinii Macri, de quo diximus, filium, vt apud Valerium Maximum libro nono capite duodecimo videre poteris; qui natus eſt ad V. Cal. Iun. C. Mario, Cn. Carbone Coſs. vt ſupra

de M. Cælio retulimus. Huius vitam Crinitus, & Lilius ſcripſerunt: nos vero, quod ad rem pertinere videbitur, hic referemus, vt illud, quod in Auguſto Suetonius ſcribit: Caluum iuxta Romanum forum ſupra ſcalas annularias habitaſſe: & quod Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus ita ſcribit: ipſe mihi Caluus quum vnum & viginti libros reliquerit, vix in vna, aut altera oratiuncula ſatisfacit: nec diſſentire cæteros ab hoc meo iudicio video: Quotus enim quiſque Calui in Aſitium, aut in Druſum legit? At hercule in hominum ſtudioſorum manibus verſantur accuſationes, quæ in Vatinium conſcribuntur, ac præcipue ſecunda ex his oratio. eſt enim verbis ornata, & ſententiis auribus iudicum accomodata, vt ſcias ipſum quoque Caluum intellexiſſe, quid melius eſſet, nec voluntatem, quin ſublimius, & cultius diceret, ſed ingenium, ac vires defuiſſe: de quo tamen Cicero dicit epiſtola vigeſima prima libri decimi quinti Familiarium ſe bene exiſtimaſſe: quamuis ipſum Caluum exanguem, & tritum ſibi videri ſcripſerit, quòd ille contra Ciceronem ſolutum, & eneruem dicebat, vt Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus affirmat. hinc fortaſſe Seneca libro ſeptimo Declamationum, & libro quarto Controuerſiarum dixit: illum cum Cicerone iniquiſsimam litem de principatu eloquentiæ habuiſſe. Quintilianus illi ſanctitatem libro duodecimo capite decimo, & iudicium libro decimo. capite primo tribuit: de quo Cicero ſic epiſtola vigeſima prima libri decimi quinti Familiarium ſcribit: Caluus genus quoddam ſequebatur: in quo iudicio lapſus, quo valebat, tamen aſſequebatur, quod probaret. Triſtior à Cornelio Tacito in dialogo de Oratoribus, violentus item accuſator, & concitatus, & diſertus à Seneca libro quarto Controuerſiarum vocatur. Atque hæc quidem de illo vt oratore dicuntur: quem tamen eundem poëtam fuiſſe conſtat: & Seneca libro quarto Controuerſiarum poſteaquam illum laudauit vt oratorem, laudat vt poëtam: & Catullus eundem non ſemel vt oratorem, & poëtam deſcribit. Vt poëta igitur verſus in Cæſarem ſcripſit, vt Suetonius oſtendit: ſcripſit & in Tigellium: vnde verſum refert interpres Horatii ſatyra tertia libri primi: Sardi Tigelli putridum caput venit: hinc Cicero de Tigellio loquens epiſtola vigeſima quinta libri ſeptimi Familiarium ſcribit ita: eum addictum iam tum puto eſſe Calui Licinii Hipponacteo præconio. hic amauit Quintiliam, vt Catullus, & Propertius libro ſecundo, ſunt autores: & carmina quum ingentis animi plena, vt ait Seneca libro quarto Controuerſiarum, tum ſæpe etiam laſciua ſcripſit, vt Ouidius lib. ſecundo de Triſtibus oſtendit. ERAT PROPOSITVS, cum Curione, ſupra. FVISSET, vel legendum eſt: fuit, ſed: vel dicendum hic aliquid deeſſe, atque id ipſum à Cicerone dedita opera factum: qui volebat ſignificare, Caluo neſcio quid defuiſſe, ſed fortaſſe veritus, ne Brutum, qui videtur illius amicus fuiſſe, offenderet, tacuit. In eo vero Cicero vim potiſsimum deſiderabat, vt epiſtola vigeſima prima libri decimi quinti Familiarium demonſtrat. LITERIS, quæ in eo erant multæ, & reconditæ, ibidem. CVRIO, qui à magiſtris parum fuit inſtitutus, ſupra. ACCVRATIVS, vt hic apparet. AFFEREBAT GENVS, ſequebatur genus, epiſtola vigeſima prima libri decimi quinti Familiarium. TRACTABAT, ſic, vt aſſequeretur, quod probaret, ibidem. NIMIVM, quòd manum de tabula neſciret tollere, vt eſt in prouerbio. SANGVINEM DEPERDEBAT, hinc Quintilianus libro decimo capite primo ſic ait: inueni, qui Ciceroni crederent, Caluum nimia contra ſe calumnia verum ſanguinem

perdidiſſe: quamuis ibi multis in libris, Cælium, legamus. aliter ſanguinem dependebat. aliter ſanguinem deprehendebat. alii, ſanguinem deprauabat. NIMIA RELIGIONE, nimiam calumniam Quintilianus in verbis, quæ paulo ante retulimus, videtur vocare. DOCTIS, qui poterant iudicare. ATTENTE AVDIENTIBVS, quòd niſi attente audiſſent, ne illis quidem fuiſſet illuſtris, vſque adeo erat attenuata. MVLTITVDINE, cuius iudicium cum intelligentium iudicio debet in oratore probando congruere, ſupra. FORO, hominibus in foro verſantibus. μετωνυμία. NATA, potiſsimum. quamuis enim roſtris etiam, & curiæ, id eſt laudationi, & deliberationi ſit nata, iudicio tamen potiſsimum nata videbatur, quòd frequentius eam exercerent in foro, cui natam fuiſſe dixit etiam hoc loco, vt eos morderet magis, qui Thucydidem imitarentur, qui forenſe concertatorium iudiciale non tractauit genus, infra: quique ab ipſo foro ſint irriſi, vt ait Tuſculana ſecunda. Forum tamen Romæ roſtra, & curiam continebat. DEVORABATVR, intelligi non poterat, vt cibi guſtari non poſſunt, quum deuorantur. tranſlatio.

Tum Brutus, Atticum ſe, inquit, Caluus noſter dici oratorem volebat: inde erat iſta exilitas, quam ille de induſtria conſequebatur. Dicebat, inquam, ita: ſed & ipſe errabat, & alios etiam errare cogebat. nam ſi quis eos, qui nec inepte dicunt, nec odioſe, nec putide, Attice putat dicere, is recte niſi Atticum probat neminem: inſulſitatem enim & inſolentiam tãquam inſaniam quandam orationis odit, ſanitatem autem & integritatem quaſi religionem, & verecundiam oratoris probat. hæc omnium debet oratorum eadem eſſe ſententia. ſin autem ieiunitatem, & ſiccitatem, & inopiam, dum modo ſit polita, dum vrbana, dum elegans, in Attico genere ponit: hoc recte duntaxat: ſed quia ſunt in Atticis alia meliora, videat ne ignoret & gradus, & diſsimilitudines, & vim, & varietatem Atticorum. Atticos, inquit, volo imitari. quos? nec enim eſt vnum genus. nam quid eſt tam diſsimile, quàm Demoſthenes & Lyſias? quàm idem & Hyperides? quàm omnium horum Aeſchines? quem igitur imitaris? ſi aliquem, cæteri ergo Attice non dicebant: ſi omneis, qui potes, cum ſint ipſi diſsimillimi inter ſe? in quo illud etiam quæro, Phalereus ille Demetrius Attice ne dixerit? mihi quidem ex illius orationibus redolere ipſæ Athenæ videntur. at eſt floridior, vt ita dicam, quàm Hyperides, quàm Lyſias: natura quædam, aut voluntas ita dicendi fuit. & quidem duo fuerunt per idem tempus diſsimiles inter ſe, ſed Attici tamen, quorum Chariſius multas orationes, quas ſcribebat aliis, cum cupere videretur imitari Lyſiam; Demochares autẽ, qui fuit Demoſthenis ſororis filius, & orationes ſcripſit aliquot, & earum rerũ hiſtoriam, quæ erant Athenis ipſius ætate geſtæ, non tam hiſtorico, quàm oratorio genere perſcripſit. At Chariſii vult Hegeſias eſſe

ſimilis, iſque ſe ita putat Atticum, vt veros illos præ ſe penè agreſteis putet. At quid eſt tam fractum, tam minutum, tam in ipſa, quam tamen conſequitur, concinnitate puerile? Atticorum ſimiles eſſe volumus. Optime. Sunt ne igitur ii Attici oratores? Quis negare poteſt? Hos imitamur. Quo modo? qui ſunt & inter ſe diſsimiles, & aliorum. Thucydidem, inquit, imitamur. Optime, ſi hiſtoriam ſcribere, non ſi cauſas dicere cogitatis. Thucydides enim rerum geſtarum pronunciator ſincerus, & grandis etiam fuit, hoc forenſe concertatorium iudiciale non tractauit genus. orationes autem quas interpoſuit, (multæ enim ſunt) eas ego laudare ſoleo, imitari neque poſsim, ſi velim, nec velim fortaſſe, ſi poſsim: vt ſi quis Falerno vino delectetur, ſed eo nec ita nouo, vt proximis Conſulibus natum velit; nec rurſus ita vetere, vt Opimium aut Anitium Conſulem quærat. Atqui eæ notæ ſunt optimæ, credo: ſed nimia vetuſtas nec habet eam, quam quærimus, ſuauitatem, nec eſt iam ſanè tolerabilis. Num igitur qui hoc ſentiat, ſi is potare velit, de dolio ſibi hauriendum putet? Minime: ſed quandam ſequatur ætatem, ſic ego iſtis cenſuerim, & nouam iſtam quaſi de muſto ac lacu feruidam orationem fugiendam, nec illam præclaram Thucydidi nimis veterem tanquam Anitianam notam perſequendam: ipſe enim Thucydides ſi poſterius fuiſſet, multo maturior fuiſſet, & mitior.

TVM BRVTVS, Brutum loquentem facit, ne ipſum videatur reprehendere, quem tamen hic, & in Oratore voluit monere, ne genus illud dicendi, quod Atticum quidam vocabant, ſequeretur, vt faciebat ita, vt Cicero epiſtola prima libri decimi quinti ad Atticum vereretur, ne Atticus de Bruti oratione iudicaturus, cognomine ſuo lapſus, ὑπεραττικὸσ eſſet in iudicando. VOLEBAT, erat enim imitator Atticorum, vt ait Quintilianus libro decimo capite primo. EXILITAS, vnde Cicero ſcripſit, eum ſibi exanguem, & tritum videri, vt paulo ante retulimus: & ii, qui ſic Attici dici voluerunt, à Quintiliano libro duodecimo capite decimo aridi, exucti, & exangues appellantur. ILLE, Caluus. ERRABAT, iudicio lapſus, vt ex epiſtola vigeſima prima libri decimi quinti Familiarium retulimus. ALIOS; vt ipſum Brutum, vt diximus. NAM, αἰτιολογία, quòd errent. & inſerit diſputationem, quam in Oratore, & in libello de Optimo genere oratorum Cicero, & Quintilianus libro duodecimo capite primo tractant. QVI NEC INEPTE DICVNT, NEC ODIOSE, NEC PVTIDE, qui bene dicunt, in libello de Optimo genere oratorum, λιτότησ. INSVLSITATEM, quum Attici ſint inprimis ſalſi, & faceti, vt lib. ſecundo de Oratore dicuntur: & quicquid ſalſum, & ſalubre eſt, proprium ſit Atticorum, vt ait in Oratore. ENIM, αἰτιολογία. INSOLENTIAM, nam verbum inauditum, & inſolens, vt ſcopulum fugiendum Cæſar etiam docuit, vt Gellius libro primo capite decimo refert. Attici vero in ea re ſic erant religioſi, vt Aeſchines etiam in Demoſthene verba quædam vt dura reprehẽderet, quod in Oratore Cicero ſcribit. TANQVAM, mollit tranſlationem, quæ

dura videatur, opponere inſaniam ſanitati eo modo. INSANIAM, quaſi inſanitatem, quum incorrupta ſanitas ſit propria Atticorum, in libello de Optimo genere oratorum. SANITATEM, bonam valetudinem, ibidem, & ſupra de M. Catone: ſanum genus dicendi, ſupra de M. Callidio. INTEGRITATEM, quæ ſit Atticorum, in libello de Optimo genere oratorum. BISE SENTENTIA, vt probent, quæ diximus. IEIVNITATEM, ET SICCITATEM, ET INOPIAM, erant enim, qui ieiunitatem, & famem ſe malle, quàm vbertatem, & copiam dicerent, Tuſculana ſecunda. DVMMODO SIT POLITA, DVM VRBANA, DVM ELEGANS, putabant enim, qui horride, incultéque diceret, modo id eleganter, enucleatéque faceret, eum ſolum attice dicere, in Oratore. HOC RECTE DVNTAXAT, dicit. ſic in Oratore: errant, quòd ſolum, quòd attice, non falluntur: & in libello de Optimo genere oratorum: id vero deſinant dicere, qui ſubtiliter dicunt, eos ſolos attice dicere. IN ATTICIS, illis, qui quum careant omni vitio, non ſunt contenti quaſi bona valetudine, ſed vires, lacertos, ſanguinem quærunt, quandam etiam ſuauitatem coloris, in libello de Optimo genere oratorum. ALIA, vt copia, ornatus, grauitas, amplitudo, & reliqua id genus, quæ Tuſculana ſecunda, in Oratore, & in libello de Optimo genere oratorum dicuntur. MELIORA, his, quæ modo diximus. IGNORET, vt ignorat. erat enim genus Atticorum his ipſis, qui id ſequi ſe profitebantur, ignotum, Tuſculana ſecunda: quòd Atticorum oratorum ipſa vis eſſet ignota, nota gloria, lege libellum de Optimo genere oratorũ. GRADVS, qui tres ſunt potiſsimum, ſupremus, medius, & infimus: & in quo ſunt omnia, eſt orator peritiſsimus: in quo media, mediocris: in quo minima, deterrimus: vt inuenies in libello de Optimo genere oratorum. DISSIMILITVDINES, paulo poſt. INQVIT, Caluus, vel potius aliquis. eſt autem ἀναλογισμὸς VNVM GENVS, imo vero eſt vnum genus, vt in libello de Optimo genere oratorum docet: ſed ibi genus ſummum, hic medium, id eſt ſpeciem, ſiue formam, vt etiam diximus ſupra, ſignificat: hinc Quintilianus libro duodecimo capite decimo ait: oratores Atticos, vt homines, inter ſe genere ſimiles, differentes ſpecie dixeris. NAM, ἀλλολογία, quòd vnum non ſit genus. DEMOSTHENES, ET LYSIAS, Demoſthenes enim grandis eſt, & Lyſias tenuis, ſupra, in Oratore, & in libello de Optimo genere oratorum. IDEM, Demoſthenes. HYPERIDES? ſupra. erant vero diſsimiles in eo potiſsimum, quòd Hyperides ſatis facetus, Demoſthenes minus habebatur, vt ait in Oratore. HORVM, Demoſthenis, Lyſiæ, & Hyperidis: AESCHINES? is enim cæteris oratoribus latior, audentior, & excelſior, plenior, & magis fuſus, vt Quintilianus libro duodecimo capite decimo, & libro decimo capite primo: Demoſthenis vero in omnibus rebus diſsimilis, vt Philoſtratus in Vitis ſcribit. QVEM, ex his, de quibus diximus. IGITVR, quum ſint ita diſsimiles? IMITARIS? tu, qui vis attice dicere? SI, λῆμμα. ALIQVEM, aliquem ex his, quos diximus, imitaris. ATTICE NON DICEBANT, tuo iudicio, qui putas illum ſolum attice dicere, qui ſubtiliter dicat, vt ante diximus: at ii, quos ſupra nominauimus, omnes non dicunt ſubtiliter: igitur attice non dicunt tuo iudicio Demoſthenes, & alii, qui non dicunt ſubtiliter. OMNES, imitaris. QVI POTES? tu, qui putas ſolum attice dicere, qui ſubtiliter dicat, qui potes omnes imitari, quum illi inter ſe ita ſint diſsimiles, vt alius ample, alius iucunde, alius aliter dicat? DISSIMILLIMI, vt dictũ eſt. PHALEREVS ILLE DEMETRIVS, ſupra. REDOLERE, quaſi cognoſci, emergere, & egredi, vt odor è floribus, cæteriſque

riſque rebus egreditur. IPSE ATHENAE VIDENTVR, nedum ipſe attice
dicere. ſic de Demoſthene in Oratore: hunc mirentur, quo Athenas quidem
ipſas magis credo fuiſſe Atticas. FLORIDIOR, ornatior, ſupra, & in Ora-
tore. VT ITA DICAM, accipit veniam, quòd, floridior, verbum rarius
vſurpetur: vel quòd tranſlatio ſit durior: qua tamen vti voluit, de Deme-
trio loquens, quem verbis tranſlatis frequenter vſum fuiſſe ſcribit in Ora-
tore. QVAM HYPERIDES, QVAM LYSIAS, qui tenues, & faceti fue-
runt, ſupra, & in Oratore. ITA, floride, & ornate. FVIT, in Deme-
trio. PER IDEM TEMPVS, quo fuit etiam Demetrius. nam Demetrius,
vt ſupra diximus, Demoſthenem iam ſenem audiuit: & Demochares, vt hic
etiam dicitur, fuit Demoſthenis ſororis filius. DISSIMILES INTER SE,
vt hic docet. CHARISIVS, de quo raro fieri mentionem videbis. MVL-
TAS ORATIONES, QVAS SCRIBEBAT ALIIS, verbum videtur deeſ-
ſe. aliter multarum orationum, quas ſcribebat aliis. forte legendum: mul-
tas orationes ſcribebat aliis. & ſcribebat aliis, vt Lyſias, quem volebat imi-
tari, ſcripſit, vt ſupra diximus, DEMOCHARES, qui ῥήτωρ ab Athenæo
dicitur libro vndecimo, vbi teſtatur, illum ſcripſiſſe, τὸ λόγον ὑπὲρ Σοφοκλέους
πρὸς Φίλωνα. hunc vt hominem ſceleſtum Timæus deſcripſit, ſed Polybius de-
fendit, vt refert Suidas, qui ſcribit, illum multos honores Athenis adeptū
fuiſſe. de quo quidem nos aliàs fortaſſe plura dicemus. DEMOSTHENIS
SORORIS FILIVS, ſic item libro ſecundo de Oratore, Δημοσθένους ἀδελφι-
δοῦς à Suida, & ab Aeliano lib. tertio de Varia hiſtoria, & ἀνεψιὸς ab Athe-
næo libro ſexto vocatur. ORATIONES SCRIPSIT, vt diximus. HISTO
RIAM, hinc Athenæus libro ſexto refert, illum ſcripſiſſe neſcio quid ἐν τῇ
εἰκοστῇ τῶν ἱστοριῶν. NON TAM HISTORICO, QVAM ORATORIO GENE-
RE, quamuis enim ſummi ſit oratoris hiſtoriam ſcribere, vt ait libro ſecun-
do de Oratore: diuerſum tamen eſt genus dicendi. Siquidem genus hoc ſcri
pturæ non modo liberum, ſed incitatum, atque elatum eſſe debet, epiſtola
ſeptima libri ſexti Familiarium: propterea quòd in hiſtoria narratur orna-
te, & regio ſæpe, aut pugna deſcribitur: interponuntur etiam conciones,
& hortationes, ſed in his tracta quædam, & fluens expetitur, non hæc con-
torta, & acris oratio, vt ait in Oratore. hiſtoria enim currere debet, ac fer-
ri, vt Quintilianus libro nono capite quarto ſcribit. nihil item eſt in hiſto-
ria pura, & illuſtri breuitate dulcius. Quæ quidem omnia oratorio dicen-
di generi non ſemper conueniunt. HEGESIAS, Hegeſias non Cyrenai-
cus, qui Philoſophus fuit, Tuſculana prima: ſed Hegeſias Magneſius, qui
fuit orator, qui dum imitari Lyſiam vult, alterum penè ſaltat Demoſthe-
nem, incidens particulas: & is quidem non minus ſententiis peccat, quàm
verbis, vt non quærat, quem appellet ineptum, qui illum cognouerit: vt ait
in Oratore. hinc Strabo lib. decimo quarto ſcribit, illum ſtyli Aſiatici fuiſ-
ſe autorem, Attico, qui tunc erat mutato: nec ab eo Theon Rhetor diſſen-
tit: Varro tamen huius dicendi genus laudabat, vt epiſtola ſexta libri duo-
decimi ad Atticum Cicero ſcribit. ESSE SIMILIS, dum Lyſiam, vt
Chariſius ipſe, vult imitari, in Oratore. PVTAT, vt ineptus, in Orato-
re. VEROS, aliter viros. ILLOS, Atticos. TAM FRACTVM, TAM
MINVTVM, quàm Hegeſias ipſe, qui particulas incidit, numeros infregit,
& concidit, in Oratore. PVERILE? incidit enim in genus abiectum, vt
ait in Oratore. QVO MODO? qui poteſtis? vt paulo ante, qui potes? ali-
ter quimodo. aliter quos? DISSIMILES, ſic paulo ante. THVCYDI-
DEM, ſupra. IMITAMVR, nos, qui Attici volumus appellari. ENIM,
εἰρωνεία, quare optime faciant, Thucydidem imitantes, ſi hiſtoriam velint

ſcribere. RERVM GESTARVM PRONVNCIATOR SINCERVS, ET GRANDIS ETIAM FVIT, rerum explicator prudens, ſeuerus, grauis, in Oratore. FORENSE, quo vtuntur oratores in foro, cui nata eſt eloquentia, ſupra genus turbæ ciuilis, & fori, vt libro primo de Oratore vocat. CONCERTATORIVM, quo quaſi concertant inter ſe oratores. NON TRACTAVIT, non enim in iudiciis verſauit cauſas, ſed in hiſtoriis bella narrauit. Itaque nunquam eſt numeratus orator, vt ait in Oratore. Hinc Marcellinus in vita Thucydidis ita ſcribit: ἐτόλμησαν δέ τινες ἀποφήνασθαι, ὅτι αὐτὸ τὸ εἶδος τῆς συγγραφῆς οὐκ ἔστι ῥητορικόν: quanquam tria illa genera in Thucydide reperiri poſſe contendit: ſed verum eſt, quod in libello de Optimo genere oratorum ſcribitur: aliud eſt explicare res geſtas narrando, aliud argumentando criminari, crimén que diſſoluere: aliud narratione tenere anditorem, aliud concitare. & interpretare, non tractauit, in ſcriptis. nam cauſas egit alioqui, vt nos ſupra diximus, & refert Marcellinus, vt quando, ἀπολογίαν ποιούμενος ὑπὲρ τοῦ Πυριλάμπους ἐνίκα. ORATIONES, conciones, in Oratore: & ipſe Thucydides, & Marcellinus δημηγορίας vocant. INTERPOSVIT, Thucydides. μόνος γὰρ ὁ συγγραφεὺς ἐξεῦρε τι δημηγορίας, καὶ τελείως ἐποίησε μετὰ κεφαλαίων καὶ διαιρέσεως, ὥστε καὶ στάσει ὑποπίπτειν τὰς δημηγορίας, ὅπερ ἐστὶ λόγων τελείων εἰκών, vt ait Marcellinus. nam & apud Herodotum, ac Xenophontem orationes, ſed neq. tales, & multo breuiores videbis. MVLTAE ENIM SVNT, & ita multas habent obſcuras, abditáſque ſententias, vix vt intelligantur, vt ait in Oratore: quod Cicero non videtur probare, vt Accium libro primo de Legibus non probat, quòd in orationibus multus, & ineptus eſſet: & Pompeius Trogus in Liuio, & Salluſtio reprehendit, quòd conciones directas pro ſua oratione operi ſuo inſerendo, hiſtoriæ modum exceſſerint, vt excedunt omnes penè, qui multas, & longas orationes interponunt: conciones tamen aliquas, & hortatiónes interponi poſſe Cicero in Oratore demonſtrat. EAS, orationes. IMITARI NEQVE POSSIM, modeſte de ſe loquitur: quanquam re vera neque Cicero, neque alius quiſquam facile poſsit illum imitari, cuius orationes vix intelligat. Sic enim dedita opera ſcripſit, ἵνα μὴ πᾶσιν εἴη βατός, vt ait Marcellinus. & quum inquit Cicero, ego neque imitari poſsim, deterret iſtos Atticos, ne conentur imitari, quem ipſe Cicero tantus orator imitari non poſsit. ſed ne è Græcis quidem quiſquam illum poteſt imitari, infra. NEC VELIM, neque in hiſtoria propter cauſas, quas diximus: neque in oratione ciuili: quia conciones ipſæ ita multas habent obſcuras, abditáſque ſententias, vix vt intelligantur, quod eſt in oratione ciuili vitium vel maximum, vt in Oratore ſcribitur. Quare ſi quis erit, qui Thucydidio genere cauſas in foro dicturum eſſe profiteatur, is abhorreat etiam à ſuſpicione eius, quæ verſatur in re ciuili, & forenſi, vt ait in libello de Optimo genere oratorum. VT, ſimilitudo. FALERNO VINO, quod Plinius, Athenæus, & alii ſcriptores valde commendant. aliter Phalerno vino. NOVO, ſcriptores enim quum vinum vetus ferè ſemper commendant, tum Athenæus libro primo de Falerno ita ſcribit: ὁ Φάλερνος οἶνος ἀπὸ ἐτῶν δέκα ἐστὶ πότιμος, καὶ ἀπὸ πεντεκαίδεκα μέχρι ἐτῶν εἴκοσι. PROXIMIS CONSVLIBVS, anno ſuperiore. VETERE, ὁ Φάλερνος γὰρ οἶνος ὑπὲρ τοὺς ἐτῶν εἴκοσι χρόνοι ἐκπίπτει, κεφαλαλγικὸς, καὶ τῶν νεύρων καθάπτεται, vt libro primo ſcribit Athenæus. OPIMIVM, L. Opimium, ſupra: quo quidem Conſule omnium generum vini bonitas fuit, vt ait Plinius libro decimo quarto capite quarto. ab hoc igitur Opimio Conſule celeberrimum Opimiani vini nomen, vt Paterculus libro ſecundo, Plinius libro decimo quarto capite decimo quarto, & Martialis in Xeniis oſtendunt. ANICIVM, L. Anicium

L.F.L.N.

L. F. L. N. Gallum vidimus in lapidibus Romanis: à quo credimus etiam Aniciana pyra dicta fuiſſe, de quibus Plinius libro decimo quinto capite decimo quinto meminit. CONSVLEM, annum ab V. C. quingenteſimum nonageſimum quartum: quo quidem anno L. Anicius Gallus cum M. Cornelio Cethego Conſul fuit. Romani vero per Conſules annos numerabant, & quàm vetus eſſet vinum ex Conſulibus diſcebant: hinc Martialis ait: de Sinueſſanis venerunt Maſsica prælis: condita quo quæris Conſule? nullus erat: vel Conſulem, nomen ipſius Conſulis ſcriptum in doliis, in quibus inſcriberentur Conſulum nomina, quibus Conſulibus vinum conditum fuiſſet, vt ex Martialis Xeniis, & ex Horatii libro tertio, ode vigeſima prima cognoſci poteſt. EAE, Opimiana, & Aniciana. NOTAE SVNT OPTIMAE, notæ ſunt optimi vini. NIMIA VETVSTAS, vt nimia vetuſtas eſt in vtraq. nota. nam ab Opimio Conſule ad hoc tempus anni ſeptuaginta ſex, ab Anicio vero Conſule centum quatuordecim minimum numerantur: & Athenæus ſcribit, vinum Falernum nimis vetus nocere, vt diximus. QVAERIMVS, in vino. HOC SENTIAT, intelligat in vino nimiam eſſe vetuſtatem, quæ nec habeat ſuauitatem, nec ſit tolerabilis. DE DOLIO, in quo vetus illud vinũ ſit. aliter de amphora: quæ videtur interpretatio quædam fuiſſe. QVANDAM, mediam, vt in Falerno ad annum vigeſimum, vt ex Athenæo retulimus. AETATEM, vim. SIC, ἀνταπόδοσις. EGO, qui nec nouum genus dicendi probo, & nimiam vetuſtatem ſentio non habere illam, quam quærimus ſuauitatem. ISTIS, qui nunc Attici volunt haberi, in quibus erat Brutus, vt diximus: & ob id, iſtis, potius dixit, quàm illis, quòd cum Bruto loquebatur, quem volebat monere: & ita ſæpe paulo poſt facit. NOVAM ISTAM, quam Chariſius, Hegeſias, & reliqui recentiores ſunt ſecuti, ſupra. MVSTO, AC LACV, aliter muſto, aut lacu. PRAECLARAM, in explicandis rebus geſtis, vt dictum eſt: vel præclaram, vt iſti putant, qui ſe Thucydidios eſſe profitentur, vt ait in Oratore: vt ſit εἰρωνεία. THVCYDIDI, vt ſupra. aliter Thucydidis. NIMIS VETEREM, hinc in Oratore dolet, in hominibus tantam eſſe peruerſitatem, vt, inuentis frugibus, glande veſcantur. ANICIANAM, Anicianam potius, quàm Opimianam repetit, quòd Anicius multo fuit antiquior, quàm Opimius, vt paulo ante oſtendimus. IPSE ENIM, αἰτιολογία, quare non cenſeat, Thucydidis orationem perſequendam. SI POSTERIVS FVISSET, & non fuiſſet ita vetus, vt ante illum nulla fuerit litera, quæ ornatum aliquem haberet, ſupra. MVLTO MATVRIOR FVISSET, ET MITIOR, & ſi ipſe voluiſſet eſſe maturior, & mitior, nos non debemus eam orationem imitari, quam vel ipſe mutaſſet, ſi poſterius fuiſſet.

Demoſthenem igitur imitemur. O dii boni, quid quaſi nos aliud agimus, aut quid aliud optamus? at non aſſequimur. Iſti enim videlicet Attici noſtri, quod volunt, aſſequuntur. ne illud quidem intelligunt, non modo ita memoriæ proditum eſſe, ſed ita neceſſe fuiſſe, cum Demoſthenes dicturus eſſet, vt concurſus audiendi cauſa ex tota Græcia fierent. at cum iſti Attici dicunt, non modo à corona, quod eſt ipſum miſerabile, ſed etiam ab aduocatis relinquuntur. quare ſi anguſte & exiliter dicere eſt Atticorum, ſint ſanè Attici, ſed in Comitium veniant, ad ſtantem iudicem dicant: ſubſellia grandiorem & pleniorem vocem de-

ſiderant. volo hoc oratori contingat, vt, cum auditum ſit eum eſſe dicturum, locus in ſubſelliis occupetur, compleatur tribunal, gratioſi ſcribæ ſint in dando & cedendo loco, corona multiplex, iudex erectus: ſurgit is, qui dicturus ſit, ſignificetur à corona ſilentium, deinde crebræ aſſenſiones, multæ admirationes; riſus, cum velit; cum velit, fletus: vt, qui hæc procul videat, etiam ſi, quid agatur, neſciat, at placere tamen, & in ſcena eſſe Roſcium intelligat. Hæc cui contingant, eum ſcito Attice dicere, vt de Pericle audiuimus, vt de Hyperide, vt de Aeſchine, de ipſo quidem Demoſthene maxime. ſin autem acutum, prudens, & idem ſincerum, & ſolidum, & exiccatum genus orationis probant, nec illo grauiore ornatu oratorio vtuntur, & hoc primum eſſe Atticorum volunt: recte laudant. eſt enim in arte tanta, támque varia, etiam huic minutæ ſubtilitati locus. ita fiet, vt non omnes, qui Attice, iidem bene, ſed vt omnes, qui bene, iidem etiam Attice dicant.

IGITVR, quum illos, quos ſupra poſuimus, imitari non debeamus. IMITEMVR, quoniam, quum Demoſthenes ſit oratorum Atticorum facile princeps, hunc ſi quis imitetur, is & attice dicet, & optime, vt ait in libello de Optimo genere oratorum. O DII BONI, loquuntur Attici. QVID QVASI NOS, aliter quid ergo nos. ALIVD OPTAMVS? quàm Demoſthenem imitari? NON ASSEQVIMVR, & quum aſſequi non poſſimus, eum mittimus, & eos imitamur, quos aſſequi poſſe ſperamus. ISTI, loquitur nunc Cicero. ENIM, αἰτιολογία, quare Demoſthenem mittant, & alios imitentur. NOSTRI, εἰρωνικῶς dictum: vel Attici noſtri temporis: quorum ſermo imperitus increbuit, vt ait in Oratore, & in libello de Optimo genere oratorum. QVOD VOLVNT, ASSEQVVNTVR, ſic Caluus, qui volebat Atticus eſſe, aſſequebatur, quod probaret, vt ex epiſtola vigeſima prima libri decimi quinti Familiarium retulimus: & Brutus ipſe, epiſtola prima libri decimi quinti ad Atticum: & reliqui huiuſcemodi Attici, qui tantum laudabant, quantum ſe poſſe ſperabant imitari, Tuſculana ſecunda, & in Oratore. NE ILLVD QVIDEM INTELLIGVNT, nam intelligerent quoque ſe Atticos non eſſe, quum relinquantur à corona, quum ad Demoſthenem, qui vere fuit Atticus, concurſus è tota Græcia fierent. PRODITVM ESSE, à veteribus, quorum nos libros videre non potuimus, ſed credimus Ciceroni, qui non hic modo, ſed in libello etiam de Optimo genere oratorum idem propemodum teſtatur. NECESSE FVISSE, quum talis, & tantus orator eſſet. DICTVRVS ESSET, aliquam cauſam. FIERENT, vt factus concurſus eſſe dicitur, quum pro Cteſiphonte dixit. ISTI ATTICI, iſti Attici noſtri, ſupra. CORONA, ſupra. MISERABILE, vt de Curione, ſupra. ADVOCATIS, qui aut ius ſuggerant, aut amicis præſentiam commodant, vt ait Aſconius. RELINQVVNTVR, nam iſti Attici aut non adhibentur ad cauſas, aut adhibiti deridentur, vt ait in libello de Optimo genere oratorum. Itaque iam conticuere, penè ab ipſo foro irriſi, Tuſculana ſecunda. ANGVSTE, attenuate, vnde attenuata Calui oratio ſupra: ieiune, vnde ieiunitas, ſupra. EXILITER, vnde exilitas in Caluo, ſupra. EST ATTICORVM, vt iſti putant. SINT SANE ATTICI,

ATTICI, quales eſſe volunt ipſi, συγχώρησι. COMITIVM, locum dictum ab eo, quòd coibant eò comitiis curiatis, & litium cauſa, vt ait Varro: qui porrò lites ſequuntur, periuri ſolent eſſe: vnde Plautus in Curculione dixit: qui periurum hominem vult conuenire, mitto in comitium: quò & Cicero nunc Atticos hoſce mittit: quòd fortaſſe cauſas illas minores, quæ in comitio agebantur, in quibúſque vehementi dicendi genere opus non erat, dicere poſſent: ſed quum anguſte, & exiliter dicerent, neque in ſubſelliis, neque in roſtris, id eſt neque in iudiciis maioribus, neque in concione dicere commode poterant; quòd vi, contentione, & ardore carerent, quæ in ſubſelliis, & roſtris requirebantur. hinc epiſtola vigeſima prima libri decimi quinti Familiarium Caluo vim defuiſſe, & epiſtola prima lib. decimi quinti ad Atticum ſe concionem Bruti ardentius ſcripturum fuiſſe dixit. AD, apud. STANTEM, quòd fortaſſe mos eſſet, vt in comitio iudices ſtarent. vel ſtantem, vt poſsit audire oratores hoſce ſic anguſte, & exiliter dicentes: nam iudices alii certe ſedebant, vt Cicero ſæpe oſtendit, & hodie ſcimus obſeruari, vt iudices ſedentes, ſententiam ferant. SVBSELLIA, ſubſellia iudicum, quæ erant in foro, vbi Prætores exercebant iudicia. hinc libro tertio de Officiis Marius Gratidianus dicitur à ſubſelliis in roſtra recta profectus. atque hic ſubſellia comitio quaſi opponit, quòd in ſubſelliis iudices ſederent, in comitio ſtarent. GRANDIOREM, ET PLENIOREM VOCEM, quàm ſit vox iſtorum Atticorum, qui anguſte, & exiliter dicunt. DESIDERANT, ſic infra: acrem oratorem fori ſtrepitus deſiderat. CONTINGAT, vt contingebat Demoſtheni, paulo ante, vt L. Craſſo, qui expectabatur, ſupra: vt ipſi Ciceroni. ſatis enim conſtat, C. Cornelium, & M. Scaurum, & T. Milonem, & L. Beſtiam, & P. Vatinium concurſu totius ciuitatis & accuſatos, & defenſos, vt Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus affirmat. TRIBVNAL, in quo Prætor ita ſedebat, vt alii etiam poſſent ſedere, vt L. Craſsus libro primo de Oratore, ſe in tribunali Q. Pompeii Prætoris oſtendit ſediſſe. SCRIBAE, qui magiſtratibus, vt hodie quoque, aderant, vt ſcriberent ſcribenda, & recitarent recitanda: quorum fidei tabulæ publicæ, periculáque magiſtratuum committebantur, vt Verrina quinta dicitur. SINT, vt eſſe poſſunt, quum ipſi hæc loca ſoleant ſeruare. SVRGIT, dicturus: quòd ſtantes dicebant, ſupra. RISVS, QVVM VELIT, QVVM VELIT FLETVS, ἀντίθετον: ſic ſupra, ridet, plorat. PROCVL VIDEAT, præteriens aſpiciat, ſupra. IN SCENA ESSE ROSCIVM, in iudicio verſari oratorem, ſupra, & quidem oratorem excellentem, vt in ſua arte Roſcius, qui conſecutus hoc erat, vt in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur, vt libro primo de Oratore, & in prouerbio dicitur. PERICLE, ſupra. HYPERIDE, ſupra. AESCHINE, ſupra, & in libello de Optimo genere oratorum. DEMOSTHENE, de quo ſupra dictum eſt. ACVTVM, quo Lyſias vſus eſt, quem iſti ſolent imitari, ſupra. PRVDENS, non ineptum, in Oratore: & ſupra, nec inepte dicere. SINCERVM, ſanum, vnde ſanitatem ſupra dixit. SOLIDVM, integrum, vnde integritatem etiam ſupra dixit. EXICCATVM, & ſiccitatem ſupra dixit. PROBANT, ſed non ita tamen, vt ſolum Atticum eſſe dicant. Tunc enim errarent, vt oſtendit in Oratore. NEC ILLO GRAVIORE ORNATV ORATORIO VTVNTVR, nec ornate, grauiter, & copioſe dicunt, quod eſt maxime proprium Atticorum, vt ait in Oratore: Sed iſti ſe ſubtile quiddam, & politum velle, graue, ornatúmque contemnere dicunt, vt in libello de Optimo genere oratorum ſcribit. HOC, hoc genus orationis acutum, prudens, ſincerum, ſolidum, & exiccatum.

VOLVNT, iſti Attici. RECTE LAVDANT, non falluntur, errarent, ſi ſolum eſſe dicerent, in Oratore. EST ENIM, αἰτιολογία, quarè rectè laudent. ARTE, Rhetorica, de qua tamen à principio dubitauit, an ars eſſet dicenda. TANTA, vt quibus ex quinque rebus conſtare dicitur, earum vna quæque ſit ars ipſa magna per ſeſe, ſupra. VARIA, ex tribus generibus diuerſis, & quinque rebus præſertim variis conſtans. HVIC MINVTAE SVBTILITATI, qua iſti Attici vtuntur; qui ſubtiliter dicunt, vt in libello de Optimo genere Oratorum ſcriptum videbis. LOCVS, præſertim in attenuato dicendi genere. ITA FIET, concluſio. IIDEM BENE, dicant. quamuis enim dicant attice ſuo modo, & in genere tolerabili verſentur, non ſunt tamen in optimo: ſiquidem quod omnes laudes habet, id eſt optimum. Itaque, vt Lyſias, iſti certe poſsint ſummiſſe dicere, elate fortaſſe nõ poſsint, vt in libello de Optimo genere oratorum loquitur. SIDEM ETIAM ATTICE DICANT, vt Demoſthenes, qui etſi dicebat elate, poterat tamen etiam ſummiſſe dicere: & ſic in libello de Optimo genere oratorum cõcludit, Demoſthenẽ ſi quis imitetur, eum & attice dicturũ, & optime.

Sed redeamus rurſus ad Hortenſium. Sanè quidem, inquit Brutus: quanquam iſta mihi tua fuit periucunda à propoſita oratione digreſsio. Tum Atticus, Aliquoties ſum, inquit, conatus, ſed interpellare nolui. nunc quoniam ad perorandum ſpectare videtur ſermo tuus, dicam opinor, quòd ſentio. Tu vero, inquam, Tite. Tum ille, Ego, inquit, ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuiſſe, qua ille in Platonis, & Xenophontis, & Aeſchinis libris vtitur, facetam & elegantem puto. eſt enim & minime inepti hominis, & eiuſdem etiam faceti, cum de ſapientia diſceptetur, hanc ſibi ipſum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam ſibi arrogant. vt apud Platonem Socrates in cœlum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, cæteros, ſe autem omnium rerum inſcium fingit & rudem, decet hoc neſcio quo modo illum: nec Epicuro, qui id reprehendit, aſſentior. ſed in hiſtoria, qua tu es vſus in omni ſermone, cum, qualis quiſque orator fuiſſet, exponeres, vide quæſo, inquit, ne tam reprehendenda ſit ironia, quàm in teſtimonio. Quorſum, inquam, iſtuc? non enim intelligo. Quia primum, inquit, ita laudauiſti quoſdam oratores, vt imperitos poſſes in errorem inducere. equidem in quibuſdam riſum vix tenebam, cum Attico Lyſiæ Catonem noſtrum comparabas, magnum mehercule hominem, vel potius ſummum & ſingularem virum, nemo dicet ſecus; ſed oratorem, ſed etiam Lyſiæ ſimilem, quo nihil poteſt eſſe pictius, bella ironia, ſi iocaremur; ſin aſſeueramus, vide ne religio nobis tam adhibenda ſit, quàm ſi teſtimonium diceremus. ego enim Catonem tuum vt ciuem, vt ſenatorem, vt Imperatorem, vt virum denique cum prudentia & diligentia, tum omni virtute excellentem probo: orationes

autem eius, vt illis temporibus, valde laudo? ſignificant enim quandam formam ingenii, ſed admodum impolitam, & plane rudem. Origines vero cum omnibus oratoriis laudibus refertas diceres, & Catonem cum Philiſto & Thucydide comparares, Bruto ne id cenſebas, an mihi probaturum? quos enim ne è Græcis quidem quiſquam imitari poteſt, iis tu comparas hominem Tuſculanum, nondum ſuſpicantem quale eſſet copioſe & ornate dicere? Galbam laudas: ſi vt illius ætatis principem, aſſentior: ſic enim accepimus: ſin vt oratorem, cedo quæſo orationes, (ſunt enim) & dic hunc, quem tu pluſquam te amas, Brutum velle te illo modo dicere. Probas Lepidi orationes. paulum hic tibi aſſentior, modo ita laudes, vt antiquas: quod item de Africano, de Lælio, cuius tu oratione negas fieri quidquam poſſe dulcius. addis etiam neſcio quid auguſtius: nomine nos capis ſummi viri, vitæque elegantiſsimæ veriſsimis laudibus. remoue hæc: næ iſta dulcis oratio ita ſit abiecta, vt eam aſpicere nemo velit.

SED, reditus ad rem. REDEAMVS RVRSVS, ſic loquitur, quia ſupra item dixerat: ſed redeamus ad eum, qui iam vnus reſtat, Hortenſium: & iccirco particulam, rurſus, hic apponit. SANE QVIDEM, redeamus. PROPOSITA, de Hortenſio, Curione, & præſertim Caluo, de quo loquebatur, quum digreſſus eſt. TVM ATTICVS, hic Atticus ponitur, vt quaſi epilogum faciat, & rem dubiam relinquat, ne Cicero, qui ſit Academicus, quicquam affirmare videatur. CONATVS, interpellare. TV VERO, dic. TITE, T. Pomponi Attice. aliter Attice. IRONIAM, τὴν εἰρωνείαν. SOCRATE, Philoſopho, cuius vitam, & mores Plato, Xenophon, & Laërtius deſcribunt. DICVNT, ferunt, qui melius hoc norunt, libro ſecundo de Oratore. FVISSE, ſic, vt aliud diceret, atque ſentiret, & ita libenter vteretur ea diſsimulatione, quam Græci εἰρωνείαν vocant, libro ſecundo Academicarum quæſtionum. De Græcis enim dulcem, & facetum, feſtiuíque ſermonis, atque in omni oratione ſimulatorem, quem εἴρωνα Græci nominarunt, Socratem accepimus, libro primo de Officiis: & ſanè ferunt Socratem in hac ironia, diſsimulantiáque longe lepôre, atque humanitate omnibus præſtitiſſe, libro ſecundo de Oratore. ILLE, Socrates. PLATONIS, Philoſophi, ſupra. XENOPHONTIS, Philoſophi, cuius vitam leges apud Diogenem Laërtium. AESCHINIS, Socratici, cuius vitam ſcribit Laërtius: & Cicero libro primo de Inuentione Socraticum vocat, ne quis oratorem eſſe putet. LIBRIS, Platonis quidem dialogis, in quibus Socrates loquitur: Xenophontis quatuor libris, in quibus dicta, & facta Socratis deſcribuntur: Aeſchinis vero dialogis ſeptem. tot enim Socratis mores deſcripſit, vt Laërtius refert. PVTO, vt Cæſar etiam lib. ſecundo de Oratore putat, quamuis Euſtratius lib. ſecundo Ethicorum dubitare videatur. EST ENIM, εἰρωνολογία. HANC, ſapientiam. ILLVDENTEM, alia dicentem, ac ſentiat, libro ſecundo de Oratore. ARROGANT, quòd ſint ἀλαζόνες, vt lib. ſecundo Ethicorum docet Euſtratius. EFFERT, vt videre licet apud Platonem.

PROTAGORAM, HIPPIAM, PRODICVM, GORGIAM, de quibus ſupra diximus. CAETEROS, qui ſunt apud Platonem. INSCIVM FINGIT, ET RVDEM, Socrates enim in omnibus ferè ſermonibus, qui ab iis, qui illum audierunt, perſcripti varie, copioſe ſunt, ita diſputat, vt nihil affirmet ipſe, refellat alios, nihil ſe ſcire dicat, niſi idipſum, libro primo Academicarum quæſtionum. HOC, ſimulare, hæc εἰρωνεία. ILLVM, Socratem. EPICVRO, Philoſopho, lege Laërtium. REPREHENDIT, Epicurus in ſuis libris, qui ad nos non peruenerunt, hoc reprehendit, nec Ariſtoteles libro tertio Rhetoricæ laudat. ASSENTIOR, nec aſſentior, quamuis me vt deditum Epicuro inſectari ſoleatis, libro quinto de Finibus. HISTORIA, cuius prima lex eſt, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, libro ſecundo de Oratore, quæ qui diſsimulat, haud commode facit. INQVIT, Atticus, & repetit hoc, vt ſupra. TESTIMONIO, in quo non εἰρωνεία, ſed religio ſit adhibenda, paulo poſt. QVORSVM, aliter quorſus, male. PRIMVM, aliter primus. nullus enim, quod ſciatur, illos ante Ciceronem laudarat. ERROREM, vt ipſi crederent eos prorſus eſſe laudandos. QVIBVSDAM, rebus, vel oratoribus. ATTICO LYSIAE, ſupra. NOSTRVM, Romanum, opponit Attico. PICTIVS, quum ſit venuſtiſsimus ipſe ſcriptor ac politiſsimus Lyſias, vt ait in Oratore. IOCAREMVR, in iocis enim probatur εἰρωνεία, vt libro ſecundo de Oratore demonſtratur. SI TESTIMONIVM DICEREMVS, tunc enim religio eſſet adhibenda: quia iurati teſtes dicebant, vt ait Aſconius, vt mittam, quæ Cicero in orationibus pro Fonteio, pro Flacco, pro Sylla, libro ſecundo Academicarum quæſtionum, & alibi ſæpe ſcribit. EGO ENIM, εὐλογία, quare, quod Cic. dixit, in quibuſdam verũ eſſe non putet. CATONEM, Cenſorium, ſupra. TVVM, qui tibi ſemper in ore eſt, lib. primo de Legibus: VT CIVEM, VT SENATOREM, VT IMPERATOREM, ſupra. ORATIONES, quas tu non minus multas, quam Lyſiæ, eſſe ſupra dixiſti. ORATORIIS, aliter oratoris. LAVDIBVS, virtutibus, ſupra. COMPARARES, ſupra. ID, Catonem cum Philiſto, & Thucydide cõparandum: IIS, Philiſto, & Thucydidi. HOMINEM TVSCVLANVM, M. Catonem Tuſculi quidem natum, ſed in populi Romani ciuitatem ſuſceptum, libro ſecundo de Legibus. NONDVM SVSPICANTEM, nedum ſcientem. GALBAM, Ser. Galbam, ſupra. LAVDAS, ſic vt illum modo ſummum oratorem, modo virum eloquentiſsimum voces. PRINCIPEM, principem virum, nõ oratorem. VT ORATOREM, laudas. SVNT ENIM, ſunt enim orationes Galbæ, ſupra. DIC, vt ſupra dixiſti, te ipſi Bruto autorem, vt C. Gracchi orationes legeret. quaſi dicat, pro eo amore, quo Brutum proſequeris, non diceres, te velle ipſum illo modo dicere, quo modo Galbæ orationes ſunt ſcriptæ, in quibus nulla ſit virtus, ſupra. LEPIDI, M. Aemilii Lepidi Porcinæ, ſupra. ASSENTIOR, quia fuit ſcriptor ſanè bonus, ſupra. QVOD ITEM, dico, vel aſſentior. AFRICANO, P. Scipione Africano minore, ſupra. LAELIO, C. Lælio ſapiente, ſupra. CVIVS, Lælii. ORATIONE, de collegiis, ſupra. NESCIO QVID AVGVSTIVS, quod de religione dici poſsit auguſtius, ſupra. NOS CAPIS, ita, vt omnia penè, quæ dicis, vera credamus. SVMMI VIRI, C. Lælii. HAEC, nomen, & laudes C. Lælii DVLCIS, vt tu dicis. ORATIO, C. Lælii.

Carbonem in ſummis oratoribus habitũ ſcio: ſed cum in cæteris rebus, tum in dicẽdo ſemper, cum nihil eſt melius, id laudari, qualecunq. eſt, ſolet. Dico idem de Gracchis; etſi de eis ea ſunt à

te dicta,

te dicta, quibus ego aſſentior. omitto cæteros: venio ad eos, in quibus iam perfectam putas eſſe eloquentiam, quos ego audiui, ſine controuerſia magnos oratores, Craſſum & Antonium. de horum laudibus tibi prorſus aſſentior: ſed tamen non iſto modo, vt Polycleti Doryphorum ſibi Lyſippus aiebat, ſic tu ſuaſionem legis Seruiliæ tibi magiſtram fuiſſe. hæc germana ironia eſt. cur ita ſentiam, non dicam, ne me tibi aſſentari putes. omitto igitur, quæ de his ipſis, quæ de Cotta, quæ de Sulpicio, quæ modo de Cælio dixeris: hi enim fuerunt certe oratores: quanti autem, & quales, tu videris. Nam illud minus curo, quòd congeſsiſti operarios omneis: vt mihi videantur mori voluiſſe non nulli, vt à te in oratorum numerum referrentur.

CARBONEM, C. Carbonē, qui ſupra cum Tib. Graccho coniunctus fuit, HABITVM SCIO, vt ſupra dictum eſt. SED QVVM, γνώμη. QVVM NIHIL EST MELIVS, aliter quo nihil eſt melius: quod eſt optimum, vt ait in libello de Optimo genere oratorū. IDEM, quod dixi de Carbone. GRACCHIS, Tib. & C. fratribus, ſupra. BIS, Gracchis. EA, vt illos fuiſſe præſtantiſsimo ingenio, & damnum illorum immaturo interitu res Romanas, Latináſq. literas feciſſe, ſupra. CAETEROS, oratores, quos tu ſupra nominaſti. VENIO, aliter venis. PVTAS ESSE, quum dicis, te ſic exiſtimare, hos oratores fuiſſe maximos, & in his primum cum Gręcorū gloria, latine dicendi copiam æquatam, ſupra. EGO AVDIVI, vt tu quoq. puer, lib. ſecundo de Orat. CRASSVM, ET ANTONIVM, L. Craſſum, & M. Antonium, ſupra. HORVM, L. Craſsi, & M. Antonii. VT, ſimilitudo: &, vt, particula videtur pro duplici poſita, vel bis ponenda. POLYCLETI, ſupra. DORYPHORVM, non illum, opinor, viriliter puerum, ſed illum, quem canona artifices vocabant, lineamenta artis ex eo, velut à lege quadam, petentes, vt Plin. lib. trigeſimo quarto cap. octauo ſcribit: Cic. Doryphori ſtatuā dixit in Oratore. LYSIPPVS, quē Sicyonium Duris negabat, vt Plinius lib. trigeſimo quarto cap. octauo refert. ab hoc fingi voluit Alexāder Magnus, vt epiſtola decima tertia lib. quinti Famil. leges. AIEBAT, magiſtrū fuiſſe. SIC, αὐτοπρόσωπον. TV, dicas. SVASIONEM LEGIS SERVILIAE, orationem L. Craſsi in legem Cæpionis, ſupra. FVISSE, à pueritia, ſupra. GERMANA, mera. ITA, hanc eſſe germanam εἰρωνείαν. PVTES, vt putare poſſes, ſi dicerem, cur ſentiam, hanc eſſe germanā εἰρωνείαν. nam dicerem, te L. Craſſo longe præferendum eſſe, tantum abfuit, vt eius oratio tibi magiſtra fuerit: quod quum tu tamen ipſe dicas, oſtendis, te εἰρωνικῶς loqui. HIS IPSIS, L. Craſſo, & M. Antonio. COTTA, C. Cotta. SVLPICIO, P. Sulpicio. CAELIO, M. Cælio Rufo. DIXERIS, ſupra. OPERARIOS OMNEIS, qui auſi aliquando ſunt ſtantes loqui, ſupra.

Hæc cum ille dixiſſet, Longi ſermonis initium detuliſti, inquam, Attice, rémque commouiſti noua diſputatione dignam, quam in aliud tempus differamus. voluendi enim ſunt libri cum aliorum, tum in primis Catonis: intelliges nihil illius lineamentis, niſi eorum pigmentorum, quæ inuenta nondum erant, florem & colorē defuiſſe. Nam de Craſsi oratione ſic exiſtimo, ipſum fortaſſe melius potuiſſe ſcribere, alium, vt arbitror, nemi-

nem. Nec in hoc ironiam duxeris eſſe, quòd eam orationem mihi magiſtram fuiſſe dixerim. nam etſi tu melius exiſtimare videris de ea, ſi quam nunc habemus, facultate: tamen adoleſcentes, quid in Latinis potius imitaremur, non habebamus. Quòd autem plures à nobis nominati ſunt, eò pertinuit, vt paulo ante dixi, quòd intelligi volui, in eo, cuius omnes cupidiſsimi eſſent, quàm pauci digni nomine euaderent. quare εἴρωνα me, ne ſi Africanus quidem fuit, (vt ait in hiſtoria ſua C. Fannius) exiſtimari velim. Vt voles, inquit Atticus: ego enim non alienum à te putabam, quod & in Africano fuiſſet, & in Socrate. Tum Brutus, De iſto poſtea: ſed tu (inquit, me intuens) orationes nobis veteres explicabis? Vero, inquam, Brute, ſed in Cumano, aut in Tuſculano aliquando, ſi modo licebit: quoniam vtroque in loco vicini ſumus.

ILLE, Atticus. DETVLISTI, aliter pepuliſti. aliter depuliſti. COMMOVISTI, aliter commiſiſti. VOLVENDI ENIM, αἰτιολογία, quare ſit res digna diſputatione, vt probetur, quod dixit, veterum orationes legendas eſſe. CATONIS, Cenſorii. INTELLIGES, Catonis libros legens. ILLIVS, Catonis. LINEAMENTIS, tranſlatio ſumpta à pictoribus, quibuſcum M. Catonem etiam ſupra comparauit. PIGMENTORVM, exornationum, quibus oratores, vt pigmentis pictores, vtuntur, vt oſtendit epiſtola prima libri ſecundi ad Atticum. QVAE INVENTA NONDVM ERANT, modo enim huc iſta ſunt importata, vt ait Antonius lib. ſecundo de Oratore. COLOREM, pigmentorum colorem vides hic dici, quaſi pigmentorum ſplendorem: niſi dicas, pigmentum quaſi genus eſſe, colorem quaſi ſpeciem: Plinius certe lib. trigeſimo tertio cap. decimo tertio ſcribit, pigmentum quoddam in quatuor colores mutari. CRASSI, L. Craſsi. ORATIONE, ſuaſione legis Seruiliæ. IPSVM, L. Craſſum. DVXERIS, vt ducere videris. aliter dixeris. DIXERIM, ſupra. NAM, αἰτιολογία, quare non ſit εἰρωνεία ducenda, aut dicenda. MELIVS, quàm de Craſsi facultate. VIDERIS, quum dicere, cur ita ſentias, nolis, ne te mihi aſſentari putem. POTIVS, quàm L. Craſsi orationẽ. NON HABEBAMVS, & ob id illam tanquam magiſtram imitabamur. Itaq. vere, non εἰρωνικῶς diximus, eam nobis magiſtrã fuiſſe. PLVRES, etiam operarii, vt tu vocas. PAVLO ANTE DIXI, poſt Q. Arrium, & poſt M. Seruilium. INTELLIGI, perſpici, ſupra. OMNES, præſertim, qui dicere auderent, ſupra. DIGNI NOMINE EVADERENT, nomen haberent, ſupra. ΕΙΡΩΝΑ, ſimulatorem, libro primo de Officiis. AFRICANVS, P. Scipio Africanus minor, ſupra. FVIT, εἴρων, vt eum verbo Græco Fannius vocauit, lib. ſecundo de Orat. AIT, ſic lib. ſecundo Academicarum quæſtionũ, & lib. ſecundo de Orat. IN HISTORIA SVA, in annalibus ſuis, lib. ſecundo de Orat. C. FANNIVS, de quo ſupra dictum eſt. EXISTIMARI VELIM, quoniam multi τὴν εἰρωνείαν reprehendũt. VT VOLES, ſit. EGO ENIM, αἰτιολογία, quare Ciceronem εἴρωνα vocarit. IN AFRICANO FVISSET, ET IN SOCRATE, viris tantis, vt non debeas ægre ferre, te illis similẽ in aliqua re vocari. POSTEA, videbimus. TV, tu Cic. qui harum rerũ es peritus. VERO, explicabo. aliter ego vero, rectius. SED, explicabo. CVMANO, epiſtola nona lib. quarti, & epiſtola decima, & decima octaua lib. decimi quarti ad

ti ad Atticum. TVSCVLANO, epiſtola ſecunda libri quarti ad Atticum: à quo quidē Tuſculanæ quæſtiones ſunt appellatæ. VICINI SVMVS, epiſtola trigeſima lib. duodecimi, & epiſtola ſexta lib. decimi tertii ad Atticum.

Sed iam ad id, vnde digreſsi ſumus, reuertamur. Hortenſius igitur cum admodum adoleſcens orſus eſſet in foro dicere, celeriter ad maiores cauſas adhiberi cœptus eſt: quanquam inciderat in Cottæ & Sulpicii ætatem, qui annis decem maiores, excellente tum Craſſo & Antonio, deinde Philippo, poſt Iulio, cum iis ipſis dicendi gloria comparabatur. primum memoria tanta, quantam in viro cognouiſſe me arbitror, vt, quæ ſecum commentatus eſſet, ea ſine ſcripto verbis eiſdem redderet quibus cogitauiſſet. hoc adiumento ille tanto ſic vtebatur, vt ſua & commentata & ſcripta, & nullo referente, omnia aduerſariorum dicta meminiſſet. ardebat autē cupiditate ſic, vt in nullo vnquam flagrantius ſtudium viderim. nullum enim patiebatur eſſe diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum: ſæpiſsime autem eodem die vtrunque faciebat: attuleratque minimè vulgare genus dicendi, duas quidem res, quas nemo alius, partitiones, quibus de rebus dicturus eſſet; & collectiones, memor & quæ eſſent dicta contrà, quæque ipſe dixiſſet. erat in verborum ſplendore elegans, compoſitione aptus, facultate copioſus: eaque erat cum ſummo ingenio, tum exercitationibus maximis conſecutus. rem complectebatur memoriter, diuidebat acute, nec prætermittebat ferè quidquam, quod eſſet in cauſa, aut ad confirmandum, aut ad refellendum: vox canora & ſuauis: motus & geſtus etiam plus artis habebat, quàm erat oratori ſatis. hoc igitur floreſcente Craſſus eſt mortuus, Cotta pulſus, iudicia intermiſſa bello, nos in forum venimus. erat Hortenſius in bello primo anno miles, altero Tribunus militum: Sulpicius Legatus aberat, etiam M. Antonius: exercebatur vna lege iudicium Varia, cæteris propter bellum intermiſsis: qui frequentes aderant, (quanquam pro ſe ipſi dicebant) oratores non illi quidem principes, L. Memmius & Q. Pompeius, ſed oratores tamen teſte diſerto vterque Philippo, cuius in teſtimonio contentio & vim accuſatoris habebat, & copiam. reliqui, qui tum principes numerabantur, in magiſtratibus erant, quotidieque ferè à nobis in concionibus audiebantur. erat enim Tribunus plebis tum C. Curio: quanquam is quidem ſilebat, vt erat ſemel à concione vniuerſa relictus: Q. Metellus Celer, non ille quidem orator, ſed tamen non infans: diſerti autem Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius, & hi quidem habitabant in roſtris.

AD ID, quod ad Hortenſium pertinet. DIGRESSI SVMVS, Attico interpellante. REVERTAMVR, tertio. HORTENSIVS, ſupra, L. F. Verrina quinta: Seruiliæ fœminæ primariæ gener, Verrina quarta: & gener item Q. Catuli, libro tertio de Oratore: & ob id poſtea videtur cum Q. Catuli filio coniunctus fuiſſe, in oratione pro Lege Manilia: quamuis etiam Marciam L. Marcij Philippi filiam Catonis vxorem poſtea duxiſſe dicatur à Plutarcho in Catone. Hic fuit eques Romanus, vt ait Aſconius. Quæſtor Verrina tertia, & quinta fuiſſe dicitur: Aedilis Verrina tertia ſignificatur, & ab Aſconio vocatur. & ſanè fuit Octauio, & Cotta Conſulibus, infra: & libro ſecundo de Officiis inter eos Aediles numeratur, qui liberales in dandis muneribus fuerunt. Prætor Verrina ſecunda cognoſcitur, & ab Aſconio in tertia nominatur. Et Aedilis, vel Prætor quum ſeſquimodios populo Romano in capita deſcripſiſſet, gratiſsimum omnibus fecit, Verrina quinta. Conſul fuit cum Q. Cæcilio Metello Cretico, vt Aſconius ſcribit. Fuit etiam Augur, & Ciceronem in Augurum collegium cooptauit, vt in principio diximus: vnde Cicero epiſtola octaua libri tertii Familiarium ſuum collegam vocat, & familiarem, quòd eſſent coniunctiſſimi omnium conſiliorum ſocietate, ſupra. Atticus enim, vt refert Cornelius Nepos, vtebatur intime Q. Hortenſio, qui his temporibus principatum eloquentiæ tenebat, vt intelligi non poſſet, vter eum plus diligeret, Cicero, an Hortenſius: & id, quod erat difficillimum, efficiebat, vt inter quos tantæ laudis eſſet æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, eſſetque talium virorum copula. Hinc, vt in oratione pro Milone patet, Hortenſius olim Ciceroni ſic affuit, vt penè ſeruorum manu ſit interfectus: quem prius etiam ſummis laudibus extulerat, vt epiſtola vigeſima quinta libri ſecundi ad Atticum videbis. contrà Cicero & illum ſæpe laudauit, vt hic, libro tertio de Oratore, & in oratione pro Milone, vbi vocat illum lumen, & ornamentum Reipub. & de nomine ipſius librum, in quo cohortatus eſt ad Philoſophiæ ſtudium, Hortenſium inſcripſit, vt oſtendit libro primo de Finibus, Tuſculana ſecunda, & tertia, & libro ſecundo de Diuinatione. atque in his quidem omnibus videtur Cicero [illegible], qua de loquitur epiſtola ſexta libri quarti ad Atticum, ſeruaſſe: quum re vera ſe ab Hortenſio ſceleſtiſsime, & inſidioſiſsime tractatum eſſe ſentiret, vt epiſtola tertia libri primi ad Q. fratrem, & epiſtola nona libri tertii ad Atticum declarat. Hortenſius, vt ait Cælius epiſtola ſecunda libri octaui Familiarium, inractus à ſibilo peruenit ad ſenectutem, ſed poſtea ſenex ſibilum non effugit, quòd Meſſalam defendiſſet. Diues admodum videtur fuiſſe, qui Tuſculanum haberet, vt Plinius oſtendit libro trigeſimo quinto capite vndecimo: villam ad Baulos, vt Cicero libro ſecundo Academicarum quæſtionum, & Varro libro tertio capite decimo ſeptimo de Re ruſtica teſtantur: quædam ad portam Flumentanam, epiſtola tertia libri ſeptimi ad Atticum: villam in Laurenti agro cum ſylua magna, vt Varro libro tertio capite decimo tertio de Re ruſtica teſtis eſt: & domum tam pulchram, vt poſtea L. Lentulus eam ſibi in bello ciuili deſponderit, epiſtola ſexta libri vndecimi ad Atticum. & ſuper decem millia cadûm hæredi reliquit, vt Plinius libro decimo quarto capite decimo quarto ſcribit. Fuit certe ſumptuoſus ita, vt, quod Dion libro trigeſimo nono ſcribit, Conſulibus legem ſumptuariam ferre volentibus ſit aduerſatus. Primus igitur pauones augurali cœna poſuiſſe dicitur, vt Varro libro tertio capite ſexto de Re ruſtica, Plinius libro decimo capite vigeſimo, & Macrobius libro tertio Saturnalium ſcribunt. Eſt autor item Plinius libro trigeſimo quinto capite vndecimo illum tabulam argonautas

H-S. CXLIIII.

H-S. CXLIIII. mercatum fuiſſe, eique ædem in Tuſculano ſuo feciſſe. Apud Baulos in parte Baiana piſcinam habuit, in qua murænam adeo dilexit, vt exanimatam fleſſe credatur, vt Plinius libro nono capite quinquageſimo quinto refert: nec ſanè minor cura eius erat de ægrotis piſcibus, quàm de minus valentibus ſeruis: vt videbis apud Varronem libro tertio capite decimo ſeptimo, vbi plura hac ipſa de re ſcribit: vnde Macrobius libro tertio Saturnalium recte putat, Q. Hortenſium, & L. Philippum Piſcinarios à Cicerone dici, vt certe libro primo, & ſecundo ad Atticum dicuntur. Quid quod platanos ſuas, vt ſcribit Macrobius, vino irrigare ſolitus erat adeo, vt in quadam actione, quam habuit, cum Cicerone ſuſcepta, precario ab illo poſtularit, vt locum dicendi permutaret ſecum? Abire enim in villam neceſſario ſe velle, vt vinum platano, quam in Tuſculano poſuerat, ipſe ſuffunderet. Quàm vero mollis fuerit, & Gellius libro primo capite quinto docet, & libro tertio Saturnalium Macrobius, ita ſcribens: Fuit Hortenſius vir alioqui ex profeſſo mollis, & in præcinctu ponens omnem decorem. fuit enim veſtitu ad mundiciem curioſo: & vt bene amictus iret, faciem in ſpeculo quærebat: vbi ſe intuens, togam corpori ſic applicabat, vt rugas non forte, ſed induſtria locatas artifex nodus adſtringeret: & ſinus ex compoſito defluens, modum lateris ambiret. Is quondam quum incederet elaboratus ad ſpeciem, collegæ de iniuriis diem dixit, quòd ſibi in anguſtiis obuiis, offenſu fortuito, ſtructuram togæ deſtruxerat: & capitale putauit, quòd in humero ſuo locum ruga mutaſſet. Male etiam audiuit, & quòd iudices corrumperet, vt Cicero in Verrinis ſignificat, & Aſconius interpretatur: & quòd munera à clientibus acciperet, vt à Verre ſphingem, propter quam Cicero illo iudicio in altercatione neganti ei ſe ænigmata intelligere, reſpondit, debere, quoniam ſphingem domi haberet, vt ait Plinius lib. trigeſimo quarto cap. octauo: quamuis in eo iudicio pauca dixerit Hortenſius, vt Cic. in Oratore hiſce verbis oſtendit: nobis pro familiari reo ſummus orator non reſpōdit Hortenſius: & Aſconius ait: his rebus adeo ſtupefactus Hortenſius dicitur, vt rationem defenſionis omitteret. Is erat ſolitus gloriari, quòd nunquam, bello ciuili interfuiſſet, vt epiſtola decima ſexta lib. ſecundi Famil. ſcriptū videbis. ADMODVM ADOLESCENS, vndeuiginti annos natus, ſupra. ORSVS ESSET IN FORO DICERE, L. Craſſo, Q. Scæuola Coſſ. ſupra. CELERITER, eodem anno, libro tertio de Oratore. MAIORES CAVSAS, vt Africæ, & Bithyniæ Regis cauſas, quæ non poterant non eſſe magnæ, lib. tertio de Oratore. INCIDERAT, inciderat Hortenſius in Cottæ, & Sulpicii ætatem ſic, vt illorum ætati quaſi ſuccreſceret, libro tertio de Oratore. MAIORES, maiores erant Hortenſio. EXCELLENTE, viuo, ſupra. CRASSO, ET ANTONIO, DEINDE PHILIPPO, POST IVLIO, L. Craſſo, & M. Antonio, deinde L. Marcio Philippo, poſt C. Iulio Cæſare, de quibus omnibus ſupra dictū eſt. CVM IIS IPSIS, C. Cotta, & P. Sulpicio, quibus Hortenſium tanto minorem præcurrere vix honeſtum Craſſus putabat libro tertio de Oratore. MEMORIA, Lucullus habuit diuinam quandam memoriam rerum, verborum maiorem Hortenſius, libro ſecundo Academicarum quæſtionum: quam quidem memoriam Hortenſii Tuſculana prima, & libro tertio de Oratore commendat: Seneca vero in proœmio Declamationum ita ſcribit: Hortenſius à Siſenna prouocatus, in actione perſedit diem totum, & omnes res, & pretia, & emptores ordine ſuo recenſuit argentariis recognoſcentibus ita, vt in nullo falleretur. QVANTAM IN VIRO, aliter quantam in vllo. nos putamus legendum: vel, quantam in nullo: vel, quanta nullum. REDDERET, refer-

ret, vt libro decimo Quintilianus ait. QVIBVS COGITAVISSET, aliter quibus excogitauiſſet. HOC, memoria. ILLE, Hortenſius. ARDEBAT, Hortenſius. CVPIDITATE, gloriæ. FLAGRANTIVS STVDIVM VIDERIM, idem penè L. Craſſus libro tertio de Oratore dixit. NVLLVM ENIM, αἰτιολογία, quòd in eo flagrans eſſet ſtudium. NVLLVM ENIM PATIEBATVR ESSE DIEM, QVIN AVT IN FORO DICERET, AVT MEDITARETVR EXTRA FORVM, nullum tempus illi vnquam vacabat aut à forenſi dictione, aut à commentatione domeſtica, vt ſupra de Piſone genero dixit. VTRVNQVE FACIEBAT, & in foro dicebat, & extra forum meditabatur. GENVS DICENDI, Aſiaticum, infra. DVAS QVIDEM RES, attulerat. QVAS NEMO ALIVS, attulerat. hinc libro primo de Oratore partitionem Craſſus omiſit: quamuis Antonius poſtea libro ſecundo dixerit, Rhetores iubere, poſt narrationem cauſam diuidere. Quòd ſi Rhetores iam tum iubebant diuidere, non videtur Hortenſius hoc ipſum primus attuliſſe: niſi forte melius attulit: quod etiam Quintilianus ſic libro quarto capite quinto demonſtrat: non immerito multum ex diligentia partiendi tulit laudis Q. Hortenſius: cuius tamen diuiſionem in digitos diductam nonnunquam Cicero leuiter eludit. eludit vero ſic in oratione pro Quintio: faciam, quod te ſæpe animaduerti facere Hortenſi, totam cauſæ meæ dictionem certas in partes diuidam: tu id ſemper facis, quia ſemper potes: ego in hac cauſa faciam, propterea quòd in hac videor poſſe facere: quod tibi natura dat, vt ſemper poſsis, id mihi cauſa dat, vt hodie poſsim. & Verrina prima: Quid quum accuſationis tuæ membra diuidere cœperit, & in digitis ſuis ſingulas partes cauſæ conſtituere? In Hortenſio vero ſic etiam ſcripſit. quis te aut eſt, aut fuit vnquam in partiundis rebus, in definiendis, in explanandis preſsior? hoc in verbo, preſſum, Nonius refert. PARTITIONES, διαιρέσεις Plato in Phædro vocat. COLLECTIONES, συναγωγὰς Plato in Phædro, & Cicero epiſtola decima quinta libri noni ad Atticum vocant. FACVLTATE COPIOSVS, nam fuit in Hortenſio ſumma copia, ac ſingularis facultas dicendi, vt ait in oratione pro Lege Manilia. SVMMO, ita, vt nihil ei à natura deeſſet, libro tertio de Oratore. INGENIO, quo fuit præditus, in oratione pro Lege Manilia: addit libro tertio de Oratore, nihil à doctrina defuiſſe. & ſanè videtur bene doctus fuiſſe. ſiquidem poëma ſcripſit, vt autor eſt Varro libro primo de Analogia: & Annales, vt Paterculus affirmat: & certe cum Siſenna, & Lucullo de græce, latinéque ſcribendo venit in eam contentionem, quam Plutarchus in Lucullo refert. GESTVS ETIAM PLVS, aliter geſtus eſſet plus. QVAM ERAT ORATORI SATIS, conſtat enim, inquit Valerius Maximus libro octauo capite decimo, Aeſopum, Roſciúmque ludicræ artis peritiſsimos, illo cauſas agente, in corona frequenter aſtitiſſe, vt foro petitos geſtus in ſcenam referrent. hinc L. Torquatus illum Dionyſiam vocauit: ſed ille reſpondit, Dionyſia quidem malo eſſe, quàm, quod tu Torquate, ἄμουσος, ἀναφρόδιτος, ἀπροσδιόνυσος, vt Gellius libro primo cap. quinto ſcribit. Momordit illum etiam Cicero Verrina quinta, quòd ceruiculam iactaret, & populo ſe ad coronam daret. HOC, Q. Hortenſio. FLORESCENTE, quum vigeſimũ tertium annum ageret. nam Craſſo, & Scæuola Conſulibus vndeuiginti annos natus erat, ſupra: & L. Craſſus Philippo, & Cæſare Conſulibus eſt mortuus, vt ſupra diximus. & floreſcenti defloreſcentem infra opponit. COTTA, C. Cotta, ſupra. CRASSVS, L. Craſſus, cuius etiam ſodalis Hortenſius appellatur libro tertio de Oratore. PVLSVS, paucis enim diebus poſt mortem L. Craſsi depulſus per inuidiam Tribunatu, non multis ab eo tempore

mensibus

menſibus eiectus eſt è ciuitate, vt libro tertio de Oratore dicitur: quem Rutilia mater eſt ſecuta, vt ſupra retulimus. IVDICIA INTERMISSA, ſenatus enim decreuit, ne iudicia, dum tumultus Italicus eſſet, exercerentur, vt ait Aſconius. BELLO, quod à ſcriptoribus Sociale, Italicum, Latinum, & Marſicum vocari videbis: quod cœptum eſt L. Philippo, & Sex. Cæſare Conſulibus, vt Florus libro tertio capite decimo octauo ſcribit, quamuis aliqui diſſentiant. VENSMVS, audituri, non dicturi. Tunc enim Cicero circiter ſexdecim annos natus erat: & multo poſt ad cauſas adire cœpit, vt infra dicetur. PRIMO ANNO, quo bellum hoc cœptum eſt, & nos in forum venimus, L. Philippo, Sex. Cæſare Coſs. ALTERO, ſequenti anno, L. Cæſare, P. Rutilio Coſs. SVLPICIVS, P. Sulpicius, ſupra. LEGATVS ABERAT, in Marrucinos profectus, vt Liuius libro ſeptuageſimo ſexto ſcripſit, & quidem Pompeii legatus, vt Oroſius libro quinto capite decimo octauo refert. ETIAM M. Antonius, legatus aberat: quanquam ſatis ex ſecunda Tuſculana conſtat; illum pro ſe lege Varia dixiſſe: nec contrà ſatis conſtat, vbi tunc abeſſet. EXERCEBATVR VNA LEGE IVDICIVM VARIA, Q. enim Varius, de quo ſupra diximus, Tribunus plebis quum eſſet, legem tulit, vt quæreretur de iis, quorum opera, conſiliòue ſocii contra populum Romanum arma ſumpſiſſent, vt ait Aſconius: ea lege vna tunc iudicium exercebatur, quum reliqua iudicia tunc intermiſſa fuiſſent, vt paulo ante dictum eſt: vel ſublata, vt loquitur in oratione pro Cornelio, vbi ſcribit Aſconius, multos lege Varia damnatos fuiſſe, quaſi bellum Italicum illis autoribus conflatum eſſet: qua quidem lege Q. ipſe quoque Varius damnatus eſt, vt ex Valerio Maximo ſuprà retulimus. CAETERIS, cæteris legibus ad iudicia pertinentibus. PRO SE IPSI DICEBANT, pro ſe dicebant lege Varia, qua tunc accuſabantur, tanquam autores fuiſſent, vt bellum Italicum conflaretur. L. MEMMIVS, L. Memmius C. frater, L. Craſſi, & M. Antonii propè æqualis, ſupra: ſi modo is eſt, vt nos putamus. Q. POMPEIVS, Q. Pompeius Rufus, ſupra. ORATORES, nam L. Memmius mediocris orator fuit, & Q. Pompeius ſcripſit eas orationes, quibus pro ſe eſt vſus, ſupra. DISERTO, vt ſupra deſcribitur. PHILIPPO, L. Philippo, qui L. Craſſo, & M. Antonio proximus accedebat, ſed longo interuallo tamen proximus, ſupra. CVIVS IN TESTIMONIO CONTENTIO ET VIM ACCVSATORIS HABEBAT, ET COPIAM, res forte tūc omnibus nota, certe nunc nobis ignota. PRINCIPES, oratores. TVNC, L. Cæſare, P. Rutilio Coſs. C. CVRIO, pater, ſupra. RELICTVS, ſupra. Q. METELLVS CELER, tunc erat Tribunus pleb. ſic enim credimus: quamuis hac de re nihil ſcriptum viderimus. DISERTI, ſupra. Q. VARIVS, ſupra. C. CARBO, illius eloquentiſsimi viri filius, de quo ſupra diximus. CN. POMPONIVS, ſupra. HABITABANT IN ROSTRIS, VT Tribuni plebis, qui frequenter in roſtris vel concionabantur, vel, aliis concionantibus, ſedebant vt Scæuola, quum L. Craſſus legem Seruiliam ſuaderet, ſupra.

C. etiam Iulius Aedilis curulis quotidie ferè accuratas conciones habebat. ſed me cupidiſsimum audiendi primus dolor percuſsit, Cotta cum eſt expulſus. reliquos frequenter audiens, acerrimo ſtudio tenebar; quotidiéque & ſcribens, & legens, & commentans, oratoriis tamen exercitationibus contentus non eram. Iam conſequente anno Q. Varius ſua lege damnatus

exceſſerat. Ego autem iuris ciuilis ſtudio multum operæ dabam Q. Scæuolæ P. F. qui quanquam nemini ſe ad docendum dabat, tamen conſulentibus reſpondendo ſtudioſos audiendi docebat. atque huic anno proximus Sylla Conſule & Pompeio fuit. tum P. Sulpicii in Tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognouimus. eodémque tempore cum princeps Academiæ Philo cum Athenienſium optimatibus Mithridatico bello domo profugiſſet, Romámque veniſſet; totum ei me tradidi, admirabili quodam ad philoſophiam ſtudio concitatus: in quo hoc etiam commorabar attentius; etſi rerum ipſarum varietas & magnitudo ſumma me delectatione retinebat; ſed tamen ſublata iam eſſe in perpetuum ratio iudiciorum videbatur. occiderat Sulpicius illo anno, tréſque proximo trium ætatum oratores erant crudeliſsime interfecti, Q. Catulus, M. Antonius, C. Iulius. eodem anno etiam Moloni Rhodio Romæ dedimus operam, & actori ſummo cauſarum, & magiſtro. hæc etſi videntur eſſe à propoſita ratione diuerſa, tamen idcirco à me proferuntur, vt noſtrum curſum perſpicere, quoniam voluiſti, Brute poſsis, (nam Attico hæc nota ſunt) & videre quemadmodum ſimus in ſpatio Q. Hortenſium ipſius veſtigiis perſecuti. Triennium ferè fuit vrbs ſine armis, ſed oratorum aut interitu, aut diſceſſu, aut fuga (nam aberant etiam adoleſcentes M. Craſſus & Lentuli duo) primas in cauſis agebat Hortenſius, magis magiſque quotidie probabatur.

C. ETIAM IVLIVS, C. etiam Iulius Cæſar Strabo, ſupra. AEDILIS CVRVLIS, vnde poſtea Aedilitius eſt occiſus, vt ſupra retulimus. COTTA QVVM EST EXPVLSVS, paulo ante. AVDIENS, τὴν γὰρ ἀκρόασιν ὡς οὐκ ἂν ἀσμενίσειε, τὰ μετὰ πόνων τοῖς ἄλλοις εἰργασμένα, ἑτοίμως λαμβάνων, vt Theon loquitur. SCRIBENS, quòd illud, quod poſtea libro primo de Oratore ſcripſi, tunc etiam ſcirem, caput eſſe, quàm plurimum ſcribere. ὥσπερ γὰρ τοῖς ζωγραφεῖν βουλομένοις οὐδὲν ὄφελος κατανοεῖν τάτε ἀπελλοῦ, καὶ ἀντιφίλου ἔργα, ἐὰν μὴ καὶ αὐτοὶ γράφειν ἐπιχειρῶσιν, οὕτω καὶ τοῖς ῥητορεύειν μέλλουσιν, οὔτε τῶν ὀνομάτων, τὸ πλῆθος, οὔτε τὸ ἐπὶ τὴν λέξιν καθαρὸν, οὔτε θέσις ἡρμοσμένη, οὔτε ἀκρόασις ἀστεία οὔτε ὅλως τῶν ἐν τῇ ῥητορικῇ καλῶν οὐδὲν ἔστι χρήσιμον, ἐὰν μὴ καὶ αὐτὸς ἕκαστος ταῖς καθ' ἑκάστην ἡμέραν γραφαῖς ἐγγυμνάζηται, vt ſcribit Theon. LEGENS, non vt puer, de quo loquitur Quintilianus libro primo capite decimo quarto: ſed vt grandis, cui legendi ſunt poetæ, cognoſcenda hiſtoria, omnium bonarum artium ſcriptores, ac doctores & legendi, & peruolutandi, & exercitationis cauſa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi, vt Cicero lib. primo de Oratore docet. ἡ γὰρ ἀνάγνωσις, ὡς τῶν πρεσβυτέρων τινὶ ἔφη, ἀπολλώνιος δοκεῖ μοι ὁ ῥόδιος, τροφὴ λέξεώς ἐστι. τυπούμενοι γὰρ τὴν ψυχὴν ἀπὸ καλῶν παραδειγμάτων κάλλιστα καὶ μιμησόμεθα, vt Theon ſcribit. COMMENTANS, primum quidem, vt aut verſibus propoſitis quàm maxime grauibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria poſſem comprehendere, eam rem ipſam

ipſam, quam legiſſem, verbis aliis quàm maxime poſſem lectis pronunciarē: deinde ſecutus ſum, quod magis placuit, vt ſummorum oratorum Græcas orationes explicarem, libro primo de Oratore. Quamuis enim Craſſus id ſe dicat feciſſe, nos tamen Ciceroni tribuimus, quod ne Quintilianus quidem libro decimo negat. TAMEN, quamuis audirem, ſcriberem, legerem, & commentarer, tamen his exercitationibus, quæ ſunt oratoriæ, vt dictum eſt, non eram contentus, ſed ad alia etiam ſtudia vt Philoſophiæ me transferebam. aliter tantum, vt ſit ſenſus: non eram contentus tantum exercitationibus oratoriis, vt declamationibus, ſed audiebam etiam, ſcribebam, legebam, & commentabar. Quamuis enim hæc poſsit, & debeat facere orator, illius tamen exercitatio eſt magis propria declamatio. CONSEQVENTE ANNO, Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coſs. Q. VARIVS, ſupra. SVA LEGE, lege Varia de maieſtate, vt ait Aſconius. DAMNATVS, vt ſupra retulimus. IVRIS CIVILIS, cuius tantum ſcire volui, quantum ſatis eſſet oratori, ſupra. DABAM, quum tu quoque Attice ad Scæuolam ventitares, libro primo de Legibus: & quidem Scæuola Augure mortuo, in Lælio: Quòd ſi mortuus erat ante Syllam Conſulem, vt hic apparet, in funere Marii certe non potuit vulnerari, vt ſupra pluribus oſtendimus. Q. SCAEVOLAE P. F. qui collega fuit L. Craſsi, ſupra, ad quem Augure mortuo, me contuli, in Lælio. DOCEBAT, vt fieri ſolet. HVIC ANNO, Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coſs. id eſt anno tertio poſtquam in forum venimus, ſupra. PROXIMVS, proximus annus, qui fuit quartus, ex quo Cicero in forum venit. SYLLA CONSVLE, ET POMPEIO, L. Cornelio Sylla, Q. Pompeio Rufo Coſs. an. ab V. C. ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto. & ita videtur locutus, vt ita ſeparans, ſignificaret, Q. Pompeium Conſulem interfectum fuiſſe, vt ſupra ex Liuii libro ſeptuageſimo ſeptimo retulimus. aliam vero ſupra rationem diximus, cur eodem modo Cæpionem, & Lælium ſeparauit. TVM, Sylla, & Pompeio Coſs. P. SVLPICII, ſupra. CONCIONANTIS, vt leges ſuas perferret, vt Liuius libro ſeptuageſimo ſeptimo ſcripſit. TOTVM, vehemens, graue, in quo qui bene verſatur, is etiam, vt Demoſthenes, poteſt ſummiſſe dicere, vt ait in libello de Optimo genere oratorum. Sulpicius vero grandis erat, & penè tragicus orator, ſupra. Itaque qui genus eius dicendi cognorat, is totum dicendi genus cognoſcere dici poterat: quanquam Cicero prius alios audierat fortaſſe attenuatos, aut mediocres, ſed quum Sulpicium grandem etiam audiuit, tunc totum dicendi genus cognouit, quamuis dicat, ſe genus totum dicendi Sulpicii ipſius cognouiſſe. EODEMQVE TEMPORE, Sylla, & Pompeio Coſs. PRINCEPS ACADEMIAE, ſic, vt Philone viuo, patrocinium Academiæ non defuerit, libro ſecundo Academicarum quæſtionum. PHILO, quem L. Craſſus in Academia maxime vigere audiebat, vt ait libro tertio de Oratore. MITHRIDATICO BELLO, quod prius quidem cœptum fuerat, ſed Sylla, & Pompeio Conſulibus tamen occupatæ populi Romani prouinciæ, vt Liuius libro ſeptuageſimo ſeptimo ſcripſit. DOMO, Athenis, quas Archelaus Mithridatis præfectus illis temporibus occupauit, vt Liuius libro ſeptuageſimo octauo retulit. ROMAMQVE VENISSET, vbi P. & C. Selii, & Tetrilius Rogus illum audiuerunt, libro ſecundo Academicarum quæſtionum. EI, Philoni, de quo loquimur. TRADIDI, & eum frequenter audiui, Tuſcul. ſecunda. CONCITATVS, aliter incitatus. IN QVO HOC ETIAM, quòd ratio iudiciorum eſſe in perpetuum ſublata videbatur ita, vt eloquentia exerceri amplius non poſſet, & ob id opera Philoſophiæ danda potius videretur. VARIE-

TAS, ET MAGNITVDO, res enim variæ, & magnæ in Philoſophia tractantur: ſiquidem philoſophandi ratio triplex eſt: vna de vita, & moribus: altera de natura, & rebus occultis: tertia de diſſerendo, & quid verum, & quid falſum, quid rectum in oratione, prauúmue, quid conſentiens, quid repugnet, iudicando, libro ſecundo Academicarum quæſtionum, vt alia mittam. DELECTATIONE RETINEBAT, hominis enim mens diſcendo alitur, & cogitando ſemper aliquid aut inquirit, aut agit: videndíque, & audiendi delectatione ducitur, vt ait libro primo de Officiis. SED TAMEN, quædam ἐπανάληψιν in ſenſu potius, quàm in verbis: vel ſic eſt legendum: in quo hoc etiam commorabar attentius, quòd, etſi rerum ipſarum varietas, & magnitudo ſumma me delectatione retinebat, tamen ſublata iam eſſe in perpetuum ratio iudiciorum videbatur. IN PERPETVVM, etſi ratio in perpetuum ſublata fuiſſet, non opus fuiſſet eloquentia, quæ foro, & iudiciis eſt nata. ob id igitur attentius in Philoſophiæ ſtudio commorabar. IVDICIORVM, quæ intermiſſa fuerant bello, ſupra. VIDEBATVR, præſertim quum poſt bellum Romæ exortæ fuiſſent ſeditiones, vt libro ſeptuageſimo ſeptimo Liuius oſtendit. OCCIDERAT, occiſus fuerat, vt ſupra retulimus. SVLPICIVS, P. Sulpicius, ſupra. ILLO ANNO, Sylla, & Pompeio Coſs. quod Liuius libro ſeptuageſimo ſeptimo demonſtrauit. PROXIMO, anno proximo, quo L. Cornelius Cinna, & Cn. Octauius Conſules fuerunt: qui fuit annus quintus, quum Cicero in forum venit. TRIVM AETATVM ORATORES, ſuperioris Q. Catulus, mediæ M. Antonius, inferioris C. Iulius. INTERFECTI, Q. Catulus à ſe, M. Antonius à militibus Marii & Cinnæ, C. Iulius Cinnæ iuſſu, vt ſupra ſuis locis oſtendimus. Q. CATVLVS, pater, ſupra. M. ANTONIVS, ſupra. C. IVLIVS, C. Iulius Cæſar Strabo, ſupra. EODEM ANNO, quo L. Cinna, & Cn. Octauius Conſules fuerunt. MOLONI, Apollonio Moloni, vt appellat Suetonius in Cæſare, Quintilianus libro tertio capite primo, & Plutarchus in Cicerone, quanquam ille ἀπολλώνιον τὸν μόλωνος vocat: ſed Cicero, & Valerius Maximus libro ſecundo capite primo Molonem ſimpliciter appellant, & Strabo libro decimo quarto Apollonium à Molone ſeiungit, & ita duos oſtendit, præſertim quum addit, Apollonium primum Rhodum, deinde Molonem etiam veniſſe, cui dixerit Apollonius, καὶ μόλων εἰσ. RHODIO, quod Rhodi vixerit, & docuerit: vnde ſupra diſciplina Molonis Rhodia dicta eſt: quamuis ipſe fuerit Alabandenſis, & Meneclis oratoris diſcipulus, vt Strabo lib. decimo quarto ſcribit. ROMAE, quo & ipſe Mithridatico bello venerat, legatus, vt arbitror, à Rhodiis miſſus, quo tempore neque fortitudine aduerſus Mithridatem, neq. fide in Romanos quiſquam Rhodiis par fuit, vt ait Paterculus. eum certe ante omnes exterarum gentium in ſenatu ſine interprete auditum conſtat, vt Valerius Maximus libro ſecundo capite primo refert: quod tamen etiam Dictatore Sylla fieri potuit, quando legatus vel venit, vel rediit, infra. DEDIMVS OPERAM, illum audiuimus. ACTORI SVMMO CAVSARVM, ET MAGISTRO, ſummo oratori, & Rhetori, σοφιστεύοντος ἐπιφανῶς Plutarchus in Cæſare, Rhetorem Valerius Maximus, clariſſimum dicendi magiſtrum Suetonius vocat: PROPOSITA, à te Brute hoc modo: gradus tuos, & quaſi proceſſus dicendi ſtudeo cognoſcere: DIVERSA, quòd nihil ad gradus, & quaſi proceſſus dicendi cognoſcendos pertinere videantur. VOLVISTI, hæc à me proferri, vel potius, voluiſti noſtrum curſum perſpicere. NAM, αἰτιολογία, quare hæc Bruto tantum dicat. ATTICO HAEC NOTA SVNT, quippe quum mecum à condiſcipulatu coniunctiſsime vixerit: hoc Cornelius Nepos in

pos in Attico ſcribit. PERSECVTI, dichoreus. TRIENNIVM, tres annos, quorũ primo C. Marius VII. L. Cinna II. ſecundo L. Cinna III. Cn. Carbo: tertio L. Cinna IIII. Cn. Carbo II. Conſules fuerunt. hinc Paterculus ait: per triennium Cinnanæ, Marianæque partes Italiam obſederunt. FERE, non enim fuit integrum triennium: ſiquidem ante, quàm tertius annus finiretur, L. Cinna Conſul ab exercitu ſuo, quem inuitum cogebat naues conſcendere, & aduerſus Syllam proficiſci, interemptus eſt, vt Liuius libro octuageſimo tertio ſcripſit. FVIT VRBS SINE ARMIS, Sylla bellum Mithridaticum gerente, & Marianis Rempub. ad arbitrium ſuum gerentibus. INTERITV, vt Q. Catuli, M. Antonii, & C. Iulii, paulo ante. DISCESSV, vt C. Cottæ, & C. Curionis, qui tunc aberant, ſupra. FVGA, vt M. Craſsi, quem ipſemet adiungit. ABERANT, M. Craſſus in Hiſpania, quò fugerat, vt in eius vita ſcripſit Plutarchus: P. Cornelius Lentulus Sura in Aſia cum Sylla, cuius erat Quæſtor, vt in Cicerone Plutarchus oſtendit: Cn. Cornelius Lentulus neſcio quò & ipſe profectus, forte quòd Marianos vt Syllæ propinquus, id eſt, Cornelius timeret. ADOLESCENTES, Craſſus enim tunc νέος ὢν παντάπασιν, ἐξέφυγε, vt ait Plutarchus: ii vero duo Lentuli M. Craſsi æquales fuerunt, ſupra. M. CRASSVS, ſupra. LENTVLI, Cn. Cornelius Lentulus, & P. Cornelius Lentulus Sura, ſupra. PRIMAS IN CAVSIS, aliter primis in cauſis.

Antiſtius, Piſo ſæpe dicebat, minus ſæpe Pomponius, raro Carbo, ſemel aut iterum Philippus. at vero ego hoc tẽpore omni noctes & dies in omnium doctrinarum meditatione verſabar. eram cum Stoico Diodoto: qui cum habitauiſſet apud me, mecúmque vixiſſet, nuper eſt domi meæ mortuus. à quo cum in aliis rebus, tum ſtudioſiſsime in dialectica exercebar, quæ quaſi contracta & aſtricta eloquentia putanda eſt: ſine qua, etiam tu Brute iudicauiſti, te illam iuſtam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam eſſe putant, conſequi non poſſe. huic ego doctori, & eius artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, vt ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus eſſet. commentabar declamitans (ſic enim nunc loquuntur) ſæpe cum M. Piſone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie: idque faciebam multum etiam Latine, ſed Græce ſæpius: vel quòd Græca oratio plura ornamenta ſuppeditans, conſuetudinem ſimiliter Latine dicendi afferebat: vel quòd à Græcis ſummis doctoribus, niſi Græce dicerem, neque corrigi poſſem, neque doceri. tumultus interim pro recuperanda republica, & crudelis interitus oratorum trium, Scæuolæ, Carbonis, Antiſtii: reditus Cottæ, Curionis, Craſsi, Lentulorum, Pompeii: leges & iudicia conſtituta, recuperata reſpub. ex numero autem oratorum Pomponius, Cenſorinus, Muræna ſublati. tum primum nos ad cauſas & priuatas & publicas adire cœpimus, nõ vt in foro diſceremus, quod plerique fecerunt, ſed vt, quantum nos efficere potuiſſemus, docti in forum veniremus. eodem

tempore Moloni dedimus operam. Dictatore enim Sylla legatus ad ſenatum de Rhodiorum præmiis venerat. itaque prima cauſa publica pro Sex. Roſcio dicta tantum commendationis habuit, vt non vlla eſſet, quæ non noſtro digna patrocinio videretur. deinceps inde multæ; quas non minus diligenter elaboratas, & tanquam elucubratas afferebamus.

ANTISTIVS, P. Antiſtius, ſupra. PISO, M. Piſo, ſupra. POMPONIVS, Cn. Pomponius, ſupra. CARBO, C. Carbo eloquẽtiſsimi viri filius, ſupra. PHILIPPVS, L. Philippus, ſupra. STOICO, ſic epiſtola decima ſeptima libri decimi tertii Famil. lib. ſecundo Academicarum quæſtionum, & Tuſculana quinta Stoicum vocat. DIODOTO, qui cæcus multos annos vixit. is, quod credibile vix eſſet, quum in Philoſophia multo etiam magis aſsidue, quàm antea verſaretur, & quum fidibus Pythagoreorum more vteretur, quúmque ei libri noctes, & dies legerentur, quibus in ſtudiis oculis non egebat, tamen quod ſine oculis fieri poſſe vix videtur, Geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens diſcentibus, vnde, quò, quamque lineam ſcriberent, Tuſculana quinta. & Diodotus ſcribi debet, vt apud Plutarchum in apophthegmatis Ciceronis Διόδοτος ſcribitur, quanquam Diodorus hic, & alibi ſæpe legitur, vt etiam apud Cornelium Tacitum in dialogo de Oratoribus ſcriptum vidimus. HABITAVISSET APVD ME, libro ſecundo Academicarum quæſtionum. MECVMQVE VIXISSET, ibidem: noſtræ domi vixiſſet, Tuſculana quinta, & epiſtola decima ſeptima libri decimi tertii Familiarium. NVPER, quindecim ante annis, Cæſare, & Bibulo Coſs. epiſtola vigeſima libri ſecundi ad Atticum. MORTVVS, & reliquit nobis H-S. fortaſſe centies, ibidem. nec me mouet, quod libro ſecundo Academicarum quæſtionum de illo tanquam viuo loquitur: quoniam viuebat tunc, quum ſermo ille factus eſſe fingitur: ſiquidem viuebat etiam Catulus, qui tamen multo ante Diodotum deceſſerat. A QVO, vt homine eruditiſsimo, epiſtola decima ſeptima libri decimi tertii Familiarium. DIALECTICA, quam oratori neceſſariam putarem, in Oratore. EXERCEBAR, quum illum à puero audirem, libro ſecundo Academicarum quæſtionum. QVAE QVASI CONTRACTA, ET ASTRICTA ELOQVENTIA PVTANDA EST, Ariſtoteles enim principio artis Rhetoricæ dicit, illam artem quaſi ex altera parte reſpondere Dialecticæ, vt hoc videlicet differant inter ſe, quòd hæc ratio latior ſit, illa loquendi contractior, vt ait in Oratore, & libro primo de Legibus. IVDICAVISTI, qui eorum philoſophorum ſectam ſecutus es, quorum in doctrina, atque præceptis diſſerendi ratio coniungitur cum ſuauitate dicendi, & copia, ſupra: & ſic artibus ès eruditus, in Oratore. IVSTAM ELOQVENTIAM, ſic iuſtam victoriam, iuſtam vxorem dici videbis. ESSE PVTANT, quòd ſint inter ſe vicinæ, & finitimæ, in Oratore. HVIC, Diodoto. ARTIBVS, vt Philoſophiæ, Muſicæ, & Geometriæ, Tuſculana quinta. NVLLVS DIES VACVVS ESSET, ſic etiam ſupra de C. Piſone genero, & de Q. Hortenſio dixit. COMMENTABAR, domi. DECLAMITANS, declamitans cauſas, quod nemo me diutius fecit, Tuſculana prima. nam Cicero ad Præturam vſque græce declamauit, latine vero ſenior quoque & quidem Conſulibus Hircio, & Panſa, quos diſcipulos, & grandes prætextatos vocabat, vt ait Suetonius in libello de Claris Rhetorib. ſed quũ à principio quodã genere declamatorio vſus fuiſſet, quod ille nõ ſatis probaret, poſtea inſtituẽdi

genus

genus paulo eruditius, & ἀκυρότερον eſt ſecutus, epiſtola tertia libri tertii ad Q. fratrem. SIC ENIM NVNC LOQVVNTVR, nam declamatio apud nullum autorem antiquum ante ipſum Ciceronē, & Caluum inueniri poteſt, vt ait Seneca libro primo Declamationum. M. PISONE, ſupra: apud quem ſuſpicantur quidam Ciceronem eloquentiam pudicitiæ iactura perdidiciſſe. Q. POMPEIO, Q. Pompeio A. F. qui Bithynicus dictus eſt, ſupra. GRAECE, ſic enim græce Cicero loquebatur, vt olim Molo ſic dixerit: τὰ ἑλλάδος οἰκτείρω τὴν τύχην ὁρῶν, ἃ μόνα τῶν καλῶν ἡμῖν ὑπελείπετο, καὶ ταῦτα ῥωμαίοις διὰ σοῦ προσγινόμενα, παιδείαν, καὶ λόγον, quod in Cicerone Plutarchus ſcribit: in ſenatu Syracuſano etiam græce locutus olim eſt, vt Verrina ſexta refert: & librum de Conſulatu ſuo, præter alia, græce ſcripſit, vt libro primo, & ſecundo ad Atticum teſtatur. PLVRA ORNAMENTA, idem ſentiunt omnes, quamuis ipſe Cicero libro primo de Finibus aliter, rei ſuæ ſeruiens, dicat. SVMMIS DOCTORIBVS, Molone, & aliis. NEQVE CORRIGI POSSEM, quum illi Latinam linguam ignorarent. hinc Moloni vel ob id roganti, vt græce diceret, paruit, οἰόμενος οὕτως ἔσεσθαι βελτίονα τὴν ἐπανόρθωσιν, vt ait Plutarchus. TVMVLTVS, ſic in oratione pro Sex. Roſcio dicitur, ab aliis bellum vocatur. INTERIM, primum Cn. Carbone ſolo Conſule, deinde L. Scipione, & C. Norbano Conſulibus, vt Liuius lib. octuageſimo tertio, & duobus ſequentibus, Paterculus libro ſecundo, & alii ſcripſerunt. RECVPERANDA, per Syllam à Marianis, vt ait Paterculus. INTERITVS, qui fuit iam Cn. Carbone III. C. Mario C. F. Coſſ. vt idem ſcribit Paterculus. SCAEVOLAE, Q. Mucii Scæuolæ Pontificis, ſupra. CARBONIS, C. Carbonis, ſupra. ANTISTII, P. Antiſtii, ſupra. atque ii quidem à Damaſippo Prætore velut fauentes Syllæ partibus interfecti ſunt, vt Paterculus affirmat. COTTAE, C. Cottæ, qui pulſus fuerat, ſupra. CVRIONIS, qui aberat, ſupra. CRASSI, qui fugerat, ſupra. LENTVLORVM, qui duo aberant, ſupra. POMPEII, Cn. Pompeii, qui poſtea Magnus eſt appellatus, ſed tunc ipſe quoque in Picenum, vt Plutarchus oſtendit, ſeceſſerat. LEGES, quæ intermiſſæ fuerant, ſupra: tunc ſunt conſtitutæ: quæritur tamen in oratione pro Sex. Roſcio tum conſuetudinem, quæ lex eſt altera, ſublatam fuiſſe. IVDICIA, quæ bello intermiſſa fuerant, ſupra. Itaque diu nullum factum eſt iudicium in oratione pro Sex. Roſcio. CONSTITVTA, à L. Sylla, qui & pacis conſtituendæ rationem, & belli gerendi poteſtatem ſolus habuit, vt ait in oratione pro Sex. Roſcio, & Plutarchus in vita Syllæ. RECVPERATA RESPVB. à L. Sylla, cui ſe Reſpub. totam tradidit, temporibus coacta, & malis domeſticis, vt Verrina quinta dicitur. nam Sylla rebus nouis Reipub. ſtatum confirmauit, vt Liuius libro octuageſimo nono ſcripſit. POMPONIVS, Cn. Pomponius, ſupra. CENSORINVS, C. Cenſorinus, ſupra. MVRAENA, P. Muræna, ſupra. SVBLATI, vt Mariani, ſupra: & ſublati à Sylla, qui, C. Mario, & Cn. Carbone Conſulibus interfectis, Dictator eſt factus, vt Liuius libro octuageſimo octauo, & ſequenti ſcripſit. TVM, L. Sylla Dictatore, paulo poſt. PLERIQVE, vt L. Craſſus, qui ante ad agendum, quàm ad cognoſcendum venit, vt ait libro primo de Oratore. DOCTI, vt ſupra dictum eſt. EODEM TEMPORE, L. Sylla Dictatore. MOLONI, ſupra. DEDIMVS, iterum. nam prius etiam dederat, ſuprà. DICTATORE, poſt C. Marium, & Cn. Carbonem Conſules vt in oratione tertia contra Rullum ſcribit. ENIM, αἰτιολογία, quod Moloni operam dare potuerit. NE RHODIORVM PRAEMIIS, vt peteret à ſenatu præmia Rhodiis, qui, vt ex Paterculo

retulimus, bello Mithridatico pro Romanis fortiter ſteterant, & ob id præmia ſperabant, vt prius etiam fuerant conſecuti, quod Eutropius libro quarto refert. ITAQVE, quum Dictatore Sylla ad cauſas & priuatas, & publicas adire cœpiſſemus. PRIMA CAVSA PVBLICA, quòd antea cauſam publicam nullam dixeram. hoc oſtendit in oratione pro Sex. Roſcio. Dixerat igitur aliquas priuatas, & ob id paulo ante priuatas publicis præpoſuit, & vt oratio creſceret. & publica hæc cauſa vocatur, quòd ad publicum exemplum pertineret, & in publico iudicum conſilio diceretur. Sed de cauſis priuatis, & publicis ſcribit Aſconius. SEX. ROSCIO, Sex. Roſcio Amerino parricidii reo. DICTA, L. Sylla Dictatore, vt hic, infra, & libro ſecundo de Officiis apparet. Adoleſcentes, inquit, contra L. Syllæ dominantis opes pro Sex. Roſcio Amerino diximus: ſed & Plutarchus in Cicerone ſcribit, illum paulo poſt in Græciam profectum, quòd Syllam timeret. Atqui nihil erat, cur eum timeret, niſi tunc etiam Dictator fuiſſet. Nam priuatum nemo timuit, vt Plutarchus, & Appianus oſtendunt. Priuatus vero fuit P. Seruilio, App. Claudio Coſſ. ſiquidem Conſulibus illis deſignatis Conſul ipſe Dictaturam depoſuit, vt Appianus libro primo ſcribit. Atque, vt conſtat hanc cauſam Sylla Dictatore Ciceronem dixiſſe, ita dubium eſt, quo anno potiſsimum dixerit. Gellius enim libro decimo quinto capite vigeſimo octauo putat illum L. Sylla, Q. Metello Conſulibus dixiſſe, quum iam viginti ſeptem annos eſſet natus: ſed Feneſtella, & Quintilianus lib. duodecimo capite ſexto ante Gellium ſcripſerant, illum, quum dixit eam cauſam, ſex & viginti annos natum fuiſſe: quibus ego libentius aſſentior: quòd & autores maiores, & antiquiores fuerunt, & ea dixerunt, quæ veriora videantur: quando Cicero vel hic dicat, ſe Repub. recuperata, iudiciiſq. conſtitutis ad cauſas adiiſſe, & hanc cauſam publicam dixiſſe: & in oratione ipſa pro Sex. Roſcio ſcribat, illum primum, poſt iudicia conſtituta, in iudicium adductum fuiſſe. at veriſimile mihi non videtur, in tantis ſceleribus nullum iudicium publicum intra biennium factum fuiſſe. nam ſi quis diligenter ratiocinetur, inueniat duos ferè annos inter illud tempus, quo Sylla Dictator eſt factus, & illud, quo Gellius hanc cauſam Ciceronem dixiſſe credit. Quòd ſi rationes haſce, biennium, de quo paulo poſt dicetur, Feneſtellam, & Quintilianum ſequemur, credemus, hanc cauſam dictam M. Tullio Decula. Cn. Cornelio Dolabella Coſſ. & ita fatum quoddam fuiſſe, vt M. Tullius M. Tullio Conſule primam cauſam publicam dixerit. Nam priuatas, vt ſupra patuit, ante dixerat, neque tamen ante cauſam P. Quintii dixerat, vt putat Gellius: quam neque primam inter priuatas, neque ante Roſcii cauſam dixit. Nam, quod olim etiam in Quæſtura retulimus, ſe alias cauſas prius egiſſe, in ipſa oratione pro Quintio hiſce verbis oſtendit: Quod mihi conſueuit in cæteris cauſis eſſe adiumento, id quoque in hac cauſa deficit. Item ex eadem oratione ita colliges: Ante diem IIII. Cal. Febr. Quintius in Galliam proficiſcitur Scipione, & Norbano Coſſ. Deinde quum à Tribunis plebis eſſet certum auxilium petitum, ita diſceditur, vt Idib. Septemb. P. Quintium ſiſti Sex. Alphenus promitteret. Venit Romam Quintius, vadimonium ſiſtit. Næuius annum, & ſex menſes nihil petit, quieſcit. & infra in eadem oratione: iacet res in controuerſiis, iſto calumniante, biennium. Quòd ſi res illa iacuit in controuerſiis biennium poſt Id. Septemb. Scipione, & Norbano Coſſ. certe non potuit dici ante Id. Septemb. Sylla, & Metello Coſſ. id eſt ante finem propemodum Conſulatus illorum, quibus Conſulibus Gell. exiſtimat cauſam Roſcii dictam fuiſſe anno poſt, quàm pro Quintio dixerat: quod quàm falſum ſit,

apparet,

apparet,& eo magis,quòd oratio pro Quintio videtur dicta,quum iam Sylla vel eſſet mortuus, vel certe Dictaturam depoſuiſſet. Sic enim in ea ſcriptum eſt: emiſti bona Sex. Alpheni L. Sylla Dictatore vendente. Non dixiſſet, opinor, hoc Cicero Sylla viuo, ne illum offenderet: aut, ſi fuiſſet adhuc Dictator, ita non eſſet locutus, quaſi amplius non eſſet. Quæ quidem omnia quum ita habeant, oratio pro Sex. Roſcio fuit omnibus præponenda: ſed librarii Gellium, & Euſebium, qui grauius hac in re peccant, ſecuti, ſic orationes illas collocarunt. Nondum vero Cicero, quum pro Sex. Roſcio dixit, ad Rempub. acceſſerat, vt in ipſa oratione ipſe teſtatur. TANTVM COMMENDATIONIS HABVIT, magnis enim clamoribus illa de ſupplicio parricidarum dixit, vt in Oratore, & apud Quintilianum libro duodecimo capite ſexto leges. NON VLLA ESSET, nulla eſſet cauſa. DEINCEPS INDE, ſic in principio huius dialogi, poſtea deinceps: quòd alterum ſignificat ordinem, alterum tempus, vt ἔπειτα MVLTAE, multæ cauſæ ſunt à nobis dictæ. non eſt igitur ſtatum Roma profectus, vt Plutarchus exiſtimat. ET TANQVAM, aliter etiam quam: ſed placet legere vel, vt eſt deſcriptum, & tanquam: vel, etiámque.

Nunc quoniam totum me non næuo aliquo, aut crepundiis, ſed corpore omni videris velle cognoſcere, complectar nonnulla etiam, quæ fortaſſe videantur minus neceſſaria. Erat eo tempore in nobis ſumma gracilitas & infirmitas corporis, procerum & tenue collum: qui habitus, & quæ figura non procul abeſſe putatur à vitæ periculo, ſi accedit labor, & laterum magna contentio. eóque magis hoc eos, quibus eram charus, commouebat, quòd omnia ſine remiſsione, ſine varietate, vi ſumma vocis, & totius corporis contentione dicebam. itaque cum me & amici, & medici hortarentur, vt cauſas agere deſiſterem; quoduis potius periculum mihi adeundum, quàm à ſperata dicendi gloria diſcedendum putaui. ſed cum cenſerem, remiſsione & moderatione vocis, & commutato genere dicendi me & periculum vitare poſſe, & temperatius dicere; vt conſuetudinem dicendi mutarem, ea cauſa mihi in Aſiam proficiſcendi fuit. itaque cum eſſem biennium verſatus in cauſis, & iam in foro celebratum meum nomen eſſet, Roma ſum profectus. cum veniſſem Athenas, ſex menſes cum Antiocho veteris Academiæ nobiliſsimo & prudentiſsimo philoſopho fui; ſtudiúmque philoſophiæ nunquam intermiſſum, à primáque adoleſcentia cultum, & ſemper auctum, hoc rurſus ſummo autore & doctore renouaui. eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem & non ignobilem dicendi magiſtrum, ſtudioſe exerceri ſolebam. poſt à me Aſia tota peragrata eſt, cum ſummis quidem oratoribus, quibuſcum exercebar ipſis lubentibus: quorum erat princeps Menippus Stratonicenſis, meo iudicio tota Aſia illis temporibus diſertiſsimus: & ſi nihil habere moleſtiarum, nec ineptia-

rum, Atticorum eſt, hic orator in illis numerari recte poteſt. Aſsiduiſsime autem mecum fuit Dionyſius Magnes, erat etiam Aeſchylus Gnidius, Adramytenus Zenocles. hi tum in Aſia rhetorum principes numerabantur. quibus non contentus, Rhodum veni, meque ad eundem, quem Romæ audiueram, Molonem applicaui, cum actorem in veris cauſis, ſcriptoremq. præſtantem, tum in notandis animaduertendiſque vitiis, & inſtituendo docendóque prudentiſsimum. is dedit operam, ſi modo id conſequi potuit, vt nimis redundantes nos, & ſuperfluentes iuuenili quadam dicendi impunitate & licentia reprimeret, & quaſi extra ripas diffluentes coërceret. ita recepi me biennio poſt, non modo exercitatior, ſed propè mutatus. nam & contentio nimia vocis reciderat, & quaſi deferbuerat oratio, lateribúſque vires, & corporis mediocris habitus acceſſerat.

NAEVO, prouerbium eſt, è næuó cognoſcere. eſt vero de fabulis ſumptum, in quibus ἀναγνώρισις fit multis modis, vt in Arte poëtica docet Ariſtoteles, præſertim per ſigna, quorum τὰ μὲν ἐν τῷ σώματι, οἷον οὐλαί, & næuus, vt hic: τὰ δὲ ἐκτός, τὰ περιδέραια, & crepundia, vt hic addit Cicero. CREPVNDIIS, quibus agnoſcuntur ſæpe perditi, vt in Plauti Ciſtellaria puella crepundiis agnoſcitur. GRACILITAS, ET INFIRMITAS CORPORIS, ἦν γὰρ ἰσχνός, καὶ ἄσαρκος, ἀῤῥωστίᾳ στομάχου μικρά, καὶ γλίσχρα μόγις ὀψὲ τῆς ὥρας προσφερόμενος, vt ait Plutarchus. Porrò gracile corpus, infirmum eſt, vt Celſus libro ſecundo capite primo ſcribit, vt infirmitas hic ἐπιγέννησις eſſe videatur. PVTATVR, à medicis. Celſus quidem quædam libro ſecundo capite primo, ſed Galenus, & alii plura ſcribunt. quæ quidem nos omnia quum cæteris philoſophis, & medicis, tum Ioanni Peregrino Merlo Corrigienſi, & Albicio Duliolæ Bononienſi hominibus doctiſsimis, & viris omnium, quos vnquam nos cognouerimus, optimis, exploranda, & explicanda relinquimus. LATERVM, quibus valentioribus opus ſit oratori vehementi, vt ait in Oratore, & in Catone ſcribit item, munus oratoris eſſe non ingenii ſolum, ſed laterum etiam, & virium. COMMOVEBAT, ἡ γὰρ φωνή, πολλὴ μέν, καὶ ἀγαθή, σκληρὰ δέ, καὶ ἄπλαστος: ὑπὸ δὲ τοῦ λόγου σφοδρότητα, καὶ πάθος ἔχοντος, ἀεὶ διὰ τῶν ἄνω τόνων ἐλαυνομένη, φόβον παρεῖχεν ὑπὲρ τοῦ σώματος, vt ſcribit Plutarchus. DESISTEREM, & ita periculum vitarem. PERICVLVM, periculum vitæ, paulo ante. EA CAVSA, non igitur δεδιὼς τὸν σύλλαν, ἀπεδήμησεν, διασπείρας λόγον, ὡς τοῦ σώματος αὐτῷ θεραπείας δεομένου, vt ait Plutarchus, ſi re vera curatione indigebat. & ſi timuiſſet Syllam, & ob eam cauſam diſceſsiſſet, nihil erat cauſæ, cur in hoc dialogo taceret, & in hiſtoria mētiretur. BIENNIVM, quo M. Tullius Decula, Cn. Cornelius Dolabella: L. Cornelius Sylla, & Q. Cæcilius Metellus Pius Conſules fuerunt. Etſi biennium tantum tunc in cauſis eſt verſatus, & tamen poſt cauſam Sex. Roſcii multas cauſas, vt ſupra dictum eſt, egit, vix dubitationi locus relinquitur, quin orationem pro Sex. Roſcio M. Tullio, & Cn. Dolabella Cōſulibus dixerit. SVM PROFECTVS, P. Seruilio, App. Claudio Coſs. vt nos arbitramur. QVVM VENISSEM ATHENAS, ἀφικόμενος εἰς ἀθήνας, vt ait Plutarchus. ANTIOCHO, Antiocho Aſcalonita, de quo Plutarchus in Cicerone, & Strabo lib. decimo ſexto ſcribunt. VETERIS ACADEMIAE, ἤδη γὰρ ἐξίστατο τῆς νέας λεγομένης ἀκαδημίας ὁ

ἀντίοχος

Ἀντίοχος, καὶ τὴν Καρνεάδου στάσιν ἐγκατέλιπεν, εἴτε καμπτόμενος ὑπὸ τῆς ἐναργείας, καὶ τῶν αἰσθήσεων, εἴτε, ὥς φασιν ἔνιοι, φιλοτιμίᾳ τινὶ, καὶ διαφορᾷ πρὸς τοὺς Κλειτομάχου, καὶ Φίλωνος συνήθεις, τὸν Στωϊκὸν ἐκ μεταβολῆς θεραπεύων λόγον ἐν τοῖς πλείστοις, vt Plutarchus in Cicerone ſcribit. hinc libro primo Academicarum quæſtionum dicitur Antiochus in domum veterem è noua remigraſſe: de quo libro ſecundo Academicarum quæſtionum plura dicuntur. NOBILISSIMO, ET PRVDENTISSIMO PHILOSOPHO, politiſsimum, & acutiſsimum ſuæ memoriæ philoſophorum Cicero libro ſecundo Academicarum quæſtionum vocat. FVI, τῇ μὲν εὐροίᾳ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ χάριτι κηλούμενος, vt Plutarchus ait. CVLTVM, quum Philonem, & Diodotum, & alios audiuiſſem, ſupra, & in Oratore, vbi teſtatur domum ſuam doctiſsimis hominibus ſemper refertam fuiſſe. HOC, Antiocho. EODEM TAMEN TEMPORE, iiſdem tamen ſex menſibus. DEMETRIVM SYRVM, aliter Demetrium Syrium. DICENDI MAGISTRVM, Rhetorem. EXERCERI SOLEBAM, ταῖς μελέταις διεπονῶν, præſertim vero ἐπεὶ Σύλλας προσηγγέλθη τεθνηκὼς, vt ait Plutarchus. POST, poſt ſex menſes. ASIA, hinc Aſianum quidam Ciceronem vocabant, quòd in Aſia fuiſſet, & dicendi genus Aſiaticum ſequeretur. Non enim defuerunt, qui Ciceronem vel adhuc viuum reprehenderent, vt tumidiorem, & Aſianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in ſalibus aliquando frigidum, & in compoſitione fractum, exultanrem, ac penè viro molliorem, vt Quintilianus libro duodecimo capite decimo refert. Caluus eum tanquam ſolutum, & eneruem, Brutus tanquam fractum, & elumbem vocabant, vt Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus oſtendit. Et quidam etiam mortuum non laudarunt, vt Quintilianus libro duodecimo capite primo, & decimo ſcribit: atque in illum nonnulli ſcripſerunt, vt Gallus Aſinius, & Largius Licinius, quod Gellius libro decimo ſeptimo capite primo refert: vt Didymus Chalcenterus, quod Amianus Marcellinus libro vigeſimo ſecundo teſtatur. MENIPPVS, Menippus Catocas appellatus, vt Strabo libro decimo quarto nobis eſt autor. STRATONICENSIS, ex Stratonice, quæ vrbs eſt Cariæ, vt Strabo libro decimo quarto, & Plinius libro quinto capite vigeſimo nono docent. hinc Plutarchus ait: Μενίππῳ τῷ Καρὶ συνεσχόλαζεν. NIHIL HABERE MOLESTIARVM, NEC INEPTIARVM, nec odioſe, nec inepte dicere, ſupra. ATTICORVM EST, vt putant quidam, ſupra. HIC, Menippus. IN ILLIS, Atticis. DIONYSIVS MAGNES, Dionyſius ex Magneſia vrbe Aeolica, ſiue ex populis, qui Magnetes appellantur: Strabonem libro decimo quarto lege. hunc Dionyſium Magnetem Plutarchus etiam nominat. AESCHYLVS GNIDIVS, hunc infra etiam ponit, ſed Plutarchus omittit. ADRAMYTENVS, ab oppido, de quo Plinius libro quinto capite trigeſimo meminit: ſed apud Plutarchum in Cicerone ſcribitur, ἀδραμυττηνὸς, apud Strabonem vero ἀδραμυττενὸς, ſed quo pacto ſcribi debeat, Stephanus docet. ZENOCLES, aliter Xenocles, recte. nam græce ξενοκλῆς ſcribitur apud Plutarchum, & Strabonem lib. decimo tertio, vbi teſtatur hunc & pugilem, & oratorem fuiſſe, & pro Aſia in ſenatu dixiſſe. RHODVM VENI, hoc Ciceroni poſtea Laterenſis obiecit, vt in oratione pro Plancio videbis. QVEM ROMAE AVDIVERAM, & quidem bis, ſupra. APPLICAVI, meque illi rurſus reformandum, ac velut recoquendum dedi, vt Quintilianus libro vndecimo capite ſexto refert. ACTOREM, actorem ſummum, ſupra. SCRIPTOREMQVE PRAESTANTEM, nam multa ſcripſit, vt libro tertio capite primo Quintilianus oſtendit. DIFFLVENTES, aliter diffluentem, male. diffluentes vero, quod in ſumma vbertate ineſſet luxuries quædam, quæ ſtylo depaſcenda

eſſet, vt de Sulpicio libro ſecundo de Oratore dixit. RECEPI ME, Romam redii M. Aemilio Mamerco, D. Iunio Bruto Coſs. BIENNIO, cœpto quidem P. Seruilio, App. Claudio Coſs. ſed finito M. Mamerco, & D. Bruto Coſs. quum interim M. Lepidus, & Q. Catulus Conſules fuiſſent: quo tempore L. Sylla deceſsit, vt Liuius libro nonageſimo ſcripſit. Non igitur τρία οἱ αἰῶνας ἔτη κατέτριψεν, vt Dion libro quadrageſimo ſexto calumniatur: nec triennium abfuit, vt ſcribit Euſebius. POST, poſtquam Roma ſum profectus. nam ſi dicas, poſtquam Athenis in Aſiam nauigaui, iam non biennium, ſed duodeuiginti menſes videatur abfuiſſe. MVTATVS, quòd dicendi conſuetudinem, & habitum corporis mutaſſem. Mutauit etiam poſtea iterum dicendi genus, vt lib. primo de Legibus oſtendit. NAM, εὐλογία. CONTENTIO, qua dicebam, ſupra. RECIDERAT, remiſsione, & moderatione vocis, & commutato genere dicendi, vt fieri poſſe cenſueram, ſupra. QVASI, mollit tranſlationem ſequentem vt paulo duriorem. DEFERBVERAT ORATIO, quam prius nequaquam ſatis deferbuiſſe ſenſeramus, vt ait in Oratore. MEDIOCRIS HABITVS ACCESSERAT, aliter mediocres acceſſerant.

Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta, & Hortenſius: quorum alter remiſſus & lenis, & propriis verbis cõprehendens ſolute & facile ſententiam: alter ornatus, acer, & non talis, qualem tu eum Brute iam deflorescentem cognouiſti, ſed verborum & actionis genere commotior. itaque cum Hortenſio mihi magis arbitrabar rem eſſe, quòd & dicendi ardore eram propior, & ætate coniunctior. etenim videram in iiſdem cauſis, vt pro M. Canuleio, pro Cn. Dolabella conſulari, cum Cotta princeps adhibitus eſſet priores tamen agere partes Hortenſium. acrem enim oratorem, incenſum, & agentem, & canorum concurſus hominum, forique ſtrepitus deſiderat. vnum igitur annum, cum rediiſſemus ex Aſia, cauſas nobileis egimus, cum Quæſturam nos, Conſulatum Cotta, Aedilitatem peteret Hortenſius. interim me Quæſtorem Siculienſis excepit annus: Cotta ex Conſulatu eſt profectus in Galliam: princeps & erat, & habebatur Hortenſius. cum autem anno poſt è Sicilia me recepiſſem, iam videbatur illud in me, quidquid eſſet, eſſe perfectum, & habere maturitatem quandam ſuam. Nimis multa videor de me, ipſe præſertim: ſed omni huic ſermoni propoſitum eſt, non vt ingenium & eloquentiam meam perſpicias, vnde longe abſum, ſed vt laborem & induſtriam. Cum igitur eſſem in plurimis cauſis, & in principibus patronis quinquennium ferè verſatus, tum in patrocinio Siculienſi maxime in certamen veni deſignatus Aedilis cum deſignato Conſule Hortenſio.

COTTA, C. Cotta, ſupra. HORTENSIVS, Q. Hortenſius. ALTER, C. Cotta. REMISSVS, quippe qui contentionem omnem remiſerat, ſupra.

pra: SOLVTE, nam Cotta pure, ac ſolute dicebat, ſupra, ſed nihil ample, in Oratore. ALTER, Hortenſius. ORNATVS, quod vteretur genere dicendi Aſiatico, quod eſt exornatum, infra. ACER, non multa tamen dicebat, in Oratore. EVM, Hortenſium. DEFLORESCENTEM, ἀπανθοῦντα, opponit floreſcenti, vt appellauit ſupra. ITAQVE, quum talis eſſet Hortenſius. MAGIS, quàm cum C. Cotta. QVOO, αἰτιολογία. OICENDI ARDORE, contentionibus, quibus ſummis vti ſolebam, vt libro primo de Legibus affirmat. PROPIOR, Hortenſio, quàm Cottæ, qui remiſſus erat. CONIVNCTIOR, Hortenſio, qui me octo annis maior erat, coniunctior ætate fui, quàm C. Cottæ, qui duodeuiginti annis me ipſo maior erat, quum decē maior eſſet Hortenſio, ſupra. ETENIM, αἰτιολογία, quòd Hortenſius eſſet vehementior. IISDEM, non diuerſis. Tunc enim poſſet aliquis dicere, hoc cognoſci non potuiſſe. M. CANVLEIO, hiſtoria quærenda eſt. Canuleios quidem Liuius libro quarto fuiſſe plebeios oſtendit. CN. DOLABELLA, Cn. Cornelio Dolabella, de quo vix equidem ſcio, quid ſtatuam, quum ſcriptores inter ſe tam valde diſſentiant, præſertim Aſconius, qui ne ſibi quidem conſtat, quòd neſciat explicare, quo pacto Verrina tertia dicatur, accuſante Scauro, damnatus, quem dicant alii, Cæſare accuſante, abſolutum fuiſſe. Itaque duos Dolabellas tum fuiſſe putat, quorum alter à Cæſare ſit accuſatus, & abſolutus: alter à Scauro accuſatus, & condemnatus, quum eſſet Conſularis, & triumphalis: ſed quem Cæſar accuſauit, Suetonius etiam Conſularem, & triumphalem vocat. Ego vero fateor tum duos Dolabellas, & quidem eodem anno Conſulem alterum, Prætorem alterum fuiſſe: & de Conſule quidem conſtat ex Conſulibus: de Prætore vero collegiſſes ex oratione pro Quintio, vbi dicitur Quintius in Galliam profectus Scipione, & Norbano Coſs. ante diem IIII. Cal. Febr. & Idib. Septemb. Romam rediiſſe; & poſtea Næuius annum, & ſex menſes nihil petiiſſe: deinde à Cn. Dolabella Prætore neſcio quid poſtulaſſe: quod apparet factum poſt tres menſes illius anni, quo alter Cn. Dolabella, & M. Tullius Decula Conſules fuerunt. & Cn. quidem Dolabellæ Conſuli Cilicia prouincia Conſularis Verrina tertia dicitur eſſe conſtituta: ſed Cn. Dolabellæ Prætori Sicilia Prætoria data eſt, vt Aſconius ſcribit. Potuit igitur fieri, vt reuerſus vterque ſit accuſatus, Conſularis à Scauro, quod ex Verrina tertia conſtat: Prætorins à Cæſare, quod dubium eſt, quum Suetonius, vt diximus, illum Conſularem, & triumphalem vocet, & Plutarchus in Cæſare ſcribat ita; πολλαὶ γὰρ τῆς Ἑλλάδος τῶν πόλεων μαρτυρίας αὐτῷ παρέσχον. Quid enim Græciæ ciuitates in eum dicere potuiſſent, qui Siciliam prouinciam fuiſſet ſortitus? Contrà multa fuerunt, quæ dicerent in eum, qui profectus eſt in Ciliciam, vt Athenis ex æde Mineruæ grande auri pondus ablatum, & alia, quæ Verrina tertia attinguntur. Quare fit, vt penè audeam affirmare, eundem Cn. Dolabellam Conſularem, & triumphalem à Cæſare primum accuſatum, & abſolutum, deinde à Scauro accuſatum, & damnatum fuiſſe. Sed rurſus de tempore dubium: quando Suetonius ſcribit, compoſita ſeditione ciuili, quæ per M. Lepidum mota fuerat, Cæſarem accuſaſſe, deinde Rhodum ſeceſsiſſe: Plutarchus vero putat, quum Rhodo rediiſſet, id feciſſe: quod fortaſſe veriſimilius videatur, quum dicat hic Cicero, ſe vidiſſe: quia poſt ſuum & ipſe reditum videre potuerit. Verum quum Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus affirmet, Cæſarem vnum & viginti annos egiſſe, quum Dolabellam accuſarat, qui legerit apud Suetonium, Cæſarem anno ſexto & quinquageſimo periiſſe, facile per Conſules colliget, Cæſarem P. Seruilio, App. Claudio Conſulibus ante, quàm Ci-

cero Roma proficiſceretur, accuſaſſe: & ita Ciceronē videre potuiſſe. CONSVLARI, quippe qui Conſul cum M. Tullio Decula an. ab V. C. ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio fuerit. COTTA, C. Cotta. AGERE, quòd eſſet ornatus, & acer, paulo ante. ACREM, qualis erat Hortenſius. ENIM, αἰτιολογία, quare Hortenſius priores ageret partes. AGENTEM, ſic actione vtentem, vt qui procul videat, in ſcena Roſcium eſſe intelligat, vt ſupra dixit. DESIDERAT, ſic ſupra, ſubſellia grandiorem, & pleniorem vocem deſiderant. VNVM IGITVR ANNVM, Cn. Octauio, C. Curione Coſſ. CAVSAS NOBILEIS, quæ fuiſſent, ſciremus, ſi nunc orationes extarent. QVAESTOREM, in primis factum, vt ait in oratione in Piſonem. Fuit vero Lilybetanus Quæſtor, vt ipſe ſignificat in oratione pro Plancio, & Aſconius ſcribit, & quidem Sex. Peduceo Prætore: quum tamen ipſe dicat in oratione Poſt reditum in ſenatu, ſe M. Curii patri Quæſtorem fuiſſe, fortaſſe quòd alter alteri ſucceſsiſſet ante, quàm Cicero decederet: niſi forte prius Quæſtor vrbanus fuit, præſertim quum Verrina ſeptima dicat, ſe Quæſtorem factum, & Quæſturam in prouincia Sicilia obtinuiſſe: & nos alios prius in Vrbe Quæſtores fuiſſe, deinde in prouincias profectos legamus. Eam certe Quæſturam quum optime geſsiſſet, ea ſpe decedebat, vt ſibi populum Romanum vltro omnia delaturum putaret: ſed ea ſpe deceptus, conſtituit poſtea ſemper Romæ manere, vt in oratione pro Plancio pluribus ipſe refert, & quidem aliquanto aliter, quàm Plutarchus in vita. Illud addit in oratione pro Sylla, Antronium in Quæſtura ſibi collegam fuiſſe. EX CONSVLATV, quum adhuc eſſet in Conſulatu, vt ex Prætura epiſtola vndecima libri decimi quinti ad Atticum, & libro primo de Legibus, & apud Cæſarem libro primo de Bello ciuili fortaſſe interpretari debemus: Paterculus certe libro ſecundo ita ſcribit: L. Lucullus ex Cos. Aſiam ſortitus eſt: at Lucullum tum Conſulem fuiſſe libro nonageſimo quarto Liuius oſtendit. Quare apud Paterculum, ex Cos. ex Conſulatu interpretor, quod veteres ita ſcripſerint: vnde multi poſtea, Exconſulem, vt puto, deſcribebant: & inde factum credo, vt maiores noſtri exconſules, expretores, exquæſtores, & alia huiuſcemodi dixerint. Hic igitur apparet eodem anno Ciceronem in Siciliam, & C. Cottam in Galliam profectos eſſe: Quod ſi dicas, id poſt Cottæ Conſulatum factum, poteris tu quidem veriſimiliter interpretari, Cotta ipſo, & Octauio Conſulibus Ciceronem Quæſtorem vrbanum, vt ſuſpicati ſumus, fuiſſe, poſteáque L. Lucullo, M. Cotta Conſulibus in Siciliam Quæſtorem veniſſe: ſed tunc quinquennium, quod ſequitur, confici non poterit, niſi tu annum, quo reuerſus ex Aſia, cauſas nobiles egit, annis ſequentibus adiungas. EST PROFECTVS IN GALLIAM, vt nos ſupra retulimus. PRINCEPS, in patronis, primas tenebat, infra. ERAT, nobis abſentibus. HABEBATVR, hoc addit, quia multi ſolent eſſe, qui non habentur, vt contrà multi ſæpe habentur, qui non ſunt. ANNO POST, L. Lucullo, M. Cotta Coſſ. ſi modo rationem, quam diximus, ſequimur. ILLVD, quod ad dicendi facultatem pertinebat. ESSE PERFECTVM, nam in Sicilia quoque Cicero dixerat, vt Plutarchus affirmat. MATVRITATEM, non talem, qualem poſtea etiam habuit, vt in principio huius dialogi dictum eſt. IPSE PRAESERTIM, quum dici ſoleat, te ipſe laudas. OMNI HVIC SERMONI, huic parti ſermonis, in qua de me dicendum eſt. PROPOSITVM EST, quum tu me Brute non ingenii prædicatorem eſſe voluiſti, ſed laboris mei, ſupra. VNDE LONGE ABSVM, hoc genus iactationis eſſe Quintilianus libro vndecimo capite primo putat, ſi ſe diſertus imperitum vocet. LABOREM, ſupra. ESSEM, eſ-

ſem

ſem verſatus, ὑπέρβατον. QVINQVENNIVM FERE, ſi numeres annos à Conſulibus Cotta, & Octauio, vt diximus, anni quatuor, & menſes ferè ſex inueniuntur: ſiquidem Cicero Cn. Pompeio, M. Craſſo Coſs. Non. Sext. Verrem cœpit accuſare, quum prius inquirendi cauſa totam Siciliam quinquaginta diebus obiiſſet, vt Verrina ſecunda patet. PATROCINIO SICILIENSI, patrocinio, quod pro Sicilia, rogatus, ita ſuſcepi, vt neque inſidiis à Verre terra, mariſque factis, terreri, neque numis corrumpi potuerim, Verrina prima, ſecunda, & tertia: & Verrem ſic accuſaui, vt illum nemo defendere auderet, Verrina tertia. Nobis enim pro familiari reo non reſpondit Hortenſius, in Oratore. Hortenſius enim adeo ſtupefactus eſt, vt rationem defenſionis omiſerit: & Verres adeo perculſus, vt ſua ſponte in exilium abierit, vt Aſconius ſcribit: in quo quidem exilio illum conſenuiſſe, donec à triumuiris poſt Ciceronis mortem proſcriptus periit, autor eſt Lactantius libro ſecundo capite quarto, & Seneca in ſuaſoria ſexta libri primi: quòd Antonio Corinthiis ſe ceſſurum negaſſet, vt Plinius libro trigeſimo quarto capite ſecundo refert. Huic tamen Cicero exoratus à Vatinio neſcio quando dicitur affuiſſe, vt Seneca in ſuaſoria ſexta libri primi confirmat. DESIGNATVS, prior, vt ait in oratione in Piſonem: cum M. Ceſonio, vt Verrina ſecunda, & apud Aſconium leges, vt ego neſciam, an verum ſit, quod alii ſcribunt, C. Antonium Ciceronis in Aedilitate collegam fuiſſe. Id ego certe non memini me legere, nec ille duos collegas in Aedilitate potuit habere, niſi forte alter deceſſit. Illi fortaſſe ita ſunt ſuſpicati, quòd in oratione pro Muræna ita dicat: Antonii ludis commouebar: quaſi vero C. Antonius ludos facere non potuerit, niſi Ciceronis collega in Aedilitate fuerit. AEDILIS, Aedilis igitur fuit Cicero anno ſequenti Q. Hortenſio, & Q. Metello Coſs. & trinos ludos fecit, vt in oratione pro Murænа ſcribit: & tamen exiguum ſumptum pro amplitudine honorum, quos adeptus eſt, putabat, lib. ſecundo de Officiis. DESIGNATO, cum Q. Cæcilio Metello Cretico, lege Aſconium. CONSVLE, vt fuit anno ſequenti.

Sed quoniam omnis hic ſermo noſter non ſolum enumerationem oratoriam, verum etiam præcepta quædam deſiderat: quid tanquam notandum & animaduertendum ſit in Hortenſio, breuiter licet dicere. Nam is poſt Conſulatum (credo quòd videret ex conſularibus neminem eſſe ſecū comparandum, negligeret autem eos, qui Cooſules non fuiſſent) ſummum illud ſuum ſtudium remiſit, quo à puero fuerat incenſus, atque in omnium rerum abundantia voluit beatius, vt ipſe putabat, remiſsius certe viuere. primus, & ſecundus annus, & tertius tantum quaſi de picturæ veteris colore detraxerat, quantum non quiuis vnus ex populo, ſed exiſtimator doctus, & intelligens poſſet cognoſcere. longius autem procedens, & in cæteris eloquentiæ partibus, tum maxime in celeritate & continuatione verborum adhæreſcens, ſui diſsimilior videbatur fieri quotidie. Nos autem non deſiſtebamus, cum omni genere exercitationis, tum maxime ſtylo noſtrum illud, quod erat, augere, quantumcunque erat. atque vt multa omittam in hoc ſpatio, & in his poſt Aedilitatem

annis, & Prætor primus, & incredibili populari voluntate ſum factus. nam cum propter aſsiduitatem in cauſis & induſtriam, tum propter exquiſitius, & minime vulgare orationis genus animos hominum ad me dicendi nouitate conuerteram. nihil de me dicam: dicam de cæteris: quorum nemo erat, qui videretur exquiſitius, quàm vulgus hominum, ſtuduiſſe literis, quibus fons perfectæ eloquentiæ continetur; nemo, qui philoſophiam complexus eſſet, matrem omnium bene factorum beneque dictorum; nemo, qui ius ciuile didiciſſet, rem ad priuatas cauſas, & ad oratoris prudentiam maxime neceſſariam; nemo, qui memoriam rerum Romanarum teneret, ex qua, ſi quando opus eſſet, ab inferis locupletiſsimos teſtes excitaret; nemo, qui breuiter argutéque incluſo aduerſario laxaret iudicum animos, atque à ſeueritate pauliſper ad hilaritatem, riſúmque traduceret; nemo, qui dilatare poſſet, atque à propria ac definita diſputatione hominis, ac temporis, ad communem quæſtionem vniuerſi generis orationem traducere; nemo, qui delectandi gratia digredi parumper à cauſa, nemo, qui ad iracundiam magnopere iudicem, nemo, qui ad fletum poſſet adducere; nemo, qui animum eius, quod vnum eſt oratoris maxime proprium, quocunque res poſtularet, impelleret.

ENVMERATIONEM ORATORIAM, libenter legerem: enumerationem oratorum. PRAECEPTA, qualia multa ſunt ſupra dicta. NAM, αἰτιολογία, quòd liceat notare. CONSVLARIBVS, vt Lucullo, Curione, Lentulis, Craſſo, & Pompeio. COMPARANDVM, in eloquentia. EOS, vt me, & alios. SVMMVM, flagrantiſsimum, ſupra. FVERAT INCENSVS, ſic, vt in nullo vnquam flagrantius ſtudium viderim, ſupra. VOLVIT, quum eſſet admodum diues, vt ſupra diximus. PRIMVS, annus primus poſt ipſius Hortenſii Conſulatum L. Metello, Q. Marcio Coſs. SECVNDVS ANNVS, C. Piſone, M. Glabrione Coſs. TERTIVS, M. Lepido, L. Tullo Conſulibus. PROCEDENS, Hortenſius. CAETERIS, vt inuentione, diſpoſitione, memoria, & actione. CELERITATE, ET CONTINVATIONE VERBORVM, quas elocutio complectitur. NON DESISTEBAMVS, dum ceſſabat Hortenſius. EXERCITATIONIS, oratoriæ. STYLO, optimo, & præſtantiſsimo dicendi effectore, ac magiſtro, libro primo de Oratore. NOSTRVM ILLVD, quod eſſe perfectum videbatur, ſupra. IN HIS POST AEDILITATEM ANNIS, duobus annis. nam qui Aedilis fuiſſet, poſt biennium erat annus Præturæ, epiſtola vigeſima quinta libri decimi Familiarium: & Cicero ſuis annis magiſtratus eſt adeptus. PRAETOR, Prætor Cicero fuit M. Lepido, L. Tullo Coſs. vt ait Aſconius in interpretatione orationis pro Cornelio; quamuis poſtea dicat, illam orationem L. Cotta, L. Torquato Coſs. à Cicerone Prætore dictam fuiſſe: ſed dubium non eſt, quin Cicero biennio ante Conſulatum Prætor fuerit, quum in oratione ſecunda contra Rullum ſic ipſe Conſul loquatur: Vos mihi Prætori biennio ante Quirites hoc eodem in loco perſonam hanc impoſuiſtis,

poſuiſtis,

poſuiſtis, vt quibuſcunque rebus poſſem, Pompeii abſentis dignitatem vobiſcum vnà tuerer. Nam Prætor dixit orationem pro lege Manilia, quæ ſeptem annis poſt L. Luculli Conſulatum, id eſt M. Lepido, L. Tullo Coſs. lata, vt Paterculus lib. ſecundo, & Dion lib. trigeſimo ſexto ſcribunt: qua lege Pompeius bello Mithridatico præfectus eſt, vt omnes penè hiſtorici teſtantur. Collegas habuit in Prætura Cicero C. Aquilium Gallum, vt in oratione pro Cluentio, & in Topicis oſtendit: Q. Naſonem, M. Pletorium, C. Flaminium, C. Orchinium, Q. Voconium, quos in oratione pro Cluentio numerat. apparet enim ſex hoſce tunc Prætores fuiſſe, quum Cic. Prætor eam cauſam dixit: quo tempore Prætor etiam fuit P. Caſsius, vt ait Aſconius in interpretatione orationis pro Cornelio. Ita, ſi Cic. connumeres, Prætores octo illo anno reperiuntur, quot fieri ſolebant, vt oſtendit in oratione in Piſonem, vbi ait, omnes Prætores de ſe legem promulgaſſe, præter vnum: & in oratione pro Milone illos ſeptem fuiſſe ſcribit: in oratione Poſt reditum in ſenatu numerat. Quum igitur octo reperiantur, multi tamen putant etiam C. Antonium Cic. in Prætura collegam fuiſſe: quòd in oratione in toga candida Cicero cum C. Antonio ita loquatur: an oblitus es, te ex me, quũ Præturam peteremus, petiſſe, vt tibi primum locum concederem? & Q. frater in libro de Petitione Conſulatus ita dicat, vt oſtendat illum Ciceronis in petitione Præturæ competitorem fuiſſe. Quod ſi credimus illum tum repulſam non tuliſſe, ſed Ciceronis collegam fuiſſe, neceſſe eſt, dicere, vel tum plures fuiſſe Prætores, vel aliquem ex iis, quos diximus, collegam non fuiſſe. Cicero certe Prætor præfuit quæſtioni de pecuniis repetundis, vt apparet in oratione pro Cluentio: & C. Licinium Macrum, de quó ſupra diximus, condemnauit, & ex ea re magnum fructum cœpit, vt epiſtola tertia lib. primi ad Atticum ipſe, & Plutarchus in vita ſcribunt: &, vt ait in oratione pro Muræna, tunc prouinciam recuſauit. PRIMVS, ſic in orationibus pro Lege Manilia, & in Piſonem: & primus ex octo, quot, vt diximus, fiebant: contra, quum duo Aediles fierent, ſe Aedilem priorem factum dixit in oratione in Piſonem. Primus igitur, primo loco factus: quem locum C. Antonius, vt retulimus, petebat, vt ſibi concederet. certe Prætor primus hoc modo, non eſt Prætot vrbanus, vt multi putarunt. INCREDIBILI POPVLARI VOLVNTATE, centuriis cunctis, in oratione pro Lege Manilia, cunctis ſuffragiis in oratione in Piſonem. NAM, αἰτιολογία, quare Prætor ita factus. ASSIDVITATEM SN CAVSIS, nam Cicero propè quotidie dicebat. Vnde dixit in oratione pro Lege Manilia: facultatis eſt tantum, quantum homini vigilanti ex forenſi vſu propè quotidiana exercitatio dicendi potuit afferre. EXQVISITIVS, magnificentius, quàm fuerat, genus dicendi, & ornatius, ſupra. NIHIL DE ME DICAM, ne arroganter dicere videat. DICAM DE CAETERIS, & de cæteris dicens, probabo, quod dixi, me nouum dicendi genus attuliſſe. Id vero docte, & callide Cicero facit. nam, dum negat ea, quæ deinceps dicuntur, in ſuperioribus fuiſſe, ſignificat illa ſe primum vt noua, nec cognita prius attuliſſe. NEMO, repetitio. HOMINVM, quorum vel hodie multi literis ſtudent, vel vt latine tantum intelligant, vel vt tabulas conficere poſsint: ſed nullam adhibent rationem. STVDVISSE, vt ipſe Cicero ſtuduit, quod Plutarchus ſcribit: & Suetonius, ac Macrobius teſtantur illum iam grandem M. Antonii Gniphonis Grammatici ludum frequentaſſe. LITERIS, quarum ſtudium profitentur ii, qui Grammatici vocantur, vt ait libro primo de Oratore. CONTINETVR, omnis enim loquendi elegantia expolitur ſcientia literarum, vt libro tertio de Oratore ſcribit. COMPLEXVS ESSET, vt ipſe

pretor primus i. primo loco factus

Cicero complexus fuerat, qui Philoſophiæ ſtudium nunquam intermiſſum
Athenis renouauit, ſupra. Eſt enim philoſophia oratori neceſſaria, ſed præ-
ſertim locus ille de vita, & moribus totus eſt oratori perdiſcendus, vt libro
primo de Oratore præcipitur. MATREM OMNIVM BENE FACTORVM,
BENEQVE DICTORVM, laudandarum artium omnium procreatricem
quandam, & quaſi parentem libro primo de Oratore, & matrem item Tu-
ſculana prima vocat: ſed alibi quoque ſæpe Cicero philoſophiam laudat.
DIDICISSET, vt ipſe Cicero didicerat, ſupra. Didicerat tamen etiam L.
Craſſus, & alii, vt ſupra demonſtratum eſt, neque ius ciuile ſolum, ſed res
etiam alias, quas negat hic quenquam illorum didiciſſe: quod ego ſic inter-
pretor, nemo res iſtas didicerat, vt ipſe poſtea didicit, id eſt perfecte, cer-
te bene. NECESSARIAM, vt Lucius Craſſus oſtendit libro primo de
Oratore. TENERET, vt oratorem tenere oportet, libro primo de Ora-
tore: vtque Cicero ipſe tenebat ita, vt ab eo hiſtoria poſtularetur, libro
primo de Legibus. EXCITARET, vt Cicero in oratione pro Cælio Ap-
pium excitauit. BREVITER, ARGVTEQVE, dicto breui, & peracuto,
quod eſt alterum è duobus facetiarum generibus, de quibus Iulius Cæſar li-
bro ſecundo de Oratore diſputat. LAXARET, vt ipſe Cicero laxabat
ita, vt olim Cato dixerit: Dii boni, quàm ridiculum Conſulem habemus?
TRADVCERET, vt ipſe Cicero traducebat: qui, vt Macrobius libro ſe-
cundo Saturnalium refert, L. Flaccum repetundarum reum ioci opportu-
nitate de manifeſtiſsimis criminibus exemit. Et ſanè Cicero in iocis, & fa-
cetiis ſic excelluit, vt & facetiſsimus ipſe fuerit, & de facetiis optime libro
ſecundo de Oratore ſcripſerit. Quin tam multa iocatus eſt, vt Q. frater,
vel Tiro libertus, vel alius quiſpiam tres de Ciceronis ridiculis libros edi-
derit, vt Quintilianus libro ſexto capite quarto refert. Nos eum Tironem
fuiſſe credimus, quòd & Macrobius idem ſentiat, & ſatis ex Aſconii ſcriptis
conſtet, eundem Tironem quatuor etiam libros de Ciceronis vita ſcripſiſ-
ſe. Ex illis vero ridiculis multa Quintilianus libro ſexto capite quarto, Plu-
tarchus in Ciceronis vita, & in Apophthegmatis, & Macrobius libro ſecun-
do Saturnalium collegerunt. atque Cicero ipſe de ridiculis ſuis ſæpe in epi-
ſtolis ad Atticum, & Familiaribus meminit. DILATARE, orationem, &
rem propoſitam. À PROPRIA, AC DEFINITA DISPVTATIONE HO-
MINIS, AC TEMPORIS, à controuerſia, à cauſa, vt in Partionibus, &
libris oratoriis ſæpe vocat: à propriis perſonis, & temporibus, vt in Oratore
loquitur: ἀπὸ τῆς ὑποθέσεως, vt in Topicis ait. AD COMMVNEM QVAESTIO-
NEM VNIVERSI GENERIS, ad conſultationem, vt in Partitionibus, &
lib. tertio de Oratore vocat, πρὸς τὴν θέσιν, vt in Topicis, & in Oratore loqui
tur. Tu Quintil. lib. tertio cap. quinto lege. TRADVCERE, vt ipſe Cic. ſæ-
pe traducebat, vt in oratione pro Milone, an inſidiatorem liceat interficere,
vide Quintil. lib. tertio cap. quinto. DELECTANDI GRATIA, vide ſupra
de Ser. Galba. DIGREDI, vt Cicero digrediebatur, vt Quintilianus libro
quarto cap. tertio docet. AD IRACVNDIAM, nam faciendum, vt iudex ira
ſcatur, vt ait in Oratore, quod in Verrinis facit Cicero quum ferè ſemper,
tum præſertim, quum ſupplicia, quibus Verres ciues Romanos afficiebat,
modo non ante oculos iudicum ponit. AD FLETVM, faciendum eſt
enim, vt iudex fleat, doleat: quod fecit Cicero, quum plangore, & lamen-
tatione forum compleuit, vt in Oratore ſcribit. EIVS, iudicis. MAXI-
ME PROPRIVM, officium partitione tertium, genere maximum, ſupra.
IMPELLERET, iudicem commoueret, ſupra. quod faciebat Cicero præ-
ſertim in perorationibus, ſupra, & in Oratore.

Itaque

Itaque cum iam penè euanuiſſet Hortenſius; & ego anno meo, ſexto autem poſt illum Conſulem Conſul factus eſſem; reuocare ſe ad induſtriam cœpit; ne, cum pares honore eſſemus, aliqua re ſuperiores videremur. ſic duodecim poſt meum Conſulatum annos in maximis cauſis, cum ego mihi illum, ſibi me ille anteferret, coniunctiſsime verſati ſumus: Conſulatúſque meus, qui illum primo leuiter perſtrinxerat, idem nos rerum mearum geſtarum, quas ille admirabatur, laude coniunxerat. maxime vero perſpecta eſt vtriuſque noſtrum exercitatio paulo ante, quàm perterritum armis hoc ſtudium Brute noſtrum conticuit ſubito, & obmutuit; cum lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad cauſas ſimillimas inter ſe, vel potius eaſdem noui veniebamus quotidie. quibus quidem cauſis tu etiam Brute præſto fuiſti, complureiſque & nobiſcum, & ſolus egiſti: vt qui non ſatis diu vixerit Hortenſius, tamen hunc curſum confecerit. annis ante decem cauſas agere cœpit, quàm tu es natus: idem quarto & ſexageſimo anno perpaucis ante mortem diebus vnà tecum ſocerum tuum defendit Appium. Dicendi autem genus quod fuerit in vtroque, orationes vtriuſque etiam poſteris noſtris indicabunt.

EVANVISSET, poſt Conſulatum, ſupra: & euanuiſſet, quod ad dicendi facultatem pertinet. ANNO MEO, ſic in oratione ſecunda contra Rullum, id eſt ætatis anno quadrageſimo tertio: quo quidem anno Romanis legibus, vt Philippica quinta dicitur, ætas erat Conſularis. SEXTO, ſi tamen annum alterutrius Conſulatus adnumeres. ILLVM, Hortenſium. CONSVL FACTVS ESSEM, quod ante Terentiæ vxori fuerat ſignificatum. nam quum illa, poſt peractum ſacrificium, libare vellet, in cinere viſa eſt flamma: quod ſignificauit eius maritum eo anno futurum Conſulem, vt ipſe in ſuo teſtatur poëmate: quò reſpiciens poëta in Bucolicis dixit: aſpice, corripuit tremulis altaria flammis ſponte ſua, dum ferre moror, cinis ipſe. In petitione Conſulatus ſex competitores habuit, P. Galbam, L. Catilinam, C. Antonium, L. Caſsium, Q. Cornificium, & C. Sacerdotem, quos omnes Aſconius in interpretatione orationis in toga candida ponit, & Q. frater in libro de Petitione Conſulatus aliquot enumerat, quos etiam libro primo ad Atticum, & in oratione pro Muræna videbis: ſed Ciceronem cuncta Italia, omnes ordines, vniuerſa ciuitas non prius tabella, quàm voce priorem Conſulem declarauit, vt in orationibus contra Rullum, & Piſonem refert. Calendis igitur Ian. Conſulatum quum iniiſſet, ſenatum, & bonos omnes legis agrariæ, maximarúmque largitionum metu liberauit, vt in iiſdem orationibus oſtendit. & ita fundamenta iacta ſunt ex Cal. Ian. confirmandi ſenatus, vt ait libro primo Familiarium: quibus de rebus ſcripſit orationes contra Rullum: quarum vna eſt in ſenatu Cal. Ian. altera ad populum de Lege agraria, vt epiſtola prima libri ſecundi ad Atticum refert: vbi tertiam de Othone ponit: quam Cicero quum

dixiſſet, L. Roſcio theatralis ſeditionis autori leges ignouerunt, notatáſque ſedes ignominiæ diſcrimine æquo animo tulerunt, vt Plinius libro ſeptimo capite trigeſimo ſcribit. hinc in oratione pro Muræna ita legitur: L. Otho vir fortis, meus neceſſarius, equeſtri ordini reſtituit non ſolum dignitatem, ſed etiam voluptatem. Itaque lex hæc, quæ ad ludos pertinet, eſt omnium gratiſsima: quòd honeſtiſsimo ordini cum ſplendore fructus quoq. iucunditatis eſt reſtitutus. L. enim Roſcius Otho Tribunus plebis legem tulit, vt equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi aſsignarentur, vt Liuius libro nonageſimo nono ſcripſit: eam vero legem tulit Roſcius L. Metello, Q. Marcio Conſulibus, certe biennio ante Ciceronem Prætorem, vt oſtendit Aſconius in interpretatione orationis pro Cornelio: vbi tamen male Conſul legitur, quum Tribunus plebis eam legem, vt diximus, tulerit, nec Roſcius Conſul vnquam, quod ego ſciam, fuerit: ſed neque Prætor erat, quamuis à Plutarcho στρατηγῶν in Ciceronis vita dicatur, vbi rem pluribus verbis ſcribit, ſed M. Othonem male vocat, quem L. Roſcium Othonem ſcribant omnes, à quo lex Roſcia ſit dicta: qua, præter ea, quæ diximus, decoctoribus certus locus erat conſtitutus, vt Philippica ſecunda demonſtratur. Mittimus hic, quod interpretes Horatii dicunt, eadem lege Roſcia cautum fuiſſe, vt proximis ab orcheſtra quatuordecim gradibus ſpectarent, quibus cenſus eſſet quadringentorũ ſeſtertiorum: quod putemus equites ſignificari, quibus eum cenſum fuiſſe ſciamus. Idem Cicero Conſul in C. Rabirio perduellionis reo X L. annis ante ſe Conſulem interpoſitam ſenatus autoritatem ſuſtinuit contra inuidiam, atque defendit, vt ait in oratione in Piſonem. Oratio igitur pro Rabirio epiſtola prima libri ſecundi ad Atticum quarta Conſularis appellatur. In qua quidem cauſa ius omne retinendæ maieſtatis continebatur, vt ait in Oratore: qua de re plura Suetonius in Cæſare, & Dion libro trigeſimo ſeptimo ſcribunt, quamuis Dion de numero annorum à Cicerone diſſentiat: quum dicat, triginta ſex annos tantum fuiſſe, vt re vera fuerunt inter C. Marii, & L. Valerii, atque Ciceronis, & Antonii Conſulatus: ſed, vt ait Aſconius, à Cicerone ſummatim tempus eſt comprehenſum perinde, ac ſi dixiſſet, propè X L. annis. Hinc Labienus criminabatur, iudicium perduellionis à Cic. ſublatum fuiſſe, vt ait in oratione pro Rabirio. Idem Cicero Conſul adoleſcentes bonos, & fortes, ſed vſos ea conditione fortunæ, vt, ſi eſſent magiſtratus adepti, Reipub. ſtatum conuulſuri viderentur, ſuis inimicitiis, nulla ſenatus mala gratia, comitiorum ratione priuauit, vt in oratione in Piſonem refert: qua de re Quintilianus ita libro vndecimo capite primo ſcribit: mollienda eſt in pleriſque alio colore aſperitas orationis, vt Cicero de proſcriptorum liberis fecit: quid enim crudelius, quàm homines honeſtis parentibus, ac maioribus natos à Repub. ſubmoueri? Itaque durum id eſſe ſummus ille tractandorum animorum artifex confitetur, ſed ita legibus Syllæ cohærere ſtatum ciuitatis affirmat, vt iis ſolutis ſtare ipſa non poſsit. Orante igitur Cicerone, proſcriptorum liberos honores petere puduit, vt Plinius libro ſeptimo capite trigeſimo loquitur. Quæ quidem oratio de proſcriptorum filiis inſcripta, epiſtola prima libri ſecundi ad Atticum quinta Conſularis appellatur. Idem Conſul C. Antonium collegam cupidum prouinciæ, multa in Republica molientem, patientia, atque obſequio ſuo mitigauit: & prouinciam Galliam ſenatus autoritate, exercitu, & pecunia inſtructam, & ornatam, quam cum Antonio communicauit, quòd ita exiſtimabat tempora Reipub. ferre, in concione depoſuit, reclamante populo Romano, vt ait in oratione in Piſonem.

Nam

Nam collegam ſuũ Antonium pactione prouinciæ perpulit, ne contra Remp. ſentiret, vt Salluſtius, & Plutarchus affirmant. Sortitus enim Macedoniam, permutauit, & Galliam accepit, & Macedoniam collegæ, quod lib. trigeſimo ſeptimo ſcribit Dion tradidit, vt illum mitigaret, quem cupiditatem ſuã nomine triumphi tegere, ac velare, vt ait in oratione in Piſoné, videbat. Quam quidem indulgentiam coniunctam cum ſumma cuſtodia Reip. Romani laudarunt, vt in oratione pro Seſtio ſcriptum eſt. Galliam igitur prouinciam Cicero poſtea in concione depoſuit, vt in orationibus quarta in Catilinam, & pro Muræna dixit: & ſtatim cœpit cogitare, quemadmodum eam Q. Metello Celeri traderet, vt etiam ſupra ex epiſtola ſecunda libri quinti Familiarium retulimus. atque oratio, qua prouinciam depoſuit, ſexta Conſularis epiſtola prima libri ſecundi ad Atticum vocatur: ſeptima, qua Catilinam emiſit, cædem ſenatus, interitum vrbis non obſcure, ſed palàm molientem, vt in oratione in Piſonem refert: quam quidem rem Salluſtius, Plutarchus, Appianus, & alii pluribus verbis perſequuntur. Octaua Conſularis oratio fuit, quam habuit ad populum poſtridie, quàm Catilina profugit: nona in concione, quo die Allobroges indicarunt: decima in ſenatu Non. Decemb. epiſtolam primam libri ſecundi ad Atticum lege. nam tela extremo menſe Conſulatus ſui intenta iugulis ciuitatis, de coniuratorum nefariis manibus extorſit, & tandem faces iam accenſas ad vrbis incendium comprehendit, protulit, extinxit, vt in oratione in Piſonem videbis. Quum vero de rebus hiſce ad ſenatum retuliſſet, ſenatus cenſuit Non. Decemb. vt de coniuratis ſupplicium ſumeretur. Id Cicero quum faciendum curaſſet, & reuerteretur, εἶπε, vt refert Plutarchus, ἔζησαν. has vero Nonas Decembres Cicero ſæpe vt libro primo, ſecundo, & decimo ad Atticum: libro primo Familiarium, & epiſtola decima ſeptima ad M. Brutum celebrat. Tum Q. Catulus princeps ſenatus, & autor publici conſilii, frequentiſsimo ſenatu parentem patriæ Ciceronem nominauit, vt etiam ſupra de Q. Catulo loquentes ex oratione in Piſonem retulimus. Hinc Iuuenalis ſatyra octaua dixit: Roma parentem, Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit: & quidem primum, vt Plinius libro ſeptimo capite trigeſimo ſcribit. L. etiam Gellius, vt in oratione in Piſonem refertur, Ciceroni ciuicam coronam deberi à Repub. dixit. Senatus vero, quod etiam ſupra diximus, eidem togato, non vt multis bene geſtæ, ſed vt nemini conſeruatæ Reipub. ſingulari genere ſupplicationis Deorum immortalium templa patefecit: vt in orationibus tertia, & quarta in Catilinam, in Piſonem, pro Sylla, Philippica ſecunda, & decima quarta ſcriptum videbis. Quum vero in concione, abiens magiſtratu, dicere à Q. Metello Nepote Tribuno pleb. prohiberetur, quæ conſtituerat: quumque is illi tantummodo, vt iuraret, permitteret, ſine vlla dubitatione iurauit, Remp. atque vrbem ſua vnius opera eſſe ſaluam, vt in orationibus pro Sylla, & in Piſonem teſtatur: quod populus Rom. magna voce illum vere iuraſſe iurauit, vt epiſtola ſecunda libri quinti Familiarium refert. Quo quidem tempore is eius domum fuit è foro reditus, vt nemo, niſi, qui cum illo eſſet, ciuium eſſe in numero videretur, quod in oratione in Piſonem, & libro primo ad Atticum ſcribit. Conſulatum igitur ita geſsit, vt ea, quæ diximus, & alia multa fecerit, & multitudinem cum principibus, & equeſtrem ordinem cum ſenatu coniunxerit, vt in orationibus quarta in Catilinam, & in Piſonem, & epiſtola prima libri ſecundi ad Atticum potiſsimum teſtatur. COEPIT, Hortenſius. PARES HONORE, quum iam vterque noſtrum Quæſtor, Aedilis, Prætor, & Conſul fuiſſet. DVODECIM, tot enim numerantur à Conſulatu Cic. ad

M. Marcellum, & Ser. Sulpicium Coſs. ſi tamen illum annum comprehendas, quo Cicero in Ciliciam profectus eſt, vt libro quinto ad Atticum, & libro decimo quinto Familiarium refert. ANNOS, annos totos, quamuis circiter decem & ſeptem menſes exul abfuerit. CAVSIS, vt L. Flacci, P. Syllæ, & aliorum. ILLVM, Hortenſium. ILLE, Hortenſius. CONIVNCTISSIME VERSATI SVMVS, id in huius dialogi principio dictum eſt. ILLVM, Hortenſium. PERSTRINXERAT, vt perſtrinxerat omnes penè nobiles, qui Ciceroni aduerſabantur, vt libro primo ad Atticum, apud Salluſtium, & apud Aſconium leges. GESTARVM, vt dictum eſt. ILLE, Hortenſius. ADMIRABATVR, ſic, vt noſtras laudes in aſtra tolleret, epiſtola vigeſima quinta lib. ſecundi ad Atticum. PERSPECTA EST, exercitati enim cognoſci potuerunt illo anno iudiciali, cuius ſeueritatem inexercitati, vt Q. Arrius, ferre non potuerunt, ſupra. PAVLO ANTE, biennio ante. PERTERRITVM, præſertim C. Marcello, L. Lentulo Conſulibus. ARMIS, quæ tum ſumpta ſunt, vt in principio dialogi dictum eſt. OBMVTVIT, ſic eloquentia obmutuit, ſupra in principio. LEGE POMPEIA, lege, quam Cn. Pompeius Magnus in tertio Conſulatu, vt ſupra de iudiciali anno diximus, tulit: & primus adſtrinxit, impoſuítque veluti frenos eloquentiæ, vt Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus loquitur. nam prius horas ſex ad dicendum lex videtur in oratione pro Flacco dediſſe. Nemo certe intra paucisſimas horas perorare cogebatur, & liberæ compendinationes erant, & modum dicendi ſibi quiſque ſumebat, & numerus neque dierum, neque patronorum cauebatur, vt Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus affirmat. TERNIS HORIS, tribus horis, libro quarto de Finibus. DATIS, defenſori. nam duæ tantum dabantur accuſatori, vt ſupra diximus. Cicero vero duas omittit, quia qui tres dicit, duas etiam complectitur: vel quia ipſe tunc tantum defendebat. Vnde Cato libro quarto de Finibus illum ſic alloquitur: Ego te hac noua lege video eodem die accuſatori reſpõdere, & tribus horis perorare. NOVI VENIEBAMVS, quod facere non poterant inexercitati, vt Q. Arrius, ſupra. VT QVI, videtur vel interpretandum, quippe quũ, vt ſit αἰτιολογία, quare Brutus ſolus egerit cauſas: vel legendum, vt cui, eodem propemodum ſenſu: vel, atqui, & ſtatim, vixit, confecit, pro vixerit, confecerit. DECEM, quot numerantur à L. Craſſo, & Q. Scæuola Coſs. quo anno Q. Hortenſius cauſas agere cœpiſſe ſupra dictus eſt, ad Cn. Carbonem, & L. Cinnam III. Coſs. quo anno M. Brutus natus videtur. AGERE COEPIT, L. Craſſo, Q. Scæuola Coſs. ſupra. ES NATVS, Cn. Carbone, L. Cinna III. Coſs. vt nos putamus. IDEM, Hortẽſius. QVARTO, ET SEXAGESIMO ANNO, vt colliges, ſi numerabis á M. Balbo, & C. Catone Coſs. quo anno Q. Hortenſius natus videtur, ad L. Paulum, & C. Marcellum Coſs. quo anno Q. ipſe Hortenſius eſt mortuus, vt ſupra diximus. Cicero quoq. ad quartum & ſexageſimum annum peruenit, vt ex Conſulibus collegimus, & Euſebius ſcribit, & Seneca in Suaſoriis oſtendit, quamuis etiam referat, quod Liuius ſcripſit, eum tres & ſexaginta annos vixiſſe. PERPAVCIS ANTE MORTEM DIEBVS, paulo ante mortem, ſupra: quod cognoſcitur epiſtola ſexta, & decima tertia lib. octaui Famil. in quarum altera ſcribit Cælius Appium accuſari, in altera Q. Hortenſium animam agere: quam mortem Q. Serenus deſcripſit. VNA TECVM, tecum ſimul, ſupra: tecum, qui Appium defendiſti, vt dictum eſt: & laudaſti, vt Diomedes oſtendit lib. primo. SOCERVM TVVM, ſupra. APPIVM, App. Claudium, ſupra. IN VTROQVE, noſtrum. VTRIVSQVE, noſtrum. INDICABVNT, vt hodie quoque Ciceronis orationes indicant, ſed orationes Hortenſii nõ

extất, quas tamen multas edidit, vt pro Meſſala, vt Cicero infra, & Valerius Max. lib. quinto cap. nono teſtantur: vt pro Verre vt Quintilianus oſtendit lib. decimo capite primo: quamuis diceret melius, quàm ſcripſit Hortenſius, vt ait in Oratore, & Quintilianus libro vndecimo capite tertio.

Sed ſi quærimus, cur adoleſcens magis floruerit dicendo, quàm ſenior Hortenſius; cauſas reperiemus veriſsimas duas: primum, quòd genus erat orationis Aſiaticum, adoleſcentiæ magis conceſſum, quàm ſenectuti. genera autem Aſiaticæ dictionis duo ſunt; vnum ſententioſum, & argutum, ſententiis non tam grauibus & ſeueris, quàm concinnis & venuſtis: qualis in hiſtoria Timæus, in dicendo autem pueris nobis Hierocles Alabandeus, magis etiam Menecles frater eius fuit, quorum vtriuſque orationes ſunt in primis, vt Aſiatico in genere, laudabiles, aliud autem genus eſt, non tam ſententiis frequentatum, quàm verbis volucre atque incitatum: quali eſt nunc Aſia tota, nec flumine ſolum orationis, ſed etiam exornato & faceto genere verborum: in quo fuit Aeſchylus Gnidius, & meus æqualis Mileſius Aeſchines. in his erat admirabilis orationis curſus, ornata ſententiarum concinnitas non erat. hæc autem, vt dixi, genera dicendi aptiora ſunt adoleſcentibus, in ſenibus grauitatem non habent. itaque Hortenſius vtroque genere florens, clamores faciebat adoleſcens. habebat enim & Meneclium illud ſtudium crebrarum venuſtarumque ſententiarum: in quibus, vt in illo Græco, ſic in hoc erant quædam magis venuſtæ dulceſque ſententiæ, quàm aut neceſſariæ, aut interdum vtiles: & erat oratio cum incitata & vibrans, tum etiam accurata & polita. non probantur hæc ſenibus. ſæpe videbam cum irridentem, tum etiam iraſcentem & ſtomachantem Philippum: ſed mirabantur adoleſcentes, multitudo mouebatur. erat excellens iudicio vulgi, & facile primas tenebat adoleſcens. etſi enim genus illud dicendi autoritatis habebat parum, tamen aptum eſſe ætati videbatur: & certe quòd & ingenii quædam forma lucebat, & exercitatione perfecta erat, verborumque adſtricta comprehenſio, ſummam hominum admirationem excitabat. ſed cum iam honores, & illa ſenior autoritas grauius quiddam requireret, remanebat idem, nec decebat idem: quodque exercitationem ſtudiumque dimiſerat, quod in eo fuerat acerrimum, concinnitas illa crebritaſque ſententiarum priſtina manebat, ſed ea veſtitu illo orationis, quo conſueuerat, ornata non erat, hoc tibi ille Brute minus fortaſſe placuit, quàm placuiſſet, ſi illum flagrantem ſtudio, & florentem facultate audire potuiſſes.

FLORVERIT, vnde floreſcentem ſupra dixit. SENIOR, quum tu Brute illum defloreſcentem cognouiſti, ſupra. DVAS, quarum altera ſtatim dicitur, altera vero in illum locum differtur: quodque exercitationem, ſtudiúmque dimiſerat. GENVS ERAT ORATIONIS, in Hortenſio, qui attulerat minime vulgare genus dicendi, ſupra. ASSATSCVM, quo vſi ſunt Aſiatici oratores, qui ſupra redundantes appellantur: tu Quintilianum libro duodecimo cap. decimo lege. ADOLESCENTIAE MAGIS CONCESSVM, vt redundans, & fœcundum. Volo enim ſe efferat in adoleſcente fœcunditas, inquit Antonius lib. ſecundo de Oratore, in ea re Sulpicium commendans. Plura Quintilianus libro ſecundo capite quarto, & libro vndecimo capite primo ſcribit. SENECTVTS, cuius ſermo debet eſſe decorus, quietus, & remiſſus, vt ait in Catone. TIMAEVS, ſupra. PVERIS NOBIS, quippe quum M. Antonius libro ſecundo de Oratore dicat, ſe fratres hoſce Meneclem, & Hieroclem audiuiſſe. HIEROCLES, libro ſecundo de Oratore, & in Oratore. ALABANDEVS, aliter Alabandenſis, vt libro ſecundo de Orat. ex Alabanda, ex qua tamen etiam ἀλαβανδεὺς, vt Stephanus docet, deducitur. MENECLES, Molonis præceptor, vt Strabo lib. decimo quarto ſcribit. FRATER, vt lib. ſecundo de Oratore, in Orat. & apud Strabonem libro decimo quarto dicitur. LAVDABILES, quòd illi Aſiaticorum Rhetorum principes fuerunt, vt ait in Oratore. AESCHYLVS GNIDIVS, ſupra. MEVS AEQVALIS, hinc cognoſcitur, quòd Pompeium certe æqualem Ciceronis offendit, & in exilium miſſus eſt, vt Strabo libro decimo quarto refert. MILESIVS AESCHINES, ex Mileto Aeſchines orator, cuius Strabo, & Laërtius meminerunt. ILLO GRAECO, Menecle. HOC, Hortenſio. ORATIO, Hortenſii. SAEPE VIDEBAM, αἰτιολογία, quòd hæc non probentur ſenibus. IRRIDENTEM, orationes Hortenſii. PHILIPPVM, L. Philippum iam tum ſenem, vt ſupra diximus. ADOLESCENTES, quibus hoc dicendi genus placebat, vt adoleſcentiæ conceſſum, vt ſupra dictum eſt. ERAT EXCELLENS, Hortenſius, vt etiam L. Craſſus libro tertio de Oratore iudicauit. IVDICIO VVLGI, concludi poteſt ex diſputatione, quæ facta eſt ſupra, ergo etiam intelligentis: niſi recorderis, quod addidit, præſtat illo doctus auditor indocto, quòd ſæpe, quum oratores duo, aut plures populi iudicio probantur, quod dicendi genus optimum ſit, intelligit. Probatur Hortenſius, ſed Cicero intelligit, quod genus dicendi ſit optimum: hoc eſt, vulgus, & doctus Hortenſium probant, ſed doctus intelligit, in eo non eſſe genus optimum dicendi. PRIMAS TENEBAT, prin ceps & erat, & habebatur Hortenſius, ſupra. hinc Aſconius Hortenſium principem in ſenatu propter nobilitatem, & in foro ob eloquentiam Regem cauſarum vocat: quòd in iudiciis eo tempore dominaretur, vt Verrina prima cognoſcere licet. ET SI ENIM, αἰτιολογία, quare primas Hortenſius teneret. GENVS ILLVD DICENDI, Aſiaticum, quo Q. Hortenſius vtebatur. AETATI, adoleſcentiæ, ſupra. INGENII, quod in Hortenſio peracre fuiſſe libro tertio de Oratore dicitur: vnde Cicero ſæpe illum ingenioſiſſimum vocat. LVCEBAT, in Hortenſii oratione. EXERCITATIONE, qua vtebatur ante Conſulatum, ſupra. COMPREHENSIO, περίοδος, in Oratore. ADMIRATIONEM, & clamores, ſupra. EXCITABAT, dichoreus. HONORES, quos Hortenſius fuerat adeptus, ſupra. SENSOR AVTORITAS, vt ſenior oratio ſupra. QVIDDAM, quoddam genus dicendi. REMANEBAT IDEM, genus dicendi Aſiaticum. NEC DECEBAT IDEM, nec decebat idem genus dicendi: quoniam alia ætas vt alios mores, ſic aliud dicendi genus poſtulat: Itaque L.

Craſſus, & ipſe Cicero genus dicendi mutarunt in ſenectute, vt ex libro primo de Oratore, & primo de Legibus intelliges. QVODQVE, è duabus cauſis ſupra poſitis hæc eſt altera, cur adoleſcens magis floruerit dicendo, quàm ſenior Hortenſius. DIMISERAT, remiſerat poſt Conſulatum, ſupra. EO, Hortenſio. ACERRIMVM, ſummum, flagrantiſsimum, ſupra. HOC, propter hoc. ILLE, Q. Hortenſius. FLAGRANTEM STVDIO, ſic, vt in nullo flagrantius ſtudium viderim, ſupra. FLORENTEM, floreſcentem, ſupra. FACVLTATE, qua fuit copioſus, ſupra. POTVISSES, per ætatem.

Tum Brutus, ego vero, inquit, & iſta, quæ dicis, video qualia ſint: & Hortenſium magnum oratorem ſemper putaui, maximéque probaui pro Meſſala dicentem, cum tu abfuiſti. Sic ferunt, inquam: idque declarat totidem, quot dixit, vt aiunt, ſcripta verbis oratio. ergo ille à Craſſo Conſule & Scæuola vſq. ad Paulum & Marcellum Coſs. floruit: nos in eodem curſu fuimus à Sylla Dictatore ad eoſdem ferè Conſules. ſic Q. Hortenſii vox extincta fato ſuo eſt, noſtra publico. Melius quæſo ominare, inquit Brutus. Sit ſanè vt vis, inquam; & id non tam mea cauſa, quàm tua: ſed fortunatus illius exitus, qui ea non vidit, cum fierent, quæ prouidit futura. ſæpe enim inter nos impendentes caſus defleuimus, cum belli ciuilis cauſas in priuatorum cupiditatibus incluſas, pacis ſpem à publico conſilio eſſe excluſam videremus. ſed illum videtur felicitas ipſius, qua ſemper eſt vſus, ab eis miſeriis, quæ conſecutæ ſunt, morte vindicaſſe. Nos autem Brute, quoniam poſt Hortenſii clariſsimi oratoris mortem orbæ eloquentiæ quaſi tutores relicti ſumus, domi teneamus eam ſeptam liberali cuſtodia, & hos ignotos atque impudentes procos repudiemus, tueamúrque vt adultam virginem caſte, & ab amatorum impetu, quantum poſſumus, prohibeamus. equidem etſi doleo me in vitam paulo ſerius tanquam in viam ingreſſum, prius, quàm confectum iter ſit, in hanc Reipub. noctem incidiſſe: tamen ea conſolatione ſuſtentor, quam tu mihi Brute adhibuiſti tuis ſuauiſsimis literis; quibus me forti animo eſſe oportere cenſebas, quòd ea geſsiſſem, quæ de me etiam me tacente ipſa loquerentur, mortuóque viuerent; quæ, ſi recte eſſet, ſalute Reipub. ſin ſecus, interitu ipſo teſtimonium meorum de Repub. conſiliorum darent.

MESSALA, M. Valerio Meſſala, qui cum Cn. Domitio Caluino Conſul an. ab V. C. ſeptingenteſimo primo magno ambitu factus fuit, vt lib. quarto ad Atticum cognoſces: & ob id poſt Conſulatum fuit accuſatus: qua de re ſic epiſtola duodecima libri quinti ad Atticum ſcribit: de Meſſala ad te ſtatim, vt audiui, de Gyaro dedi literas, & id ipſum conſilium noſtrum etiam ad Hortenſium: cui quidem valde συμπάθω. Ille vero primum fuit abſolu-

tus, deinde condemnatus, vt ex epiſtola ſecunda, & quarta libri octaui Familiarium facile cognoſces. DICENTEM, quòd ipſe Meſſala ſororis eſſet filius: quem Hortenſius habiturus erat hæredèm, vt Valerius Maximus libro quinto capite nono refert: etſi Plutarchus in Catone ſcribit, ab eo Marciam, quam vxorem à Catone acceperat, hæredem relictam fuiſſe. ABFVISTI, in Ciliciam profectus, epiſtola duodecima libri quinti ad Atticum, & epiſtola ſecunda, & quarta libri octaui Familiarium. FERVNT, qui audiuerunt. AIVNT, qui audiuerunt. SCRIPTA, & edita, vt Valerius Maximus lib. quinto capite nono refert. ERGO, concluſio. ILLE, Hortenſius. A CRASSO, aliter Craſſo. CONSVLE, ſeiungit, opinor, quia prius Craſſus deceſsit, vt oſtendimus ſupra. SCAEVOLA, Q. Mucio Scæuola Pontifice, de quo diximus. Hortenſius vero L. Craſſo, Q. Scæuola Conſulibus in foro primum dixit, ſuprà. PAVLVM, ET MARCELLVM COSS. his enim Coſs. eſt mortuus, ſupra. FLORVIT, ſupra. Fuit enim in patronorum numero annos quatuor, & quadraginta, ſupra. FVIMVS, annos circiter vnum, & triginta. À SYLLA DICTATORE, tunc enim pro Sex. Roſcio dixit, vt oſtendimus ſupra. EOSDEM, L. Paulum, & C. Marcellum. FERE, nam paucis menſibus ante Paulum, & Marcellum Conſules Cicero dicere ceſſauit, in Ciliciam profectus Ser. Sulpicio, M. Marcello Coſs. epiſtola vigeſima prima libri quinti ad Atticum: vnde reuerſus, incidit in ipſam flammam ciuilis diſcordiæ, vel potius belli, epiſtola decima libri decimi ſexti Familiarium: poſtea fuit illud diuturnum ſilentium, quod in oratione pro Marcello nominat. CONSVLES, anno ab V.C. ſeptingenteſimo quarto. FATO SVO, lege librum de Fato: ſua die, quæ ſtat cuique, vt ait Poëta: ſuo tempore, vt in principio dixit. NOSTRA, noſtra vox extincta eſt. PVBLICO, publico fato: fato, quo Reſpub. extincta eſt. MELIVS QVAESO OMINARE, melius ominare: εὐφήμει, vt olim dixit Sophocles, quod Plato, & Theon referunt: quod verbum Cicero in Catone vertit, Dii meliora, vel, dic meliora, vt in multis libris legitur: apud Valerium Maximum tamen libro quarto capite tertio legimus etiam, Dii meliora. SIT SANE, καλῶς ἔσω, bene ſit: eſt enim potius εὐχὴ, quàm συγχώρησις. VT VIS, quando vis me melius ominari. MEA CAVSA, qui ſum ſenex. TVA, qui es adoleſcens, & ita doctus, vt ſoleam tuam vicem dolere, qui non poſsis eloquentiam exercere, in principio. FORTVNATVS ILLIVS EXITVS, nam perpetua quadam felicitate vſus Hortenſius ceſsit è vita ſuo tempore, vt in principio dictum eſt. EA, bellum ciuile, & quæ in bello ciuili ſunt facta. NON VIDIT, iam mortuus, vt ſupra diximus. PROVIDIT, ſua prudentia. vidit, prouidit, eſt προσωπομαχία. SAEPE ENIM, εὐλογία, quòd ea prouiderit. DEFLEVIMVS, prouidentes, quæ poſtea ſunt conſecuta, quum eſſemus omnium conſiliorum ſocietate coniuncti, vt in principio dictum eſt. Cicero certe cuncta penè prædixit, vt ſupra retulimus. PRIVATORVM, certorum hominum, vt epiſtola decima libri decimi ſexti Familiarium ſcripſit. PACIS SPEM, patrocinium pacis in principio dixit. EXCLVSAM, incluſas, excluſam, ἀπόκλειστοι. ILLVM, Hortenſium. QVA SEMPER EST VSVS, qua perpetuà eſt vſus, vt dixit in principio, cui finis hic reſpondet. VINDICASSE, dichoreo enumerationem hanc oratorum abſoluit. NOS AVTEM, παραίνεσις, qua, dialogo iam propè finito, Brutum vult hortari, & monere, ſed ſe ipſe admiſcet, ne forte Brutus iniquo ferat animo, ſi apertius admoneatur. Imitatur vero Cicero ſuum Platonem, qui dialogos multos ita finit, vt Gorgiam, in cuius fine ad iuſtitiam cohortatur. HOS, præſertim qui ſe volunt Atticos appellari,

pellari, ſupra. IMPVDENTES, aliter imprudentes. AMATORVM, aliter armatorum. PAVLO SERIVS, octo annis poſt Hortenſium, ſupra. ITER, vitæ. HANC, in qua nunc verſamur. NOCTEM INCIDISSE, vt ſæpe incidunt viatores ante, quàm poſsint iter conficere. ab iis enim tranſlatio ſumpta eſt. SVSTENTOR, ex diuturna perturbatione totius valetudinis, tanquam ad aſpiciendam lucem reuocatus, vt in principio dixit. LITERIS, ex Aſia miſsis, ibidem. GESSISSEM, in Conſulatu potiſsimum, ſupra. QVAE DE ME, ETIAM ME TACENTE, IPSA LOQVERENTVR, ἀνλίκτον. aliter quæ de me, etiam tacente, ipſa loquerentur. MORTVOQVE VIVERENT, ἀνλίκτον. nam ſi ad memoriam operum tuorum Cicero reſpicis, ſemper victurus es, vt Seneca in Suaſoriis ait. & ſanè Cicero viuit, viuétque per omnem ſeculorum memoriam, vt Paterculus lib. ſecundo ſcribit, vbi Ciceronis mortem deplorat. QVAE, ἔλλειμμα. SI RECTE ESSET, ſi bene eſſet, ſi res bene haberet. SALVTE REIP. ipſa Reip. ſalute teſtimonium darent. aliter ſaluti Reip. male. SIN SECVS, ſin male eſſet: quod maluit ſignificare, quàm dicere, ne male ominaretur.

Sed in te intuens Brute doleo, cuius in adoleſcentiam, per medias laudes quaſi quadrigis vehentem, tranſuerſa incurrit miſera fortuna Reipub. hic me dolor tangit, hæc me cura ſollicitat, & hunc mecum, ſocium eiuſdem & amoris, & iudicii. tibi fauemus: te tua frui virtute cupimus: tibi optamus eam Rempub. in qua duorum generum ampliſsimorum renouare memoriam, atque augere poſsis. tuum enim forum, tuum erat illud curriculum: tu illuc veneras vnus, qui non linguam modo acuiſſes exercitatione dicendi, ſed & ipſam eloquentiam locupletauiſſes grauiorum artium inſtrumento, & iiſdem artibus decus omne virtutis cum ſumma eloquentiæ laude iunxiſſes. ex te duplex nos afficit ſolicitudo, quòd & ipſe Repub. careas, & illa te. tu tamen, etſi curſum ingenii tui Brute premit hæc importuna clades ciuitatis, contine te in tuis perennibus ſtudiis, & effice id, quod iam propemodum, vel planè potius effeceras, vt te eripias ex ea, quam ego congeſsi in hunc ſermonem, turba patronorum. nec enim decet, te ornatum vberrimis artibus, quas cum domo haurire non poſſes, accerſiuiſti ex vrbe ea, quæ domus eſt ſemper habita doctrinæ, numerari in vulgo patronorum. nam quid te exercuit Pammenes, vir longe eloquentiſsimus Græciæ, quid illa vetus Academia, atque eius hæres Ariſtus, hoſpes, & familiaris meus, ſi quidem ſimiles maioris partis oratorum futuri ſumus? non ne cernimus, vix ſingulis ætatibus binos oratores laudabiles conſtitiſſe? Galba fuit inter tot æquales vnus excellens; cui, quemadmodum accepimus, & Cato cedebat ſenior, & qui temporibus illis ætate inferiores fuerunt, Lepidus poſtea, deinde Carbo. nam Gracchi in concionibus multo faciliore, & liberiore genere dicendi: quorum ta-

men ipſorum ad ætatem laus eloquentiæ perfecta nondum fuit. Antonius, Craſſus, poſt Cotta, Sulpicius, Hortenſius, nihil dico amplius: tantum dico, ſi mihi accidiſſet, vt numerarer in multis,* ſi operoſa eſt concurſatio magis opportunorum. *

INTVENS, & quidem crebro, in principio. DOLEO, vicem tuam, in principio. ADOLESCENTIAM, de qua diximus in principio. QVASI QVADRIGIS VEHENTEM, quæ te veheret quaſi quadrigis: ex quibus prouerbia fiunt, citis quadrigis, Iouis quadrigis. TANGIT, libentius, angit, legerem. HVNC, T. Pomponium Atticum. DVORVM GENERVM, duarum gentium, Iuniæ, ex qua natus es, vt conſtat: & Seruiliæ, ex qua nata eſt mater Seruilia, vt ſupra eſt dictum. Vnde Philippica ſecunda ita ſcripſit: Brutos ego impellerem, quorum vterque L. Bruti imaginem quotidie videret, alter etiam Ahalæ? is enim dictus eſt Seruilius Ahala: & Philippica decima: Brutus eſt noſter, quum ſua excellentiſsima virtute Reipub. natus, tum fato quodam paterni, materníque generis, & nominis. Quin ego in ſcholio epiſtolæ vigeſimæ quartæ libri ſecundi ad Atticum ſum ſuſpicatus illum in gentem Seruiliam adoptatum fuiſſe, & ob id Philippica decima Q. Cæpionem vocari. RENOVARE, dicendi gloria. CVRRICVLVM, in principio. ILLVC, in forum. ARTIVM, quibus ornatus es, paulo poſt. NOS, me, & Atticum. TE ORNATVM, ſupra. ARTIBVS, exquiſita doctrina, in principio. VRBE EA, Athenis. DOMVS, domicilium enim ſtudiorum fuit Athenis, vt ait libro tertio de Oratore. PAMMENES, meminit in Oratore. ELOQVENTISSIMVS, vt Demoſthenis ſtudioſiſsimus, in Oratore. VETVS ACADEMIA, quam ſecutus es Brute, ſupra. EIVS, veteris Academiæ. HAERES, vt frater Antiochi, libro quinto de Finibus: qui fuit veteris Academiæ Philoſophus, ſupra. ARISTVS, te exercuit, quem frequenter audiuiſti, libro quinto de Finibus: quamuis idem Cicero Tuſculana quinta, & Plutarchus in Bruto Ariſtonem vocare videantur: ſed libro ſecundo Academicarum quæſtionum Ariſtum Antiochi fratrem, Ariſtonem vero amicum fuiſſe ſcribit: HOSPES, nam Cicero in Ciliciam proficiſcens, apud Ariſtum fuit, epiſtola decima libri quinti ad Atticum: reuertens, certe imperator apud Ariſtonem diuerſatus eſt, Tuſculana quinta. MAIORIS PARTIS, turbæ. NONNE CERNIMVS? cernimus: & quum cernamus, danda nobis eſt opera, vt in paucis numeremur. BINOS, vt L. Craſſum, & M. Antonium: Sulpicium, & Cottam. paucos, ſupra: ſingulos, lib. primo de Oratore. LAVDABILES, tolerabiles, libro primo de Oratore. CONSTITISSE, alii, extitiſſe, vt libro primo de Oratore. GALBA, Ser. Galba. atque Cicero, quamuis epilogum ſupra fecerit, hic tamen quandam ætatum ἀνακεφαλαίωσιν ita facit, vt in prima ætate Catonem, & Galbam: in ſecunda Lepidum: in tertia Carbonem: in quarta Craſſum, & Antonium: in quinta Sulpicium, & Cottam: in ſexta Hortenſium, excellentes conſtituat, nec tamen in ſingulis ætatibus binos ponat: quia vix binos dixerat laudabiles fuiſſe. Se vero in ſexta cum Hortenſio non aperte collocat, ſed ita loquitur, vt intelligi poſsit, id eum ſignificare voluiſſe. TOT, Lælium, Scipionem, Cottam, & alios, quos ſupra numerauit. CATO, M. Porcius Cato Cenſorius, ſupra. SENIOR, ipſo Galba, vt ſupra videre licet: vel cedebat ſenior, cedebat, quum iam ſenex eſſet, qui iuuenis fortaſſe non ceſsiſſet. LEPIDVS, M. Aemilius Lepidus Porcina, ſupra. CARBO, C. Papirius Carbo vir eloquentiſsimus ſupra.

ſupra vocatus. NAM, αἰτιολογία, quare in hac ἀνακεφαλαιώσει Gracchos non ponat: vel hæc particula, nam, iungat, vt ſæpe facit. GRACCHI, Tib. & C. Sempronii Gracchi, ſupra. PERFECTA NONDVM FVIT, quæ poſtea perfecta fuit in Antonio, & Craſſo, vt ſupra Cicero putauit. ANTONIVS, M. Antonius, ſupra. CRASSVS, L. Craſſus, ſupra. COTTA, C. Cotta, ſupra. SVLPICIVS, P. Sulpicius. HORTENSIVS, Q. Hortenſius. NIHIL DICO AMPLIVS, voluit tamen dicere, vel ſignificare, ſe inter excellentes eſſe numerandum cum Hortenſio, ſed tacuit, ne arroganter de ſe loqui videretur: & eodem tempore indicauit, nihil amplius de oratoribus ſe dicturum eſſe, ſed finem dicendi eſſe facturum, vt ſtatim facit. TANTVM DICO, SI MIHI ACCIDISSET, VT NVMERARER IN MVLTIS, SI OPEROSA EST CONCVRSATIO MAGIS OPPORTVNORVM, hic multi multa deeſſe, aliqui aliquid, nonnulli nonnihil, omnes ferè locum mendoſum eſſe putant: nos, vt aliquid concedamus, multa tamen non credimus deeſſe: quum facta, & dicta ſint omnia, quibus dialogi texi, & finiri ſoleãt, & Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus hanc extremam partẽ fuiſſe doceat. Fieri igitur poteſt, vt aliquod verbum deſit, aut, quæ ſunt hic verba, ita ſint mendoſa, vt ſenſus elici non poſſit: etſi videtur hoc modo elici poſſe tantum dico, ſi mihi accidiſſet, vt numerarer in multis, me non magni hoc ſtudium dicendi facturum fuiſſe, ſi tamen operoſa eſt concurſatio magis opportunorum ita, vt difficile ſit cognoſcere, qui ſint oratores magis opportuni: quum quiuis id poſſit intelligere, & ita iudicare, an ego in multis ſim numerandus, an inter paucos collocandus ἀποσιώπησις vero poſt verbum, multis, loco, & dedita facta eſt: ne, ſi rem totam protuliſſet, arroganter loqui videretur. Itaque reliquit nobis intelligendum, aut addendum, non magni facturum, aut tale quid. Quod autem pertineat ad illa verba: ſi operoſa, video etiam legi poſſe: etſi operoſa, vel, ſed operoſa, præſertim quum Cicero hac particula, ſed poſt ἀποσιώπησιν frequenter vtatur. Nos, quicquid diximus, Deo Opt. Max. acceptum referimus.

Pag. 1	Verſ. 26	maxime dicimus
	47	quin utilitas
2	16	ille utcunque
8	39	tam diu quàm licuit
9	15	aliter doluiſſe, & eadem uox alias, ſæpius irrepſit pro aliter pag. 12. 7. 35. & 13 44. & 14 35. & 17. 11. & 19. 9. & 21. 5. 50. & 23 19. & 24. 21. 38. & 30. 21. & 45. 30. & 46. 30.
9	26	παρενοχλῶσι
	49	ſoleat euenire,
10	47	Tuſc. prima
11	18	VOCE, ſua, & aliorũ oratorum. ERVDITA, & ob id digna, quæ quum à Romanis, tum à Græcis, &c.
12	19 egebat 24	egere Rempub.
17	29	perlubenter
18	41	charis geſſerat
19	6	rei familiaris
22	9	ὕστερον ἄρειον
25	5	Pompeii filiis,
	45	Tuſcul. prima
26	8	(ſi potes)
30	23	poterant
35	27	in inſulis
36	28	qua tandem ſpe
38	16	lib. primo de Orat.
	38	obſeſſos in Pylo
40	33	καὶ ὑψηλὸν
	51	comprehenſione rerum
43	45	τηλῶν ἀποικία
48	35	ut ipſe ſcribit
52	18	uolui poſſit:
	37	Lyſias Cephali
	44	eius ueræ ultra
54	5	Seruio Galba
poſt 64 & 67		corrigatur numerus chartarum
69	37	quin ex Rhetris
70	2	Olympiade
71	16	ſequitur, ponat.
72	25	cui poculũ trad.
73	20	qui per mare
75	29	Hippodamo, qui
77	38	quòd nondum Rhetorica
78	34	reſpondit: τὰ μὲν
81	8	fontes videre
120	39	audeas oratorem
122	51	luit complecti
125	33	uerſus fecit
129	41	Ephori Epheſii,
131	17	Clytum equo ad
133	11	futura oſtẽderent
134	5	quàm prænomen
135	1	Tarquinius
136	18	ſatis propriè
137	40	expoſitum
140	36	adoptantis prænomen habuiſſe,
	42	ut in Somnio
150	28	quũ dicat hoc loco
	47	in Galbam.
151	5	& Poſtumios ſcribi
182	8	gerere dicerentur.
190	5	ſuos non nunquã ad
201	25	sp.F.M.N.Pilus. Hic
221	22	tertio ad Atticũ Brut.
232	42	affirmat
247	26	conſules fuerint'
248	31	& in his L.Beſtiam
259	16	aut mimicus,
261	6	utrunque
	7	iuris ciuilis
265	50	huc congeramus
267	31	gradus oratorũ vulgi
284	2	octauo de Ira teſtãtur:
339	7	erit, hſi rõnem licere
341	40	Plutarchus dicat illũ,
354	15	tamen multo ma
355	6	de ambitu tulit
	27	ornatus eſſet,
359	13	Aeliorum cognomen
374	39	ipſe ſit, ſic loq
399	1	à genibus tuis repul.
401	37	PERVERTERAT,
435	31	queritur tamen
437	12	ſtatim

SCRIPTORES quorum teſtimonijs hiſce cōmentarijs uſus eſt Corradus, hi ſunt.

Adamantius
Aelianus
Aemilius Probus
Alciatus
Alexander ab Alexandro
Alexand. Aphrodiſienſis.
Amianus Marcellinus
Ammonius.
Aphthonius
Appianus Alexand.
Appion Grammaticus
Aquila Romanus
Aratus
Ariſtides rhetor.
Ariſtoteles
Ariſtophanes
Aſconius Pedianus
Athenaeus
D. Auguſtinus
Autor libelli de Viris Illuſt.
Autor Rhet. ad Herennium.
Baptiſta Fulgoſius
Blondus Foroliuienſis.
Boëtius.
Cælius Rhodiginus
Ceſar
Caper
Caſsiodorus
Cenſorinus
Chariſius
Columella
Conſulum ſeries
Cornelius Celſus
Cornelius Fronto
Corn. Nepos.
Cornelius Tacitus
Cornutus de Nat. Deorum.
Dantes Aligerius
Demetrius Phalereus
Demoſthenes
Digeſtorum auctores ſiue Iuriſconſulti
Diodorus Siculus
Diogenes Laërtius
Diomedes
Dion Coccianus
Dionyſius Halicarnaſſeus.
Donatus
Euſebius
Eutropius
Fabius Pictor
Feneſtella
Florus
Fortunatianus
Frontinus
Galenus
Gellius
Geor. Gemiſtus Plethon.
Georg. Trapezuntius
Hermogenes
Herodotus
Heſiodus
Heſychius
D. Hieronymus
Hircius uel Oppius
Homerus
Horatius.
Interpres Ariſtophanis
Interpres Hermogenis
Interpres Homeri
Interpres Pindari
Ianus Parrhaſius
Ioan. Zezes
Ioſephus
Iouianus Pontanus
Iſocrates
Iulius Maternus
Iulius Obſequens
Iulius Rufinianus
Iuſtinus
Iuuenalis
Lactantius Firmianus.
Laurentius Vallenſis
P. Lentulus P.F.
Lilius Gyraldus
Liuius hiſtoricus
Lippus Brandolinus
Lucanus
D. Lucas
Lucianus
Lucretius
Lyſias
Macrobius
Marcellinus rhetor
M. Ant. Antimachus
Marſilius Ficinus
Martialis
Martianus Capella
Nicolaus Perottus
Nonius Marcellus
Onoſander
Oppius uel Hircius
Oroſius
Orus.
Ouidius
Pauſanias
Perſius
Petrus Crinitus
Petrus Diaconus
Philoſtratus

Pindarus
Plato
Platonius
Plautus
Plinius in Hiſt.nat.
Plinius Iunior
Plutarchus
Polemon.
Politianus
Polybius
Pompeius Trogus.
Pomponius Iurecõſult.
Pomponius Mela
Porphyrio Grãmaticus.
Porphyrius philoſoph.
Priſcianus
Proclus
Ptolemaeus,

Quintilianus
Q. Cicero Frater
Rodulph. Agricola
Rufus
Salluſtius
Seneca
Seruius
Sext. Pompeius
Silius Italicus
Stephanus qui τὰ ἐθνικὰ ſcripſit.
Stobaeus
Strabo
Suetonius
Suidas.
Tatianus Syrus
Terentius comicus
Terentius Scaurus

Tertullianus
Theodorus Gaza
Theon Sophiſta
Theophraſtus
Thucydides
Tibullus
M.T. Cicero
Ual. Maximus
Ualerius Probus
Uelleius Paterculus
Uarro
Uegetius
Uibius Sequeſter
Uictorinus Rhetor
Uirgilius
Uitruuius
Ulpianus Iurecõſ.
Xenophon.

LOCORVM

qui paſſim in Autoribus uel explicantur aut corriguntur, uel collatione aliorum illuſtrantur aut confutantur, Index.

AELIANI.43.94.126.130.
Alexandri ab Alexandro.45.
Appiani Alex.95.140.bis.151.169.202.243.248.257.292.337.338.385.392.395.405.408.
Aquilæ Romani.122.bis.
Ariſtophanis.36.45.168
Ariſtotelis,83.157.266,385.405.
Aſtonii.96.178.207.213.245.246.257.276.279.283.284.292.293.303.339.354.362.365 bis.384.390.et 391:397.405.427.441.444
Athenæi.44.130.416.
Autoris Ad Herenn.lib.Primo 181.307
Secundo 50.306.307
Tertio.25.123,256.406
Quarto.61:314.255.311.313.122.bis 254.
Autoris de Viris illuſt.96.97.102.110 bis.135.140.145.146.bis.148.149.bis.244.245.337.338
Boetij 260.265,266.505
Cæſaris.292.295.322.382.392.bis 393.394.395.399,401.410.442
Caſſiodori.144.184.201.211.242.282
Catulli.366.397.
Q.Ciceronis.339.397.445
Columellæ.100.101
Corn.Taciti 76.400.411.434.441
Diogenis Laertij.36
Dionis hiſt.197.246.289.362.440 448
Dionyſii Halicarn.48.112
Euſebii 112.135.437.440
Eutropij.109.155.182.183.197.245 246.247.333.385.410
Feneſtellæ.99
Flori.95.145.148.153.159.183.235.337.338
Fortunatiani.364.
Frontini.96.142.209.320
A.Gellij.44.70.93.94.106.ter.121.122.129.133.137.145.153.158 179.182.204.247.276.279,299 380.436
Georgij Trapezuntij.157
Hircij.161
Horatij.78.133.171.181.195.284 296.406.416.
Iani Parrhaſii.105
Interpretis Ariſtophanis.65.72
Iſocratis.45.375
Iulij Obſequentis.201
Iuſtini,140
Laur.Vallenſis.187.405
P.Lentuli P.F.394.395
Lippi Brandolini.298
T.Liuij.92.94.97.102.105.112 bis.113.134.141.143.145.183.213.232.235.276.277.279.284.292.337.338.399
Lucani.135.389.392.395.& 396.408.409
Luciani.110.328
Macrobij.152.426
Marcellini rhetoris.119
Martialis.416.417
Oroſii.95.110.145.159.183.202.366 338.385.410
Ouidij.72.92.98.99.302
Ex Pandectis 238.267
Paterculi.155.156.185.197.191 292.330.394.395.bis.442.
Philoſtrati.41.43.79.
Platonis.45.70.73.74.168
Platonij.64
Plauti.61
Plinij.49.95.120.126.148.153.154 bis.155.182.185.198.363.384.392
Plinij Iunioris in epiſt.65.
Plutarchi.80.90.92.94.bis.98 99.101.112.115.127.140.146.150 151.156.157.159.160.193.197.203 243.246.257.284.292.337.341.363.365.395.366.406.408.426 432.435.438 bis.439.441.442.448.454
Polybij.90.95.100.bis.101
Pomponij Iuriſconſ.264
Porphyrionis.129
Quintiliani.14.32.35.77.85.119 122.143.168.193.255.256.266.271.286.298.316.326.327.330.364.377.383.400.405.406.411.bis 412.413.414.428.431.432.436.437.448
Rodol.Agricolæ.266.298
Scriptoris, qui Tabulas familiarum collegit.154.208
Salluſtij.231.334
Senecæ.284.372.385.411.443
Silij.72.104.112.135
Seruij.99.133
Strabonis.189.197.247.bis.249 432
Suetonij 6.28.153.157.167.235.242 273.279.279.296.358.364.365.380.392.400.405.441.bis.
Suidæ.43.55,120.125.128
Theonis Sophiſtæ.430
Terentij.137
Tibulli.274
Thucydidis.71.79

M. TVLII. CIC.

De Inuentione libro Primo 83.106.157 ſæpius 160
Secundo 100.101.159
Topicis 259.265
Partitionib..122.158.204.208.253.266.298
De Oratore ad Q.Frat.Primo 9.87.100.136.143.146.157.159.167.bis.168.170.189.255 259.260.261 266.272.275.276.281.283.306.307.314.323.365.404.419.430.453
Secūdo 16.115.116.119.136.147.167 170.173.190.192.196.199.209.217.236.258.259.260.266.267.273.276.277.279.268.291.306.311.329.421.bis.424.452
Tertio 118.122.136.138.147 et 148.163.171.184.195.201.255.256.266 273.275.289.290.312.315.427.428.
Oratore ad Brut.49.64.65.74.78 85.118.122.bis 123.133.138.144.159 165.166.168.171.224.254.255.256 258.264.265.266.273.278.298.327.377.413.414.415.416.419.420.423.427.437.443.448.
De Opt. Gen. Orat. 116.117.136.166.bis.226.282.298.ter.307.310 377.413.414.ſæpius.416.bis.418 bis

Orationib.

Pro Quintio. 267.289.428.436
Roſcio Amerino.154.341.362.435
In Verrem 163.168.173.179.195.196.331.245.246.257.281.281.288 289.334.365.383.384.419.427.441.bis
Fonteio 273.422
Cæcina 267.307.308.
Lege Manilia 173.426.428.445.
Cluentio 71.175.445.
Contra Rullum prima 162.163.216.ſecunda 97.112.173.273.280 444
Rabirio 279.339
Rabirio Poſtumo 366

In Catilinam 199.200.202.203.362.373
Murena.99.113.155.159.*bis*.260.169.199.207.264.266.268.281.282.364.*bis*.443.445.448
P. Sylla.96.110.351.364.383.387
Archia poëta.149.197
Poſt Reditũ 154.*bis*.323.364.*bis* 387.393.*bis*.398.*bis*.399 442.445
Domo ſua 4.92.95.*bis*.96.97.99.120.142.153.167.175.180.184.191.202.362.386.387.393 *bis*.403
Reſponſis.99.148.230.362 365.393.394.363.365.386.387.391.398.399
Cn. Plancio.97.145.181.194.281.282.442
Seſtio 167.233 387.398.399.364 *bis*
In Vatinium 99.407
Cælio 93.194.363.400.446
De Prouinc. Conſul.144.334.364.382
Corn. Balbo 10.190.245.279.342.366
In Piſonẽ 144.289.290.363.364.*bis* 374.375.387.393.394.398 442.445.448.449.
Milone 6.9.387.390.426
M. Marcello 13
Ligario 13.385
Deiotaro 385.13
Philipp.7 *bis* 26.66.87.110.151.163 200.202.363.384.392.407.456
Contra Salluſt.112
Antequam iret 342

EPISTO. Familiar.

Libro primo 4.10.92.334
Secundo 5.7.274.321.328.387.388.389.393.*bis* 394.398.400.401.407.408 *bis* 409
Tertio 5.*bis* 295.382.387.388.379.*bis* 426
Quarto 142.267.368.369.454
Quinto 10.295.*bis* 362.*bis* 363.364.*ter*.365.385.409.410.449
Sexto 371.415
Septimo 276.283.411
Octauo 6.284.286.389.391.396.400.*ter*.401.*ſæpius* 403.405.*bis* 408.426.454
Nono 330.377
Decimo 395
XII.5.386.394
XIII.366.*bis* 382.409
XIIII.399.434
XV.368.*bis* 386.411.*bis* 419
XVI.392.395.408

Epiſtolis ad Atticum

Primo 163.171.180.267.276.339.353.364.406.407.426.
Secũdo.6.163.254.295.303.362.363 *bis* 391.407.*bis* 426.427.448.449
Tertio 110.275.364.*bis* 383
Quarto 25.142.293.362.365.391.*bis* 393.424
Quinto 5.269.366.368.386.393
Sexto 5.*bis* 5.6.*bis* 274.366.386 453.456.
Septimo 13.38.377.386.391.395.400
Octauo 295.391.392.*bis* 395.*bis*
Nono 29.394.400.428
Decimo 37.276.409.*bis*
XI.394.426
XII.18.65.110.120.167.*bis*.283.415.425.
XIII.19.27.*bis* 151.385.425
XIIII.27.209.424
XV.413.418.419.442
XVI.163.293. *&* *alibi* 143.187
Ad Brut. 388
Ad Q. Frat. libro primo 6.10.366.391.394.426
Secundo 365.387.388.*bis*.389.391.*ter* 393.399.409
Tertio 366.*bis* 388.389.383.25.119.146.435
Academicis Quæſt.100.*bis* 101.151.183.184.266.316.424.426 427.424.439.456
De Finibus 153.154.155.383.384.435.456.
Tuſcul. Quæſt.92.134.137. *ſæpius* 148.155.196.223.257.258.266.373.389.414.418.434.456
De Nat. Deor.
Secundo 145.146.*bis*
Tertio 158
De Diuinat.119.133.*bis* 145.146.*bis* 154.187.245.289.390
De Legibus primo 120.137.190.196.264.275.363.379.416.440 441.442.453.
Secundo 36.111.141.197.390
Tertio 83.97.100.179.179.181.183.191.197. *&* *alibi* 89.142.167
De Officijs 116.140.150.263.173.199.200.232.236.242.264.267.268.271.272.275.278.281.283.288.312.331.333.334.374.375.393.419.436
Lælio de Amicitia 25.70.95.142.145.146.154.156.158.173.187.192.200.204
Catone de Senec.9.92.100.*bis*.101 107.134.140.141.142.144.289
Paradoxis 125
Sõn. Scipionis 110.140.156
VARRONIS.162.163.426
Virgilij.77.172.288.373.408.447.
Val. Maximi.92.93.101.140.141 146.148.157.163.167.168.155.169 183.193.197.198.199.*ter*.200.201.236.257.299.337.394.395.405.454
Victorini Rhetoris. 136.

RERVM ET VERBORVM MEMORABI-
lium in hiſce Commentariis Index
locupletiſſimus.

A

Ἄβδηρα καλὴ Τηΐων ἀποικία. 43
abeſſe & deeſſe 402. & 405
Abronem Apellis mirabantur Samij 131
Academia 221
Academia à Dipylo porta urbis Athenenſium quot ſtadijs diſtabat 222
Academia Mineruæ ſacra 222
de Academia quid & in quo loco ſcribat Plutarchus 221
Academia unde dicta 222
Academiæ principes qui 221
Academici in utramque ſententiam diſputare ſolebant 222
Academici unde ſunt appellati 222
Accia mater Auguſti 193
Accius 343
L. Accius poeta 197
L. Accius poeta num ad Ciceronis tempora uenerit 198
Accius & poeta & hiſtoricus fuit 198
Accius poeta & hiſtoricus Pacuuio ſene floruit 346
Accij error 132
Accium cur reprehendit Cicero 416
T. Accius Piſaurenſis 396. bonus & diſertus adoleſcens uocatus à Cicerone 397
accuſatio Piſonis à Cicerone 194
accuſationes Calui in Vatiniũ quales 411
Achæorum bellũ deſcripſit Liuius & Iuſtinus 172
Achæos prælio fudit Q. Metellus 153
Achæos deuicit L. Mummius 172. idem & Corinthum deleuit. ibidem
ἀχαϊκὸν ἴαμα, ἰσοβαφὲς 81
Achilles Bochius 22. & 60
aciei inſtruendi ratio 252
Acilius appellatus ſapiens & quatenus 8.209
ἀνοία ἡ δυσφορία in Cæſare 370
ἀκονιτὶ adipiſci quid 64
actio in dicendo dominatur 208
actio in geſtum atque uocem diuiditur 254
actio menti congruens eſſe debet 255
actio pronunciatio ad Herennium uocatur 254
actio quæ præ ſe motum animi fert omnes mouet 256
actio tales oratores uideri facit, quales ipſi ſe uideri uolunt 254
actione M. Antonius excelluit 254
actores tam in ſcena quam in foro dicuntur 216
actoribus tam fabularum quam cauſarum quid facto opus eſt 216
aculeos in animis auditorum relinquebat Pericles 62
acumen Hyperidi à Cicerone tributum 55
acutum, & ſubtile genus dicendi, idem Ciceroni 116
Additur huius uocis uſus quis 105
adoleſcentes olim diſcendi cauſa Athenas proficiſcebantur 238
adoptati, nomen adoptantis habebant ſæpe 16.359
aduerſatiua particula Sed 191
aduocati officium 24 & 418
Adramytenus Zenocles 438.439
Aediles fabulas emebant & dabant 346. toga prætexta utebantur 387
Aedilis deſignatus quando Cicero 440.443
Aedilis fuit Hortenſius 426
Aedilitas duplex 383
Aedilitatem inter & Præturam quod nam temporis interuallum 387
Aelij plebeij fuerunt 141
Aeliorum familia multos conſules aluit 218
Aelius multas orationes ſcripſit 283. ipſe numquam orator fuit ibidem
Aelius T. Betutij Barri oratioin, Cæpionis ore reſpondit 283. & 284
L. Aelium Cicero adoleſcens audire perſtudioſe ſolebat 315
L. Aelium imitatus eſt Varro 108
L. Aelius lege Varia pro C. Cotta orationem ſcripſit 314
L. Aelius orationes ſcripſit pro alijs 315
P. Aelius 141
Q. Aelius Tubero 141
Q. Aelius Tubero Africanum auunculum laudare uolens, à C. Lælio orationem accepit 217 dies & noctes philoſophiæ operam dedit 218. homo integerrimus & optimus ciuis 218. in nullo oratorũ numero fuit 216
Q. Aelius Tubero. L. Pauli nepos 216.217
Q. Aelius Tubero non bene ſcribebat, ſed mediocriter dicebat 218. oratione fuit durus, horridus & incultus 218. quamobrem Pretura eſt deiectus 218 quamobrem honoribus maiorum reſpondere non potuit 216. quo tempore uixit 217
Q. Aelij Tuberonis patrem cũ M. Iunio Penno Conſulem fuiſſe putat Corradus 218
Sex. Aelius 138
Sex. Aelius cur uetus iuris interpres à Cicerone uocetur 141. iuris ciuilis peritiſſimus 141. laudatur ab Ennio 141
Sex. Aelius Pætus Catus. 141. Conſul Galliam prouinciam ſortitus eſt ibidem. Cenſuram præclare adminiſtrauit. ibid.
Aemilios quid & cuius cognomen 176
Aemilia familia unde orta 176
Aemilia gens Patritia fuit 207
L. Aemilius Paulus 149. quot filias habuit 217. quibus eas in matrimonium dedit ibidem
L. Aemilium Paulum populi ulterioris Hiſpaniæ patronum una cum C. Sulpicio ſumpſerunt 141

M. Aemilius Lepidus Porcina 421.422. cur Porcina dictus obſcurum 176
Aemilius Lepidus, idem eſt, nec multum abeſt, quòd hodie dicitur Canonicus regularis 176. infeliciter contra V acceos pugnauit 176. idem cur condemnatus. ibidem. quando conſul 174.176
M. Aemilius Lepidus, qui & Porcina dictus, quibus temporibus floruerit 172. et qualis orator uiam Aemiliam ſtrauit 211
Aemilius quomodo ſcribendum. 176.
M. Aemilius Scaurus anno ab V. C. ſexcenteſimo trigeſimo nono cum M. Cacilio Metello conſul fuit. 207
M. Aemilius Scaurus Conſularis à Cimbris captus, & interfectus. 211.
M. Aemilij Scauri, & M. Aurelij Scauri, pranomina, nomina & cognomina in Conſulib. eſſe perturbata opinatur Corradus. 211
M. Aemilij Scauri ſeueritas. 209. eiuſdem religio. ibid.
M. Aemilij Scauri teſtimonio quod in C. Memmium repetundarum reum dixit, non eſt creditum. 248
M. Aemilium Staurum Augurem fuiſſe per Aſconium demonſtratur. 207
Aes Curionũ cui dabatur. 226
